D. ALBERTI MAGNI,

RATISBONENSIS EPISCOPI, ORDINIS PRÆDICATORUM,

ENARRATIONES

IN XII PROPHETAS MINORES

SANCTI AMANDI (Cher).

Ex typis DESTENAY, Bussière Frères, 70, via vulgo dicta Lafayette, 70.

B. ALBERTI MAGNI,

RATISBONENSIS EPISCOPI, ORDINIS PRÆDICATORUM,

OPERA OMNIA,

EX EDITIONE LUGDUNENSI RELIGIOSE CASTIGATA, ET PRO AUCTORITATIBUS
AD FIDEM VULGATÆ VERSIONIS ACCURATIORUMQUE
PATROLOGIÆ TEXTUUM REVOCATA, AUCTAQUE B. ALBERTI VITA AC BIBLIOGRAPHIA SUORUM
OPERUM A PP. QUÉTIF ET ECHARD EXARATIS, ETIAM REVISA ET LOCUPLETATA

CURA AC LABORE


AUGUSTI BORGNET,

Sacerdotis diœcesis Remensis.

ANNUENTE FAVENTEQUE PONT. MAX. LEONE XIII.

VOLUMEN DECIMUM NOVUM

ENARRATIONES IN XII PROPHETAS MINORES.



PARISIIS
APUD LUDOVICUM VIVÈS, BIBLIOPOLAM EDITOREM
13, VIA VULGO DICTA DELAMBRE, 13

MDCCCXCII

D. ALBERTI MAGNI,

RATISBONENSIS EPISCOPI, ORDINIS PRÆDICATORUM,

IN DUODECIM

PROPHETAS MINORES ENARRATIO,

IN QUA SACRA SACRIS,

MULTA PAUCIS, APTE QUIDEM

ET PLUS QUAM SATIS EXPONUNTUR.

PROLOGUS.

Duodecim Prophetarum ossa pullulent de loco suo : nam corroboraverunt Jacob : nam redemerunt se in fide virtutis. Eccli. XLIX, 12. In hoc verbo notantur quinque: firmitas Prophetarum, numerus, sanctitas, utilitas, et horum causa per duplex opus : in se scilicet, et in alio.

Firmitas notatur in hoc quod dicit, « *ossa.* » Hæc enim præstant corpori firmitatem. Signant autem ossa, Scripturæ soliditatem, in qua sicut dulcedo medullæ latet spiritualis sensus. Psal. LXV, 15 : *Holocausta medullata offeram tibi.* De his ossibus dicitur, Thren. I, 13 : *De excelso misit ignem in ossibus meis, et erudivit me.* Ecclesia autem conqueritur his ossibus se esse destitutam a diabolo, Isa. XXXVIII, 13 : *Quasi leo sic contrivit omnia ossa mea.* Psal. CI, 4 : *Ossa mea sicut cremium aruerunt.*

« *Ossa* » ista dicuntur « *duodecim Prophetarum :* » quia Prophetæ in hoc libro contenti, duodecim sunt. Duplex enim est ædificium Ecclesiæ, scilicet in destructione mali, et in constitutione boni. Malum autem destruendum est duplex, idololatria scilicet, et malorum morum. Et contra idololatriam sub invitatione ad pœnitentiam prophetant primi quinque, tres primi ad pœnitentiam invitantes sub destitutione peccati, duo sequentes adminicula pœnitentiæ per prophetiam adhibentes. Peccatum enim idololatriæ tripliciter considerantur, scilicet in culpa, et pœna. In culpa dupliciter, scilicet in auctoribus culpæ, et

in imitatoribus. Et contra auctores, secundum quod ab eis procedit idololatria, prophetat *Osee*. Contra imitatores prophetat *Amos*. De malo autem pœnæ quod debetur idololatriæ, nisi per pœnitentiam revocetur, prophetat *Joel*, et ponitur inter duos, *Osee* et *Amos*, ut sciatur quod malum pœnæ ad utrosque referatur, auctores scilicet, et imitatores. Adminicula pœnitentiæ duo sunt, scilicet ablatio hostis ex invidia impedientis, et adhibitio exempli. Primum prophetat *Abdias* sub metaphora Edom, secundum autem *Jonas* sub exemplo pœnitentiæ Ninivitarum. Quatuor qui sequuntur prophetant contra malos mores, maxime contra rapinas et homicidia Principum, semper sub invitatione ad pœnitentiam. Hoc enim malum consideratur quatuor modis, in culpa scilicet, et in pœna. Secundum quod in culpa, maxime in auctoribus culpæ, prophetat contra ipsum *Michæas*, qui sextus est. Secundum quod consideratur in pœna, tripliciter consideratur, secundum tria quæ faciunt pœnam timeri, acerbitas scilicet, exemplum quo alii puniti sunt, et generalitas, eo quod omnes involvit, et nulli parcit peccanti. Quantum ad exemplum punitionis aliorum, est prophetia *Nahum*, qui septimus est. Quantum ad acerbitatem, est prophetia *Habacuc*, qui est octavus. Quantum ad generalitatem involutionis, quod scilicet omnes involvit peccantes, est prophetia *Sophoniæ*, qui nonus est. Ad reædificationem autem templi et Ecclesiæ spiritualem, tria exiguntur : necessitas ædificii cum expensis, ædificantium ordinatio ad ædificium, et custodia religionis templi ædificati. Necessitatem autem cum expensis prophetat *Aggæus*, qui decimus est. Ordinem ædificantium prophetat *Zacharias*, qui est undecimus. Custodiam religionis prophetat *Malachias*, qui est duodecimus et ultimus. Isti sunt duodecim boves stantes sub mari vitreo [1], exarantes agrum Ecclesiæ vomere prædicationis. Isti etiam sunt duodecim fontes inventi in Elim a filiis Israel [2], fundentes aquas salutaris doctrinæ. Dicit autem « *Ossa* » pluraliter, quia in singulis istorum, quatuor sunt sensus. *Historicus* scilicet, soliditatem habens ex rerum veritate. *Tropologicus* sive moralis, soliditatem habens ex virtute. *Allegoricus*, soliditatem habens ex fidei certitudine. *Anagogicus*, soliditatem habens ex æternorum promissorum immobilitate. Prov. xxx, 24 : *Quatuor sunt minima terræ, et ipsa sunt sapientiora sapientibus.*

Pœnitentiæ adminicula duo.

Pœnam tria timeri faciunt.

Ecclesiæ spiritualis reædificatio, tria exigit.

Hæc sunt « *ossa*, » non quorumlibet, sed « *Prophetarum*, » ut notetur Scripturæ auctoritas et sanctitas. Auctoritas in inspiratione. Inspiratio (ut dicit Cassiodorus) immobilis veritatis est. Sanctitas autem inspirantis a Spiritu sanctificante. Sap. vii, 27 : *Per nationes in animas sanctas se transfert, amicos Dei et Prophetas constituit.* Joel, ii, 28 : *Effundam spiritum meum super omnem carnem : et prophetabunt filii vestri, et filiæ vestræ.*

Per hoc autem quod dicitur : « *Pullulent de loco suo,* » tangitur utilitas. Pullu-

[1] Cf. III Reg. vii, 44 : *Et mare unum, et boves duodecim subter mare.*

[2] Cf. Exod. xv, 27 : *Venerunt in Elim filii Israel, ubi erant duodecim fontes, et septuaginta palmæ : et castrametati sunt juxta aquas.*

lat enim quod a principio sibi intrinseco germen emittit. A sensibus enim ex verbis Prophetarum pullulantibus, tota germinat Ecclesia. Isa. xxvii, 6: *Qui ingrediuntur impetu ad Jacob, florebit et germinabit Israel, et implebunt faciem orbis semine.* Osee, xiv, 6 et 7: *Ero quasi ros, Israel germinabit sicut lilium, et erumpet radix ejus ut Libani. Ibunt rami ejus, et erit quasi oliva gloria ejus: et odor ut Libani.* Et virtutem pullulationis dicit, cum subdit, « *De loco suo,* » ita quod præpositio, *de*, dicat causam et continentiam simul. Locus autem Prophetarum, Spiritus sanctus est, ad quem moventur, accipiendo inspirationem, et a quo moventur missi ad denuntiationem et intra quem continentur per sanctitatis virtutem. Gen. xxviii, 17: *Quam terribilis est locus iste! non est hic aliud nisi domus Dei, et porta cœli.* Hic locus pullulare facit quod plantatur in ipso. Exod. iii, 5: *Locus in quo stas, terra sancta est.* Isa. v, 1, secundum litteram Septuaginta: *Vinea fuit dilecto in loco uberi*[1].

opheta- duplex tus et inis.

Horum omnium causam meritoriam subjungit, et in hoc accipitur actus proprius Prophetarum et finis. Et est duplex, in alio scilicet, et in seipsis. In alio Prophetæ proprium est, corroborare proximum qui luctatur contra diabolum, mundum, carnem, et vitia: et ideo Jacob vocatur, qui *luctator* interpretatur. Ad Ephes. vi, 12: *Non est nobis*, supple, tantum, *colluctatio adversus carnem et sanguinem: sed adversus principes, et potestates, adversus mundi rectores tenebrarum harum, contra spiritualia nequitiæ in cœlestibus.* Sic luctatus est Jacob cum Angelo, Genes. xxxii, 25: *Et tetigit nervum femoris ejus, et statim emarcuit* contra concupiscentiam carnis, et accepit benedictionem contra diabolum, et confortationem contra mundum et homines. Sic Judas Machabæus corroboravit suos, Machab. xv, 11: *Singulos autem illorum armavit, non clypei et hastæ munitione, sed sermonibus optimis, et exhortationibus.*

Finis autem et scopus in seipsis est, quod subditur: « *Et redemerunt se in fide virtutis.* » Ezech. iii, 17, dicitur, quod Propheta speculator est, nec de periculo mali speculatoris se redimit, nisi per virtutem fidelissimæ speculationis, ut scilicet omne quod viderit, denuntiet[2], sicut dicitur, Isa. xxi, 6: *Pone speculatorem: et quodcumque viderit, annuntiet.* Fideliter ergo annuntiantes omne consilium Dei, seipsos redemerunt a periculo negligentis speculatoris, quod dicitur, Ezech. iii, 18: *Si dicente me ad impium: Morte morieris: non annuntiaveris ei... ipse impius in iniquitate sua morietur, sanguinem autem ejus de manu tua requiram.* Contra: Paulus, Act. xx, 26 et 27, dicit: *Mundus sum a sanguine omnium. Non enim subterfugi, quominus annuntiarem omne consilium Dei vobis.*

[1] Vulgata habet, Isa. v, 1: *Vinea facta est dilecto meo in cornu filio olei.*

[2] Ezech. iii, 17: *Fili hominis, speculatorem dedi te domui Israel: et audies de ore meo verbum, et annuntiabis eis ex me.*

Sancti Hieronymi in XII Prophetas argumentum [1].

Non est idem ordo duodecim Prophetarum apud Hebræos, qui est apud nos. Unde secundum id quod ibi legitur, hic quoque dispositi sunt. Osee commaticus est, et quasi per sententias loquens. Joël planus in principiis : in fine obscurior. Et usque ad Malachiam, habent singuli proprietates suas : quem Esdram scribam, legisque doctorem, Hebræi autumant. Et quia longum est nunc de omnibus dicere, hoc tantum vos, o Paula et Eustochium, admonitas volo, unum librum esse duodecim prophetarum : et Osee synchronon Isaiæ ; Malachiam vero Aggæi et Zachariæ fuisse temporibus. In quibus autem tempus non præfertur in titulo, sub illis eos regibus prophetasse, sub quibus et hi qui ante eos habent titulos, prophetaverunt.

ARGUMENTI SANCTI HIERONYMI IN DUODECIM PROPHETAS MINORES EXPLANATIO.

Huic libro Hieronymus præmittit argumentum, in quo mentes instruit legentium de quatuor, scilicet de ordine, de modo, de libri unitate, de Prophetarum et prophetiæ tempore, et hoc est : « Non idem est ordo duodecim Prophetarum, » hoc est, libri in quo duodecim Prophetarum prophetiæ conscribuntur : « apud Hebræos, » ubi scilicet prima veritas est, et fons prophetiæ, « qui et apud nos, » secundum scilicet antiquam translationem Septuaginta. Ibi enim talis ordo est, Osee, Amos, Michæas, Joel, Abdias, Jonas, Nahum, Habacuc, Sophonias, Aggæus, Zacharias, Malachias. « Unde secundum quod » hoc est, secundum quem ordinem, « ibi, » hoc est, apud Hebræos, « legitur, » de ordine scilicet : « hic quoque, » hoc est, apud Latinos in nostra translatione, « dispositi sunt, » hoc est, ordinati sunt. I ad Corinth. xiv, 40 : *Omnia autem honeste, et secundum ordinem fiant*, in vobis scilicet.

« Osee. » Tangit hic modum in Osee, in Joel specialiter, et in cæteris in summa, et hoc est : « Osee commaticus est. » *Comma* sunt sententiæ perfectæ sine conjunctionibus conjunctæ, et est color rhetoricus : sicut et *Cola* sunt sententiæ imperfectæ sine conjunctionibus conjunctæ, sicut Isaiæ, I, 4 : *Væ genti peccatrici, populo gravi iniquitate, semini nequam, filiis sceleratis*. Ecce Cola. *Dereliquerunt Dominum, blasphemaverunt sanctum Israel, abalienati sunt retrorsum*. Ecce Commata. Et hoc est quod sequitur : « Et, » id est, « quasi per sententias loquens, » perfectas scilicet sine conjunctione conjunctas.

Comma.

Cola.

Et subdit de Joel : « Joel planus in principiis, » ubi scilicet loquitur de persecutione Nabuchodonosor : « in fine obscurior, » ubi de judicio extremo loquitur.

Et subdit in communi de omnibus « Et usque ad Malachiam habent singuli proprietates suas, » in modo scilicet, « quem, » scilicet Malachiam, « Esdram scribam legisque doctorem, » hoc est,

[1] Ex Prologo galeato.

legis Doctorem, « Hebræi autumant, » scilicet esse.

Et subdit de libri unitate : « Et quia longum est nunc de omnibus dicere, » supple, sigillatim, Eccli. XLIII, 29 : *Multa dicemus, et deficiemus in verbis :* « hæc tantum vos, o Paula et Eustochium, » hoc est, mater et filia, « admonitas volo, » supple, esse, « unum librum esse duodecim Prophetarum, » ab unitate finis scilicet quem diximus in præcedentibus.

Et subdit de tempore : « Et Osee » supple, fuisse, « synchronon, » hoc est, contemporaneum, a σὺν, quod est *cum :* et χρόνος, quod est *tempus*, « Isaiæ. » Prophetaverunt autem eisdem temporibus Osee, et Isaias, et Joel, et Amos, et Abdias, et Jonas, et Michæas. « Malachiam vero, » ultimum scilicet, « Aggæi et Zachariæ fuisse temporibus, » hoc est, eorum synchronon. « In quibus autem, » hoc est, Prophetis, « tempus non præfertur in titulo, » hoc est, in principio prophetiæ, « sub illis eos Regibus prophetasse, » supple, autumant Hebræi, « sub quibus et hi, qui ante eos, » supple, immediate ponuntur, « habent titulos, » supple, scilicet Regum, « quibus prophetaverunt. »

Proph duode quo tem unusqui prophet



D. ALBERTI MAGNI,

EPISCOPI RATISBONENSIS, ORDINIS PRÆDICATORUM,

DOCTRINA TOTO ORBE CELEBERRIMI,

IN OSEE PROPHETAM ENARRATIO.

Sancti Hieronymi in Osee Prophetam Prologus.

Temporibus Oziæ, et Joathan, et Achaz, et Ezechiæ, regum Juda, et Jeroboam, filii Joas, regis Israel, Osee, filius Beeri, ad prophetiam dicendam, Spiritu sancto repletus est. De memorato itaque numero regum, Achaz, rex Juda, et Jeroboam, rex Israel, Deum derelinquentes, ut historiæ Regum et Paralipomenon indicant, etiam Israel idololatriæ crimen imperio ac potestate sua admittere coegerunt.

Propter quod Deus ad Osee hæc locutus est, dicens : Accipe uxorem fornicariam, sive fornicationum, et fac tibi filios fornicationis[1]. Fornicariam itaque, non elocati corporis meretricem, sed gentilem, Deum ignorantem, appellat ; quæ, Dei creatoris sui amore contempto, simulacrorum se subjecit desideriis. Sed cum Dei præcepto Propheta in hac re paruisset, conceptum ex ea filium, Jezrahel præcepit nominari, Deo pollicente post breve tempus sanguinem Jezrahel in domo Jehu vindicare. Cujus promissionis hæc causa est : Jehu per Eliseum in regem inuncto ad defendendum sanguinem Naboth, civis Jezrahel, quæ tunc temporis metropolis erat, quem Jezabel, Achab regis Israel uxor, interemerat, sicut Regum historia exponit[2]. Is, cum graviter juxta Domini præceptum vindicandi sanguinis causa, in omnem memorati domum desævisset, hoc peccato Dominum dereliquisse invenitur : cujus pronepote Jeroboam (qui lectione comprehensus est) originis suæ facta imitante, ac contra Dei præcepta et religionem cum populo Israel agente, sanguis Naboth, qui in loco certe Jezrahel fuerat profusus, in domo Jehu patris memorati Jeroboæ propter peccata redundaturus significatur. Hinc factum est ut ira Dei in populo Israel per de-

[1] Cf. Osee, I, 2 : *Vade : sume tibi uxorem fornicationum : et fac tibi filios fornicationum.*
[2] Cf. III Reg. XXI, 1 et seq.

nuntiationem Prophetæ, processura diceretur: domui autem Judæ misericordia lectione comprehensa, ab hoc promissa est : quia Ezechias, rex Juda, filius Achaz, sublatis idolis quæ tam pater ejus quam cæteri reges consecraverunt, templum Dei purgasse ac purificasse monstratur.

PROLOGI SANCTI HIERONYMI IN OSEE PROPHETAM EXPLANATIO.

Hieronymus præmittit Osee Prologum in quo dicit duo : qualiter scilicet ad prophetiam venerit, et quid prophetaverit, ibi scilicet, « Propter quod Deus ad Osee hæc locutus est. »

In primo dicit duo, scilicet quis Propheta fuit, et quando prophetavit, et quod Spiritu Dei inspirante. Secundo, propter quid prophetavit : et hoc est:

« Temporibus Oziæ, » de quo legitur IV Reg. xv, « et Joathan, » de quo ibidem, « et Achaz, » de quo IV Reg. xvi, « et Ezechiæ, » de quo IV Reg. xviii. Et subdit in communi : « Regum Juda, » hoc est, duarum tribuum, « et Jeroboam, » qui fuit pronepos Jehu, de quo IV Reg. xiv, « filii Joas, » de quo IV Reg. xiii, « regis Israel, Osee, filius Beeri, » de tribu scilicet Issachar, « ad prophetiam dicendam, » hoc est, ad enuntiandam, « Spiritu sancto » non spiritu hominis scilicet, II Petr. i, 21 : *Non voluntate humana allata est aliquando prophetia : sed Spiritu sancto inspirati, locuti sunt sancti Dei homines.* Et hoc est : « Repletus est. » Repletio sonat plenitudinem prementem pectus ad vomitum, qui vomitus signat de intimis eructatum verbum. Prov. xxx, 1 : *Verba Congregantis filii Vomentis.* Psal. xliv, 2 : *Eructavit cor meum verbum bonum.* Eructatio enim intimorum habet odorem et saporem.

Et subdit quare prophetiam recepit :

« De memorato itaque numero regum, Achas, rex Juda, et Jeroboam, rex Israel, » hoc est, decem tribuum, « Deum [1] derelinquentes, » supple, quantum ad cultum, « ut historiæ Regum, » hoc est, Liber Regum, « et Paralipomenon indicant, » supple, in præassignatis locis, « etiam Israel, » hoc est, populum decem tribuum, « idololatriæ crimen, » hoc est, criminosum peccatum, « imperio, » hoc est, præcepto « ac potestate sua, » supple, coactiva, « admittere coegerunt, » sicut Osee, vii, 5 et seq., declaratur.

« Propter quod, » destruendum scilicet peccatum idololatriæ, « Deus ad Osee hæc locutus est, dicens, » Jerem. vii, 25 : *Misi ad vos omnes servos meos prophetas, per diem consurgens diluculo, et mittens.*

Et subdit quid prophetet : et dicit tria, scilicet quid prophetet, et qualiter intelligendum, et quid intelligatur per filios.

« Accipe uxorem fornicariam, sive fornicationum, » hoc est, quæ non fidem thori, nec justitiam debiti, vel bonum prolis attendit : sed tantum libidinem corporis, propter quod Philosophus dicit, quod « fornicatrix inhonestior est quam « meretrix. Meretrix enim aliquid boni « attendit, quia mercedem : fornicatrix « autem nihil nisi libidinem. » « Et fac filios fornicationis, » qui scilicet nihil juris habeant nec in marito, nec in hæreditate mariti, et abjici possunt, quandocumque voluerit maritus. Et exponit quod dixit : « Fornicariam itaque, non elocati corporis meretricem : » meretrix enim locat corpus pro mercede, « sed gentilem, » supple, populum, « Deum » verum animæ virum « ignorantem,» supple, et ideo relinquen-

[1] Biblia Roberti Stephani, Parisiis, mdxxxii, habet, *Dominum.*

tem, « appellat. » Psal. LXXII, 27 : *Perdidisti omnes, qui fornicantur abs te.*

Et explanat quod dixit : « Quæ,» scilicet meretrix, « Dei creatoris sui amore contempto, » Deut. XXXII, 18 : *Deum, qui te genuit, dereliquisti, et oblitus es Domini creatoris tui :* « simulacrorum se subjecit desideriis, » per cultum scilicet idolorum. Jerem. II, 13 : *Duo mala fecit populus meus : Me dereliquerunt fontem aquæ vivæ, et foderunt sibi cisternas, cisternas dissipatas, quæ continere non valent aquas.*

Et subdit de successione :

« Sed cum Dei præcepto Propheta in hac re paruisset, » fornicariam scilicet dicto modo ducendo, « conceptum ex ea filium, Jezrahel præcepit nominari [1], » ab eventu scilicet imponens nomen, eo quod sanguis innocens effusus in Jezrahel, redundare deberet in caput ejus. Et hoc est quod sequitur : « Deo pollicente, » Osee, I, 4, « post breve tempus, » duorum scilicet vel trium regum spatium, « sanguinem Jezrael in domo Jehu, » hoc est, in generatione Jehu, de quo legitur IV Reg. IX et X, « vindicare, » hoc est, pro simili peccato similes pœnas inferre.

Et hoc est quod sequitur :

« Cujus promissionis, » hoc est, comminationis, « hæc causa est Jehu per Eliseum, » hoc est, per discipulum Eliæ, « in regem inuncto, » sicut legitur IV Reg. IX, « ad defendendum, » hoc est, vindicandum « sanguinem Naboth, civis Jezrahel, » innocenter scilicet effusum, « quæ, » scilicet Jezrahel, « tunc temporis metropolis erat » Samariæ, « quem Jezabel, » quæ *fluxus sterquilinii* interpretatur, « Achab regis Israel uxor, » qui pessimus erat, « interemerat, » hoc est, interimi præceperat. Daniel. XIII, 53 : *Innocentem et justum non interficies* : « sicut Regum historia exponit [2]. »

« Is, » scilicet Jehu, « cum graviter, » hoc est, gravi pœna, « juxta Domini præceptum, » sicut legitur IV Reg. IX, « vindicandi sanguinis causa, » innocentis scilicet Naboth, « in omnem memorati, » hoc est, Achab, « domum, » hoc est, generationem « desævisset, » hoc est, sæviendo vindicasset, ita scilicet quod septuaginta filios Achab et nepotes ejus quadraginta interfecisset, sicut legitur IV Reg. X, « hoc peccato [3], » zelo scilicet, « Dominum dereliquisse invenitur, » adhærens scilicet idolis [4] : « cujus, » scilicet Jehu, « pronepote Jeroboam, » de quo legitur IV Reg. XIV. Filius enim Jehu erat Joas, nepos Joathaz, pronepos Jeroboam, « qui lectione comprehensus est, » hoc est, qui in lectione Osee in textu comprehensus est et nominatus, « originis suæ facta, » hoc est, peccata paterna « imitante, » sicut genimina viperarum [5], « ac contra Dei præcepta, » qui idololatriam detestatur, « et religionem, » cultus divini scilicet, « cum populo Israel, » supple, consentiente, « agente, » scilicet idololatriam, « sanguis Naboth, » viri scilicet Jezrahelitæ, « qui in loco certe Jezrahel, » hoc est, civitatis quæ sic nominabatur, « fuerat profusus, » hoc est, abundanter effusus. Psal. LXXVIII, 10 : *Innotescat... ultio sanguinis servorum tuorum, qui effusus est.* « In domo Jehu, » hoc est, in generatione Jehu, « patris, » hoc est, atavi, « memorati Jeroboæ, » pronepotis sui scilicet, « propter peccata [6], » paterna scilicet, quæ imitatus est, « redundaturus significatur, » per vindictam scilicet. Exod. XX, 5 : *Ego sum Deus tuus fortis, zelotes, visitans iniquitatem patrum in filios, in tertiam et quartam generationem.*

« Hinc factum est, » hoc est, propter hoc, « ut ira Dei, » hoc est, punitio, « in populo Israel, » imitante scilicet

[1] Bibl. Rob. Stephani, *nominare.*
[2] Cf. III Reg. XXI, 1 et seq.
[3] Bibl. Rob. Stephani, *peracto.*
[4] Cf. IV Reg. XI.
[5] Luc. III, 7 : *Genimina viperarum, quis ostendit*, etc.
[6] Bibl. Rob. Stephani, *pro peccato.*

idololatriam, « per denuntiationem Prophetæ, » Osee scilicet, « processura diceretur, » ut omnes scilicet involveret : « domui autem Juda [1], » hoc est, duabus tribubus, « misericordia lectione comprehensa, » hoc est, in lectione textus. Osee, I, 7, dicitur : *Domui Juda miserebor, et salvabo eos.* « Ob hoc, » id est, propter hoc, « promissa est : quia Ezechias, rex Juda, filius Achaz, » (de Achaz legitur IV Reg. XVI,) « sublatis idolis, » supple, de terra, « quæ, » scilicet idola, « tam pater ejus, » scilicet Achaz, « quam cæteri reges, » avi scilicet, et proavi sui, « consecraverunt [2], » vel potius profanaverunt, « templum Dei purgasse, » ab idolis scilicet, « ac purificasse » a cultura idolorum et idololatris « monstratur, » scilicet sicut legitur, IV Reg. XVIII, 4 et seq.

CAPUT I.

Quo tempore Osee prophetaverit ; qui jussus fornicariam accipere uxorem, duos filios unamque filiam ex ea generavit : quibus nomina jubetur imponere juxta effectus quos Dominus in populo suo decreverat inducere : de gentium conversione, et futuro eodem capite filiorum Judæ et Israel.

1 Verbum Domini, quod factum est ad Osee, filium Beeri, in diebus Oziæ, Joathan, Achaz, Ezechiæ, regum Juda : et in diebus Jeroboam, filii Joas, regis Israel.

2. Principium loquendi Domino in Osee : et dixit Dominus ad Osee : Vade, sume tibi uxorem fornicationum, et fac tibi filios fornicationum, quia fornicans fornicabitur terra a Domino.

3. Et abiit, et accepit Gomer, filiam Debelaim : et concepit, et peperit ei filium.

4. Et dixit Dominus ad eum : Voca nomen ejus Jezrahel, quoniam adhuc modicum, et visitabo sanguinem Jezrahel super domum Jehu, et quiescere faciam regnum domus Israel.

5. Et in illa die conteram arcum Israel in valle Jezrahel.

6. Et concepit adhuc, et peperit filiam. Et dixit ei : Voca nomen ejus Absque misericordia : quia non addam ultra misereri domui Israel, sed oblivione obliviscar eorum.

7. Et domui Juda miserebor, et salvabo eos in Domino Deo suo : et non salvabo eos in arcu et gladio, et in bello, et in equis, et in equitibus.

8. Et ablactavit eam quæ erat Absque misericordia. Et concepit, et peperit filium.

9. Et dixit : Voca nomen ejus Non populus meus, quia vos non populus meus, et ego non ero vester.

10. Et erit numerus filiorum Israel quasi arena maris, quæ sine mensura est, et non numerabitur [3]. Et erit in loco ubi dicetur eis : Non populus meus vos : dicetur eis : Filii Dei viventis.

[1] Biblia Rob. Stephani, *Judæ.*
[2] Ibid. *consecraverant.*
[3] Ad Roman. IX, 26.

11. Et congregabuntur filii Juda et filii Israel pariter : et ponent sibimet caput unum, et ascendent de terra, quia magnus dies Jezrahel.

IN CAPUT I OSEE

ENARRATIO.

« *Verbum Domini.* » Incipit Osee, qui contra decem et duas tribus prophetat de idololatria. Et dividitur in partes duas, in titulum, scilicet, et in prophetiam. Prophetia ibi incipit, ỹ. 4 : « *Et dixit Dominus ad Osee : Vade.* »

Titulus duplex est, scilicet enuntiationis propheticæ, et inspirationis. Titulus enuntiationis ad tempus refertur, in quo facta est enuntiatio, hoc est, ad reges illorum temporum. Titulus inspirationis ad Deum refertur, qui per Spiritum dat inspirationem.

1 Et hoc est :

« *Verbum Domini,* » supple, non hominis. I ad Thessal. II, 13 : *Accepistis illud, non ut verbum hominum, sed (sicut est vere) verbum Dei.* Hoc dicitur « *verbum* » in singulari, quia in Deo unum est, quod tamen effective et formaliter multorum et causa et ratio est : ideo quum *verbum* singulariter diceret, « *Domini* » addidit. Unde Joan. I, 2, de Verbo, quod *erat in principio apud Deum,* subditur, *Omnia per ipsum facta sunt.* « *Quod factum est.* » Verbum enim factivum est, et potius faciendo quam dicendo ostendit seipsum. Et ideo dicit ibi Glossa, quod deificat. Joan. X, 35 : *Illos dixit deos, ad quos sermo Dei factus est.* « *Ad Osee.* » Nomen Prophetæ est, quod *salvator* interpretatur, eo quod gratia sermonis multos salvat. Eccli. XLVI, 1 et 2 : *Magnus secundum nomen suum, maximus in salutem electorum Dei.* « *Filium Beeri.* » Notatur quod pater propheta fuit. Dicit enim Hieronymus, quod « patres « prophetarum in titulis positi, prophetæ « fuerunt. » Psal. CIV, 15 : *Nolite tangere christos meos : et in prophetis meis nolite malignari.* Interpretatur autem Beeri *putei mei,* et profunditatem mysteriorum signat. Joan. IV, 11 : *Puteus altus est.* Hi sunt putei, quos foderunt Patriarchæ, et Allophyli terra repleverunt[1]. Num. XXI, 17 et 18 : *Tunc cecinit Israel carmen istud : Ascendat puteus. Concinebant : Puteus, quem foderunt principes, et paraverunt duces multitudinis in datore legis, et in baculis suis.* De veritate enim legis et rectitudine virtutis, quæ per baculum significatur, aqua istius putei attingitur.

« *In diebus Oziæ, Joathan,* » filii Oziæ, de quibus legitur IV Reg. XV, « *Achaz,* » de quo IV Reg. XVI, « *Ezechiæ,* » de quo IV Reg. XVIII, « *regum Juda :* » hi enim in duabus tribubus regnaverunt. « *Et in diebus Jeroboam,* » qui pronepos fuit Jehu, « *filii Joas,* » de quibus IV Reg. XIII, « *regis Israel.* » Jeroboam enim regnavit super decem tribus, et fuit filius Joas, nepotis Jehu : filius enim Jehu fuit Joathan, qui filium reliquit Joas, qui pater fuit Jeroboam, sicut legitur IV Reg. XIV. Utriusque, scilicet decem tribuum et duarum ponit reges, quia de utrisque prophetavit, licet principaliter de decem tribubus.

Et subdit titulum inspirationis : « *Principium loquendi Domino in Osee,* » supple, est istud, quod duos sensus habet. Potest enim significare, quod cum et alii 2

[1] Cf. Genes. XXVI, 15.

Prophetæ, sicut Isaias, Joel, Abdias, Michæas, sub eisdem regibus, qui nominati sunt, prophetaverunt : tamen, Domino inspirante, principium fuit loquendi in Osee, ante alios scilicet Prophetas. Potest etiam esse sensus quod de muliere fornicationis principium sumpsit Dominus loquendi in Osee. Dicit autem, « *in Osee,* » et non, *ad Osee.* Si enim ad Osee diceret, sermo ad Osee dirigeretur, quod non est verum, sed potius Osee pro instrumento utitur loquendi ad alios, et ideo in Osee loquitur sicut spiritus in lingua. Psal. XLIV, 2 : *Lingua mea calamus scribæ.* II ad Corinth. XIII, 3 : *An experimentum quæritis ejus, qui in me loquitur Christus?* Psal. LXXXIV, 9 : *Audiam quid loquatur in me Dominus Deus.*

« *Et dixit Dominus.* » Hic incipit prophetia, et dividitur in partes duas. Primo enim prophetatur per rerum similitudines, arguens idololatriam. Secundo, sub attestatione veritatis, infra, IV, 1, ibi, « *Audite verbum Domini, filii Israel.* »

Prima dividit in duas. Primo enim ponit similitudinem fornicariæ, arguens decem tribus. Secundo, similitudinem adulteræ, arguens duas, infra, III, 1, ibi, « *Et dixit Dominus ad me : Adhuc vade.* »

Prior adhuc in duas dividitur. Primo enim ponit res, in quibus accipit similitudinem : secundo, ex similitudinibus arguens per recti judicii convincit rationem, infra, II, 1, ibi, « *Dicite fratribus vestris : Populus meus.* »

Prior harum adhuc in duas dividitur, in quarum prima exprobando idololatriam, comminatur pœnam : in secunda vero, ne desperent, promittit liberationis gratiam, ibi, ℣. 10 : « *Et erit numerus filiorum Israel.* »

Adhuc prior in duo dividitur. Ponit enim primo similitudinem a fornicaria : secundo, a natis ejus, ibi, « *Et concepit, et peperit ei filium.* »

In primo duo dicuntur : præceptum Domini, et obedientia Prophetæ.

Et hoc est ergo quod dixit : « *Et dixit Dominus ad Osee,* » præcipiendo scilicet : Amos, III, 7 : *Non facit Dominus Deus verbum, nisi revelaverit secretum suum ad servos suos prophetas.* « *Vade, sume tibi uxorem fornicationum.* » Sic resolvenda est constructio secundum Hieronymum in originali : « *Vade,* » a me scilicet missus. « *Uxorem fornicationum.* » hoc est, quæ tota fornicationibus dedita est, ita quod constructio sit inter genitivum et accusativum ad demonstrationem excellentiæ : « *sume tibi,* » hoc est, ad formam tui, non illius, ut ipsa scilicet deposita immunditia ex te sanctificetur, et tu non inquineris ex illa. I ad Corinth. VII, 14 : *Sanctificata est mulier infidelis per virum fidelem.* Unde Hieronymus : « Non « enim qui bonus permanet, polluitur, « si societur malo ; sed qui malus est, « in bonum vertitur, si boni exempla « sectetur. » Sic (ut dicit Hieronymus, vir eruditissimus) Xenocrates laudatur, qui Polemonem luxuriosissimum juvenem, et inter psaltrias, atque tibicines impudicas mulieres ebrium, et hedera coronatum sumpsit sibi, et fecit obedire sapientiæ, et adolescentem turpissimum mutavit in sapientissimum Philosophorum. Sic Socrates ad cœlum levatur laudibus, qui Phædonem (ex cujus nomine Platonis liber est de animæ immortalitate) de lupanari ob crudelitatem et avaritiam domini multorum libidini servientem, in Academiam transtulit, et honestissimum fecit. Et ideo dicit : « *Sume tibi,* » et non simpliciter, Sume : nec dicit, Conjunge te illi. Apocalyp. XVII, 1 : *Ostendam tibi damnationem meretricis magnæ, quæ sedet super aquas multas.* Fornicatrix tamen inhonestior est quam meretrix. Fornicatrix enim mente et corpore corrupta non quærit nisi libidinem. Meretrix autem a merendo dicta, requirit mercedem. « *Et fac tibi filios fornicationum.* » Sic ordinanda est constructio : « *Filios fornicationis,* » hoc est,

de fornicatione natos, « *fac tibi*, » hoc est, fac ut tui sint per adoptionem. Non ergo vult dicere, quod fornicarie generet, sed quod natos ex fornicatione sibi faciat, et informet, et reducat ad fidei castitatem : et sic similitudo respondet significationi. Vult enim dicere, quod Synagogam primo fornicantem in Chaldæa, et postea in Ægypto cum filios sibi fecerit, et a sordibus purgaverit, quod ostenditur Ezech. xvi, 6 et seq., ubi dicit, quod conculcatam in sanguine sordidam assumpsit, et amictum suum super eam expandit, et subjungit rationem : « *Quia fornicans fornicabitur terra a Domino.* » « *Fornicans* » scilicet in idolis, « *fornicabitur* » in mundi delectationibus, « *terra* » per metonymiam dicitur, hoc est, habitantes in terra, « *a Domino,* » supple, recedens. Jerem. iii, 1 : *Tu fornicata es cum amatoribus multis : tamen revertere ad me, dicit Dominus : et ego suscipiam te.* Psal. lxxii, 27 : *Perdidisti omnes, qui fornicantur abs te.*

3 « *Et abiit.* » Tangitur obedientia Prophetæ. « *Et accepit Gomer,* » quæ *consummata,* vel *perfecta* interpretatur. Pro eo autem, quod non tantum perfecta, sed etiam expleta erat in fornicationibus, dicit eam « *filiam Debelaim,* » quæ interpretatur *massa caricarum,* sive *ficuum,* eo quod in se multas dulcedines fornicationum commassaverat, ut sit fornicaria filia fornicariæ. Ezech. xvi, 45 : *Filia matris tuæ es tu.* Poeta :

Mater venalis facit ut sit filia talis.

Hæc similitudo congruit, quia immundam et contaminatam sibi accepit Deus Synagogam, et mundavit eam lege, sacramentis, et prophetia.

« *Et concepit.* » Tangit hic generationem, in qua similitudo populi accipitur, quæ duplex est, in culpa scilicet, et in pœna. Similitudo in culpa repræsentatur per filiam, ibi, ỳ. 6 : « *Et concepit adhuc.* »

In similitudine in culpa tria notanda sunt. Primo, quod per locum in quo culpa perpetrata est, significatur culpa ab eventu, scilicet quia ita evenit, quod in tali loco culpa facta est : secundum, quod sub eodem nomine culpa ad alios transit, qui simile peccatum commiserunt : tertium, quod similis pœna debetur simili culpæ.

Dicit ergo : « *Et concepit.* » Secundum Hieronymum, non concepit ex propheta, sed ex fornicatione. Psal. vii, 15 : *Concepit dolorem, et peperit iniquitatem.* « *Et peperit ei filium,* » non ei sicut carnali patri, sed ei sicut adoptanti et assumenti sibi filium. Sic enim Judæos, filios Synagogæ, in fornicatione idolorum natos assumpsit Dominus, et adoptavit, et hoc modo dicitur pater. Deuter. xxxii, 6 : *Numquid non ipse est pater tuus, qui possedit te, et fecit, et creavit te?*

« *Et dixit Dominus ad eum,* » hoc 4
est, ad prophetam : « *Voca nomen ejus Jezrahel.* » Jezrahel civitas est in qua innocenter interfectus est Naboth[1], et a loco peccatum accipit nomen. Unde tantum valet ac si diceret : Voca nomen ejus interfectorem innocentis. IV Reg. xxiv, 4 : *Implevit Jerusalem cruore innocentium.* Et rationem hujus nominis subjungit : « *Quoniam adhuc modicum,* » supple, tempus erit. Ad Hebr. x, 37 : *Adhuc modicum aliquantulum, qui venturus est, veniet.* « *Et visitabo,* » per vindictam scilicet, « *sanguinem Jezrahel,* » Glossa habet, « occisionem po- « puli mei innocentis, » « *super domum Jehu,* » hoc est, super generationem Jehu, et hoc peccatum in simili nomine transit ad invitantem. Sicut enim legitur

[1] Cf. III Reg. xxi, 1 et seq.

IV Reg. IX et X, Jehu sollicite vindicavit sanguinem innocentem Naboth in domum Achab, interfectis septuaginta filiis ejus, et præcipitata Jezabel uxore sua, interfecto etiam rege Juda, genero Achab, interfectis etiam quadraginta viris de cognatis suis, et postea a simili peccato non cavit : et ideo simili modo in eum vindicavit, et post modicum, quia Jeroboam pronepote Jehu, sub quo Osee prophetavit, mortuo, Zacharias filius ejus sibi successit, quem sexto mense regni sui occidit Sellum, qui de alia stirpe fuit, et vindicavit in eum, quod ipse in Achab vindicaverat, sicut legitur IV Reg. XV, 8 et seq. Psal. LVIII, 6 : *Intende ad visitandas omnes gentes : non misereari omnibus, qui operantur iniquitatem.* Isa. XXVII, 1 : *Visitabit Dominus in gladio suo duro, et grandi, et forti, super Leviathan serpentem vectem.* Psal. C, 8 : *In matutino interficiebam omnes peccatores terræ.* « *Et quiescere faciam,* » hoc est, cessare, « *regnum domus Israel,* » decem scilicet tribuum. Interfecto enim Zacharia sub nepote Jehu, statim reges Assyriorum ceperunt terram Ruben et Gad, et dimidiæ tribus Manasse, quæ erat trans Jordanem. Deinde transeuntes Jordanem, ceperunt Nepthalim et omnes alias tribus[1]. Et transtulit eos in Medos et Persas sub Osee, rege decem tribuum, ita quod ab interfectione Zachariæ usque ad captivitatem non fluxerunt nisi quadraginta novem anni. Eccli. X, 8 : *Regnum a gente in gentem transfertur propter injustitias, et injurias, et contumelias, et diversos dolos.*

Assyrii diripiunt decem tribus Israel.

5 « *Et in illa die,* » talis scilicet vindictæ, « *conteram arcum Israel,* » hoc est, arma decem tribuum, ut per partem totum significetur per synecdochen, « *in valle Jezrahel,* » hoc est, in valle pertinente ad Jezrahel civitatem. Sunt enim ibi latissimi campi, et extensæ valles, in quibus pugna fuit, cum rex Assyriorum caperet decem tribus et Samariam. Psal. XLV, 10 : *Arcum conteret, et confringet arma : et scuta comburet igni.*

6 « *Et concepit adhuc.* » Tangit statum populi captivati. Unde Hieronymus : « Postquam confractus est Israel, et regnum ejus destructum, ex tunc non Jezrahel, id est, semen Dei, nec masculus, sed fœmina imbecillis nascitur, quæ vitiorum patet injuriis, et habet fœmineum animum. » « *Et peperit filiam,* » hoc est, populum fœmininum animum habentem, quod contra dicitur, II Machab. VII, 20 : *Supra modum mater mirabilis, et bonorum memoria digna.* Et post pauca, ℣. 21 : *Et fœmineæ cogitationi masculinum animum inserens.* « *Et dixit ei,* » scilicet prophetæ : « *Voca nomen ejus Absque misericordia,* » quia misericordiam liberationis a captivitate non consequetur. Jacob. II, 13 : *Judicium sine misericordia illi, qui non fecit misericordiam.* Et rationem hujus nominis subjungit : « *Quia non addam ultra misereri domui Israel.* » Sæpe enim liberavit eos : sed cum videret eos in malitia obstinatos, ultra liberare noluit, sicut expresse legitur IV Reg. XVII, 40[2], et propter obstinationem eorum in malis, noluit misereri Dominus. Job, XXX, 21 : *Mutatus es mihi in crudelem, et in duritia manus tuæ adversaris mihi.* Ezech. IX, 10 : *Meus non parcet oculus, neque miserebor : viam eorum super caput eorum reddam.* Et hoc est quod sequitur : « *Sed oblivione obliviscar eorum.* » Psal. LXXXVII, 6 : *Quorum non es memor amplius : et ipsi de manu tua repulsi sunt.* Unde Ezech. V, 12, dicitur, quod in captivitate positis, non est misertus, sed nudavit gladium post

[1] Cf. IV Reg. XVII, 6 et seq.

[2] IV Reg. XVII, 40 : *Illi non audierunt,* Dominum scilicet, *sed juxta consuetudinem suam pristinam perpetrabant.*

eos[1]. Contrarium tamen videtur per Psalmistam, Psal. LXXVI, 10 : *Aut obliviscetur misereri Deus : aut continebit in ira sua misericordias suas.* Hoc solvit Chrysostomus dicens, quod « duplex est misericor-
isericor- liberans relaxans. « dia, liberans et relaxans. Misericor- « diam relaxantem numquam dimittit « Deus, citra condignum enim punit. « Sed misericordiam liberantem aliquan- « do intermittit, quia non semper libe- « rat. » Ita etiam solvitur hoc quod objicitur, Isa. XLIX, 15 : *Numquid oblivisci potest mulier infantem suum, ut non misereatur filio uteri sui? et si oblita fuerit, ego tamen non obliviscar tui.* Prov. VI, 34 et 35 : *Zelus et furor viri non parcet in die vindictæ, nec acquiescet cujusquam precibus, nec suscipiet pro redemptione dona plurima.*

7 Ab hac autem oblivione misericordiæ distinguit duas tribus, et hoc est quod subdit : « *Et domui Juda miserebor,* » hoc est, duabus tribubus : ita scilicet quod tunc non permittam eos a rege Assyriorum captivari. Thren. III, 22 : *Misericordiæ Domini quia non sumus consumpti : quia non defecerunt miserationes ejus.* « *Et salvabo eos,* » a rege scilicet Assyriorum, « *in Domino Deo suo,* » hoc est, in virtute Domini Dei sui, et non in virtute humana. Isa. XLVI, 13 : *Dabo in Sion salutem, et in Jerusalem gloriam meam.* Et hoc est quod sequitur : « *Et non salvabo eos in arcu,* » qui longe ferit, « *et gladio,* » qui propinque vulnerat, « *et in bello,* » exercituum scilicet, « *et in equis,* » bellicis scilicet dextrariis, « *et in equitibus,* » mili-
s salvat os sine morum tentia. tibus scilicet peritis in arte pugnandi. Et hoc factum est, IV Reg. XVIII et XIX, ubi merito Ezechiæ misit Dominus Angelum suum, et percussit in castris Assyriorum centum octoginta quinque millia. De primis duobus dicitur in Psal. XLIII, 7 : *Non enim in arcu meo sperabo : et gladius meus non salvabit me.* De tertio, Judic. V, 8 : *Nova bella elegit Dominus.* De quarto et quinto, item in Psal. XXXII, 16 et 17 : *Gigas non salvabitur in multitudine virtutis suæ. Fallax equus ad salutem,* etc. Amos, II, 15 : *Tenens arcum non stabit, et velox pedibus suis non salvabitur, et ascensor equi non salvabit animam suam.*

Quod autem decem tribubus consola- 8
tionem subtrahit, per similitudinem exprimit, subdens : « *Et ablactavit,* » ipse scilicet Propheta, non mulier fornicationum, hoc est ab omni dulcedine legis, et prophetiæ, et consolationis abstraxit. Isa. XXVIII, 9 : *Quem docebit scientiam? et quem intelligere faciet auditum?* per pœnas scilicet, *ablactatos a lacte, avulsos ab uberibus.* Et hoc est : « *Eam, quæ erat Absque misericordia,* » id est, decem tribus, quæ usque hodie dulcedinem liberationis a Deo non receperunt. Thren. III, 15. *Replevit me amaritudinibus, inebriavit me absynthio.*

« *Et concepit.* » Tangit hic similitudinem ad duas tribus, et hoc est quod dicit : « *Et peperit filium,* » mutans sexum. Psal. XVII, 46 : *Filii alieni mentiti sunt mihi.*

« *Et dixit,* » supple, Dominus ad Pro- 9
phetam : « *Voca nomen ejus Non populus meus.* » Cujus ratio tangitur IV Reg. XXIII et XXIV. Quia captivatis decem tribubus, nec duæ tribus in cultu Dei permanserunt, sed idola coluerunt, et se non ut populus Dei gesserunt. Job, XXI, 14 : *Dixerunt Deo : Recede a nobis, et scientiam viarum tuarum nolumus.* Et hoc est quod sequitur : « *Quia vos non populus meus,* » hoc est, ideo quia vos non geritis pro populo meo. Apoc. II, 9 : *Se dicunt Judæos esse, et*

[1] Ezech. V, 12 : *Gladium evaginabo post eos.*

non sunt, sed sunt synagoga satanæ. « *Et,* » supple, ideo, « *ego non ero vester,* » scilicet Deus. Transferam enim illos ad terram illorum deorum, quos coluerunt. Jerem. v, 19 : *Sicut dereliquistis me, et servistis deo alieno in terra vestra, sic servietis alienis in terra non vestra.*

10 « *Et erit numerus.* » Post desolationem comminationis, promissionem tangit futuræ consolationis ne desperent. Et tangit quatuor : dispersorum multiplicationem, multiplicatorum conversionem, conversorum congregationem, congregatorum sub uno capite adunationem.

Et hoc est : « *Et erit numerus filiorum Israel quasi arena maris.* » Multi enim sunt qui ad informem fidem venient temporibus novissimis. Psal. cxxxviii, 18 : *Dinumerabo eos,* quasi dicat, non, *et super arenam multiplicabuntur.* Eccli. i, 2. *Arenam maris, et pluviæ guttas, et dies sæculi quis dinumeravit ?* « *Quæ sine mensura est,* » latitudinis scilicet, et longitudinis, quia in toto orbe dispersi sunt. Isa. xxvii, 6 : *Implebunt faciem orbis semine.* Psal. xviii, 5 : *In omnem terram exivit sonus eorum.* « *Et non numerabitur,* » Glossa, « præ multitudine. » Unde dictum est Abrahæ, Genes. xv, 5 : *Suspice cœlum, et numera stellas, si potes. Et dixit ei : Sic erit semen tuum.* Apoc. vii, 9 : *Vidi turbam magnam, quam dinumerare nemo poterat.*

Et subdit de conversione multiplicatorum.

« *Et erit :* » versus, et dictum est hoc pro certitudine prophetali. I Reg. ix, 6 : *Omne, quod loquitur, sine ambiguitate venit.* « *In loco* » hoc est, in Chaldæa, vel allegorice in Ecclesia, « *ubi dicetur eis,* » quando ducentur in captivitatem : « *Non populus meus vos,* » hoc est, isti sunt non populus Dei, quia si esset Deus eorum, protegeret eos. Unde, Thren. iv, 15 : *Recedite polluti, clamaverunt eis : recedite, abite.* Et post pauca : *Dixerunt inter gentes : Non addet ultra ut habitet in eis.* « *Dicetur eis,* » propter conversionem et pœnitentiam : « *Filii Dei viventis,* » quando Deus sicut filios consolabitur eos. Isa. lxvi, 13 : *Quomodo si cui mater blandiatur, ita ego consolabor vos, et in Jerusalem consolabimini.* Joan. i, 12 : *Dedit eis potestatem filios Dei fieri, his, qui credunt in nomine ejus.* Hanc auctoritatem inducit Apostolus ad Romanos, xi, 28 et seq., et exponit eam de conversis ad Christum in tempore novissimo[1].

Et subdit de conversorum congregatione. **11**

« *Et congregabuntur filii Juda,* » hoc est, duarum tribuum, « *et filii Israel,* » hoc est, decem tribuum, pariter in unam terram et cor : quod non potest intelligi de decem tribubus, quia illæ non redierunt, sed intelligitur de quibusdam de decem tribubus, qui immixti fuerunt duabus. In fine autem mundi omnes congregabuntur ad Christum, et hoc expresse dicitur, Ezech. xxix, 28 et 29 : *Scient quia ego Dominus Deus eorum, eo quod transtulerim eos in nationes, et congregaverim eos super terram suam, et non dereliquerim quemquam ex eis ibi. Et non abscondam ultra faciem meam ab eis, eo quod effuderim spiritum meum super omnem domum Israel.* Act. iv, 32 : *Multitudinis credentium erat cor unum, et anima una.*

Chris omnes a dent ho nes in f mundi

Et subdit de adunatione sub caput unum.

« *Et ponent sibimet caput unum.* » Quod Judæi dicunt David suscitatum in aurea Jerusalem, mendacium et fabula

[1] Ad Roman. xi, 31 : *Ita et isti nunc non crediderunt in vestram misericordiam, ut et ipsi misericordiam consequantur.*

est, et ideo exponendum est de Christo. Ezech. XXXVII, 22 : *Rex unus erit omnibus imperans : et non erunt ultra duæ gentes, nec dividentur amplius in duo regna.* Et paulo post, ℣℣. 23 et 24 : *Ego ero eis Deus : et servus meus David rex super eos, et pastor unus omnium eorum.* Joan. X, 16 : *Fiet unum ovile, et unus pastor.* « *Et ascendent de terra* » captivitatis, vel de terrenis ad cœlestia. Psal. LXXXIII, 6 et 7 : *Ascensiones in corde suo disposuit, in valle lacrymarum.* Ad Philip. III, 20 : *Nostra conversatio in cœlis est.* « *Quia magnus dies Jezrahel,* » hoc est, magna et clara justitia apparebit in pœna iniquorum, qui seminis Dei fuderunt innocentem sanguinem. Psal. CXVII, 24 : *Hæc est dies, quam fecit Dominus.* Esther, VIII, 16 : *Judæis nova lux oriri visa est.* Cant. III, 11 : *Videte, filiæ Sion, regem Salomonem,* hoc est, pacificum, *in diademate, quo coronavit illum mater sua in die desponsationis illius, et in die lætitiæ cordis ejus.* Tunc enim in lætitia cordis iterato, Deus sibi desponsavit populum, sicut statim dicet Propheta in capitulo sequenti.

CAPUT II.

Minatur Dominus Israeli tamquam uxori adulteræ repudium, et sepit vias ejus spinis, ut ad virum suum revertatur : cumque non advertat a quo habeat bonorum abundantiam, ablaturum se ab ea dicit cuncta in quibus delectatur : sicque ipsum tandem ad se reducturum, magnaque felicitate donaturum : et de gentium vocatione.

1. Dicite fratribus vestris : Populus meus ; et sorori vestræ : Misericordiam consecuta.

2. Judicate matrem vestram, judicate, quoniam ipsa non uxor mea, et ego non vir ejus. Auferat fornicationes suas a facie sua, et adulteria sua de medio uberum suorum :

3. Ne forte exspoliem eam nudam, et statuam eam secundum diem nativitatis suæ, et ponam eam quasi solitudinem, et statuam eam velut terram inviam, et interficiam eam siti.

4. Et filiorum illius non miserebor, quoniam filii fornicationum sunt.

5. Quia fornicata est mater eorum, confusa est quæ concepit eos : quia dixit : Vadam post amatores meos, qui dant panes mihi, et aquas meas, lanam meam, et linum meum, oleum meum, et potum meum.

6. Propter hoc ecce ego sepiam viam tuam spinis, et sepiam eam maceria, et semitas suas non inveniet.

7. Et sequetur amatores suos, et non apprehendet eos : et quæret eos, et non inveniet : et dicet : Vadam, et revertar ad virum meum priorem, quia bene mihi erat tunc magis quam nunc.

8. Et hæc nescivit quia ego dedi ei frumentum, et vinum, et oleum, et argentum multiplicavi ei, et aurum, quæ fecerunt Baal.

9. Idcirco convertar, et sumam frumentum meum in tempore suo,

et vinum meum in tempore suo, et liberabo lanam meam et linum meum, quæ operiebant ignominiam ejus.

10. Et nunc revelabo stultitiam ejus in oculis amatorum ejus : et vir non eruet eam de manu mea :

11. Et cessare faciam omne gaudium ejus, solemnitatem ejus, neomeniam ejus, sabbatum ejus, et omnia festa tempora ejus.

12. Et corrumpam vineam ejus, et ficum ejus, de quibus dixit : Mercedes hæ meæ sunt, quas dederunt mihi amatores mei : et ponam eam in saltum, et comedet eam bestia agri.

13. Et visitabo super eam dies Baalim, quibus accendebat incensum, et ornabatur inaure sua, et monili suo, et ibat post amatores suos, et mei obliviscebatur, dicit Dominus.

14. Propter hoc ecce ego lactabo eam, et ducam eam in solitudinem, et loquar ad cor ejus.

15. Et dabo ei vinitores ejus ex eodem loco, et vallem Achor, ad aperiendam spem : et canet ibi juxta dies juventutis suæ, et juxta dies ascensionis suæ de terra Ægypti.

16. Et erit in die illa, ait Dominus, vocabit me Vir meus : et non vocabit me ultra Baali.

17. Et auferam nomina Baalim de ore ejus, et non recordabitur ultra nominis eorum.

18. Et percutiam cum eis fœdus in die illa, cum bestia agri, et cum volucre cœli, et cum reptili terræ : et arcum, et gladium, et bellum conteram de terra, et dormire eos faciam fiducialiter.

19. Et sponsabo te mihi in sempiternum : et sponsabo te mihi in justitia, et judicio, et in misericordia, et in miserationibus.

20. Et sponsabo te mihi in fide : et scies quia ego Dominus.

21. Et erit in die illa : exaudiam, dicit Dominus, exaudiam cœlos : et illi exaudient terram.

22. Et terra exaudiet triticum, et vinum, et oleum, et hæc exaudient Jezrahel.

23. Et seminabo eam mihi in terra, et miserebor ejus quæ fuit Absque misericordia.

24. Et dicam Non populo meo : Populus meus es tu : et ipse dicet : Deus meus es tu [1].

IN CAPUT II OSEE

ENARRATIO.

« *Dicite fratribus vestris.* » Hic secundum inductam divisionem judicio filiorum condemnanda ostenditur mater, et habet duas partes. In prima, propter peccatum idololatriæ et ingratitudinis condemnabilis esse convincitur : in secunda, ne desperet, more prophetali consolatio promittitur pœnitenti, ibi, ℣. 14 : « *Propter hoc ecce ego lactabo eam.* »

In prima parte duo sunt, scilicet, judicium condemnationis pro idololatria, et judicium condemnationis pro ingratitudine, ibi, ℣. 8 : « *Et hæc nescivit.* »

In prima adhuc duo sunt. Primo enim provocantur nati ad judicium matris : secundo profertur forma judicii, ibi, ℣. 2. « *Auferat fornicationes.* »

[1] Ad Roman. IX, 25 ; I Petr. II, 10.

1 Dicit ergo : « *Dicite fratribus vestris : Populus meus.* » Secundum Hieronymum nunc loquitur ad duas tribus et est sensus : O vos duæ tribus, « *dicite fratribus vestris,* » hoc est, de nomine quod per adoptionem acceperunt, monete decem tribus, et hoc nomen est « *populus meus,* » et contestamini eos per nomen illud quod matrem judicent. « *Et sorori vestræ,* » eisdem decem tribubus captivatis, supple, dicite : « *Misericordiam consecuta :* » hoc enim nomen oblivioni tradendum non est, et per hoc nomen soror contestata est, quod filia contra matrem pro Domino tenetur judicare. Luc. XII, 53 : *Pater in filium, et filius in patrem suum, mater in filiam, et filia in matrem,* etc. Et Matth. x, 21 : *Insurgent filii in parentes* [1]. In tali enim judicio correptionis fraternæ nulli parcendum est. Unde Exod. XXXII, 27 : *Ite, et redite de porta usque ad portam per medium castrorum, et occidat unusquisque fratrem, et amicum, et proximum suum.* Occiditur enim quantum ad vitam peccati, quando corripitur et ad bonum convertitur. Adhuc, Quia fratres et sorores sunt, ex ordine charitatis tenentur eis, ut judicium condemnationis judicent, et sic per timorem a peccatis convertantur. Ad Roman. IX, 2 et 3 : *Tristitia mihi magna est, et continuus dolor cordi meo. Optabam enim ego ipse anathema esse a Christo pro fratribus meis, qui sunt cognati mei secundum carnem.* Adhuc, Qui factus est populus et misericordiam consecutus, ex beneficio recepto tenetur alios corripere, et ad similem gratiam revocare. I ad Timoth. I, 16 : *Ideo misericordiam consecutus sum : ut in me primo ostenderet Christus Jesus omnem patientiam ad informationem eorum, qui credituri sunt illi, in vitam æternam.* Apoc. XXII, 17. *Et spiritus, et sponsa dicunt : Veni. Et qui audit, dicat : Veni.*

rectio erna ous est lenda.

Et postquam rationes dixit quare judicare debent matrem, subdit, provocans ad judicium :

2 « *Judicate matrem vestram, judicate.* » *Matrem vestram* dicit, et non uxorem meam, quia (sicut dictum est) filii in fornicatione idolorum nati sunt, in qua generatione conjunctionem cum Deo non habuit. Item, cum assumpta esset, et sanctificata, et filii adoptati, ut ad novam prolem gratiæ a Deo fœcundaretur, in fide thori non remansit, et ita matrem filiorum se exhibuit, non uxorem mariti. *Judicate* autem dicit, et iterum *judicate,* quia et de idololatria et ingratitudine convincenda fuit. Est enim istud judicium discussionis et correptionis, in quo ostendit homini propter quod condemnandus sit nisi pœniteat. I ad Corinth. XI, 31 : *Quod si nosmetipsos dijudicaremus, non utique judicaremur.* Joan. VII, 24 : *Justum judicium judicate.* Isa. III, 14 : *Dominus ad judicium veniet cum senibus populi sui.* Et ibidem, v, 3 : *Nunc ergo, habitatores Jerusalem, et viri Juda, judicate inter me et vineam meam.* Et bene dico, *judicate :* « *quoniam ipsa non uxor mea.* » In Chaldæa enim et in Ægypto non mihi, sed idolis conjuncta fuit, et in illa fornicatione vos genuit. Isa. LIV, 6 : *Ut mulierem derelictam et mœrentem spiritu vocavit te Dominus, et ut uxorem ab adolescentia abjectam.* « *Et ego non vir ejus,* » quia non ex semine meo mihi genuit filios, sed idolis. Ezech. XVI, 32 : *Facta es quasi mulier adultera, quæ super virum suum inducit alienos.* Eccli. XXIII, 25 : *Omnis homo qui transgreditur lectum suum, contemnens in animam suam,* etc. Et post pauca, ỳỳ. 32 et 33 : *Sic et,* peccabit scilicet, *mulier omnis relinquens virum suum, et statuens hæreditatem ex alieno matrimonio : primo enim in lege Altissimi incredibilis fuit :*

Adulterium grande est crimen.

[1] Matth. x, 21 : *Tradet frater fratrem in mortem, et pater filium : et insurgent filii in parentes, et morte eos afficient.*

secundo in virum suum deliquit : tertio in adulterio fornicata est, et filios ex alio viro statuit sibi. Hæc sub eisdem auctoritatibus de illis dicuntur qui post baptismum Dominum derelinquunt, et delectabilia mundi sequuntur.

Et subdit de judicii forma, et duo dicit : accusationem scilicet, et conjunctionem, ibi, ℣. 5 : « *Quia dixit: Vadam post amatores meos.* » Accusationem proponit dupliciter, in detestatione scilicet culpæ, et in comminatione pœnæ, ibi, ℣. 3 : « *Ne forte exspoliem.* »

Dicit ergo : « *Auferat fornicationes suas,* » quibus scilicet cum idolis fornicatur, de idolo scilicet in idolum, vel delectabili in delectabile, « *a facie sua,* » ut scilicet non inspiciat eas ut rem dilectam, sed avertat faciem sicut a re detestabili. Osee, iv, 10 : *Fornicati sunt, et non cessaverunt: quoniam Dominum dereliquerunt in non custodiendo.* « *Et adulteria sua,* » supple, auferat « *de medio uberum suorum,* » quia etiam postquam mihi conjuncta est, cum idolis et delectabilibus adulterata est. *De medio uberum* dicit, quia inter ubera cor est, et in uberibus titillatio concupiscentiæ sentitur. Unde Prov. vii, 18, meretrix dicit : *Veni, inebriemur uberibus, et fruamur cupitis amplexibus.* Isa. i, 16 : *Auferte malum cogitationum vestrarum ab oculis meis.* In quibus autem viget concupiscentia, pacem non habent. IV Reg. ix, 22, dixit Joram rex ad Jehu : *Pax est Jehu ? At ille respondit: Quæ pax? adhuc fornicationes Jezabel matris tuæ, et veneficia ejus multa vigent.*

3 Et subdit de pœna, in se scilicet, et in filiis.

In se dupliciter, scilicet in pœna damni, et damni quantitate, et hoc est :

« *Ne forte.* » *Forte* dicit propter mobilitatem liberi arbitrii, quod ad bonum et ad malum inclinabile est. Eccli. xxxi, 10 : *Potuit transgredi, et non est transgressus.* « *Exspoliem eam nudam,* » hoc est, exspoliem, ita quod nuda appareat, interiori scilicet, et exteriori habitu ablato. Exterior habitus fuit cultus templi, divitiæ, gloria, et hujusmodi. Interior, habitus gratiæ, et virtutum. Ezech. xvi, 39 : *Denudabunt te vestimentis tuis, et auferent vasa decoris tui : et derelinquent te nudam, plenamque ignominia.* Propter hoc dicitur, Apoc. xvi, 15 : *Beatus qui vigilat, et custodit vestimenta sua, ne nudus ambulet, et videant turpitudinem ejus.* « *Secundum diem nativitatis suæ,* » hoc est, sicut nuda fuit, quando in me primo fuit renata, in Ægypto scilicet, vel in Chaldæa, quando nullo decore vestita fuit. Sine Deo enim, et sine lege, et sine promissionibus fuit. Ad Ephes. ii, 12 : *Eratis illo in tempore sine Christo, alienati a conversatione Israel, et hospites testamentorum, promissionis spem non habentes, et sine Deo in hoc mundo.*

Et subdit de quantitate damni :

« *Et ponam eam quasi solitudinem,* » supple, si converti noluerit. *Solitudinem* dicit, quia eis ductis in captivitatem, terra vacuatur. Isa. vi, 11 : *Donec desolentur civitates absque habitatore, et domus sine homine, et terra relinquetur deserta. Et longe faciet Dominus homines.* Et hoc est quod sequitur : « *Et statuam eam velut terram inviam,* » hoc est, ita longe faciam duci in captivitatem, quod viam redeundi non invenient. Prov. vii, 19 : *Non est vir in domo sua, abiit via longissima.* Isa. xxiii, 7 : *Ducent eam pedes sui longe ad peregrinandum.* Hoc dicitur eis, qui per peccata recedunt a Domino, et ad pœnitentiam redire non cogitant. Luc. xv, 13 : *Peregre profectus est in regionem longinquam, et ibi dissipavit substantiam suam, vivendo luxuriose,* scilicet cum meretricibus. « *Et interficiam eam siti.* » Hieronymus : « Ut cadat in terram alie- « nam patiens sitim omnium bonorum, « et nihil eorum quæ desiderat obtineat. » Hoc significatum est, Genes. xxi, 14

Pecc elonga Dec

et seq., ubi Agar cum filio recedens a domo Patriarchæ, sitim intolerabilem passa est usque ad desperationem. Justum enim est,quod sitis insatiabilis peccati, omnium bonorum defectu et siti condemnetur. Unde dives, Luc. XVI, 24 et seq., guttam aquæ impetrare non valuit. Propter hoc dicitur, Jerem, II, 25: *Prohibe pedem tuum a nuditate, et guttur tuum a siti.*

4 Et subdit de pœna filiorum :

« *Et filiorum illius,* » supple, non meorum, « *non miserebor,* » ut scilicet liberem eos. Et subdit causam : « *Quoniam filii fornicationum sunt,* » imitatores scilicet ignominiosæ matris. Osee, IV, 11 : *Fornicatio, et vinum, et ebrietas auferunt cor.*

5 « *Quia fornicata est mater eorum,* » cum idolis scilicet, vel delectabilibus. Psal. LXXII, 27 : *Perdidisti omnes, qui fornicantur abs te.* « *Confusa est quæ concepit eos,* » non confusione verecundiæ, sed confusione ignominiæ, quia scilicet in peccato deprehensa est. Jerem. II, 26 : *Quomodo confunditur fur quando deprehenditur, sic confusi sunt domus Israel.* Eccli. IV, 25 : *Est enim confusio adducens peccatum, et est confusio adducens gloriam et gratiam.*

Et subdit de obstinatione in peccato :

« *Quia dixit.* » Hic autem tria dicit : peccandi obstinatam voluntatem, pœnam ad reditum cogentem, et reditum ad virum misericorditer suscipientem. Et hoc est : « *Vadam post amatores meos.* » Glossa : « Fide et dilectione se- « quar deos, et imitabor gentes quarum « deos colo. » Jerem. II, 25 : *Dixisti : Desperavi, nequaquam faciam : adamavi quippe alienos, et post eos ambulabo.* Hoc opere dicunt, qui delectabilia mundi obstinata sequuntur voluntate. I ad Corinth. XII, 2 : *Ad simulacra muta prout ducebamini euntes,* supple, eratis. Et subdit causam : « *Qui dant panes mihi,* » hoc est, refectionem, » *et aquas meas,* » supple, dant mihi, hoc est, esculentum et poculentum, « *oleum meum,* » condimentum scilicet, et « *la-* « *nam meam,* » ex qua fit vestis, « *et linum meum,* » quo suaviter foveatur mollities carnis, « *et potum meum,* » quo scilicet utar in deliciis, sicut est vinum, et vinum conditum, et hujusmodi. Hæc enim omnia dicebat se habere ab idolis, cum dona Dei essent. Ezech. XVI, 18 et 19 : *Sumpsisti vestimenta tua multicoloria, et operuisti illas,* scilicet imagines masculinas : *et oleum meum, et thymiama meum posuisti coram eis. Et panem meum, quem dedi tibi, similam, et oleum, et mel, quibus enutrivi te, posuisti in conspectu eorum in odorem suavitatis.* Hoc dicitur eis, qui dona Dei suis viribus, vel suis meritis attribuunt.

Et subdit de pœna coarctante : 6

« *Propter hoc* » peccatum scilicet, « *ecce ego sepiam viam tuam spinis,* » hoc est, punctionibus dolorum in paupertate et miseria. Genes. III, 17 et 18 : *Maledicta terra in opere tuo : in laboribus comedes ex ea cunctis diebus vitæ tuæ. Spinas et tribulos germinabit tibi.* « *Et sepiam eam maceria.* » *Maceria* macer murus est, congregatione lapidum sine cæmento factus, et (ut Hieronymus dicit) signat dura obstacula, quibus quis a proposito mali impeditur. Thren. III, 7 : *Circumædificavit adversum me, ut non egrediar*[1]. Unde, Isa. IX, 10, dicitur : *Lateres ceciderunt, sed quadris lapidibus ædificabimus,* hoc est, obstacula parva non reputant, sed magna ponemus. Job, V, 12 : *Qui dissipat cogitationes malignorum, ne possint*

[1] Cf. etiam Thren. III, 9 : *Conclusit via meas lapidibus quadris, semitas meas subvertit.*

implere manus eorum, quod cœperant. « *Et semitas suas non inveniet,* » me scilicet impediente. Numer. XXII, 32 : *Perversa est via tua, mihique contraria.*

Et sequetur amatores suos, » Assyrios
7 scilicet, vel Ægyptios, vel peccatores : « *et non apprehendet eos,* » nullum enim ferent auxilium. Isa. XXXI, 3 : *Corruet auxiliator, et cadet cui præstatur auxilium, simulque omnes consumentur.* « *Et quæret eos* » desiderio scilicet, « *et non inveniet,* » supple, ad aliquod solatium. Isa. XXX, 5 : *Omnes confusi sunt super populo, qui eis prodesse non potuit : non fuerunt in auxilium et in aliquam utilitatem, sed in confusionem et in opprobrium.*

Et subdit de coacta reversione :

« *Et dicet* » tunc, supple, coacta pœnis : « *Vadam,* » cordis conversione, « *et revertar,* » operis satisfactione, « *ad virum meum priorem* » qui scilicet dignitate omnes præcellit, et me primo post formicationes assumpsit. Lucæ, XV, 18 et 19 : *Surgam, et ibo ad patrem meum, et dicam ei : Pater, peccavi in cœlum, et coram te : jam non sum dignus vocari filius tuus : fac me sicut unum de mercenariis tuis.* Cant. III, 2 : *Surgam, et circuibo civitatem : per vicos et plateas quæram quem diligit anima mea.* Tunc enim alios experta, dicet : Psal. LXXXV, 8 : *Non est similis tui in diis, Domine : et non est secundum opera tua.* « *Quia bene mihi erat tunc,* » scilicet quando verum animæ colui virum, « *magis quam nunc,* » in cultura scilicet deorum alienorum. Psal. XV, 1 et 2, secundum Hieronymi translationem : *Serva me, Domine, quoniam speravi in te. Dixi Domino : Deus meus es tu, quoniam mihi bene non est sine te*[1]. Item, Psal. XV, 10 : *Delectationes in dextera tua usque in finem.* Tobiæ, X, 5 : *Omnia in te uno habentes, te non debuimus dimittere a nobis.*

« *Et hæc nescivit.* » Improperat hic 8
ingratitudinem, et tangit duo : culpæ scilicet exprobationem, et pœnæ comminationem, ibi, « *Idcirco convertar.* »

Dicit ergo : « *Et hæc nescivit,* » hoc est, scire noluit. Psal. XXXV, 4 : *Noluit intelligere ut bene ageret.* Job, XXI, 14 : *Dixerunt Deo : Recede a nobis, et scientiam viarum tuarum nolumus.* « *Quia ego dedi ei frumentum,* » scilicet litterale, et spirituale in verbo Dei. Psal. CXLVII, 14 : *Adipe frumenti satiat te.* « *Et vinum,* » litteraliter scilicet, et spiritualiter in gaudio spirituali. Prov. III, 10 : *Et implebuntur horrea tua saturitate, et vino torcularia tua redundabunt.* « *Et oleum,* » litterale in cibi dulcoramentum, et spirituale in lucis ministerium, quod est sacræ doctrinæ scientia. Deuter. XXXIII, 28 : *Oculus Jacob in terra frumenti et vini.* Psal. IV, 8 : *A fructu frumenti, vini, et olei sui multiplicati sunt.* « *Et argentum,* » litteraliter scilicet, et spiritualiter in eloquentia, scilicet tinnitum sancti eloquii. Psal. XI, 7 : *Argentum igne examinatum, probatum terræ, purgatum septuplum.* Aggæi, II, 9 et 10 : *Meum est argentum, et meum est aurum, dicit Dominus exercituum. Magna erit gloria domus istius novissimæ plus quam primæ.* « *Multiplicavi ei et aurum,* » et litteraliter et spiritualiter in sapientia, « *quæ fecerunt Baal* », hoc est, idolum vel Sidoniorum, vel Babyloniorum. Converterunt enim argentum et aurum in simulacra fusilia. Isa. II, 7 et 8 : *Repleta est terra argento et auro : et non est finis thesaurorum ejus : et repleta est terra ejus equis : et innumerabiles quadrigæ ejus. Et repleta est terra ejus idolis.* Judic. XVII, 3 : *Consecravi et vovi argen-*

[1] Vulg. habet, Psal. XV, 1 et 2 : *Conserva me, Domine, quoniam speravi in te. Dixi Domino : Deus meus es tu, quoniam bonorum meorum non eges.*

tum hoc Domino, ut de manu mea suscipiat filius meus, et faciat sculptile atque conflatile. Propter hoc conqueritur, Isa. I, 3 : *Cognovit bos possessorem suum, et asinus præsepe domini sui : Israel autem me non cognovit, et populus meus non intellexit.*

9 Et subdit de pœna, et dicit duo. Primo enim exaggerat pœnam. Secundo repetit culpam, ut justior appareat condemnatio, ibi, ℣. 15 : « *Et visitabo super eam.* »

Tripliciter autem exaggerat pœnam in damno, confusione et desolatione.

Dicit ergo : « *Idcirco convertar,* » ad eam scilicet puniendam et condemnandam. Isa. I, 25 : *Convertam manum meam ad te, et excoquam ad purum scoriam tuam.* « *Et sumam,* » hoc est, auferam a te, « *frumentum meum,* » hoc est, esculentum meum, quo pavi te, litteraliter et spiritualiter. Deuter. XXVIII, 33 : *Fructus terræ tuæ, et omnes labores tuos comedat populus, quem ignoras : et sis semper calumniam sustinens.* « *In tempore suo* » hoc est, tempore messis. Glossa : « Quia tunc major erit dolor, « cum jam in horreum ducenda, et quo- « dammodo tenta rapientur e manibus. » Isa. XVII, 11 : *Ablata est messis in die hæreditatis, et dolebit graviter.* « *Et vinum meum,* » litteraliter et spiritualiter in gaudio spirituali. Deuter. XXVIII, 39 : *Vineam plantabis, et fodies : et vinum non bibes, nec colliges ex ea quippiam : quia vastabitur vermibus.* « *In tempore suo,* » hoc est, tempore vindemiæ, quando jam de prælo ad cellarium ducendum erat. Isa. XVI, 10 : *In vineis non exsultabit neque jubilabit : vinum in torculari non calcabit qui calcare consueverat : vocem calcantium abstuli.* « *Et liberabo lanam meam.* » Hieronymus : « Cum ipsi sint servi diaboli, sub « illa servitute tenent lanam et linum « quasi violenter subjiciendo : sed libe- « rat ea, ne ab iniquis dominis possi- « deantur. » Et dicit ideo in originali, quod « creaturæ non ex voluntate exhi- « bent se ad usum peccatorum, sed vio- « lenter ab eis usurpantur : » et inducit hoc, quod est Apostoli ad Rom. VIII, 21 : *Quia et ipsa creatura liberabitur a servitute corruptionis in libertatem gloriæ filiorum Dei.* Sap. XIX, 6 : *Omnis creatura ad suum genus ab initio refigurabatur, deserviens tuis præceptis, ut pueri tui custodirentur illæsi.* Lana autem signat exempla Sanctorum, quæ valent calefacere peccatores. Job, XXXI, 20 : *Si non benedixerunt mihi latera pauperis, et de velleribus ovium mearum calefactus est.* « *Et linum meum,* » quod signat candorem innocentiæ et castitatis. Proverb. XXXI, 13 : *Quæsivit lanam et linum, et operata est consilio manum suarum.* « *Quæ operiebant ignominiam ejus,* » ne scilicet appareret concupiscentiæ peccatum, quod ignominiosum est. Ezech. XVI, 8 : *Expandi amictum meum super te, et operui ignominiam tuam.*

Creatura servit peccatori invita.

Et subdit de exaggeratione confusionis : 10

« *Et nunc revelabo stultitiam ejus,* » hoc est, quod stulta est, manifestabo per pœnam, scilicet in instanti captivitate. Ezech. XVI, 37 : *Nudabo ignominiam tuam coram amatoribus tuis, et videbunt omnem turpitudinem tuam.* Stultus dicitur a stoliditate : quam stultus enim fit homo in culpa, revelatur in pœna, quia sicut dicit Gregorius : « Oculos quos « culpa claudit, pœna aperit. » Job, XX, 27 : *Revelabunt cœli iniquitatem ejus, et terra consurget adversus eum.* Et hoc est quod sequitur : « *In oculis amatorum ejus,* » ut scilicet eosdem habeat tortores in pœna quos incentores habuit in culpa. Isa. XX, 4 : *Minabit rex Assyriorum captivitatem Ægypti, et transmigrationem Æthiopiæ, juvenum et senum, nudam et discalceatam, discoopertis natibus ad ignominiam Ægypti.* « *Et vir non eruet eam de manu mea.* »

Deuter. XXXII, 39 : *Non est qui de manu mea possit eruere.*

11 « *Et cessare faciam omne gaudium ejus,* » hoc est, causas gaudii in Babylonica servitute. Thren. v, 15 et 16 : *Versus est in luctum chorus noster. Cecidit corona capitis nostri.* I Machab. I, 28 et 29 : *Omnis maritus sumpsit lamentum : et quæ sedebant in thoro maritali, lugebant : et commota est terra super habitantes in ea, et universa domus Jacob induit confusionem.* « *Solemnitatem ejus,* » supple, cessare faciam, Paschæ scilicet et Pentecostes, et Scenopegiæ, quæ festa abjecit Deus : ut jam non tantum evacuata sint, sed etiam nociva et mortifera celebrantibus ea. Amos, v, 21 : *Odi, et projeci festivitates vestras : et non capiam odorem cœtuum vestrorum.* « *Neomeniam ejus,* » festum scilicet novæ lunæ et Calendarum. Isa. I, 14 : *Calendas vestras, et solemnitates vestras odivit anima mea : facta sunt mihi molesta.* « *Sabbatum ejus,* » cessare scilicet faciam. Thren. I, 7 : *Viderunt eam hostes, et deriserunt sabbata ejus.* Glossa : « In « quo epulis et otio vacabant, et non Do« mino. » Et generaliter subdit : « *Et omnia festa,* » sicut scilicet Encæniorum et aliorum gaudiorum, quæ celebrabant. Tobiæ, II, 6 : *Dies festi vestri convertentur in lamentationem et luctum.* « *Et tempora ejus,* » supple, cessare faciam. *Tempora* vocat ex tempore festa emergentia, sicut interfectionis Sisaræ a Jahel, Judic. v, 26 et 27 : et interfectionis Holophernis, Judith, XIII, 10 : et dies sortium de liberatione ab Aman, Esther, VII, 10. Omnes istas lætitias in lamentum deduxit, et ut vile stercus abjici fecit. Isa. XXIX, 2 : *Solemnitates evolutæ sunt. Et circumvallabo Ariel, et eris tristis et mœrens.*

Et exaggerat adhuc desolationem : 12
« *Et corrumpam vineam ejus,* » hoc est, plantationes, quæ materiam gaudii ministrant. Amos, v, 11 : *Vineas plantabitis amantissimas, et non bibetis vinum earum.* « *Et ficum ejus,* » dulcedines scilicet consolationum. Joel, I, 7 : *Ficum meam decorticavit, nudam spoliavit eam, et projecit.* « *De quibus dixit,* » hoc est, quia illa idolis attribuit : « *Mercedes hæ meæ sunt,* » quibus scilicet ad idololatriam conducta sum, « *quas dederunt mihi amatores mei :* » sicut et ipse diabolus dicit, Matth. IV, 9 : *Hæc omnia tibi dabo, si cadens adoraveris me.* Ita multi dona Dei ad mundana referunt, quasi a mundanis habeant, quæ non nisi dono Dei perceperunt. Contra quod dicitur, I Paral. XXIX, 14 : *Quæ de manu tua accepimus, dedimus tibi.* « *Et ponam eam in saltum,* » hoc est, in silvestreitatem, ubi scilicet pilosi habitant. Isa. VII, 25 : *Erit in pascua bovis, et in conculcationem pecoris.* « *Et comedet eam bestia agri,* » hoc est, agrestes tyranni. Hieronymus inducit illud Psal. LXXIX, 13 et 14 : *Vindemiant eam omnes, qui prætergrediantur viam. Exterminavit eam aper de silva : et singularis ferus depastus est eam.*

Et repetit culpam ut justior sit pœna : 13
« *Et,* » id est, quia « *visitabo super eam,* » hoc est, opprimens eam. Hieronymus : « Cum *visitare* frequentius in bono soleat « accipi, hic in malo ponitur pro affli« ctione. » Psal. LVIII, 6 : *Intende ad visitandas omnes gentes : non misereris omnibus, qui operantur iniquitatem.* « *Dies Baalim,* » hoc est, festa Baalim. Hieronymus : « Baalim plurali numero idolum « Baal in multis locis positum signat, cui « idolo festa magna celebrabant. » Unde, Osee, VII, 5 : *Dies regis nostri : cœperunt principes furere a vino.* Sicut et mundani dies gaudiorum suorum celebrant. Psal. XLVIII, 12, secundum aliam translationem : *Celebraverunt nomina sua in*

terris suis[1]. « *Quibus accendebat incensum,* » in signum scilicet devotionis : de quo dicitur, Isa. I, 13 : *Incensum abominatio est mihi.* « *Et ornabatur inaure sua,* » in signum scilicet obedientiæ ad idola. Cant. I, 10 : *Murenulas aureas faciemus tibi.* « *Et monili suo.* » Isidorus :
onile. « Monile quasi munile, quia munit sinum, « ne adulter inserat manum. » Illæ autem munierunt sinum, ut solum in corde retinerent idolum. Cant. VII, 1 : *Juncturæ femorum tuorum sicut monilia.* « *Et ibat post amatores suos,* » profectu scilicet idololatriæ. Jerem. II, 5 : *Ambulaverunt post vanitatem, et vani facti sunt.* « *Et mei obliviscebatur, dicit Dominus.* » Jerem. II, 32 : *Populus meus oblitus est mei diebus innumeris.* Isa. LVII, 11 : *Mentita es, et mei non es recordata,* quia nec per beneficia Deum cognoscere voluit.

14 « *Propter hoc.* » Tangitur hic consolatio : et habet partes duas, consolationem scilicet in exitu de captivitate, et consolationem in bonorum Dei optima dispositione, ibi, ỷ. 16 : « *Et erit in die illa.* »

In exitu quinque dicit, blandimentum scilicet educentis, viam egressionis, eruditionem cordis, spei confirmationem, optimam in principibus populi dispositionem, et lætitiæ cordis per cantum demonstrationem.

« *Propter hoc.* » Hoc quod dicit, *propter hoc,* non continuatur ad præcedens, cum præcedens immediate potius sit causa oppositi : sed ita continuandum est, quia scilicet omnino nolo mortem peccatoris, sed ut convertatur et vivat[2] : et verberibus non corrigitur. « *Propter hoc, ecce ego lactabo eam,* » consolationibus scilicet, ut vel sic revertatur, et hoc est *propter hoc,* et similis tropus est in Psal. LXXX, 16 et 17 : *Inimici Domini mentiti sunt ei : et erit tempus eorum in sæcula. Et cibavit eos ex adipe frumenti.* Ac si dicat, inimici puniti redire noluerunt : et ideo cibavi eos, ut redirent. « *Ecce ego lactabo eam,* » ubere scilicet consolationis et ubere exhortationis, ut scilicet consolatione dulcedinem lactis, exhortatione candorem veritatis experiatur. Isa. LXVI, 12 : *Ad ubera portabimini, et super genua blandientur vobis.* Isa. LX, 16 : *Suges lac gentium, et mammilla regum lactaberis.*

Deus blanditiis allicit, quos severitate flectere non potest.

Et subdit de amœnitate viæ :

« *Et ducam eam in solitudinem,* » supple, sicut feci de Ægypto egredientem : quod vocat *solitudinem,* quia nemo alienus particeps est gaudiorum illorum. Exod. III, 18 : *Ibimus viam trium dierum in solitudinem, ut immolemus Domino Deo nostro.* Thren. III, 28 : *Sedebit solitarius, et tacebit : quia levavit super se.*

Et subdit de eruditione : « *Et loquar ad cor ejus.* » Ideo *ad cor* loquitur, qui cordi tristato ex annuntiato gaudio satisfacit. Isa. XL, 2 : *Loquimini ad cor Jerusalem, et advocate eam.* Sap. VIII, 17 et 18 : *Immortalis est in cogitatione sapientiæ, et in amicitia illius delectatio bona.*

Et subdit de optima populi dispositione : 15

« *Et dabo ei vinitores ejus,* » hoc est, qui colligant vinum ejus litteraliter et spiritualiter in spiritualibus gaudiis, « *ex eodem loco,* » id est, ut alieni labores ejus de cætero non diripiant, sive spiriualiter, sive corporaliter, sed ipsi qui colunt, fructum laboris accipiant. Amos, IX, 14 : *Plantabunt vineas, et bibent vinum earum : et facient hortos, et comedent fructus eorum.* Hic inducunt Sancti per hoc probare intendentes, quod de Ecclesiæ gremio Prælatus eligendus sit : tum quia *vinitores ejus* dicuntur, et non simplici-

Prælatus de Ecclesiæ gremio est eligendus.

[1] Vulg. habet, Psal. XLVIII, 12 : *Vocaverunt nomina sua in terris suis.*

[2] Cf. Ezech. XVIII, 21 et 22, et ibidem, XXXIII, 11 : *Nolo mortem impii, sed ut convertatur impius a via sua, et vivat.*

ter vinitores : tum quia *ex eodem loco* esse dicuntur. Osee, XIV, 8 : *Germinabunt quasi vinea : memoriale ejus sicut vinum Libani.* Melius ad hoc facit, quod dicitur ad Hebr. V, 1 : *Omnis pontifex ex hominibus assumptus, pro hominibus constituitur.* Caput enim monstruosum est, quod de eodem corpore, cujus caput est, non crevit.

Et tangit de corroboratione spei, subdens :

« *Et vallem Achor,* » hoc est, ubi lapidatus est Achor [1]. Quo interfecto, debilitas populi versa est in fortitudinem, paupertas in abundantiam, tristitia in gaudium : quæ omnia in valle pœnitentiæ promittit se daturum : et hoc est quod sequitur : « *Ad aperiendam spem,* » sicut dicit Glossa, « ut ex perceptione præsen- « tium munerum, firma sit exspectatio fu- « turorum. » Ad Hebr. VI, 18 : *Fortissimum solatium habeamus, qui confugimus ad tenendam propositam spem.* Zachar. I, 13 : *Respondit Dominus Angelo, qui loquebatur in me verba bona, verba consolatoria.*

Et subdit de cantico lætitiæ, quod cantabunt in egressione de captivitate spirituali vel litterali, dicens :

« *Et canet ibi,* » hoc est, in egressione, « *juxta dies juventutis suæ,* » hoc est, sicut cecinit, quando in juventute prima conjungebatur mihi, scilicet in egressu de Ægypto, et de Mari rubro, quando scilicet Maria sumpsit tympanum, et mulieres egressæ sunt post eam et cantaverunt : *Cantemus Domino : gloriose enim magnificatus est* [2]. « *Et,* » id est, « *juxta dies ascensionis suæ de terra Ægypti.* » Hoc spiritualiter impletur, quando de vitiis ascendimus ad virtutes. Ad Ephes. V, 18 et 19 : *Implemini Spiritu sancto, loquentes vobismetipsis in psalmis, et hymnis, et canticis spiritualibus, cantantes et psallentes in cordibus vestris Domino.* Psal. CXXXVII, 5 : *Cantent in viis Domini : quoniam magna est gloria Domini.*

« *Et erit.* » Tangit hic consolationem in bonorum Domini optima dispositione, et describit eam : scilicet in verbi devotione, fœderis confirmatione, pacis securitate, nova ad Deum desponsatione, omni bonorum prosperitate, et in cultus pietate. Et hæc per ordinem plane continentur in littera. 16

Dicit ergo : « *Et erit,* » versus, et dicitur pro certitudine prophetali. I Reg. IX, 6 : *Omne, quod loquitur, sine ambiguitate venit.* « *In die illa, ait Dominus,* » claritatis scilicet et consolationis. Psal. CXVII, 24 : *Hæc est dies, quam fecit Dominus.* « *Vocabit me,* » populus scilicet decem tribuum ad me conversus, « *Vir meus,* » verus animæ vir : Deus enim est fœcundans animam ad fœtus spirituales. Unde, Joan. IV, 16 : *Voca virum tuum.* « *Et non vocabit me ultra Baali.* » Baalim interpretatur *habens me*, quod secundum significationem idem est, quod vir meus. Mulieres enim non dicunt de viro, *habens me*, nisi de viro suo. Glossa. « Licet « recte possit dici de Deo, *habens me*, « tamen propter similitudinem nominis « idoli debet vitari, ne dum virum no- « minat, idolum cogitet, quod potest pro- « pter ambiguitatem verbi contingere. » Et hic habemus ex solis vocibus inordinate prolatis hæresim posse incurri. Ad Ephes. V, 3 : *Fornicatio, et omnis immunditia, aut avaritia, nec nominetur in vobis, sicut decet sanctos.*

Hære[sim] incur[ri] ex ver[bis] inordi[nate] præla[tis].

Et hoc est quod sequitur : 1

« *Et* » id est, « *auferam nomina Baalim de ore ejus,* » quod scilicet nec nominare dignetur. Isa. XXX, 22 : *Contaminabis laminas sculptilium argenti tui, et vestimentum conflatilis auri tui, et disperges ea sicut immunditiam menstruatæ.* « *Et*

[1] Cf. Josue, VII, 24 et seq.

[2] Exod. XV, 1.

non recordabitur ultra nominis eorum, » idolorum scilicet. Isa. xxvi, 3 : *Vetus error abiit.* Isa. lxv, 17 : *Non erunt in memoria priora, et non ascendent super cor.*

18 Et subdit de fœderis confirmatione, et hoc est :

« *Et percutiam cum eis fœdus,* » hoc est pactum confirmatum, « *in die illa,* » claræ scilicet consolationis. Jerem. xxi, 31 et 32 : *Feriam domui Israel et domui Juda fœdus novum : non secundum pactum, quod pepigi cum patribus eorum.* Et post pauca, ℣. 33 : *Hoc erit pactum, quod feriam cum domo Israel post dies illos, dicit Dominus : Dabo legem meam in visceribus eorum, et in corde eorum scribam eam.*

Et subdit de securitate pacis :

« *Cum bestia agri,* » hoc est, cum eo qui modo est bestia, sed in mansuetudinem mutabitur. Job, v, 23 : *Bestiæ terræ pacificæ erunt tibi,* « *Et cum volucre cœli,* » hoc est, cum instabilibus et rectam viam non curantibus versis ad stabilitatem, et per contemplationem ad cœlum volantibus, et dicentibus illud Apostoli ad Philip. iii, 20 : *Nostra conversatio in cœlis est.* « *Et cum reptili terræ,* » hoc est, cum dolosis et astutis ad simplicitatem conversis. Isa. xi, 8 et 9 : *Super foramine aspidis, et in caverna reguli, qui ablactatus fuerit, manum suam mittet. Non nocebunt, et non occident in universo monte sancto meo.* Et hoc inducit Glossa. « *Et arcum* » quod est instrumentum longe feriens, « *et gladium,* » quod est instrumentum prope feriens, « *et bellum* » quod in ipsa impugnatione sentitur, « *conteram de terra.* » Arcus autem signat insidiosos, Jerem. ix, 8 : *Sagitta vulnerans lingua eorum, dolum locuta est.* Gladius, minaces et iracundos, Prov. xxx, 14 : *Generatio quæ pro dentibus gladios habet, et commandit molaribus suis, ut comedat inopes de terra.* Bellum, tumultuosos et schismaticos. Isa. ii, 4 : *Non levabit gens contra gentem gladium, nec exercebuntur ultra ad prœlium* [1]. Psal. lxvii, 31 : *Dissipa gentes, quæ bella volunt.* « *Et dormire eos faciam* » hoc est, requiescere in bonis meis spiritualibus, et temporalibus, « *fiducialiter,* » supple, timore malorum sublato. Psal. iv, 9 : *In pace in idipsum dormiam, et requiescam.* Job, v, 24 : *Scies quod pacem habeat tabernaculum tuum.* Jerem. xxiii, 6 : *In diebus illis salvabitur Juda, et Israel habitabit confidenter.*

19 Et subdit de desponsatione charitatis :

« *Et sponsabo te mihi in sempiternum,* » charitatis scilicet conjunctione, quam violari non licet. II ad Corinth. xi, 2 : *Despondi vos uni viro virginem castam exhibere Christo.* Quæ desponsatio in quinque fit, quæ per ordinem subjungit, et hoc est : « *Et sponsabo te mihi in justitia,* » quæ scilicet ad hanc vitam pertinet, et est observatio omnis virtutis cum impletione legis, ut scilicet nusquam maculata sit in vita. Ad Ephes. v, 27 : *Ut exiberet ipse sibi gloriosam Ecclesiam, non habentem maculam, aut rugam.* « *Et judicio,* » hoc est, boni et mali discretione. Mich. vi, 8 : *Indicabo tibi, o homo, quid sit bonum, et quid Dominus requirat a te : Utique facere judicium.* Psal. xvi, 2 : *De vultu tuo judicium meum prodeat.* « *Et in misericordia,* » ad miserorum scilicet miseriam compassione. Osee, vi, 6, et Matth. ix, 13 : *Misericordiam volo, et non sacrificium.* « *Et in miserationibus,* » hoc est, effectibus misericordiæ per opus. I Joan. iii, 17 : *Qui habuerit substantiam hujus mundi, et viderit fratrem suum necessitatem habere, et clauserit viscera sua ab eo : quomodo Dei charitas manet in eo.*

Desponsatio Dei cum anima consistit in quinque.

[1] Mich. iv, 3 : *Non sumet gens adversus gentem gladium : et non discent ultra belligerare.*

20 « *Et sponsabo te mihi in fide,* » ad meipsum scilicet. Augustinus : « Fides « componitur a *fio*, et *dico :* ut scilicet, « dicta fiant, scilicet quæcumque dixit Deus « præcipiendo, et quæ nos vovendo et pro- « mittendo. » Eccli. XLV, 4 : *In fide et lenitate ipsius sanctum fecit illum.* Apoc. II, 10 : *Esto fidelis usque ad mortem, et dabo tibi coronam vitæ.* « *Et scies,* » supple, in his beneficiis meis, « *quia ego Dominus.* » Exod. XX, 2 et 3 : *Ego sum Dominus Deus tuus... Non habebis deos alienos coram me.*

21 Et subjungit de bonorum omnium prosperitate :

« *Et erit.* » Nota certitudinis prophetalis est. Genes. XLI, 32 : *Firmitatis indicium est, eo quod fiat sermo Dei, et velocius impleatur.* « *In die illa, dicit Dominus,* » claritatis meæ scilicet, quando demonstrabo me populo, « *exaudiam cœlos,* » litteraliter et spiritualiter : a virtutibus enim cœli terra fœcundatur et litteraliter et spiritualiter. Deuter. XXXIII, 28 : *Cœli caligabunt rore.* « *Et illi,* » scilicet cœli, « *exaudient terram,* » infundendo ei scilicet germinandi virtutem et gratiam. Isa. XLV, 8 : *Rorate, cœli, desuper, et nubes pluant justum : aperiatur terra, et germinet salvatorem.* Isa. LV, 10 et 11 : *Quomodo descendit imber, et nix de cœlo, et illuc ultra non revertitur, sed inebriat terram, et infundit eam, et germinare eam facit, et dat semen serenti, et panem comedenti : sic erit verbum meum, quod egredietur de ore meo : non revertetur ad me vacuum, sed faciet quæcumque volui, et prosperabitur in his, ad quæ misi illud.*

22 « *Et terra exaudiet triticum, et vinum, et oleum,* » ut scilicet abundanter proferantur de terra et spiritualiter et temporaliter, frumentum in refectione verbi, vinum in gaudio spirituali, oleum in pinguedine devotionis. Joel, II, 19 : *Ecce ego mittam vobis frumentum, et vinum, et oleum, et replebimini eis.* Deut. XXXIII, 28 : *Oculus Jacob in terra frumenti, et vini.* Psal. IV, 8 : *A fructu frumenti, vini, et olei sui multiplicati sunt.* « *Et hæc exaudient Jezrahel.* » Jezrahel metropolis Samariæ, Samariam signat : Samaria per metonymiam, decem tribus : per interpretationem nominis, omnes conversos ad Dominum signat. Jezrahel enim *semen Dei* interpretatur. Isa. IV, 2 : *Erit germen Domini in magnificentia, et gloria, et fructus terræ sublimis.* Psal. LXXXIV, 13 : *Dominus dabit benignitatem : et terra nostra dabit fructum suum.*

« *Et seminabo eam mihi in terram,* » 23
ubertate scilicet perpetua. Jerem. XXXI, 27 : *Seminabo domum Israel et domum Juda semine hominum, et semine jumentorum.* Matth. XIII, 8 : *Alia,* scilicet semina, *ceciderunt in terram bonam : et dabant fructum, aliud centesimum, aliud sexagesimum, aliud trigesimum.*

Et subdit de cultu :

« *Et miserabor ejus quæ fuit Absque misericordia,* » quæ populum captivum signabat, vel in peccatis, vel in Babylone. Isa. LIV, 8 : *In momento indignationis abscondi faciem meam parumper a te, et in misericordia sempiterna misertus sum tui.*

« *Et dicam non populo meo : Populus* 24
meus es tu. » Psal. XVII, 45 : *Populus, quem non cognovi, servivit mihi : in auditu auris obedivit mihi.* « *Et ipse dicet,* » corde, et ore, et opere, « *Deus meus es tu* » Psal. XLIV, 12 : *Ipse est Dominus Deus tuus, et adorabunt eum.* Apoc. XXI, 3 : *Et ipsi populus ejus erunt, et ipse Deus cum eis erit eorum Deus.*

CAPUT III.

Rursum jubetur propheta diligere adulteram, quæ tamen multis diebus illum exspectet, quia filios Israel multis diebus sine rege et sacrificio sedentes, tandem ad Dominum dicit reversuros.

1. Et dixit Dominus ad me : Adhuc vade, et dilige mulierem dilectam amico et adulteram, sicut diligit Dominus filios Israel, et ipsi respiciunt ad deos alienos, et diligunt vinacia uvarum.
2. Et fodi eam mihi quindecim argenteis, et coro hordei, et dimidio coro hordei.
3. Et dixi ad eam : Dies multos exspectabis me : non fornicaberis, et non eris viro : sed et ego exspectabo te.
4. Quia dies multos sedebunt filii Israel sine rege, et sine principe, et sine sacrificio, et sine altari, et sine ephod, et sine theraphim.
5. Et post hæc revertentur filii Israel, et quærent Dominum Deum suum, et David regem suum[1] : et pavebunt ad Dominum, et ad bonum ejus, in novissimo dierum.

IN CAPUT III OSEE

ENARRATIO.

« *Et dixit Dominus ad me.* » Similitudo tangitur hic adulteræ ad duas tribus. Dividitur autem in partes duas. In prima tangit culpæ exprobrationem. In secunda, populi pœnitentis ad Deum reversionem, ibi, ỳ. 5 : « *Et post hæc revertentur.* »

In prima duo sunt scilicet similitudinis positio, et ejusdem similitudinis explanatio, ibi, ỳ. 4 : « *Quia dies multos sedebunt filii Israel.* »

In prima duo sunt, scilicet præceptum Domini, et obedientia servi, ibi, « *Et fodi eam mihi.* »

Dicit ergo : « *Et dixit Dominus ad* 1
me, » in illuminatione scilicet prophetali. Amos, III, 8 : *Dominus Deus locutus est, quis non prophetabit ?* « *Adhuc vade.* » *Adhuc* dicit, quia similitudo prima ad totam malitiam repræsentandam perfecta non fuit. Job, XXXVI, 2 : *Adhuc enim habeo quod pro Deo loquar. Vade* dicit, ut de intimis contemplationis ad exteriora denuntiationis sive prædicationis ad populum exeat. Isa. XXII, 15 : *Vade, ingredere ad eum... et dices ad eum.* Amos, VII, 15 : *Tulit me Dominus cum sequerer gregem : et dixit Dominus ad me : Vade, propheta ad populum meum Israel.* « *Et dilige mulierem,* » bene mulierem quæ ad multos emollita est. Jerem. III, 1 : *Tu fornicata es cum amatoribus multis. Dilige* dicit, non *cognosce* vel *conjungere.* Ex cognitione enim et conjunctione malæ mulieris sordidatur vir, et

[1] Ezech. XXXIV, 23.

mulier similiter. I ad Corinth. vi, 16 : *Qui adhæret meretici, unum corpus efficitur.* Et ibidem, ℣. 15 : *Tollens ergo membra Christi, faciam membra meretricis ? Absit.* Ex dilectione enim sancti viri, sordida mulier attrahitur et sanctificatur. Jerem. xxxi, 3 : *In charitate perpetua dilexi te, ideo attraxi te, miserans.* Eccli. xxiv, 24 : *Ego mater pulchræ dilectionis, et timoris, et agnitionis, et sanctæ spei.* « *Dilectam amico,* » hoc est, ab amasio, soluto concubitu abutente ea. Unde Septuaginta : « Diligentem mala, » et hæc est similitudo ad Synagogam ante primam Domini assumptionem. Tunc ea luxuriabatur per idola, quibus nulla lege conjungebatur. Hoc significatum est, Ezech. viii, 14, ubi mulieres domus Israel sedentes in templo, planxerunt Adonidem pulcherrimum Veneris amasium. « *Et adulteram.* » Hoc dicitur, quantum ad similitudinem duarum tribuum, quæ retento templo tamquam thoro maritali, et retentis Sacerdotibus tamquam paranymphis, et retentis Prophetis tamquam nuntiis sponsi, et retenta lege tamquam pacto matrimonii, idola assumpserunt in templum : quæ omnia decem tribus projecerunt antequam idola assumerent, sicut legitur, III Reg. xiv, 22 et seq., et ideo decem tribus fornicariæ, duæ vero adulteræ similantur. Ezech. xvi, 31, 32 : *Nec facta es quasi meretrix fastidio augens pretium, sed quasi mulier adultera, quæ super virum suum inducit alienos.* Isa. lvii, 8 : *Juxta me discooperuisti, et suscepisti adulterum.* « *Sicut,* » hoc est, in similitudine, qua « *diligit Dominus filios Israel,* » amore scilicet casto et sanctificante. Deuter. xxxiii, 3 : *Dilexit populos, omnes sancti in manu illius sunt.* Hypallage hoc est, omnes qui sunt in manu illius, sunt Sancti. « *Et,* » id est, quamvis « *ipsi,* » sicut ingrati tanto beneficio, « *respiciunt,* » per intentionem scilicet cordis et cultus, « *ad deos alienos,* » hoc est, ad idola aliena a divinitate, contra hoc quod dicitur, Exod. xx, 3 : *Non habebis deos alienos coram me.* Deus enim incommunicabile nomen est, eo quod Deus non potest habere alium, nec consortem, nec comparem, nisi contrarium. Sap. xiv, 21 : *Incommunicabile nomen lapidibus et lignis imposuerunt.* Ad eos « *respiciunt,* » quia nuntius cordis est oculus. Eccli. xiv, 10 : *Oculus malus ad mala.* Matth. xx, 15 : *Oculus tuus nequam est.* Eccli. xxvi, 12 : *Fornicatio mulieris in extollentia oculorum ejus.* « *Et diligunt vinacia uvarum.* » *Vinacia* sunt acini ab humore pietatis sicci, prava voluntate fœtidi, propter inutilitatem projecti, propter irrationabilem furorem acuti, tamen aliquando dulcedine amoris fuerunt pleni. Hieronymus : « Per *vinacia* intelliguntur dæmones, qui creati « sunt in magna pinguedine sancti Spi« ritus, sed per superbiam arefacti de « cœlo projecti sunt, » sicut dicitur, Apocal. xii, 8 et 9 : *Non valuerunt, neque locus inventus est eorum amplius in cœlo. Et projectus est draco ille magnus, serpens antiquus, qui vocatur diabolus, et satanas.* Hoc plangit Jeremias, Thren. iv, 5 : *Qui nutriebantur in croceis, amplexati sunt stercora.* Hoc sub eisdem auctoritatibus congrue refertur ad animam per delectabilia luxuriantem, et a Deo recedentem.

Vinaci

Dæmon vinaci compar tur.

Et sequitur de obedientia servi sive 2
Prophetæ : « *Et fodi eam mihi.* »

Duo dicit, pactum scilicet, et pœnam pacti violati, ibi, « *Et dixi ad eam.* »

Et quia de vinaciis et uvis dixit, ideo de metaphora adulteræ transit ad metaphoram vineæ.

« *Et fodi eam,* » ut vineam, « *mihi,* » hoc est, ut mihi fructus faceret. Isa. v, 1 et 2 : *Vinea facta est dilecto meo in cornu filio olei. Et sepivit eam, et lapides elegit ex ea, et plantavit vineam electam.* Palladius dicit in libro de *Agricultura,* quod « fossio fit ut « dulcedo cœlestis a superficie terræ in « intima defluens, ad radices ponatur, et

« stirpes inebriet. » Unde, Luc. xiii, 8 ; *Domine, dimitte illam*, scilicet ficum, *et hoc anno, usque dum fodiam circa illam, et mittam stercora.* Unde Poeta :

Fossa dabit tellus optato tempore fructus.

« *Quindecim argenteis.* » Argentei tinnuli sunt et candidi, et significant plagas Ægypti tinnulas in fama, candidas in admiratione et splendore divinæ majestatis. *Quindecim* autem dicuntur propter numerum temporis, quia quintodecimo die mensis Nisan, hoc est, Martii vel Aprilis, quo Pascha celebrabatur, perfecta est plaga primogenitorum, qua educti sunt de Ægypto, et in quatuordecim diebus præcedentibus multæ de aliis plagis perfectæ sunt, quibus plagis quasi fossa est Synagoga, ut intimis suis cœleste beneficium reciperet et bonos fructus Deo offerret, Prophetæ loco Dei conjungerentur. Unde Septuaginta habent : « Conduxi eam mihi. » De his autem quindecim diebus habetur, Exod. xii et xiii.

Et subdit de alia conductione et fossione : « *Et coro hordei, et dimidio coro hordei.* » Hordeum signat, quod meretrix et adultera non sunt dignæ pane delicato. Matth. xv, 26 : *Non est bonum sumere panem filiorum, et mittere canibus.* Concupiscentia enim carnalis hominem ad jumentum transfert, ut dicit Plato. Psal. xxxi, 9 : *Nolite fieri sicut equus et mulus, quibus non est intellectus.* Daniel. iv, 13 : *Cor ejus ab humano mutetur, et cor feræ detur ei.*

Hordeum autem cibus est jumentorum, signat autem litteralem intelligentiam et temporales promissiones quibus animales homines nutriuntur. I ad Corinth. ii, 14 : *Animalis homo non percipit ea, quæ sunt Spiritus Dei.* Et talia Judæis exhibita sunt. Corus autem, ut dicitur Ezech. xlv, 11 et seq.[1], triginta modios habet, dimidius autem quindecim, qui simul juncti, faciunt quadraginta quinque, et signat, quod quadragesimo quinto die ab exitu de Ægypto ad montem Sina populus Israeliticus devenit, statimque voce præconis clamatum est quadragesimo sexto die, ut sanctificarentur per tres dies ad acceptionem legis, et quinquagesimo die Moyses in montem ascendit et legem accepit, qua populus sicut vero viro, Deo conjunctus est. In quadraginta quinque ergo diebus semper modium divinæ gratiæ recepit, scilicet in columna ignis et nubis, in divisionibus maris, in submersione Ægyptiorum, in dulcoratione aquæ, in administratione mannatis et coturnicum, in victoria contra Amalec, et in aliis similibus quæ per singulos dies receperunt, et ideo quadraginta quinque modiis ad conjunctionem viri conducta est. Hordeo autem, quia meliori digna non fuit. III Reg. xxii, 27 : *Sustentate eum pane tribulationis, et aqua angustiæ.* Isa. xxx, 20 : *Dabit vobis Dominus panem arctum, et aquam brevem.*

« *Et dixi ad eam,* » enarrando scilicet 3
sæpe pœnam debitam : « *Dies multo exspectabis me,* » per totum scilicet tempus Babylonicæ et Romanæ captivitatis. Dicit autem « *exspectabis :* » Septuagita : « Sedebis, » quia (sicut ante dictum est) idolis per totum tempus non conjungentur, sed attendent ad misericordiam Dei revocantis. Thren. iii, 24 : *Pars mea Dominus, dixit anima mea, propterea exspectabo eum.* Habacuc, ii, 3 : *Si moram fecerit, exspecta illum.* Et quia mulieri propter fornicationem a thoro viri separatæ, licentia fornicandi non datur, ideo sequitur : « *Non fornicaberis.* » Ad Ephes. v, 5 : *Omnis fornicator, aut immundus, aut avarus, quod est idolorum servitus, non habet hæreditatem in regno Christi, et Dei.* Et quia

[1] Ezech. xlv, 11 : *Ephi et batus æqualia et unius mensuræ : et capiat decimam partem cori batus, et decimam partem cori ephi : juxta mensuram cori erit æqua libratio eorum.*

per totum tempus captivitatis, quod est quasi tempus pœnitentiæ, vero Deo per cultum legis et templi non conjungitur, ideo sequitur : « *Et non eris viro.* » Hieronymus : « Nec mihi, a quo conducta « es, legitime conjungeris. » Isa. LIV, 6 : *Ut mulierem derelictam et mœrentem spiritu vocavit te Dominus, et uxorem ab adolescentia abjectam.* Et quia iterum vir derelinquens uxorem non nubit alteri, sed exspectat reconciliationem, ut dicit Apostolus, I ad Corinth. VII, 11, quod oportet eam *manere innuptam, aut viro suo reconciliari,* ideo sequitur : « *Sed et ego exspectabo te.* » Isa. XXX, 18 : *Propterea exspectat Dominus ut misereatur vestri : et ideo exaltabitur parcens vobis : quia Deus judicii Dominus : beati omnes qui exspectant eum.* Hoc sub eisdem auctoribus refertur ad animam propter peccatum ab amplexibus viri separatam in tristitia pœnitentiæ sedentem, et viri reconciliationem præstolantem, ut iterato ad dulcissimos amplexus admittatur.

4 « *Quia dies multos.* » Explanat hic quod dixit, « *non eris viro.* » « *Quia dies multos,* » utriusque scilicet captivitatis Babylonicæ et Romanæ. Hieronymus in Epistola : « Ingressi in Babylo« nem, eritis ibi annis plurimis, et in « tempus longum. » « *Sedebunt.* » Glossa, « Quasi contracti et mœsti homines, « sicut pœnitentes sedere consueve« runt. » Mich. VII, 8 : *Cum sedero in tenebris, Dominus lux mea est.* Thren. III, 28 : *Sedebit solitarius, et tacebit : quia levavit super se.* « *Filii Israel,* » ad Deum scilicet pertinentes. Jerem. II, 3 : *Sanctus Israel Domino, primitiæ frugum ejus.* « *Sine rege,* » qui scilicet in justitia regat, « *et sine principe,* » qui scilicet in partem sollicitudinis sit vocatus. Isa. XXXII, 32 : *Ecce in justitia regnabit rex, et principes in judicio præeunt.* Et hoc quantum ad rempublicam, et quantum ad Deum, subdit : « *Et sine sacrificio,* » quo scilicet expiari possint peccata. Daniel. III, 38 et 39 : *Non est in tempore hoc princeps, et dux, et propheta, neque holocaustum, neque sacrificium, neque oblatio, neque incensum, neque locus primitiarum coram te, ut possimus invenire misericordiam tuam.* « *Et sine altari.* » Non enim habebant locum memorialis tituli in templo vel altari. Thren. II, 7 : *Repulit Dominus altare suum, maledixit sanctificationi suæ.* « *Et sine ephod.* » Hieronymus : « *Ephod* proprie super humerale dicitur, Epho
« sed hic pro omni vestimento sacerdo« tali accipitur. Unde sensus est : sine « omnibus præparamentis sacerdotali« bus. » I Reg. II, 18 : *Samuel autem ministrabat ante faciem Domini, puer, accinctus ephod lineo,* quod ephod munditiam conversationis et castitatis corporis signat, quo videmus Sacerdotes nostri temporis esse destitutos. II Machab. IV, 14 : *Ita ut sacerdotes jam non circa altaris officia dediti essent, sed contempto templo, et sacrificiis neglectis, festinarent participes fieri palæstræ, et præbitionis ejus injustæ,* hoc est, militaribus se dabant rebus. « *Et sine theraphim.* » Teraph
Theraphim idem est quod figura, et signat omnes figuras ad ornatum templi pertinentes, sicut Cherubin et cœlatura palmarum, et figura boum sub mari æneo, et malogranatorum, et retiaculorum, et aliorum quæ ad speciem anagliphi in templo facta sunt. Signant autem exempla Sanctorum quibus peccator destituitur, quia nullum Sanctorum imitatur, sicut Jeremias conqueritur, Thren. I, 6 : *Egressus est a filia Sion omnis decor ejus.* Decor enim viri boni est, quod assimilatus sit exemplis Sanctorum.

« *Et post hæc.* » Tangit hic reversionem populi per pœnitentiam, maxime temporibus novissimis, quando videntes se deceptos in Antichristo, omnes revertentur ad Christum. 5

« *Et post hæc,* » scilicet tempora pœni-

tentiæ, « *revertentur filii Israel,* » per pœnitentiam scilicet. Baruch, IV, 28 : *Sicut fuit sensus vester ut erraretis a Deo : decies tantum iterum convertentes requiretis eum.* Isa. LV, 7 : *Derelinquat impius viam suam, et vir iniquus cogitationes suas, et revertatur ad Dominum, et miserebitur ejus.* « *Et quærent Dominum Deum suum :* » *Dominum* qui potestate continet, divitiis remunerat, auctoritate superpositionis legem ponit. Psal. XLIX, 1 :
eus. *Deus deorum Dominus locutus est. Deum* autem qui omnibus providet qui bonitate sua fruuntur. Deus enim a Θεος (θέαομαι-θεῶμαι, quod est *video, vides*) dicitur. Psal. XXXIX, 18: *Dominus sollicitus est mei.* Ad Roman. X, 12 : *Idem Dominus omnium, dives in omnes, qui invocant illum.* « *Et David regem suum,* » supple, quærent, quod quia litteraliter, nisi fabulose, intelligi non potest, ad Christum referimus. Ad Roman. I, 3 : *De Filio suo, qui factus est ei ex semine David secundum carnem.* Jerem. XXIII, 4: *Suscitabo David germen justum : et regnabit rex, et sapiens erit.* « *Et pavebunt,* » hoc est, stupebunt præ admiratione mirabilium, Domini scilicet, et ideo addidit « *ad Dominum.* » Jerem. V, 30 : *Stupor et mirabilia facta sunt in terra.* « *Et ad bonum ejus.* » Bonum enim Filium misit in carnem ad sanctificandum naturam, bonum etiam Spiritum sanctum in mentem ad sanctificandam animam, et bona præparavit ad remunerandum meritum. Jerem. XXXI, 12 : *Confluent undique ad bona Domini.* Psal. XXVI, 13 : *Credo videre bona Domini.* Isa. LV, 2 : *Audite audientes me, et comedite bonum.* Jerem. XXXI, 14 : *Populus meus adimplebitur bonis.* « *In novissimo dierum,* » hoc est, vel in novissimo temporum post Antichristum, vel quando lux hujus sæculi occumbit ab appetitu. Isa. II, 2 : *Erit in novissimis diebus præparatus mons domus Domini.* Et post pauca : *Et fluent ad eum omnes gentes.*

CAPUT IV.

Minatur terræ Israel, propter multa populi peccata, qui et scientiam repulit, et idololatriæ fuit deditus : dicit se relicturum Israel in peccatis suis, cupiens ne Juda ipsum imitetur.

1. Audite verbum Domini, filii Israel, quia judicium Domino cum habitatoribus terræ : non est enim veritas, et non est misericordia, et non est scientia Dei in terra.

2. Maledictum, et mendacium, et homicidium, et furtum, et adulterium inundaverunt, et sanguis sanguinem tetigit.

3. Propter hoc lugebit terra, et infirmabitur omnis qui habitat in ea, in bestia agri, et in volucre cœli : sed et pisces maris congregabuntur.

4. Verumtamen unusquisque non judicet, et non arguatur vir : populus enim tuus sicut hi qui contradicunt sacerdoti.

5. Et corrues hodie, et corruet etiam propheta tecum. Nocte tacere feci matrem tuam.

6. Conticuit populus meus, eo quod non habuerit scientiam. Quia tu scientiam repulisti, repellam te, ne sacerdotio fungaris mihi : et oblita es legis Dei tui, obliviscar filiorum tuorum et ego.

7. Secundum multitudinem eorum

sic peccaverunt mihi : gloriam eorum in ignominiam commutabo.

8. Peccata populi mei comedent, et ad iniquitatem eorum sublevabunt animas eorum.

9. Et erit sicut populus, sic sacerdos[1]: et visitabo super eum vias ejus, et cogitationes ejus reddam ei.

10. Et comedent, et non saturabuntur : fornicati sunt, et non cessaverunt, quoniam Dominum dereliquerunt in non custodiendo.

11. Fornicatio, et vinum, et ebrietas auferunt cor.

12. Populus meus in ligno suo interrogavit, et baculus ejus annuntiavit ei : spiritus enim fornicationum decepit eos, et fornicati sunt a Deo suo.

13. Super capita montium sacrificabant, et super colles accendebant thymiama : subtus quercum, et populum, et terebinthum, quia bona erat umbra ejus : ideo fornicabuntur filiæ vestræ, et sponsæ vestræ adulteræ erunt.

14. Non visitabo super filias vestras cum fuerint fornicatæ, et super sponsas vestras cum adulteraverint, quoniam ipsi cum meretricibus conversabantur, et cum effæminatis sacrificabant : et populus non intelligens vapulabit.

15. Si fornicaris tu, Israel, non delinquat saltem Juda : et nolite ingredi in Galgala, et ne ascenderitis in Bethaven, neque juraveritis : Vivit Dominus !

16. Quoniam sicut vacca lasciviens declinavit Israel : nunc pascet eos Dominus, quasi agnum in latitudine.

17. Particeps idolorum Ephraim : dimitte eum.

18. Separatum est convivium eorum : fornicatione fornicati sunt : dilexerunt afferre ignominiam protectores ejus.

19. Ligavit eum spiritus in alis suis, et confundentur a sacrificiis suis.

IN CAPUT IV OSEE

ENARRATIO.

« *Audite verbum Domini, filii Israel.* » Post similitudines inductas inducit prophetiam juxta similitudinem sumptam, et more Prophetali dividitur in duas partes. In prima ponit terrorem peccantium : in secunda consolationem pœnitentium, infra, XIV, 2, ibi, « *Convertere, Israel.* »

Anterior pars in duas dividitur, in quarum prima ostendit fornicationem in abundantia peccatorum : in secunda specialiter reprehendit auctores alios inducentes in peccatum, infra, V, 1, ibi, « *Audite hoc, sacerdotes.* »

Prima adhuc in duas. In prima exaggerat reprehensionem a multitudine peccatorum : in secunda coaptat hoc ad similitudinem fornicationum, ibi, ℣. 10 : « *Fornicati sunt, et non cessaverunt.* »

Prima adhuc in duas. In prima tangit peccatorum multitudinem : in secunda, peccantium incorrigibilitatem, ibi, ℣. 4 : « *Verumtamen unusquisque non judicet.* »

In prima duo sunt, provocatio scilicet ad judicium, et causa judicii, ibi, « *Non est enim veritas.* »

[1] Isa. XXIV, 2.

1 Dicit ergo : « *Audite verbum Domini.* » *Audite*, inquam, intus ad perceptionem. Matth. XIII, 9 : *Qui habet aures audiendi, audiat.* Isa. LV, 2 : *Audite audientes me.* « *Verbum*, » quod fons sapientiæ est ad intellectus illuminationem. Eccli. I, 5 : *Fons sapientiæ verbum Dei in excelsis.* « *Domini*, » qui auctoritatem habet : Dominus enim audiendus est. Isa. I, 2 : *Audite, cœli, et auribus percipe, terra, quoniam Dominus locutus est.* « *Filii Israel*, » ut scilicet tanti patris vos probetis esse imitatores. Israel enim et vidit et audivit Dominum. Genes. XXXII, 30 : *Vidi Deum facie ad faciem, et salva facta est anima mea.* Isa. XLIV, 1 : *Et nunc audi, Jacob, serve meus, et Israel, quem elegi.*

Et subjungit causam quare audiendus sit : « *Quia judicium Domino*, » supple, est, et judicium discussionis, et convictionis. Mich. VI, 1 : *Audite quæ Dominus loquitur : Surge, contende judicio adversum montes, et audiant colles vocem tuam.* « *Cum habitatoribus terræ*, » id est, contra habitatores terræ : et dicuntur *terræ habitatores*, terrenorum amatores. Mich. VI, 2 : *Audiant montes judicium Domini, et fortia fundamenta terræ : quia judicium Domini cum populo suo, et cum Israel dijudicabitur.* Isa. XXIV, 17 : *Formido, et fovea, et laqueus super te, qui habitator es terræ.*

Et subdit causam quia judicanda est. Primo in speciali peccato cordis, et oris, et operis. Et secundo in generali, deinde populo convicto interminatur pœnam.

Peccatum cordis exaggerat tripliciter, scilicet in defectu veritatis rectificantis, et defectu misericordiæ ad proximum inclinantis, et defectu scientiæ ad Deum ordinantis.

tas. « *Non est enim veritas.* » *Veritas* hic dicitur rectitudo rectificans omnia, quia ad vitam, et ad judicium, et ad doctrinam pertinent. Dicit enim Augustinus, quod « veritas est rectitudo sola mente percep« tibilis, » qua scilicet mens quæ a mensurando dicitur, omnia deducit ad rectum. Isa. XXXVIII, 3 : *Obsecro, Domine, memento, quæso, quomodo ambulaverim coram te in veritate.* Joan. VIII, 31 et 32 : *Si vos manseritis in sermone meo, vere discipuli mei eritis : et cognoscetis veritatem, et veritas liberabit vos.* Joan. III, 21 ; *Qui facit veritatem, venit ad lucem, ut manifestentur opera ejus, quia in Deo sunt facta.* « *Et non est misericordia*, » inclinans scilicet ad compassionem sui vel proximi. Jerem. VI, 23 : *Crudelis est, et non miserebitur.* Thren. IV, 3 : *Filia populi mei crudelis, quasi struthio in deserto*, cujus naturæ dicitur esse, quod etiam propriis ovis non miseretur. Job, XXXIX, 14 et 15 : *Struthio... derelinquit ova sua in terra. Obliviscitur quod pes conculcet ea, aut bestia agri conterat.* « *Et non est scientia Dei in terra.* » *Scientia* dicitur habitus et virtus faciens scire quæ ad Deum justa sunt, hæc non est in terra, hoc est, in terrenis cordibus. Job, XXI, 14 : *Dixerunt Deo : Recede a nobis, et scientiam viarum tuarum nolumus.* Jerem. IX, 6 : *Renuerunt scire me.* Econtra dicit Apostolus, I ad Corinth. II, 2 : *Non adjudicavi me scire aliquid inter vos, nisi Jesum Christum, et hunc crucifixum.*

Struthio nec suis ovis parcit.

« *Maledictum.* » Tangit peccata verbi, 2
maledictum scilicet, et mendacium. Maledictum est idem quod male dictum, et est perversus actus in verbo. « *Et mendacium*, » quod est perversus actus in verbo cum injuria proximi. Ad Ephes. IV, 29 : *Omnis sermo malus ex ore vestro non procedat : sed si quis bonus est ad ædificationem fidei, ut det gratiam audientibus.* Mendacium autem quia deceptio est, cum injuria proximi est. Ad Ephes. IV, 25 : *Propter quod deponentes mendacium, loquimini veritatem unusquisque cum proximo suo.*

Maledictum.

Mendacium

Et subdit de peccatis operis : « *Et homicidium*, » quod est injuria proximi in substantia individui. Exod. XX, 13 : *Non*

occides. « *Et furtum,* » quod est injuria proximi in eo quod sustentat substantiam individui. Exod. xx, 15 : *Non furtum facies.* « *Et adulterium inundaverunt.* » Adulterium, quod est injuria proximi in eo quod est ordinatum ad propagationem speciei. Exod. xx, 14 : *Non mœchaberis.*

Et subjungit generaliter : « *Et sanguis sanguinem tetigit.* » Sanguis hic dicitur corruptio sanguinis. Unde quia de corruptione sanguinis peccata oriuntur, idem est dicere, quod corruptela peccati peccatum attraxit. Psal. L, 16 : *Libera me de sanguinibus, Deus, Deus salutis meæ.*

3 Et exaggerat in pœna hic quod dixit in culpa.

Peccatum non nisi luctum parit.

« *Propter hoc lugebit terra,* » per metonymiam, hoc est, terreni. Peccatum enim non nisi luctum afferre potest. Ad Roman. vi, 26 : *Quem fructum habuistis tunc in illis, in quibus nunc erubescitis.* Jerem. vi, 26 : *Luctum unigeniti fac tibi, planctum amarum,* ut scilicet in pœnis lugeant, qui in deliciis, in malis gaudiis vixerunt. Matth. v, 5 : *Beati, qui lugent : quoniam ipsi consolabuntur.* « *Et infirmabitur omnis qui habitat in ea.* » Dupliciter infirmabitur : uno quidem modo, quia cum hæc ad usum homini creata sint, deficiente habitatore et ipsa deficient, et hæc est sententia Augustini. Glossa : « Naturale est, ut habitatore sublato, bestiæ quoque et volucres cœli et pisces deficiant, hæc enim propter hominem creata sunt, et homine deficiente deficiunt. » « *In bestia agri, et in volucre cœli.* » *Bestiæ* dicuntur quasi vastiæ, et signant tyrannos : *volucres* autem quasi volubiles dictæ, leves signant et ambitiosos. Psal. CXLVIII, 10 : *Bestiæ, et universa pecora : serpentes, et volucres pennatæ.* « *Sed et pisces maris congregabuntur.* » Tres sunt fines terrenorum, divitiæ, deliciæ, et honores. Per avaros enim qui divitias concupiscunt signantur bestiæ, quia omnia vastant : volucres ambitiosos signant, quia sublimia petunt. Matth. xiii, 4 : *Venerunt volucres cœli, et comederunt ea.* Pisces autem signant voluptuosos qui deliciis intendunt. Psal. viii, 9 : *Volucres cœli, et pisces maris, qui perambulant semitas maris.* In aquis enim voluptatum nutriuntur.

Terren[...] homi[...] tres s[...] speci[...]

4 « *Verumtamen.* » Hic tangit de incorrigibilitate. « *Verumtamen unusquisque non judicet,* » sanctus scilicet impium, quoniam correptionem non suscipit, et ideo correptio desperata est, propter quod judicium correptionis inutile est. Eccli. xxi, 7 : *Qui odit correptionem, vestigium est peccatoris.* « *Et non arguatur vir,* » vires scilicet habens in peccatis, quia redargutionem non suscipit. Contra quod dicitur, Eccli. xx, 1 : *Quam bonum est arguere, quam irasci!* Psal. CXL, 5 : *Corripiet me justus in misericordia, et increpabit me.*

Et subjungit causam : « *Populus enim tuus,* » non meus, « *sicut hi qui contradicunt sacerdoti.* » Sacerdos enim sanctitate et reverentia audiendus erat, et contradicere sibi nefas erat. Thren. v, 12 : *Facies senum non erubuerunt.* Isa. xxiv, 2 : *Et erit sicut populus, sic sacerdos.* Ita enim facile contradicitur Sacerdoti sicut uni de populo, cujus ratio redditur in Psal. xiii, 1 et seq., quia scilicet Sacerdotes declinant in consensum peccati populi[1].

Sac[...] rever[...] est au[...] du[...]

5 « *Et corrues hodie.* » Pœna est, et dicit « *hodie,* » quia in præsenti, durante scilicet præsentium vita. Psal. xxxv, 12 et 13 : *Non veniat mihi pes superbiæ : et manus peccatoris non moveat*

[1] Psal. xiii, 1 : *Non est qui faciat bonum, non est usque ad unum* Et ibidem, ℣. 3 : *Omnes declinaverunt, simul inutiles facti sunt,* etc.

me. Ibi ceciderunt qui operantur iniquitatem. Isa. III, 5 : *Irruet populus, vir ad virum.* « *Et corruet etiam Propheta tecum,* » dupliciter, bonus et malus. Malus, quia confortavit populum ad malum. Isa. IX, 15 : *Propheta docens mendacium, ipse est cauda.* Unde Septuaginta in hoc loco sic habent : « Ut nullus ne« que judicetur neque arguatur quis« quam : populus enim meus quasi Sa« cerdos cui contradicitur, et infirmabi« tur per diem, et infirmabitur etiam « Propheta tecum. » Hieronymus : « Quod dicit, *hodie,* aut præsens tempus « signat, aut non fraude et insidiis, sed « clare luce in captivitatem deducendos. « Significat autem quod nec in hac die de « vita securi sumus. » Luc. XIX, 42 : *Et quidem in hac die tua, quæ ad pacem tibi.* Unde mortui introducuntur loquentes ad vivos, Eccli. XXXVIII, 23 : *Memor esto judicii mei : sic enim erit et tuum : mihi heri, et tibi hodie.* Unde innuit, quod non expedit differre conversionem, Eccli. V, 8 : *Non tardes converti ad Dominum.* Et Martialis coquus :

Non est, crede mihi, sapientis dicere, Vivam.
Sera nimis vita est crastina, vive hodie.

Prophetæ enim boni peccato populi corruunt propter compassionem, quia non recedunt ab eis. II Reg. XVIII, 33 : *Quis mihi tribuat ut ego moriar pro te, Absalom fili mi ! fili mi Absalom !* Prophetæ autem mali merito peccati puniuntur. Isa. IX, 15 : *Propheta docens mendacium, ipse est cauda.*

« *Nocte tacere.* » Quia scilicet peccatum inundavit et correctio desperata est, non est nisi securim ponere ad radicem arboris [1]. Et ideo subdit hic de pœna, et dicit quatuor, scilicet quod acerbitas obmutescere faciet, quod omnes involvet, quod Sacerdotis a populo nulla erit distinctio, et quod pœnæ ad peccatum erit proportio, et hæc per ordinem sunt in littera.

Dicit igitur : « *Nocte,* » præsentis scilicet tribulationis. *Nox* enim a nocendo dicitur, et ablativus construitur in habitudine causæ efficientis, « *tacere,* » hoc est, obmutescere, « *feci matrem tuam,* » Synagogam scilicet. Dicitur autem *nox* angustia, quia nocet ad libere utendum sensibilibus delectationibus. *Mater* autem dicitur Synagoga, et quilibet de populo dicitur *filius.* Hieronymus : « Tam gra« ve erit hoc malum, quod in hac nocte, « hoc est, in tenebris et in angustia cap« tivitatis non audebit quisquam pro« ferre malum suum coram hostibus, sed « populus comprehensus tabescet silen« tio. I Reg. II, 9 : *Impii in tenebris conticescent.* Sap. XVII, 17 : *Una catena tenebrarum omnes erant colligati.* Hoc plangit Jeremias, Thren. III, 2 : *Me minavit, et adduxit in tenebras, et non in lucem.* Job, III, 6 : *Noctem illam tenebrosus turbo possideat* [2].

Et quia metaphorice locutus est, ideo 6
exponendo subdit : « *Conticuit populus meus,* » hoc est, Synagoga quæ *mater* vocabatur. Psal. LXII, 12 : *Obstructum est os loquentium iniqua.* Thren. III, 28 : *Sedebit solitarius, et tacebit.* Matth. XXII, 12 : *At ille obmutuit.* Et exponit metaphoram noctis : « *Eo quod non habuerit scientiam,* » intus scilicet cor tamquam dies illustrantem. Sapient. XVII, 20 : *Solis illis superposita erat gravis nox, imago tenebrarum, quæ superventura illis erat. Ipsi ergo sibi erant graviores tenebris.* Congruum enim fuit, ut de nocte interiori ad exteriorem noctem carceris ducerentur. Matth. XXII, 13 : *Ligatis manibus et pedibus ejus, mittite eum in tenebras exteriores : ibi erit fletus, et stridor dentium.* Psal. LXXXI, 5 :

[1] Luc. III, 9 : *Jam securis ad radicem arborum posita est,* etc.

[2] Cf. etiam Job, III, 4 : *Dies ille vertatur in tenebras... et non illustretur lumine.*

Nescierunt, neque intellexerunt, in tenebris ambulant. Lex enim et prophetiæ sapientiæ divinæ lumen sunt. Sap. XVIII, 4 : *Inclusos custodiebant filios tuos, per quos incipiebat incorruptum legis lumen sæculo dari.*

Et quia adhuc metaphorice locutus est, ulterius explanat : « *Quia tu scientiam repulisti.* » Aliud est enim ignorare, et aliud scire nolle. Joan. III, 19 : *Lux venit in mundum, et dilexerunt homines magis tenebras quam lucem.* Psal. XXXV, 4 : *Noluit intelligere ut bene ageret.* I Reg. II, 12 et 13 : *Filii Heli, filii Belial, nescientes Dominum, neque officium sacerdotum ad populum.* Et hoc est quod sequitur : « *Repellam te, ne sacerdotio fungaris mihi.* » Augustinus super epistolam Jacobi : « In officio sa« cerdotis non potest non peccare qui « non habet scientiam. » Et litteraliter loquitur de illis sacerdotibus qui a Jeroboam e populo propter munera assumpti sunt ad idola, repulsis sacerdotibus Domini [1]. Hæc repulsio etiam illis sacerdotibus dicitur, qui consentiunt in malis subditis suis. Hoc signatur, Isa. XXII, 15 et seq., per repulsionem Sobnæ, qui fuit præpositus templi. Sobna enim *divertens* vel *diverticulum* interpretatur. Unde, ibidem, ℣. 19, dicitur: *Expellam te de statione tua, et de ministerio tuo deponam te.* Hinc ortum habuit Jus quod dicit, « propter ignorantiam electum in Episcopum esse deponendum. »

Sacerdoti scientia est necessaria.

Et explanat ulterius : « *Et* » supple, quia « *oblita es legis Dei tui,* » quæ scilicet incorruptum lumen facit in corde. II ad Cor. IV, 6 : *Deus, qui dixit de tenebris lumen splendescere, ipse illuxit in cordibus nostris.* Psal. I, 2 : *In lege ejus meditabitur die ac nocte.* « *Obliviscar filiorum tuorum et ego,* » id est, a corde repellam quod non liberem Psal. LXXXVII, 6 : *Quorum non est memor amplius : et ipsi de manu tua repulsi sunt.* Hæc sub eadem metaphora et sub eisdem auctoritatibus ad ignorantes et in infernum condemnandos referuntur. Job, III, 4: *Dies ille vertatur in tenebras, non requirat eum Deus desuper, et non illustretur lumine.*

Et subdit, quod omnes involvet, ut sicut similes sunt in culpa, sic similes fiant in pœna. Et hoc est : « *Secundum multitudinem eorum sic peccaverunt mihi.* » Hieronymus : » Quasi quot ho« mines habuit Israel, tot aras exstruxit « dæmonibus. » Psal. XIII, 3 : *Omnes declinaverunt, simul inutiles facti sunt : non est qui faciat bonum.* Jerem. V, 1 : *Circuite vias Jerusalem, et adspicite, et considerate, et quærite in plateis ejus, an inveniatis virum facientem judicium et quærentem fidem : et propitius ero ei.*

Et propter hoc subdit generalem pœnam : « *Gloriam eorum,* » hoc est, id in quo gloriantur, « *in ignominiam commutabo,* » captivitatis scilicet vel damnationis. I Machab. I, 42 : *Secundum gloriam ejus multiplicata est ignominia ejus.* Apoc. XVIII, 7 : *Quantum glorificavit se, et in deliciis fuit, tantum date illi tormentum et luctum.*

Et ne credatur Sacerdos distingui propter ordinem, subdit : « *Peccata populi mei comedent,* » supple, Sacerdotes, hoc est, pro peccatis oblata avide devorabunt et in deliciis consument. Unde de Sobna, Isa. XXII, 13, dicitur : *Ecce gaudium et lætitia, occidere vitulos, et jugulare arietes, comedere carnes, et bibere vinum : Comedamus, et bibamus.* « *Et ad iniquitatem sublevabunt animas eorum,* » malo scilicet exemplo, et doctrinæ subversione. Unde Malach. II, 8, dicitur Sacerdotibus : *Vos autem recessistis de via, et scandalizastis plurimos in lege.*

[1] Cf. III Reg. XIII, 31.

9 « *Et,* » supple, ideo « *sicut populus,* » supple, punietur « *sic erit sacerdos,* » et plus. Sap. vi, 7 : *Exiguo conceditur misericordia : potentes autem potenter tormenta patientur.* Isa. xxiv, 2 : *Et erit sicut populus, sic et sacerdos.*

Et subdit de pœnæ proportione contra culpam : « *Et visitabo.* » *Visitare* est frequenter ad virum reducere, ut actus et circumstantiæ et fines circumspiciantur. Et hoc est quod hic dicitur : « *Super eum,* » hoc est, ad opprimendum eum, « *vias ejus,* » opera scilicet. Isa. xxiv, 21 : *Visitabit Dominus super militiam cœli in excelso.* Isa. xiii, 11 : *Visitabo super orbis mala.* Psal. lviii, 6 : *Intende ad visitandas omnes gentes : non miserearis omnibus, qui operantur iniquitatem.* Viæ autem sunt opera. Prov. iv, 19 : *Via impiorum tenebrosa : nesciunt ubi corruant.*

Et ne credatur, quod tantum opera condemnet, subinfert : « *Et cogitationes ejus reddam ei,* » id est, cogitationes condemnabo. Hieronymus : « Non solum « enim opus, sed et cogitatio operis mali « pœnas luit.» Ad Hebr. iv, 12 : *Discretor cogitationum et intentionum cordis.*

10 Et subdit pœnam de tanta culpa : « *Et comedent, et non saturabuntur :* » in obsidione scilicet civitatis, non de tritico et vino, sed immundissimo cibo. Deut. xxviii, 56 et 57 : *Tenera mulier, et delicata, quæ super terram ingredi non valebat, nec pedis vestigium figere propter mollitiem et teneritudinem nimiam, invidebit viro suo, qui cubat in sinu ejus, super filii et filiæ suæ carnibus, et illuvie secundarum, quæ egrediuntur de medio feminum ejus, et super liberis qui eadem hora nati sunt.* Glossa tamen dicit, quod « iniquitas non satiat, sed ju« stitia. » Matth. v, 6 : *Beati qui esuriunt et sitiunt justitiam : quoniam ipsi saturabuntur.* Prov. xiii, 25 : *Justus comedit, et replet animam suam : venter autem impiorum insaturabilis.* Eccli. xiv, 9 : *Insatiabilis oculus cupidi in parte iniquitatis : non satiabitur, donec consumat arefaciens animam suam.*

« *Fornicati sunt.* » Tangit hic eorum quæ dicta sunt adaptationem ad similitudines præmissas, ostendens quomodo luxuriari in idolis et delectabilibus fornicatio est. Et circa hoc dicit duo, scilicet fornicationem decem tribuum, et revocationem a fornicatione duarum, ibi, ℣. 15 : « *Si fornicaris tu, Israel.*

Dicit autem quinque in prima, scilicet quod fornicati sunt, in quo, et ubi, et subjungit pœnam fornicationis et impunitatem eorum qui fornicantur corporaliter, in pœnam fornicationis spiritualis.

« *Fornicati sunt,* » per idola et delectabilia defluentes, hæc enim est fornicatio spiritualis, « *et non cessaverunt,* » quia libido inexplebilis est etiam viribus deficientibus, ut dicit Hieronymus. Jerem. ii, 24 : *Omnes, qui quærunt eam, non deficient : in menstruis ejus invenient eam.* « *Quoniam Dominum dereliquerunt in non custodiendo,* » supple, præcepta ejus. Isa. i, 4 : *Dereliquerunt Dominum, blasphemaverunt sanctum Israel, abalienati sunt retrorsum.*

Libido inexplebilis est

Et subjungit rationem : « *Fornicatio,* » in amore scilicet delectabilium vel idolorum, « *et vinum,* » oppilans scilicet mentem in delectatione mundialium gaudiorum, « *et ebrietas* » sæculi vanitatum et deliciarum, « *auferunt cor,* » hoc est, regnum cordis. Unde Poeta : 11

Nox et amor, vinumque nihil moderabile suadent :
Illa pudore caret, liber amorque metu.

Item, Poeta alius :

Omnis amor cæcus, non est judex amor æquus :
Inde formæ pecus congerit omne decus.

« *Et vinum,* » temporalis scilicet ju-

cunditatis. Ad Ephes. v, 18 : *Nolite inebriari vino, in quo est luxuria.* « *Et ebrietas,* » vel extra briam vel extra briantem, accepta bria mensura. *Brians* autem est scyphus sufficiens naturæ hominis ad bibendum, et sicut dicit Hieronymus, « est hic emphasis. » Corporale enim refertur ad res spirituales, et auferre cor, est auferre regnum cordis. Quod enim fornicatio cor auferat, per hoc patet quod dicit Homerus : « Idoli « complicatrix Venus et cingulum Ve« neris, hoc est, concupiscentia furata « est mentem valde sapientium. » Quod vinum auferat, Prov. xx, 1 : *Luxuriosa res vinum, et tumultuosa ebrietas : quicumque his delectatur, non erit sapiens.* Quod ebrietas auferat, per se patet, quia ebrii insani sunt. Ad Ephes. v, 18 : *Nolite inebriari vino, in quo est luxuria.*

Fornicatio cor aufert.

12 In quo autem ita luxuriati sint, subdit : « *Populus meus in ligno suo interrogavit,* » hoc est, in idolis ligneis quæ sine vita sunt, « *et baculus ejus annuntiavit ei.* » Hieronymus « Genus erat « divinationis quod fiebat in ligno et « baculo, quo futurorum captabantur « auguria. » Unde et in Ezechiele legitur, cap. xxi, 21 : *Stetit rex Babylonis in bivio, in capite duarum viarum divinationem quærens, commiscens sagittas.* Et hoc est genus divinationis, quod *radomantia* vocatur, ubi scilicet sagittæ vel hastulæ commiscentur, et diversis eventibus et nominibus inscribuntur, et postea casu levantur, et quæcumque occurrunt ad illius omen actus diriguntur. Et hoc est quod hic dicit. Isa. viii, 19 : *Cum dixerint ad vos : Quærite a pythonibus, et a divinis : qui strident in incantationibus suis,* supple, respondere : *Numquid non populus a Deo suo requiret,* visionem scilicet, *pro vivis a mortuis ?*

Et subjungit causam quare tam fatuas habebant interrogationes : « *Spiritus enim fornicationum decepit eos,* » vel spiritus scilicet malignus, vel proprius delectabili fornicationis informatus, ille enim spiritus multos decipit. Daniel. xiii, 56 : *Species decepit te, et concupiscentia subvertit cor tuum.* Et ideo sequitur : « *Et fornicati sunt a Deo suo,* » per luxum scilicet diversorum delectabilium defluxerunt. Isa. xxiv, 4 : *Defluxit orbis, infirmata est altitudo populi terræ.*

Ubi autem, subdit : « *Super capita montium,* » ubi scilicet Jovi sacrificabatur. Psal. lxxvii, 58 : *In iram concitaverunt eum in collibus suis.* « *Sacrificabant,* » Jovi scilicet, « *et super colles,* » inferiores scilicet, ubi diis inferioribus sacrificabant, diis scilicet quos putabant inferiorum dignitatum habere potestatem. Jerem. iii, 6 : *Abiit sibimet super omnem montem excelsum.* « *Accendebant thymiama,* » sicut dicitur, Exod. xxx, 1 et seq. De quatuor aromatibus componebatur, stacte scilicet, et onycha, galbano, et thure lucidissimo æqualis ponderis, quod non licebat offerre nisi soli Deo, quia devotionem cordis et orationis non licet offerre nisi Deo. « *Subtus quercum,* » quæ cibum fert porcorum, hoc est, concupiscentiæ carnalis fomentum, « *et populum,* » qui juxta aquas insipidas stans, sæcularis famæ præstat odoramentum, « *et terebinthum,* » quæ balsami odorem mentitur, et signat hypocrisim in simulando virtutes et dissimulando vitia. Ubi scilicet Veneri sacrificabatur, sicut dicit Vitruvius, et ibi scilicet idola ponebant. Propter hoc præcipitur, ut dicit Glossa, quod « lucus circa « templum non plantetur. » Deut. xvi, 21 : *Non plantabis lucum.* Et subjungit rationem : « *Quia bona erat umbra ejus,* » id est, incitans ad delectationes Veneris. Jerem. ii, 20 : *Sub omni ligno frondoso, tu prosternebaris meretrix,* sicut etiam sæculares refrigerium delectationum sæcularium quærunt, sicut de diabolo mentium corruptore legitur, Job. xl, 13

16 : *Sub umbra dormit in secreto calami, in locis humentibus.*

Et propter hoc subdit justam pœnam : « *Ideo fornicabuntur filiæ vestræ,* » quod est, ab hostibus corrumpentur in oculis vestris. Thren. v, 11 : *Mulieres in Sion humiliaverunt, et virgines in civitatibus Juda.* Et hoc est quod sequitur : « *Et sponsæ vestræ adulteræ erunt.* » Sic enim Prælatis commissæ animæ et in proposito virginitatis et in sanctitate matrimonii quotidie corrumpuntur propter negligentias eorum. Job, xxxi, 10 : *Scortum alterius sit uxor mea, et super illam incurventur alii.*

14 Et quod hoc impune faciant, subdit : « *Non visitabo super filias vestras,* » per vindictam scilicet. Zelum enim aufert ab eis. « *Cum fuerint fornicati,* » in domibus patrum suorum scilicet, « *et super sponsas vestras* , » hoc est, uxores, « *cum adulteraverint* : » quia coram justo judice fornicator fornicariæ et adulter adulteræ nihil potest objicere, et ideo judex non potest procedere. Joan. viii, 7 : *Qui sine peccato est vestrum, primus in illam lapidem mittat.* Cum enim conquerens et reus in simili peccato sunt, pari pœna feriendi sunt, et unus ad accusationem alterius non debet condemnari. Ad Roman. ii, 1 : *In quo enim judicas alterum, teipsum condemnas ; eadem enim agis quæ judicas.*

Et hujus subjungit rationem : « *Quoniam ipsi* » scilicet patres filiarum et mariti sponsarum, « *cum meretricibus conversabantur.* » Scenicæ meretriculæ nudæ currebant circa templum Veneris, et moniales Veneris funibus sedebant colligatæ omnium expositæ libidini, ut dicit Hieronymus in epistola quadam : sicut et nostri temporis et virgines et mulieres faciunt. Ezech. xvi, 25 : *Abominabilem fecisti decorem tuum : et divisisti pedes tuos omni transeunti.* « *Et cum effœminatis sacrificabant.* » Effœminati dicuntur dupliciter, vel exsecti, vel qui se per sodomiam ephebos ademptis nuptiis (ut dicit Eusebius) consecraverunt. Unde Joel, iii, 3 : *Posuerunt puerum in prostibulo.* Isa. iii, 4 : *Effœminati dominabuntur eis.* Isti sunt (ut dicit Glossa) canonici Maacha, matris regis Asa, quæ fecit templum et posuit, simulacrum turpissimum, Priapi scilicet, ad adorandum [1]. Hoc est Phogor sive Beelphegor, quod fuit idolum Tentiginis. Psal. cv, 28 : *Initiati sunt Beelphegor* [2].

Quare autem ista omnia faciat, subdit : « *Et* » id est, quia « *populus non intelligens,* » hoc est, intelligere nolens, « *vapulabit,* » dignis scilicet plagis. Luc. xii, 47 : *Servus, qui cognovit voluntatem Domini sui,... et non fecit secundum voluntatem ejus, vapulabit multis,* scilicet plagis.

Et ab his revocat Judam, dicens : 15
« *Si fornicaris tu, Israel,* » hoc est, decem tribus, hoc est, quamvis fornicaris, « *non delinquat saltem Juda,* » id est, duæ tribus, quia illæ habebant Prophetas et Sacerdotes et templum, quæ omnia decem tribus abjecerant, et ideo irrationabilius est duas quam decem tribus post idola fornicari. Et hoc per simile dicitur Laico et Sacerdoti : inconvenientius est enim Sacerdotem peccare quam Laicum. Jerem. xi, 15 : *Quid est, quod dilectus meus in domo mea fecit scelera multa ?*

In quod autem fornicari possit, dissuadendo subdit : « *Et,* » id est « *nolite ingredi in Galgala,* » quod *revelatio* vel *volutabrum* interpretatur : *revelatio* scilicet, quia putabant ibi idola responsa dare : *volutabrum* autem secundum veritatem, quia luto idololatriæ et fornica-

[1] Cf. II Paralip. xv, 16.

[2] Cf. etiam Numer. xxv, 3 et 5 : *Initiatus est Israel Beelphegor, etc.*

tionis ibi polluebantur. II Petr. II, 22 : *Canis reversus ad suum vomitum : Et, Sus lota in volutabro luti.* « *Et ne ascenderitis in Bethaven,* » quæ prius *Bethel,* hoc est, *domus Dei:* vocabatur, postquam Jeroboam posuit ibi idolum, *Bethaven,* hoc est, *domus inutilis,* vocata est, quia populum Deo deditum inutilem fecit. Et intendit exstirpationem idolorum, ne in eorum fana introeantur, sicut et Clericis et Religiosis suadetur ne sæcularibus se misceant. II ad Corinth. VI, 15 et 16 : *Quæ pars fidelis cum infideli ? Qui autem consensus templo Dei cum idolis ?* « *Neque juraveritis : Vivit Dominus.* » Per mortuos enim deos, sicut per viventem Deum jurari non potest : vanum enim esset, quia idolum non vivit. Exod. XX, 7 : *Non assumes nomen Domini Dei tui in vanum.* Psal. XLIX, 16 : *Peccatori autem dixit Deus : Quare tu enarras justitias meas, et assumis testamentum meum per os tuum ?* Juramentum enim per mortuum deum non tenetur, quia scitur quod mortuus deus non vindicabit perjurium. Sapient. XIV, 29 : *Dum confidunt in idolis, quæ sine anima sunt, male jurantes noceri se non sperant.*

16 Et subdit causam : « *Quoniam sicut vacca lasciviens declinavit Israel.* » Vacca magis lasciviens est quam bos, et signat eos qui propter lasciviam declinant a jugo Domini. Amos, IV, 1 : *Audite verbum hoc, vaccæ pingues, qui estis in monte Samariæ.* Jerem. II, 20 : *A sæculo confregisti jugum meum, rupisti vincula mea, et dixisti : Non serviam.*

Et hujus peccati sequitur pœna : « *Nunc pascet eos Dominus,* » hoc est spatiosa pascua exhibebit, ut per totum mundum per latitudinem captivi ducantur, « *quasi agnum in latitudine.* » Isa. XXII, 18 : *Quasi pilam mittet te in terram latam et spatiosam : ibi morieris. Agnus* enim ibi ponitur, non pro simplicitate, sed pro fatuitate. Agnus enim sibi permissus ita in os lupi, sicut ad pastorem currit.

« *Particeps idolorum Ephraim.* » Pro parte enim quæ Deus est, idolum assumpsit. Thren. III, 24 : *Pars mea Dominus, dixit anima mea.* Hæc pars non suffecit ei, sed commutavit illam partem in idolum. Num. XVIII, 20 : *Ego pars et hæreditas tua.* Psal. XV, 5 : *Dominus pars hæreditatis meæ.* Et miserum est partem istam in dolum commutare. Ephraim autem vocat decem tribus propter Jeroboam, qui primus rex fuit earum qui fuit de Ephraim : et quia particeps idolorum est, supple, ideo « *dimitte eum,* » o Juda. Matth. XVIII, 17 : *Si Ecclesiam non audierit, sit tibi sicut ethnicus, et publicanus.* I ad Corinth. V, 13 : *Auferte malum ex vobis ipsis.* Matth. V, 29 : *Si oculus tuus dexter scandalizat te, erue eum, et projice abs te.* 17

Supple, quia « *Separatum est convivium eorum,* » a tuo scilicet. Et videtur tangere illud, quod tribus vicibus ascenderunt in templum, ubi conviviis et epulis gaudebant coram Domino, sed modo quia decem tribus ibant ad idolum, dicit convivium esse separatum. Prov. XXIII, 20 et 21 : *Noli esse in conviviis potatorum, nec in comessationibus eorum, qui carnes ad vescendum conferunt : quia vacantes potibus, et dantes symbola consumentur.* In epistola Judæ, ℣. 12 : *Hi sunt in epulis suis maculæ, convivantes,* hoc est, maculose, *sine timore, semetipsos pascentes.* Hoc contra gulosos est. Hinc ortum habuit, quod excommunicatis in mensa non licet communicare. I ad Corinth. V, 11 : *Si is, qui frater nominatur, est fornicator, aut avarus, aut idolis serviens, aut maledicus, aut ebriosus, aut rapax : cum ejusmodi nec cibum sumere.* 18

Exco nicatis licet me comi ca

In quo autem convivium sit separa-

tum, subdit : supple, quia « *fornicatione fornicati sunt,* » hoc est, fornicatione idolorum fornicati sunt, luxu delectabilium. Isa. LVII, 3 : *Vos autem accedite huc, filii auguratricis : semen adulteri, et fornicariæ.*

Quæ autem sit causa fornicationis, subinfert : « *Dilexerunt afferre ignominiam protectores ejus,* » hoc est, qui debebant esse protectores, Reges scilicet et Sacerdotes. « *Dilexerunt,* » hoc est, ex magna dilectione et delectatione « *afferre ignominiam,* » hoc est, ignominiosum idolum, quod nec nomine dignum est, et quod omnis mali causa est et initium et finis. Psal. LXXII, 7 : *Prodiit quasi ex adipe iniquitas eorum : transiverunt in affectum cordis.*

19 Quæ autem sit causa tantæ dilectionis
in malo, subdit : supple, quia « *Ligavit eum spiritus in alis suis,* » hoc est Israelis. Homo enim duas alas habet liberas, rationem scilicet et voluntatem, quibus volare deberet ad verum, et ad bonum : sed ligatur ala voluntatis libidine, et ala rationis errore, et hoc a spiritu maligno qui idolorum spiritus est. Istæ sunt duæ alæ, de quibus Apoc. XII, 14, dicitur : *Datæ sunt mulieri alæ duæ aquilæ magnæ, ut volaret in desertum, in locum suum.* Has optat Ecclesia in Psalm. LIV, 7 : *Quis dabit mihi pennas,* hoc est alas, *sicut columbæ, et volabo et requiescam ?* De ligamine autem dicitur, Daniel. IV, 12 : *Alligetur vinculo ferreo et æneo,* etc. Supple, ideo « *et confundentur a sacrificiis suis,* » hoc est, pro sacrificiis suis : non enim sacrificia sunt, quia non sacrum faciunt, sed profanationes. Psal. XXIV, 4 : *Confundantur omnes iniqua agentes supervacue.*

CAPUT V.

Minatur Dominus se puniturum Israel propter peccata sua, similiter et Judam : nec proderit humanum auxilium, cum Dominus eis adversetur.

1. Audite hoc, sacerdotes : et attendite, domus Israel : et domus regis, auscultate : quia vobis judicium est, quoniam laqueus facti estis speculationi, et rete expansum super Thabor.
2. Et victimas declinastis in profundum : et ego eruditor omnium eorum.
3. Ego scio Ephraim, et Israel non est absconditus a me : quia nunc fornicatus est Ephraim, contaminatus est Israel.
4. Non dabunt cogitationes suas ut revertantur ad Deum suum, quia spiritus fornicationum in medio eorum, et Dominum non cognoverunt.
5. Et respondebit arrogantia Israel in facie ejus : et Israel et Ephraim ruent in iniquitate sua, ruet etiam Judas cum eis.
6. In gregibus suis et in armentis suis vadent ad quærendum Dominum, et non invenient : ablatus est ab eis.
7. In Dominum prævaricati sunt, quia filios alienos genuerunt : nunc devorabit eos mensis, cum partibus suis.
8. Clangite buccina in Gabaa, tuba in Rama : ululate in Bethaven :

post tergum tuum, Benjamin.

9. Ephraim in desolatione erit in die correptionis : in tribubus Israel ostendi fidem.

10. Facti sunt principes Juda quasi assumentes terminum : super eos effundam quasi aquam iram meam.

11. Calumniam patiens est Ephraim, fractus judicio : quoniam cœpit abire post sordes.

12. Et ego quasi tinea Ephraim, et quasi putredo domui Juda.

13. Et vidit Ephraim languorem suum, et Juda vinculum suum : et abiit Ephraim ad Assur, et misit ad regem ultorem : et ipse non poterit sanare vos, nec solvere poterit a vobis vinculum.

14. Quoniam ego quasi leæna Ephraim, et quasi catulus leonis domui Juda. Ego, ego capiam, et vadam : tollam, et non est qui eruat.

15. Vadens revertar ad locum meum, donec deficiatis, et quæratis faciem meam.

IN CAPUT V OSEE

ENARRATIO.

« *Audite hoc, Sacerdotes.* » Hic incipit agere de peccatis principum, qui causa peccati populi fuerunt. Principes autem sunt sæculares et spirituales, hoc est, Sacerdotes et Reges.

Dividitur autem pars ista in duas partes, in quarum prima exaggerationem ponit peccati : in secunda clamorem Prophetarum contra peccatum, infra, VIII, 1, ibi, « *In gutture tuo sit tuba.* »

Prima in duas dividitur. In prima agit de peccato principum in se : in secunda, qualiter principes ad suum peccatum inducunt populum, infra, VII, 1, ibi, « *Cum sanare vellem Israel.* »

Adhuc prima dividitur in duas, in quarum prima probat peccatum, et peccati irremediabilitatem : in secunda ostendit, quod in conversione non habebunt indulgentiam, infra, VI, 1, ibi, « *In tribulatione sua.* »

Prima adhuc dividitur in duas, in quarum prima probat peccatum : secunda probat, quod nec in Deo nec in homine invenient remedium, ibi, ℣. 6 : « *In gregibus suis.* »

In prima quatuor paragraphi sunt, in quorum primo Sacerdotes et Reges et populum provocat ad judicium. In secundo, indicat causam quæ discutienda est in judicio, ibi, « *Quoniam laqueus.* » In tertio ostendit, quod nihil latebit in judicio, ibi, « *Et ego eruditor.* » In quarto, quod culpæ proportionabitur pœna, ibi, « *Et respondit arrogantia Israel.* »

Dicit ergo : I

« *Audite hoc, Sacerdotes.* » Quod enim peccata inundaverunt, maxime culpa Sacerdotum est, qui corrigere potuerunt et debuerunt. Isa. LV, 2 : *Audite, audientes me, et comedite bonum.* Hieronymus : « Sacerdotes qui non de tribu Levi, sed « qui a populo ita vocabantur. » Malach. I, 6 : *Ad vos, o Sacerdotes,* supple, dirigo sermones. « *Et attendite, domus Israel,* » hoc est, totus populus, qui de domo Israel exivit. Isa. LI, 1 : *Audite me, qui sequimini quod justum est, et quæritis Dominum.* Isa. XLVIII, 1 : *Audite hæc, domus Jacob, qui vocamini nomine Israel.* « *Et domus regis, auscultate,* » principes scilicet sæculares. Sap. VI, 3 et 4 : *Præbete aures, vos qui continetis multi-*

tudines, et placetis vobis in turbis nationum : quoniam data est a Domino potestas vobis, et virtus ab Altissimo, qui interrogabit opera vestra, et cogitationes scrutabitur. « *Quia judicium vobis est,* » hoc est, contra vos. Joan. XII, 31. *Nunc judicium est mundi : nunc princeps hujus mundi ejicietur foras.*

Et subjungit causam in paragrapho secundo.

« *Quoniam laqueus facti estis speculationi.* » *Speculationi* materialiter debet legi, hoc est, his super quos speculatoris officium accepistis. Ezech. III, 17, et XXXIII, 7 : *Fili hominis, speculatorem dedi te domui Israel. Laqueus* autem dicitur peccatum illaqueans animam. Isa. XXIV, 17 : *Formido, et fovea, et laqueus super te, qui habitator es terræ.* Ibidem, ℣. 18 : *Qui se explicuerit de fovea, tenebitur,* scilicet planta ejus, *laqueo.* « *Et rete expansum super Thabor.* » Ad litteram *Thabor* mons est in Galilæa rotundus et sublimis, in quo solent aves laqueis capi, et vult dicere, quod per malum exemplum, vel malam doctrinam, vel doctrinæ subtractionem Prælati rete facti sunt. Unde Thabor *veniens lumen* interpretatur, quia a monte prælationis lumen scientiæ et instructionis venire deberet. Job, XVIII, 8 : *Immisit in rete pedes suos, et in maculis ejus ambulat.*

2 « *Et,* supple, ideo, « *victimas declinastis in profundum,* » hoc est, victimas quæ Deo offerri deberent, in animabus quasi in profundum inferni declinastis. I Reg. II, 17 : *Erat peccatum puerorum grande nimis coram Domino : quia retrahebant homines a sacrificio Domini.*

Et consequenter dicit, quod in illo judicio nihil latebit.

« *Et ego,* » supple, sum « *eruditor,* » Septuaginta, « magister « *omnium eorum :* » et ideo quia primus sum fons omnium, nihil me latet. Job, XVII, 2 : *Scio quia omnia potes, et nulla te latet cogitatio.* Isa. XLVIII, 17 : *Ego Dominus Deus tuus, docens te utilia.*

Supple, et ideo, « *Ego scio Ephraim,* » id est, cogitationes, intentiones, verba et opera ejus. Eccli. XXIII, 28 : 3
Oculi Domini multo plus lucidiores sunt super solem, circumspicientes omnes vias hominum. « *Et Israel non est absconditus a me,* » populus scilicet, quia Ephraim signat regem. Ad Hebr. IV, 13 : *Omnia nuda et aperta sunt oculis ejus, ad quem vobis sermo.* Sap. I, 8 : *Qui loquitur iniqua, non potest latere, nec præteriet illum corripiens judicium.*

Quid autem sciat de his, subdit : « *Quia nunc fornicatus est Ephraim,* » Rex scilicet in cujus corde adhuc fornicationes sunt. IV Reg. IX, 22 : *Adhuc fornicationes Jezabel matris tuæ, et veneficia ejus multa vigent.* Et a peccato Prælatorum, « *contaminatus est Israel,* » hoc est, eodem peccato involutus. Gregorius : « Dum pastor per abrupta graditur, fit ut per præcipitium grex sequatur. »

Et quia aliquis posset dicere, quod pœnitentibus peccatum dimittendum est, ideo obviat, dicens : « *Non dabunt,* » supple, per pœnitentiam, « *cogitationes suas,* » in quibus amaritudo peccati tractanda est, « *ut revertantur ad Deum suum,* » eo quod pœnitere nolunt. Jerem. II, 20 : *A sæculo confregisti jugum meum, rupisti vincula mea, et dixisti : Non serviam.* Ibidem, ℣. 24 : *Nullus avertet eam : omnes qui quærunt eam, non deficient : in menstruis ejus,* hoc est, in defectibus suis, *invenient eam.* Contra quod dicitur, Baruch, IV, 28 : *Sicut fuit sensus vester ut erraretis a Deo, decies tantum iterum convertentes requiretis eum.* 4

Et subjungit causam : « *Quia spiritus*

fornicationum in medio eorum, » qui scilicet tenet eum ligatum, et redire non permittit. I Reg. XVI, 14 : *Spiritus Domini recessit a Saul, et exagitabat eum spiritus nequam, a Domino.* « *Et Dominum non cognoverunt,* » notitia scilicet approbationis. Psal. X secundum Hebræos 5 : *Non est Deus in conspectu ejus.* Ad Roman. I, 28 : *Et sicut non probaverunt Deum habere in notitia, tradidit illos Deus in reprobum sensum, ut faciant ea quæ non conveniunt.*

5 Et tangit de proportione pœnæ contra culpam.

« *Et respondebit arrogantia Israel,* » hoc est, peccatum superbiæ arrogantis, « *in facie ejus,* » hoc est, coram et manifeste. II Reg. XII, 12 : *Tu fecisti abscondite : ego autem faciam verbum istud in conspectu totius Israel, et in conspectu solis.* Isa. XVI, 6 : *Audivimus superbiam Moab, superbus est valde : superbia ejus, et arrogantia ejus, et indignatio ejus, plusquam fortitudo ejus.* Psal. XLIX, 21 : *Arguam te, et statuam contra faciem tuam.* Et hoc est quod sequitur : « *Et Israel,* » populus scilicet subditus, « *et Ephraim,* » Rex, vel Prælatus malus, « *ruent in iniquitate sua,* » id est, pro iniquitatibus suis, in pœnam scilicet temporalem et æternam. Psal. XXI, 30 : *In conspectu ejus cadent omnes qui descendunt in terram,* hoc est, in terrenorum amorem. « *Ruet etiam Judas cum eis,* » ut scilicet imitator culpæ sit hæres pœnæ. Isa. III, 8 et 9 : *Ruit Jerusalem, et Judas concidit : quia lingua eorum et adinventiones eorum contra Dominum, ut provocarent oculos majestatis ejus. Agnitio vultus eorum respondit eis.*

6 « *In gregibus suis.* » Tangit hic inutilitatem placationis, qua quærunt veniam et auxilium, primo apud Dominum, secundo apud homines, ibi, ℣. 13 : « *Et vidit Ephraim* »

In primo dicit duo, scilicet culpam, et pœnam, ibi, ℣. 7 : *Nunc devorabit eos,* » scilicet culpa.

Apparens conversio est quæ veritatem non habet : unde duo dicit, apparentiam scilicet, et non existentiam.

Et hoc est : « *In gregibus suis,* » hoc est, in oblatione minutorum animalium, scilicet ovium et caprarum, « *et in armentis suis,* » in majoribus scilicet animalibus, sicut vaccis, « *vadent,* » exterius scilicet et non interius, hoc est, passu pedum et non virtutum, « *ad quærendum Dominum,* » tamquam exterioribus sacrificiis sine devotione interiori possit placari Deus, cum dicat Dominus, Jerem. XI, 15 : *Numquid carnes sanctæ auferent a te malitias tuas ?* Glossa inducit illud Psal. XLIX, 13 : *Numquid manducabo carnes taurorum ? aut sanguinem hircorum potabo ?* Et iterum, ℣. 9 : *Non accipiam de domo tua vitulos : neque de gregibus tuis hircos.* Significat autem eos qui corporalia multa faciunt, sed interius non convertuntur. I ad Timoth. IV, 8 : *Corporalis exercitatio ad modicum utilis est : pietas autem ad omnia utilis est.* « *Et non invenient,* » quia scilicet non vere quærunt, si enim vere quærerent, verificaretur verbum Domini, Matth. VII, 7 : *Quærite, et invenietis.* Contra, non bene quærentibus dicitur, Cant. V, 6 : *Quæsivi, et non inveni illum.* « *Ablatus est ab eis.* » Glossa : « A recedentibus ipse recessit. » Ad Hebr. III, 12 : *Videte fratres, ne forte sit in aliquo vestrum cor malum incredulitatis, discedendi a Deo vivo.*

Et subjungit causam : supple, quia 7
« *In Dominum* » hoc est, contra Dominum, « *prævaricati sunt,* » Deum scilicet, et legem abjiciendo. Isa. XLVIII, 8 : *Scio quia prævaricans prævaricaberis, et transgressorem ex utero vocavi te.* Et hujus subdit signum : « *Quia filios alie-*

nos genuerunt, » hoc est, alia forma quam divina formatos : initiaverunt enim eos in nomine idolorum, et non in nomine Dei, sicut et mali Prælati ad formam diaboli informant filios suos. Psal. cv, 28 : *Initiati sunt Beelphegor : et comederunt sacrificia mortuorum.* Unde hominem quem Deus ad imaginem suam fecerat [1], ipse postquam peccavit, ad imaginem peccati genuit. Psal. xvii, 46 : *Filii alieni mentiti sunt mihi.*

« *Nunc devorabit.* » Tangit hic pœnam, primo in Israel, secundo in Juda.

In Israel dupliciter, scilicet in pœna secundum se, et in planctu pœnæ.

Et hoc est : « *Nunc devorabit eos mensis,* » hoc est tribulatio singulis mensibus inducta, et est ac si dicat : Singulis mensibus novas habebunt oppressiones se devorantes. « *Cum partibus suis,* » hoc est, fortibus possessionum suarum. Et hoc IV Reg. xv, 19 et seq. legitur, quod Phul eos vastavit, et mulctam imposuit, cui successit Teglatphalasar, et amplius illo et sæpius vastavit, cui succedens Salmanasar amplius desævit. Idem fecit rex Ægypti, et rex Babylonis. Judic. ii, 14 et 15 : *Iratus Dominus contra Israel, tradidit eos in manu diripientium : qui ceperunt eos, et vendiderunt hostibus, qui habitabant per gyrum : nec potuerunt resistere adversariis suis : sed quocumque pergere voluissent, manus Domini super eos erat.* Unde sicut de bonis dicitur litteraliter, Isa. lxvi, 23 : *Erit mensis ex mense,* quasi fertilitas unius mensis egressa sit ex alio ; ita per contrarium dicit de malis, quod singulis mensibus redivivas habebunt cum suis possessionibus destructiones, et hoc sub alia metaphora dicit, Joel, i, 4 : *Residuum erucæ comedit locusta, et residuum locustæ comedit bruchus, et residuum bruchi comedit rubigo.* Ista videmus fieri in peccatoribus, in quibus succedentibus peccatis continuo adimitur pars boni naturalis.

Et subdit de planctu, qui quantitatem 8
doloris indicat. Buccina.

« *Clangite buccina in Gabaa* » quæ fuit civitas, ubi natus est Saul, qui primus regni Israel fuit corruptor. Est autem *buccina,* ut dicit Hieronymus, « cornu curvum perforatum, quo pastores clangere consueverunt : » et signat plebis convocationem tanquam minorum et quasi pecudum. « *Tuba,* » quæ sicut dicit Hieronymus, « de ære est, vel de argento, vel auro,» supple, clangite « *in Rama,* » quæ etiam civitas est in sorte Benjamin, sicut et Gabaa, et *excelsa* interpretatur. Gabaa vero *collis,* et significat convocationem majorum, quæ tubis fiebat tempore prœlii. Num. x, 2 : *Fac tibi duas tubas argenteas ductiles, quibus convocare possis multitudinem, quando movenda sunt castra.* Hæc duo conjungit, Psal. cxvii, 6 : *In tubis ductilibus, et voce tubæ corneæ.*

Quid autem omnibus convenientibus faciendum sit, subdit :

« *Ululate in Bethaven.* » Bethaven vocat Bethel, qui cum prius esset Bethel, quando Jacob ibi vidit visionem [2] : propter quam visionem semper in veneratione remansit locus. Postquam Jeroboam posuit ibi vitulum, dicta est Bethaven, hoc est, *domus inutilis,* vel *domus idoli.* Et est sensus : Quando omnes convenitis, « *ulutate* » super peccato « *Bethaven,* » hoc est, super idololatria, quæ originaliter in totum populum processit ex Bethaven. Jerem. ix, 10 : *Super montes assumam fletum ac lamentum, et super speciosa deserti planctum : quoniam incensa sunt, eo quod non sit vir pertransiens.*

Ubi autem Bethaven sita sit, subdit : « *Post tergum tuum Benjamin,* » hoc est,

[1] Genes. i, 27 : *Creavit Deus hominem ad imaginem suam.*

[2] Cf. Genes. xxviii, 19 et seq.

quæ Bethaven post tergum sortis Benjamin est. Hoc sub eodem sensu majoribus et minoribus dicitur peccatoribus et Prælatis. « Cum enim sit domus, ut di- « cit Gregorius, omne quod quis per « mentem inhabitat, delectabile peccati « in quo habitat peccator, Bethaven est, « cujus inhabitatio plangenda est. » Jerem. vi, 26 : *Luctum unigeniti fac tibi, planctum amarum.* Hæc « *post tergum Benjamin* » est, quia filii dexteræ talia a se projiciunt. Isa. xxx, 22 : *Disperges ea sicut immunditiam menstruatæ.*

9 Quid autem plangant, subdit : « *Ephraim in desolatione erit,* » hoc est, regnum decem tribuum. Jerem. v, 25 : *Iniquitates vestræ declinaverunt hæc : et peccata vestra prohibuerunt bonum a nobis.* Et subjungit de veritate sermonum : « *In die correptionis,* » hoc est, punitionis peccati, quam scilicet diem adduxi : « *et in tribubus Israel,* » decem scilicet quas punivi, « *ostendi fidem,* » hoc est, verba mea esse fidelia et vera. Isa. xxxi, 2 : *Ipse sapiens adduxit malum, et verba sua non abstulit.* Deut. xxxii, 4 : *Deus fidelis et absque ulla iniquitate, justus et rectus.*

10 « *Facti sunt.* » Tangit hic de destructione duarum tribuum, et dicit tria : peccatum scilicet propter quod destruuntur, peccati inconvenientiam, et modum quo destruuntur.

Sic autem continuandum est : Dictum est, quod in Gabaa et in Rama clangendum est, quæ civitates sunt de regno duarum tribuum : et ne credatur quod hoc injustum sit, duarum tribuum inducit peccatum. « *Facti sunt principes Juda,* » hoc est duarum tribuum, « *quasi assumentes terminum,* » hoc est, dilatantes suas possessiones super terminum decem tribuum, et ideo gaudentes de decem tribuum captivitate, quod magnum peccatum est. Isa. v, 8 : *Væ qui conjungitis domum ad domum, et agrum agro copulatis usque ad terminum loci.* Habac. ii, 6 : *Væ ei, qui multiplicat non sua !* Job, xxxi, 29 : *Si gavisus sum ad ruinam ejus, qui me oderat, et exsultavi quod invenisset eum malum.* Hoc enim de avaris dicitur, qui de aliorum mortibus gaudent, ut ipsi possessiones eorum accipiant. Et hoc est quod sequitur : « *Effundam super eos,* » consumendos scilicet, « *quasi aquam iram meam.* » Tripliciter effunduntur liquores. Effunditur mel quod viscosum est, et vasi adhærebit et substantia et odor et color : effunditur vinum, et vasi adhærebit odor : effunditur lac, et vasi adhærebit color. Nullo istorum modorum effunditur aqua : effusa enim aqua nihil relinquit, nec substantiam, nec odorem, nec colorem. Effundere ergo iram quasi aquam, id est, de ira nihil retinere. Eccli. xxxvi, 8 : *Excita furorem, et effunde iram.* Psal. lxxviii, 6 : *Effunde iram tuam in gentes, quæ te non noverunt.*

Et subdit de peccati hujus inconve- 11
nientia : potius enim tunc compati debuerunt : « *Calumniam patiens est Ephraim.* » Quamvis enim Deus juste hoc fecerit, tamen rex Assyriorum causam non habuit hoc faciendi, sed per calumniam populum oppressit. Isa. lii, 4 : *Assur absque ulla causa calumniatus est eum :* calumniam autem patiens est « *fractus judicio,* » Dei scilicet, qui hoc permisit propter peccata. Isa. xiv, 5 : *Contrivit Dominus baculum impiorum, virgam dominantium.* Quare autem tali judicio fractus sit, subditur : « *Quoniam cœpit abire post sordes,* » idolorum scilicet, et peccatorum. Thren. i, 9 : *Sordes ejus in pedibus ejus.*

Et subjungit de modo destruendi : 12
«*Et ego quasi tinea Ephraim.*» *Tineam* se vocat Dominus : quia occulto et pau-

latino judicio consumit peccatores, propter peccatum quod de ipsis nascitur. Et attende quod tinea consumit vestimentum, aut quod vetus est, aut quia in usu non est, aut quia in obscuris est et radiis solis non exponitur. Et sic est de vetustis in peccato qui non exercentur ad virtutes, et qui lumini intelligentiæ et gratiæ non exponuntur. Job, iv, 19 et 20 : *Consumentur velut a tinea. De mane usque ad vesperam succidentur : et quia nullus intelligit, in æternum peribunt.* Isa. xiv, 11 : *Subter te sternetur tinea, et operimentum tuum erunt vermes.*

a con- t vesti- ntum. « *Et quasi putredo domui Juda.* » *Putredo*, quia humorem interiorem corruptum ad exteriora reducit, et partes sic diffluere facit, et paulatim corrumpit. Job, xiii, 28 : *Quasi putredo consumendus sum, et quasi vestimentum, quod comeditur a tinea.* Prov. xxv, 20 : *Sicut tinea vestimento, et vermis ligno : ita tristitia viri nocet cordi.* Paulatim enim tristitia consumitur cor, sicut vestimentum tinea, et lignum verme qui nascitur ex putredine ligni.

13 « *Et vidit Ephraim.* » Tangit hic inutilitatem, auxilii humani, et dicit tria, scilicet auxilii inutilitatem, judicii divini severitatem, et auxilii divini subtractionem.

« *Et vidit Ephraim,* » hoc est, regnum decem tribuum, « *languorem suum,* » hoc est, cognovit se impotentem ad resistendum regi Assyriorum, « *et Juda vinculum suum,* » supple, vidit, scilicet quod etiam regi resistere non poterat, sed in proximo vinciendus erat. Et tunc, supple, in Domino non confidebant, « *et abiit Ephraim ad Assur,* » hoc est, ad regem Assyriorum. IV Reg. xv, 19, legitur de Manahem, rege decem tribuum : *Veniebat Phul rex Assyriorum in terram, et dabat Manahem Phul mille talenta argenti, ut esset ei in auxilium, et firmaret regnum ejus.* Idem legitur de Achaz, rege Judæ, IV Reg. xvi, 8 : *Cum collegisset Achaz argentum et aurum, quod inveniri potuit in domo Domini, et in thesauris regis, misit regi Assyriorum munera*, ut defenderet eum a Phacee, filio Romeliæ, et Rasin, rege Syriæ. Et hoc est quod dicitur hic : « *Et misit ad regem ultorem,* » qui scilicet defenderet eum. Jerem. xvii, 5 : *Maledictus homo, qui confidit in homine, et ponit carnem brachium suum.* Et ideo sequitur : « *Et ipse non poterit sanare vos,* » o decem tribus. Psal. cxlv, 2 et 3 : *Nolite confidere in principibus : in filiis hominum, in quibus non est salus.* « *Nec solvere poterit a vobis vinculum,* » o duæ tribus. Isa. xxx, 5 : *Omnes confusi sunt super populo, qui eis prodesse non potuit : non fuerunt in auxilium et in aliquam utilitatem, sed in confusionem et in opprobrium.*

Et subdit de judicii severitate :

« *Quoniam ego quasi leæna Ephraim,* » 14
supple, ero conterens ossa ejus. Isa. xxxviii, 13 : *Quasi leo sic contrivit omnia ossa mea.* « *Et quasi catulus leonis,* » supple, ero, « *domui Juda,* » hoc est, duabus tribubus, vel Laicis et Clericis moraliter. Catulus leonis propter incrementum quo indiget, sævior est ad cibum quam leo. Isa. xxxi, 4 : *Quomodo si rugiat leo, et catulus leonis super prædam suam, et cum occurrerit ei multitudo pastorum, a voce eorum non formidabit, et a multitudine eorum non pavebit : sic descendet Dominus exercituum ut prœlietur.*

Et de victoria subdit : « *Ego capiam,* » hoc est, capi faciam. Exod. xv, 9 : *Persequar et comprehendam.* « *Et vadam,* » Glossa : « Cum hostibus, ut in ipsa captivitate me præsentem et ultorem sentiant. » « *Tollam,* » hoc est, auferam eos de terra sua, « *et non est qui eruat,* » supple, de manu mea. Isa. v, 29 : *Rugitus ejus ut leonis, rugiet ut catuli leonum : et frendet, et tenebit prædam : et amplexabitur, et non erit qui eruat.*

Deuter. xxxii, 39 : *Et non est qui de manu mea possit eruere.*

15 « *Vadens revertar.* » Tangit hic qualiter istud efficiat : hoc enim facit totum per gratiæ subtractionem.

« *Vadens* » hoc est, ab ipsis recedens, « *revertar ad locum meum.* » Exit Dominus cum se effundit in beneficiis : ad locum autem majestatis suæ revertitur, quando intra occultum sui judicii continet beneficia. Isa. xviii, 4 : *Quiescam, et considerabo in loco meo, sicut meridiana ux clara est.* « *Donec deficiatis.* » Qui enim sine Deo est, deficit. Joan. xv, 6 : *Si quis in me non manserit, mittetur foras sicut palmes, et arescet.* Dicit autem, *deficiatis*, viribus scilicet, rebus, et auxiliis. « *Et quæratis faciem meam,* » defectu scilicet compellente. Matth. xxiii, 39 : *Non me videbitis amodo, donec dicatis : Benedictus, qui venit in nomine Domini.* Daniel. iii, 41 et 42 : *Nunc sequimur te in toto corde, et timemus te, et quærimus faciem tuam. Ne confundas nos.* Glossa inducit illud Psalmistæ, Psal. lxxix, 4, 8, 20 : *Ostende*, nobis scilicet, *faciem tuam, et salvi erimus.*

CAPUT VI.

Reversi in tribulatione ad Dominum, magna fiducia salutem sibi ab eo promittunt : expostulat Dominus cum Israel et Juda, quod neque beneficiis, neque prophetarum comminationibus ab idolatria aliisque iniquitatibus sint revocati, cum præferat misericordiam sacrificio.

1. In tribulatione sua mane consurgent ad me : Venite, et revertamur ad Dominum,
2. Quia ipse cepit, et sanabit nos : percutiet, et curabit nos.
3. Vivificabit nos post duos dies [1] : in die tertia suscitabit nos, et vivemus in conspectu ejus. Sciemus, sequemurque ut cognoscamus Dominum. Quasi diluculum præparatus est egressus ejus, et veniet quasi imber nobis temporaneus et serotinus terræ.
4. Quid faciam tibi, Ephraim ? quid faciam tibi, Juda ? misericordia vestra quasi nubes matutina, et quasi ros mane pertransiens.
5. Propter hoc dolavi in prophetis, occidi eos in verbis oris mei ; et judicia tua quasi lux egredientur.
6. Quia misericordiam volui, et non sacrificium [2] : et scientiam Dei plus quam holocausta.
7. Ipsi autem sicut Adam transgressi sunt pactum : ibi prævaricati in me.
8. Galaad civitas operantium idolum, supplantata sanguine.
9. Et quasi fauces virorum latronum, particeps sacerdotum, in via interficientium pergentes de Sichem : quia scelus operati sunt.
10. In domo Israel vidi horrendum :

[1] I ad Corinth. xv, 4-6.

[2] I Reg. xv, 22 ; Eccli. iv, 17 ; Matth. ix, 13, et xii, 7.

ibi fornicationes Ephraim, contaminatus est Israel.
11. Sed et Juda, pone messem tibi, cum convertero captivitatem populi mei.

IN CAPUT VI OSEE

ENARRATIO.

« *In tribulatione sua.* » Tangit hic coactam et tardam ad Dominum conversionem, et dividitur in duo. Primo enim dicit, qualiter revertitur populus ad Dominum. Secundo, qualiter respondet Dominus, ibi, ℣. 4: « *Quid faciam tibi, Ephraim?* »

In prima tria sunt, scilicet coacta conversio : unius ab altero vocatio ibi, « *Venite et revertamur.* » Parata a Deo receptio, ibi, « *Quasi diluculum.* »

1 « *In tribulatione sua* » a qua scilicet liberari non possunt per alium nisi per me : quæ *sua* dicitur, quia peccatis meruerunt. « *Mane consurgent,* » hoc est, mane et velociter, « *ad me.* » Dixerat enim quod tribulatione deficientes sic quærerent faciem ejus, et ideo nunc dicit qualiter tribulati veniunt per coactionem. Isa. xxvi, 16: *Domine, in angustia requisierunt te, in tribulatione murmuris doctrina tua eis.* Isa. xxviii, 19 : *Tantummodo sola vexatio intellectum dabit auditui.* Quod autem tunc *mane* veniant, habetur, Isa. xxvi, 9*: Anima mea desideravit te in nocte: sed et spiritu meo in præcordiis meis de mane vigilabo ad te.* Psal. lxii, 2 : *Deus, Deus meus, ad te de luce vigilo. Ad me* autem dicit, quia in aliis diis auxilium non inveniunt. Deuter. xxxii, 37 et seq.: *Et dicet*: *Ubi sunt dii eorum, in quibus habebant fiduciam ? de quorum victimis comedebant adipes, et bibebant vinum libaminum : surgant, et opitulentur vobis, et in necessitate vos protegant. Videte quod ego sim solus, et non sit alius Deus præter me.* Psal. x sec. Hebræos, 14 : *Tibi derelictus est pauper.* Et secundum aliam translationem : *Tu laborem et dolorem consideras.*

Et subdit de adhortatione eorum ad invicem, et est vox bonorum alios vocantium ad pœnitentiam.

« *Venite,* » devotione scilicet cordis, « *et revertamur,* » supple, per pœnitentiam « *ad Dominum,* » a quo scilicet per inobedientiam aversi sumus. Isa. xlvi, 8 : *Redite, prævaricatores, ad cor.* Cantic. vi, 12 : *Revertere, revertere :* revertere a tentatione, revertere a consensus voluntate, revertere ab actione, revertere tandem a peccati delectatione, ne ducat in consuetudinem. Hoc signatum est IV Reg. xix, 16 et seq., ubi Ezechias misit nuntios qui revocarent populum ad Dominum Deum patrum suorum.

Subjungit autem rationem quare re- 2
vertendum sit : « *Quia ipse,* » scilicet Deus, « *cepit,* » hoc est, captivari fecit per Nabuchodonosor, « *et sanabit nos* » a captivitate sive ab infirmitate captivitatis. Job, v, 18 : *Ipse vulnerat, et medetur : percutit, et manus ejus sanabunt.* « *Percutiet, et curabit nos.* » Percutit enim pater, et curat : hostis percutit, et interficit. Deuter. xxxii, 39 : *Ego occidam, et ego vivere faciam : percutiam, et ego sanabo.* In signum hujus nullum tetigit Dominus Jesus Christus, nisi sanaret eum. Vel, melius exponitur allegorice : « *Ipse cepit,* » hoc est, accepit nos per Incarnationem. Ad Hebr. ii, 16 : *Nusquam Angelos apprehendit, sed semen Abrahæ apprehendit :* « *et sanabit nos,* » scilicet ab errore per veritatem doctrinæ : a peccato autem per

infusionem gratiæ per sacramentum. Et attende quod dicit Haymo, quod « cepit nos, sicut servum fugitivum, a « luce ad tenebras fugientem. » In signum hujus dicit, « cum Dominus sta« ret in cruce, quod faciem habuit con« versam ad Occidentem, quasi respi« ceret post servum fugientem. » Job, x, 16 : *Propter superbiam quasi leænam capies me.* De curatione dicitur in Psal. cvi, 20 : *Misit verbum suum, et sanavit eos : et eripuit eos de interitionibus eorum.* « *Percutiet, et curabit nos.* » Miles percutitur, quando scutum percutitur, ita Pater percussit nos quando Filium percussit pro nobis. Isa. liii, 8 : *Propter scelus populi mei percussi eum.* Unde vadens ad Passionem, dixit discipulis illud Zachar. xiii, 7 : *Percute pastorem, et dispergentur oves* [1]. « *Et curabit nos,* » unguento scilicet sacramentorum suorum. Septuaginta : « Curabit nos linteolis. » Hieronymus : « Linteola inferuntur vulneribus, ut pu« tridas carnes comedant, et extrahant « purulentias. » Et intendit de his quæ medici *tentas* vocant, quæ de lino factæ usque ad profundum vulnerum immittuntur, ut vulnus a fundo sanetur. Eccli. xxxviii, 7 : *In his curans mitigabit dolorem, et unguentarius faciet pigmenta suavitatis, et unctiones conficiet sanitatis.*

3 Et ad hoc allegant amplius de spe beneficiorum Dei.

« *Vivificabit nos post duos dies,* » quibus scilicet in sepulcro jacebit. Jacuit autem partem Parasceves cum nocte sequenti : pars autem diei, dies est. Jacuit sabbatum cum nocte sequenti, et in aurora tertii diei surrexit ; et sic noctem Parasceves in lucem sabbati continuavit : noctem autem sabbati in lucem sequentis diei produxit. Unde Matth. xxviii, 1 : *Vespere sabbati, quæ lucescit in prima sabbati.* Tunc enim surrexit, et hoc signat, ut dicit Augustinus, quod « sua « luminosa morte quæ per sabbatum si« gnatur, duas mortes nostras obscuras « ad lucem terminavit. » Nox enim Parasceves terminata ad sabbatum, noctem peccati terminatam signat ad lucem gratiæ. Psal. cxxxviii, 11 et 12 : *Nox illuminatio mea in deliciis meis. Quia tenebræ non obscurabuntur a te, et nox sicut dies illuminabitur.* Eccli. xxiv, 45 : *Penetrabo omnes inferiores partes terræ, et inspiciam omnes dormientes, et illuminabo omnes sperantes in Domino.* « *In die tertia suscitabit nos,* » per suam scilicet resurrectionem, quæ causa est nostræ resurrectionis. Isa. lviii, 8 : *Tunc erumpet quasi mane lumen tuum, et sanitas tua citius orietur.* Et paulo post, ℣. 10 : *Orietur in tenebris lux tua, et tenebræ tuæ erunt sicut meridies.* Fulgentius dicit « tres dies esse « tres ortus solis. » Primus ortus est de cœlo, de sinu scilicet Patris, lux de luce, lumen de lumine, Eccli. xxiv, 6 : *Ego feci in cœlis ut oriretur lumen indeficiens.* Psal. cix, 3 : *In splendoribus sanctorum, ex utero ante luciferum genui te.* Secundus ortus est in utero virginali, Psal. xviii, 6 : *In sole posuit tabernaculum suum : et ipse tamquam sponsus procedens de thalamo suo.* Tertius est de corde terræ sive de sepulcro, II Machab. i, 22 : *Tempus affuit, quo sol refulsit, qui prius erat in nubilo.* De omnibus istis ortibus simul, Malach. iv, 2 : *Orietur vobis timentibus nomen meum Sol justitiæ, et sanitas in pennis ejus.* Hieronymus dicit, quod « primus dies est « humilis Salvatoris adventus : secun« dus, cum ab omnibus in gloria videbi« tur in carne : tertius, quando peracto « judicio ampliorem gloriam suæ claritatis « electis monstrabit. » Dicit hoc significari, Gen. xxii, 4, ubi Abraham inmo-

[1] Cf. Matth. xxvi, 32 : *Percutiam pastorem, et dispergentur oves gregis.* Cf. etiam Marc. xiv, 27, et Joan. xvi, 32.

laturus filium, tertio die ad montem visionis devenit. Judæi dicunt, quod secundus dies est adventus sui Messiæ : tertius autem lex justitiæ qua liberandi sunt a captivitate. Sed quia primum invenire non possunt, etiam secundum et tertium perdiderunt : quia secundus et tertius respectu primi dicuntur. Psal CXVIII, 85 : *Narraverunt mihi iniqui fabulationes : sed non ut lex tua.* « *Et vivemus in conspectu ejus.* » In lumine enim conspectus Dei vita est, extra conspectum Dei in tenebris mors est. Joan. I, 4 : *In ipso vita erat, et vita erat lux hominum.* « *Sciemus,* » per approbationem scilicet, et per experimentum notitiam Dei habebimus. Jerem. XVI, 21 : *Ostendam eis manum meam et virtutem meam : et scient quia nomen mihi Dominus.* « *Sequemurque,* » per operis scilicet imitationem. Job, XXIII, 11 : *Vestigia ejus secutus est pes meus, viam ejus custodivi.* « *Ut cognoscamus,* » futura scilicet perfecta comprehensione, « *Dominum.* » I ad Corinth. XIII, 9 et 10 : *Ex parte cognoscimus, et ex parte prophetamus. Cum autem venerit quod perfectum est, evacuabitur quod ex parte est.* Glossa inducit illud Joan. XVII, 3 : *Hæc est vita æterna, ut cognoscant te, solum Deum verum, et quem misisti Jesum Christum.*

Et subinferunt quam pius est in recipiendo.

« *Quasi diluculum præparatus est egressus ejus.* » Egressus diluculi est a tenebris proficiendo ad plenam lucem. Et sic egreditur Deus in beneficiis, liberando hominem a tenebris, et in plenam lucem deducendo consolationis. Et dicit quod *est præparatus,* hoc est semper paratus, sicut pius pater filium longe venientem suscepit[1]. Jerem. III, 1 : *Revertere ad me, dicit Dominus, et ego suscipiam te.* Cantic. VI, 9 : *Quæ est ista, quæ progreditur quasi aurora consurgens?*

Et subjungunt de utilitate adventus ejus : « *Et veniet quasi imber nobis temporaneus.* » Deut. XXXII, 2 : *Quasi imber super herbam, et quasi stillæ super gramina. Temporaneus* autem dicit imber, qui in vere descendit ad seminum pullulationem et augmentationem. « *Et serotinus terræ.* » *Serotinus* imber est autumnalis, qui grana intumescere facit, et ad quantitatem debitam deducit. Signant autem istæ duæ pluviæ gratiam prævenientem, et gratiam subsequentem. Per prævenientem enim informat voluntatem ut bene velit, per subsequentem coadjuvat voluntatem, ne frustra velit bene, sed exerceat se in operibus virtutum et meritorum. Jerem. V, 24 : *Metuamus Dominum Deum nostrum, qui dat nobis pluviam temporaneam et serotinam in tempore suo, plenitudinem annuæ messis custodientem nobis.* Psal. LXVII, 10 : *Pluviam voluntariam segregabis, Deus, hæreditati tuæ.*

Gratia præveniens et gratia subsequens

4 « *Quid faciam tibi, Ephraim ?* » Tangit hic responsionem Domini, et dicit duo. Primo, quod non in ipso Patre manet misericordiæ receptio. Secundo, quod hoc est ex populo, qui peccatis impedivit Domini misericordiam, ibi, ℣. 7 : « *Ipsi autem sicut Adam.* »

In primo tria dicit, scilicet se omnia fecisse quæ debuit, Prophetas misisse qui monerent, et veram conversionem semper libenter acceptasse.

« *Quid faciam tibi, Ephraim ?* » hoc est, regnum decem tribuum, quod scilicet non feci. Quid restat de faciendis? Et, « *quid faciam tibi Juda,* » hoc est, regnum duarum tribuum ? In pœnis quidem fecit omne quod potuit ad correctionem. Isa. I, 5 et 6 : *Super quo percutiam vos ultra, addentes prævaricationem ? omne caput languidum, et omne cor mœrens. A planta pedis usque*

[1] Luc. XV, 30 : *Cum adhuc longe esset, vidit illum pater ipsius, et misericordia motus est, et accurrens cecidit super collum ejus, et osculatus est eum.*

ad verticem, non est in eo sanitas. In beneficiis fecit plusquam debuit. Mich. vi, 3: *Popule meus, quid feci tibi, aut quid molestus fui tibi? Responde mihi.* Et ex quo nec pœnis es correctus, nec beneficiis attractus, dicam, Isa. v, 4: *Quid est quod debui ultra facere vineæ meæ, et non feci ei?* Non est ergo ex me, supple, sed ex vobis. « *Misericordia vestra,* » hoc est, quam a me petitis, « *quasi nubes matutina,* » supple, est. *Nubes matutina* modico calore auroræ elevatur, et statim orto sole ardore solis consumitur: et signat refrigerium captivitatis quod modica devotione, et potius coacti quam ex charitate petierunt, quod statim ardore concupiscentiæ, et luce temporalis prosperitatis dissipatum est. Jacob. iv, 15: *Quæ est vita vestra? Vapor est ad modicum parens, et deinceps exterminabitur.* « *Et quasi ros mane pertransiens.* » *Ros* cum mane elevatur, statim sole orto exsiccatur, et sic per modicam tentationem devotio ab instabili et ingrato corde aufertur. Jacob. i, 8: *Vir duplex animo inconstans est in omnibus viis suis.* Bernardus: « Ingratitu-« do est ventus urens, exsiccans fontem « pietatis et rorem misericordiæ. »

5 « *Propter hoc dolavi in prophetis.* » Et ne dicatur quod non commoverim eos: propter hoc ut converterentur, « *dolavi eos in prophetis,* » hoc est, in verbis Prophetarum. Glossa: « *Dolare* fa-« brorum est, cum materiarum plana-« tur asperitas. » In dolatione autem pars a parte præciditur, ut id quod ponendum est in ædificio, planetur. Propter quod dicitur, I ad Corinth. iii, 9: *Dei ædificatio estis.* Ad Ephes. ii, 21: *In quo omnis ædificatio constructa crescit in templum sanctum in Domino.* « *Occidi eos in verbis oris mei,* » hoc est, verba occisionis in eos protuli, vel falsos Prophetas occidi, sicut III Reg. xviii, 40, Elias occidit quadringintos et quinquaginta prophetas Baal, ne populo essent in scandalum: et IV Reg x, 25, Jehu innumerabilem multitudinem occidit prophetarum Baal. Isa. xi, 4: *Spiritu labiorum suorum interficiet impium.* Et, supple, ideo, « *Judicia tua,* » quibus scilicet retribuit tibi secundum merita, « *quasi lux egredientur,* » nusquam scilicet obscurata: quia nec personam accipio, nec munera, nec iniquitatem dissimulo. Proverb. iv, 18: *Justorum semita, quasi lux splendens, procedit et crescit usque ad perfectum diem.*

In quo autem sint sicut lux, ostendit. 6
« *Quia misericordiam volui,* » quam scilicet proximo faceres et tibi ipsi, « *et non sacrificium,* » supple, sine misericordia. Vos autem (sicut in præcedenti capitulo dictum est) venistis quærere me in gregibus et armentis ad quærendam faciem meam, deserta scilicet misericordia. « *Et scientiam Dei,* » supple, volui ex intentione, « *plus quam holocausta.* » Scientiam colendi Deum et serviendi sibi. Unde Apostolus, I ad Timoth. iv, 8: *Pietas ad omnia utilis est, promissionem habens vitæ, quæ nunc est, et futuræ.* Psal. xxxix, 7: *Holocaustum et pro peccato non postulasti.* Mich. vi, 6, quærit populus: *Quid dignum offeram Domino?... numquid offeram ei holocautomata, et vitulos anniculos?* Et post pauca, ℣. 8, respondit: *Indicabo tibi, o homo, quid sit bonum, et quid Dominus requirat a te: Utique facere judicium, et diligere misericordiam, et sollicitum ambulare cum Deo tuo.* In me ergo non remanet misericordia, sed in populo.

« *Ipsi autem.* » Dicit hic duo, scilicet 7
punitionem Ephraim, et punitionem Juda, ibi, ℣. 11: « *Sed et Juda.* »

In primo tria dicit, scilicet, transgressionem. Secundo, in quo transgressi

sunt, ibi, « *Galaad civitas* : » et tertio, transgressionis generalitatem, ibi, « *In domo Israel.* »

« *Ipsi autem,* » cum ego intenderem corrigere eos, « *sicut Adam,* » supple, transgressus est in paradiso, « *transgressi sunt pactum,* » supple, legis meæ. Isa. xxiv, 5 : *Transgressi sunt leges, mutaverunt jus, dissipaverunt fœdus sempiternum.* « *Ibi,* » in parentibus scilicet in paradiso, et in transgressione « *prævaricati sunt in me,* » hoc est, contra me. Isa. xliii, 27 : *Pater tuus primus peccavit, et interpretes tui prævaricati sunt in me.*

In quo autem peccato et ubi, subjun-
8 git, et tangit quatuor peccata in singulari, et in communi subjungit peccatores esse : et hoc est, supple, quia

« *Galaad civitas operantium idolum,* » supple, est. Galaad civitas est in tribu Gad ultra Jordanem, quæ fuit civitas refugii ultra Jordanem, et ideo fuit de possessione Sacerdotum, sicut dicitur Josue, xiv, 3 et 4[1]. Erat etiam in latere montis, in quo Laban comprehendit Jacob, et fecerunt acervum testimonii, propter quod etiam Galaad dicitur, quod *acervus testimonii* interpretatur[2]. Et quia in latere montis erat, propter hoc Ramoth Galaad dicitur, hoc est, excelsa Galaad. Ex Patriarcha ergo habuit religionem, ex refugio immunitatem, ex possessore summo Sacerdote auctoritatem, et propter ista omnia posuerunt ibi idola, ut ex loci veneratione facilius inclinarent populum ad idololatriam. Sap. xiv, 8 : *Per manus quod fit idolum, maledictum est et ipsum, et qui fecit illud.* Hoc ergo est unum peccatum. Secundum est, « *supplantata sanguine,* » hoc est, reatu sanguinis innocenter effusi. Isa. i, 21 : *Justitia habitavit in ea, nunc autem homicidæ.*

Et subjungit tertium : « *Et quasi fau- 9
ces virorum latronum,* » hoc est, qui viriliter latrocinia exercent. Erat enim civitas inter desertum et Jordanem posita, et erat receptaculum latronum spoliantium eos et interficientium, qui vel de deserto transmisso Jordane venerunt in Jerusalem, vel de Jerusalem transito Jordane voluerunt ire per desertum. Glossa tamen legit moraliter, quia incautos sicut latrones malo exemplo interfecerunt. Jerem. vii, 10 : *Numquid spelunca latronum facta est domus ista, in qua invocatum est nomen meum?* Matth. xxi, 13 : *Vos fecistis illam,* scilicet domum meam, *speluncam latronum.* Psal. xlix, 18 : *Si videbas furem, currebas cum eo.*

Et subjungit de quarto peccato : « *Particeps sacerdotum.* » Attende quod Galaaditæ domi erant vespillones, vi vias et viatores spoliantes, et insuper erant participes et socii Sacerdotum cis Jordanem de Samaria, qui posuerunt in Sichem custodes, ut qui venirent de decem tribubus in Jerusalem per Sichem, per quam erat transitus, spoliarentur ab eis et interficerentur, ne venirent ad templum Domini. Isa. i, 23 : *Principes tui infideles, socii furum.* « *In via interficientium pergentes de Sichem.* » Psal. cxli, 4 : *In via hac, qua ambulabam, absconderunt laqueum mihi.*

In communi autem subjungit : « *Quia scelus operati sunt,* » hoc est, opere perfecerunt. Isa. i, 4 : *Væ genti peccatrici, populo gravi iniquitate, semini nequam, filiis sceleratis !*

Et subjungit de generalitate : 10

« *In domo Israel,* » hoc est, in familia tota Israel decem tribuum, « *vidi horrendum,* » facinus scilicet. Quod autem illud sit, subdit, ibi, « *Fornicationes Ephraim,* » hoc est, fornicationes inventæ a rege Jeroboam, qui fuit de tribu Ephraim, diffusæ sunt in totam do-

[1] Cf. etiam Josue, xiii, 31 et seq.

[2] Cf. Genes. xxxi, 45 et seq.

mum Israel. Sap. XIV, 12 : *Initium fornicationis est exquisitio idolorum : et adinventio illorum corruptio vitæ est :* supple, et ideo « *contaminatus est Israel*, contaminatione scilicet corruptionis idololatriæ. Malach. II, 11 et 12 : *Contaminavit Judas sanctificationem Domini, quam dilexit, et habuit filiam dei alieni. Disperdet Dominus virum qui fecerit hoc, magistrum et discipulum de tabernaculo Jacob.*

11 Et subdit, quod pro simili peccato duæ tribus captivabantur.

« *Sed et Juda*, » qui etiam particeps es idolorum, « *pone*, » vel para « *messem tibi*, » hoc est, para te, ut messione colligaris et abscindaris. Apocal. XIV, 15 : *Mitte falcem tuam, et mete, quia venit hora ut metatur, quoniam aruit messis terræ.* « *Cum convertero captivitatem populi mei :* » ecliptica est oratio. Hieronymus supplet eam sic : « Quasi Chaldæi te metent, sed inde te « reducam, quod erit sub Cyro, et Da- « rio, et Artaxerxe, cum convertero cap- « tivitatem populi mei. » De hac conversione non fit promissio decem tribubus, quæ perpetua captivitate tenentur. Psal. CXXV, 1 : *In convertendo Dominus captivitatem Sion : facti sumus sicut consolati.*

CAPUT VII.

Cum sanaturus esset Dominus Israel, obstiterunt iniquitates eorum : consentientes enim regum suorum malitiæ, omnes in idololatriam vehementer exarserunt : Dominoque relicto, conversi ad Ægypti auxilium, translati sunt in Assyrios.

1. Cum sanare vellem Israel, revelata est iniquitas Ephraim, et malitia Samariæ, quia operati sunt mendacium : et fur ingressus est spolians, latrunculus foris.
2. Et ne forte dicant in cordibus suis, omnem malitiam eorum me recordatum : nunc circumdederunt eos adinventiones suæ, coram facie mea factæ sunt.
3. In malitia sua lætificaverunt regem, et in mendaciis suis principes.
4. Omnes adulterantes, quasi clibanus succensus a coquente : quievit paululum civitas a commistione fermenti, donec fermentaretur totum.
5. Dies regis nostri : cœperunt principes furere a vino : extendit manum suam cum illusoribus.
6. Quia applicuerunt quasi clibanum cor suum, cum insidiaretur eis : tota nocte dormivit coquens eos, mane ipse succensus quasi ignis flammæ.
7. Omnes calefacti sunt quasi clibanus, et devoraverunt judices suos : omnes reges eorum ceciderunt : non est qui clamet in eis ad me.
8. Ephraim in populis ipse commiscebatur : Ephraim factus est subcinericius panis, qui non reversatur.
9. Comederunt alieni robur ejus, et ipse nescivit : sed et cani effusi

sunt in eo, et ipse ignoravit.

10. Et humiliabitur superbia Israel in facie ejus : nec reversi sunt ad Dominum Deum suum, et non quæsierunt eum in omnibus his.

11. Et factus est Ephraim quasi columba seducta non habens cor. Ægyptum invocabant : ad Assyrios abierunt.

12. Et cum profecti fuerint, expandam super eos rete meum : quasi volucrem cœli detraham eos, cædam eos secundum auditionem cœtus eorum.

13. Væ eis, quoniam recesserunt a me! vastabuntur, quia prævaricati sunt in me : et ego redemi eos, et ipsi locuti sunt contra me mendacia.

14. Et non clamaverunt ad me in corde suo, sed ululabant in cubilibus suis : super triticum et vinum ruminabant, recesserunt a me.

15. Et ego erudivi eos, et confortavi brachia eorum, et in me cogitaverunt malitiam.

16. Reversi sunt ut essent absque jugo : facti sunt quasi arcus dolosus : cadent in gladio principes eorum, a furore linguæ suæ. Ista subsannatio eorum in terra Ægypti.

IN CAPUT VII OSEE

ENARRATIO.

« *Cum sanare vellem Israel.* » Hic secundum divisionem superius inductam tangit qualiter populus inductus est in peccatum idololatriæ. Et dividitur in partes duas : in quarum prima determinat inductionem jam dictam : in secunda pertinaciam in peccato inducto exaggerat, ibi, ℣. 8 : « *Ephraim in populis.* »

In prima quinque sunt paragraphi, in quorum primo ostendit Dominus bonam voluntatem ad sanandum peccatorem. In secundo, quod insidiose inductus est in peccatum, ibi, « *Et fur ingressus.* » In tertio, ut melius intelligatur, ostendit hoc per simile, ibi, « *Omnes adulterantes.* » In quarto, lætitiam exsultantium in peccato, ibi, « *Dies regis nostri.* » In quinto describit qualiter corrupti sunt et quam generaliter, ibi, « *Omnes calefacti sunt.* »

Dicit ergo : « *Cum sanare vellem,* » hoc est, intenderem « *sanare Israel,* » hoc est, decem tribus, supple, ab idololatria vituli. Apim enim in figura vituli venerati sunt in Ægypto, et ideo vitulum fecerunt ante montem[1] : quod peccatum irridens Psalmista in Psal. cv, 20 : *Mutaverunt* (inquit) *gloriam suam in similitudinem vituli comedentis fœnum.* Cum, inquam, peccatum vellem sanare, quod ostendi educendo populum de Ægypto, et conterendo idolum, et interficiendo peccatores coram monte, et constituendo templum Jerosolymis, et constituendo Reges et Sacerdotes qui in veneratione mea continerent populum, tunc, inquam, objiciens se mihi ad illam voluntatem perficiendam, « *revelata est,* » id est, apparuit « *iniquitas Ephraim,* » hoc est, quam invenit Jeroboam, qui fuit de tribu Ephraim, sicut dicitur III Regum, xII, 25 et seq. *Iniquitas* enim dicitur positio vituli in

1 Cf. Exod. xxxII, 4, et seq.

Bethel : « *et* » supple, revelata est « *malitia Samariæ,* » subjecti scilicet populi consentientis in peccato : et bene dico, quod revelata est, « *quia operati sunt,* » publice scilicet, « *mendacium.* » Si enim « omne quod contrariatur veri- « tati mendacium est, » ut dicit Hieronymus, idololatria primo mendacium est, quia contrariatur primæ veritati : nihilominus tunc mentiti sunt clamantes coram idolo, Exod. XXXII, 8 : *Isti sunt dii tui, Israel, qui te eduxerunt de terra Ægypti.* Hoc refertur ad malos Prælatos qui malo exemplo inducunt populum ad peccatum. Gregorius in *Pastorali* : « Ne- « mo quippe in Ecclesia magis nocet, « quam qui male vivens culmen regimi- « nis accipit. Hunc quippe delinquentem « arguere nemo præsumit, et in exem- « plum culpa vehementer extenditur, « quando pro reverentia gradus peccator « honoratur, fitque ut cum pastor per « abrupta graditur, per præcipitium grex « sequatur. » Hoc signatum est II Machab. IV, 10, ubi dicitur, quod cum impiissimus Jason obtinuisset principatum, *statim ad gentilem ritum contribules suos transferre cœpit.* Et tunc populus Samariæ qui custodiri debebat, operatur mendacium, hoc est, peccatum. De talibus, Osee, V, 1, dicitur : *Laqueus facti estis speculationi, et rete expansum super Thabor.* Peccatum autem mendacium est, sicut dicitur in Psal. IV, 3 : *Ut quid diligitis vanitatem, et quæritis mendacium?* Promittit enim delectationem quam non exhibet, Isa. XXVIII, 15 : *Posuimus mendacium spem nostram, et mendacio protecti sumus.* Hoc enim dicit *malitiam,* quia non ex ignorantia, nec ex infirmitate procedit, sed ex affectato malo. Matth. XII, 35 : *Malus homo de malo thesauro,* scilicet cordis sui, *profert mala.* Matth. VII, 18 : *Non potest arbor mala bonos fructus facere.*

Peccatum est mendacium.

« *Et fur ingressus est.* » Secundus paragraphus, in quo ostendit qualiter astutia serpentina inductus est populus ad peccatum.

« *Et fur ingressus est spolians,* » hoc est, Jeroboam ut fur paulatim ingressus est in corda hominum, attrahendo scilicet sibi assensum majorum primo, postea minorum, prætendens quod ab oppressione Roboam vellet liberare populum, et quod non intenderet populum a Deo separare, et sic in furno, id est, nigro, venit, hoc est, in occulto tenebrarum. Dicit enim Labeo, quod « *fur* est « qui in furno, id est, in tenebroso, hoc « est, clam accipit. » Et Aristoteles in sexto *Topicorum* : « Fur est qui clam « vult furari. » Isa. I, 23 : *Principes tui infideles, socii furum.* « *Latrunculus foris,* » supple, egressus est. Hieronymus : « *Latro* est qui vi et aperte rapit, » et ita fecit Jeroboam. Postquam enim occulte induxerat alios, violenter compulit : pergentes enim in Jerusalem interfici fecit. Jerem. III, 2 : *In viis sedebas, exspectans eos quasi latro.* Ita, « diabolus « primo venit ut fur per suggestionem, « ut dicit Gregorius, dum aut insidiando « circumvolat, aut promittendo decipit, « aut suadendo blanditur : postea venit « ut latro, dum aut minando terret, aut « opprimendo rapit, aut desperando fran- « git. » Propter hoc dicitur, Matth. VI, 20 : *Thesaurizate vobis thesauros in cœlo,... ubi fures non effodiunt, nec furantur.* Malus etiam Prælatus in ingressu fur est, sed in potestate constitutus, spoliat ut latro : quæ duo conjungit Dominus, Joan. X, 10 : *Fur non venit nisi ut furetur,* ecce primum, *et mactet, et perdat,* ecce secundum.

Malus prælatus fur et latro.

« *Et ne forte dicant in cordibus suis,* » murmurantes contra justitiam meam scilicet. Psal. XIII, 1 : *Dixit insipiens in corde suo : Non est Deus.* Ezech. XVIII, 25 : *Non est æqua via Domini* : « *Omnem malitiam eorum me recordatum* » esse, avitam et paternam. Dixerunt enim, Ezech. XVIII, 2 : 2

Patres comederunt uvam acerbam, et dentes filiorum obstupescunt, intendentes quod pro peccato antiquo paterno Deus puniret eos, ideo respondet : « *Nunc* » hoc est, in præsenti, « *circumdederunt eos,* » undique scilicet concludendo, « *adinventiones suæ,* » hoc est, nova peccata præteritis addita. Ad Roman. I, 30 : *Inventores malorum, parentibus non obedientes.* In malitia enim excesserunt eos patres, et ne inficientur, subdit : « *Coram facie mea factæ sunt.* » Isa. III, 8 : *Lingua eorum et adinventiones eorum contra Dominum, ut provocarent oculos majestatis ejus.*

3 Et hoc ostendit per sequens : Et, supple, quia « *In malitia sua,* » hoc est, in consensu malitiæ, « *lætificaverunt regem,* » vel malum Prælatum. Malus enim Prælatus lætatur de peccato subditorum, ut semper habeat occasionem accipiendi, et ne sibi improperetur. Proverb. II, 14 : *Lætantur cum male fecerint, et exsultant in rebus pessimis.* « *Et in mendaciis suis principes,* » supple, lætificaverunt. Principes vocat inferiores ad consensum regis inclinantes, et Prælatos inferiores qui gaudent de peccato populi. Isa. LIX, 13 : *Locuti sumus de corde verba mendacii.* Et paulo ante, ℣℣. 12 et 13 : *Iniquitates nostras cognovimus, peccare et mentiri contra Dominum : et aversi sumus ne iremus post tergum Dei nostri.*

4 « *Omnes adulterantes.* » Tertius paragraphus, in quo ostendit per simile qualiter inductus est populus in peccatum, et hoc est : « *Omnes adulterantes* » spiritualiter vel corporaliter, supple, sunt per similitudinem, » *quasi clibanus succensus a coquente,* » ita quod cor sit ut clibanus, suggestio injecta sit quasi ignis, coquens autem sicut Jeroboam vel diabolus. Fornax quidem signatur per fornacem Babylonis[1]. Ignis est, de quo Job, XXXI, 12 : *Ignis est usque ad perditionem devorans, et omnia eradicans genimima.* Iste est ignis alienus quem filii Aaron obtulerunt in conspectu Domini, et eodem consumpti et mortui sunt coram Domino[2]. Isa. L, 11 : *Ecce vos omnes accendentes ignem, accincti flammis, ambulate in lumine ignis vestri, et in flammis quas succendistis,* vobis scilicet. Psal. XX, 10 : *Pones eos ut clibanum ignis in tempore vultus tui.* Thren. V, 10 : *Pellis nostra quasi clibanus exusta est.*

Quomodo autem hoc factum sit, subjungit sub alia metaphora, et debet suppleri, quia « *Quievit paululum civitas,* » Samaria scilicet, quæ populum signat, quiescere autem vocat dissimulare, « *a commistione fermenti,* » hoc est, persuasæ corruptionis, ne scilicet statim in principio reciperet eam ad publicam venerationem idolorum, « *donec fermentaretur totum,* » hoc est, donec omnes corrupti sunt, et uno consensu venerationem idoli susceperunt. Et sic etiam inducitur peccatum in populum. I ad Corinth. V, 6 et 7 : *Nescitis quia modicum fermentum totam massam corrumpit ? Exspurgate vetus fermentum, ut sitis nova conspersio.* Matth. XVI, 6 : *Intuemini, et cavete a fermento Pharisæorum, et Sadducæorum.* Fermentum Pharisæorum est hypocrisis, Sadducæorum heresis. Marc. VIII, 15 : *Videte, et cavete a fermento Pharisæorum, et a fermento Herodis.* Fermentum Herodis est superbia, quia Herodes interpretatur *glorians in pellibus.* Exod. XII, 15, præcipitur, quod cum Pascha celebratur, nihil fermentati remaneat in domibus Pascha celebrantium[3].

[1] Cf. Daniel. III, 19.

[2] Cf. Levit. X, 1 et 2.

[3] Exod. XII, 15 : *Septem diebus azyma comedetis : in die primo non erit fermentum in domibus vestris : quicumque comederit fermentatum, peribit anima illa de Israel, a primo die usque ad diem septimum.*

5 « *Dies regis nostri.* » Quartus paragraphus, in quo ostendit in quanta lætitia postquam corrupti sunt, idololatriam susceperunt.

« *Dies regis nostri.* » Hoc enim clamaverunt in honorem regis et idoli, et est sensus : Dies ista tam celebris et tam solemnis est quam indixit nobis rex noster, sicut Ovidius in *Fastis* :

Salve, festa dies, toto venerabilis ævo.

Psal. LXXIII, 8 : *Dixerunt in corde suo cognatio eorum simul* : *Quiescere faciamus omnes dies festos Dei a terra.* Sicut etiam mali subditi acclamant malis Prælatis et celebrant dies eorum. Act. XII, 22 : *Populus acclamabat* Herodi : *Dei voces, et non hominis.*

Qualiter autem hoc factum sit, subdit, et suppletur quia « *Cœperunt principes furere a vino,* » primo scilicet in consensu regis : et *vinum* vocat delectationem idololatriæ, et deliciarum hujus mundi. Unde Hieronymus inducit illud Deut. XXXII, 33 : *Fel draconum vinum eorum, et venenum aspidum insanabile.* Et illud Apostoli ad Ephes. v, 18 : *Nolite inebriari vino, in quo est luxuria.* Et illud Prov. XXXI, 4 : *Noli regibus, o Lamuel, noli regibus dare vinum.* Et tunc, supple, rex « *extendit manum suam,* » hoc est, potestatem suam coactivam, supple, ad populum, « *cum illusoribus,* » principibus scilicet, ut per regem et principes etiam populus induceretur ad malum Isa. III, 12 : *Populum meum exactores sui spoliaverunt,* virtute scilicet, et gratia, et fide. Isa. XXVIII, 14, 22 : *Audite verbum Domini, viri illusores,... ne forte constringantur vincula vestra.* Prov. III, 34 : *Ipse deludet illusores.*

6 Bene dico quod extendit, « *Quia,* » subditi scilicet, « *applicuerunt quasi clibanum cor suum,* » ad consensum scilicet regis et principum. Facile enim inducitur populus ad id quod multum concupiscit. Isa. XLIV, 16 : *Vah! calefactus sum, vidi focum.* Interjectio gaudentis est. « *Cum,* » hoc est, quamvis secundum veritatem « *insidiaretur eis,* » scilicet rex, ut perduceret ad malum. Psal. X sec. Hebr. 9 : *Insidiatur in abscondito, quasi leo in spelunca sua. Insidiatur ut rapiat pauperem.* Quod autem insidiaretur, probat subdens : « *Tota nocte dormivit coquens eos* : » *noctem* vocat tenebrosum et occultum suggestionis, quoniam scilicet primo occulte suggessit idololatriam vel peccatum. Et tunc *dormivit,* hoc est, violentiam dissimulavit, et pro illo tempore dicebatur *fur.* Job, XXIV, 14 et seq. : *Per noctem erit quasi fur,* etc. *Perfodit in tenebris domos, sicut in die condixerant sibi, et ignoraverunt lucem.* « *Mane,* » cum scilicet malitia prodiret in publicum, « *ipse,* » scilicet populus, « *succensus,* » supple, est, « *quasi ignis flammæ,* » ita scilicet, ut flammæ etiam lambebant alios ad simile peccatum. Hoc est *mane,* de quo dicitur, Job, XXIV, 14 : *Mane primo consurgit homicida, et interficit egenum et pauperem.* Sic etiam est in peccatis. Primo enim homo succensus, postea per malum exemplum quasi flamma comburit alios. Daniel. III, 47 et 48 : *Et effundebatur flamma super fornacem cubitis quadraginta novem : et erupit, et incendit quos reperit juxta fornacem de Chaldæis,* ministros scilicet regis, qui eam incendebant. Psal. CV, 18 : *Flamma combussit peccatores.*

« *Omnes calefacti sunt.* » Quintus paragraphus, in quo ostendit, quod omnes generaliter in peccatum idololatriæ declinaverunt, et est ac si dicat : Quid plura? « *Omnes calefacti sunt quasi clibanus,* » nullo excepto. Thren. II, 3 : *Succendit in Jacob quasi ignem flammæ devorantis in gyro.* « *Et,* » quod pejus est, « *devoraverunt judices suos,* » hoc est, bonos viros qui se bene judi- 7

caverunt, et de peccato corripuerunt. Unde Amos corripientem in tempora clavo perforaverunt, sicut dicit Hieronymus super Amos. Et III Reg. II, 33 et XIII, 1 et seq., cum Jeroboam diem solemnem constituisset, et vir sanctus de Juda venisset ut corriperet eum in sermone Domini, extendit manum ut percuteret eum, et clamavit ut teneretur, sicut adhuc mali indignantur de correptione bonorum. Amos, v, 10 : *Odio habuerunt corripientem in porta : et loquentem perfecte abominati sunt.* Quod autem ita sit, probat subdens, et suppletur quia « *Omnes reges eorum ceciderunt :* » Jeroboam enim, de quo legitur III Reg. XIII, 34, qui fuit rex primus decem tribuum usque ad Osee, filium Hela, qui fuit rex ultimus [1], nullus fuit qui idolis non serviret. Et ideo dicitur Eccli. XLIX, 5. quod omnes reges peccaverunt, præter David, et Ezechiam, et Josiam [2]. Sic et Prælati omnes in viam malam declinaverunt. Isa. LIII, 6 : *Omnes nos quasi oves erravimus.* Et, « *Non est qui clamet in eis ad me :* » idola enim potius invocant quam Deum. Isa. LXIV, 6 : *Cecidimus quasi folium universi, et iniquitates nostræ quasi ventus abstulerunt nos.*

8 « *Ephraim in populis.* » Hic pertinaciam in peccato inducto exaggerat, et dividitur in duo. In primo enim exaggerat pertinaciam per causas pertinaciæ : in secundo per modos ingratitudinis pertinaciam consequentis, ibi, ℣. 13 : « *Et ego redemi eos.* »

In primo quinque sunt paragraphi. In primo ostendit pertinaciam. In secundo, pertinaciæ pœnam, ibi, « *Et humiliabitur.* » In tertio, per simile probat pertinaciæ causam, ibi, « *Et factus est Ephraim quasi columba.* » In quarto, hujus causæ ponit propriam pœnam, ibi, « *Et cum profecti fuerint.* » In quinto, quasi ex conclusione ulteriori profert sententiam, ibi, « *Væ eis !* »

Et hoc est : « *Ephraim in populis,* » hoc est, in ritu populorum et nationum per idololatriam, « *ipse,* » hoc est, per seipsum, « *commiscebatur,* » ut scilicet esset sicut ipsi sine Deo, et sine lege in hoc mundo. Psal. CV, 35 et 36 : *Commixti sunt inter gentes, et didicerunt opera eorum : et servierunt sculptilibus eorum.* Clerici etiam habitu milites, quæstu laici, avaritia negotiatores, ignorantia plebeii, verbis scurræ, concupiscentia fornicatores, commixti sunt inter Gentes. Osee, IV, 9, et Isa. XXIV, 2 : *Et erit sicut populus, sic sacerdos.*

Clerici commixti inter gentes qui sint ?

Et subdit de pertinacia in his : « *Ephraim factus est subcinericius panis,* » qui scilicet ab aliis sit devorandus, non enim se reficit, sed alios qui devorant eum. Psal. LII, 5 : *Devorant plebem meam sicut cibum panis.* Et dicitur *subcinericius*, quia cinis ad minima per ignem deductus est, et ita populus per ignem tribulationis in minima redactus fuit, et quæcumque habuit, ab aliis devorata sunt. Jerem. L, 17 : *Primus comedit eum rex Assur : iste novissimus exossavit eum Nabuchodonosor, rex Babylonis.* Jerem. LI, 34: *Absorbuit me quasi draco, replevit ventrem suum teneritudine mea.* « *Qui non reversatur,* » hoc est, ad aliud latus non convertitur. Quantumcumque enim tribularetur, in latere idololatriæ semper jacuit, et ad Dominum non conversus fuit, contra quod dicitur, Prov. XII, 7 : *Verte impios, et non erunt*, supple, impii. Thren. V, 21 : *Converte nos, Domine, ad te, et convertemur : innova dies nostros, sicut a principio.*

Et prosequitur metaphoram panis, 9
subdens : supple, quia « *Comederunt*

[1] Cf. IV Reg. XVII, 1 et seq.

[2] Eccli XLIX, 5 : *Præter David, et Ezechiam, et Josiam, omnes peccatum commiserunt.*

alieni robur ejus, » hoc est, divitias, triticum, et vinum quibus roborari debebat, comederunt alieni, hoc est, Ægyptii, Assyrii, vel dæmones. Job, xviii, 13 : *Devoret pulchritudinem cutis ejus, consumat brachia illius primogenita mors.* Genes. xli, 24 : *Priorum pulchritudinem devoraverunt.* Et paulo ante, ℣℣. 20 et 21 : *Quæ, devoratis et consumptis prioribus,* quarum mira species et habitudo corporum erat, *nullum saturitatis dedere vestigium.* « *Et ipse nescivit,* » hoc est, causam quare percuteretur scire noluit, quod maximæ fatuitatis est. Jerem. v, 3 : *Percussisti eos, et non doluerunt : attrivisti eos, et renuerunt accipere disciplinam.* Ad hoc enim percutitur puer a patre, quod sciat quare percutitur et caveat, et propter hoc talis percussio *disciplina* vel *eruditio* vocatur. Ad Hebr. xii, 8 : *Quod si extra disciplinam estis, cujus participes facti sunt omnes, ergo adulteri, et non filii estis.*

Sed quia aliquis posset dicere, quod pueri essent sensibus et ætate, quod talia scire non possent, ideo subdit : « *Sed et cani effusi sunt in eo.* » *Effusio* notat abundantiam canorum, et est ac si dicat : Fatuitatem suam usque ad ultimam canitiem perduxit. Daniel. xiii, 52 : *Inveterate dierum malorum, nunc venerunt peccata tua, quæ operabaris prius.* Isa. lxv, 20 : *Puer centum annorum morietur, et peccator centum annorum maledictus erit.* « *Et ipse ignoravit,* » supple, quia mirum erat, quod in tanta ætate ad sensum non rediit. Unde Eccli, xxv, 4, dicitur, quod inter ea quæ odit Deus, est senex fatuus[1]. Psal. xxxv, 4 : *Noluit intelligere ut bene ageret.* I ad Corinth. xiv, 38 : *Si quis ignorat, ignorabitur.*

« *Et humiliabitur.* » Secundus para-
10 graphus, ubi ponit pœnam pertinaciæ
inductæ.

« *Humiliabitur.* » hoc est, ad humum deposita dignitate prosternetur « *superbia Israel,* » hoc est, decem tribuum. Isa. ii, 11 : *Oculi sublimes hominis humiliati sunt, et incurvabitur altitudo virorum.* « *In facie ejus,* ut scilicet magis torqueatur visa tribulatione. Prov. xvi, 18 : *Contritionem præcedit superbia, et ante ruinam exaltatur spiritus.*

Et ostendit quantitatem pertinaciæ, subdens : « *Nec reversi sunt,* » supple, per pœnitentiam, et devotionem, « *ad Dominum Deum suum.* » Jerem. iii, 7 : *Et dixi, cum fecisset hæc omnia : Ad me convertere : et non est reversa.* « *Et non quæsierunt eum,* » in operibus scilicet bonis, « *in omnibus his,* » supple, tribulationibus, quod mirum erat. Zacha. vii, 11 : *Averterunt scapulam recedentem.*

« *Et factus est.* » Tertius paragra-
phus, et probat hic per simile causam 11
pertinaciæ.

« *Et factus est Ephraim quasi columba seducta.* » *Columba* dicitur propter incontinentiam, colens lumbos. Isa. lix, 11 : *Quasi columbæ meditantes gememus,* pro absentia scilicet delectabilium et concupiscentiarum : *seducta* dicitur, hoc est, a veritate seorsum ducta per idololatriam. II ad Corinth. xi, 3 : *Timeo ne sicut serpens Hevam seduxit, ita corrumpantur sensus vestri, et excidant a simplicitate, quæ est in Christo.* « *Non habens cor,* » scilicet hominis, quod est ad intelligendum quid verum, quid falsum, quid bonum, quid malum. Jerem. v, 21 : *Audi, popule stulte, qui non habes cor.* Job, xxxix, 17 : *Privavit eam,* scilicet struthionem, *Deus sapientia, nec dedit illi intelligentiam.* Daniel. iv, 13 : *Cor ejus ab humano commutetur, et cor feræ detur ei.*

In quo autem cor non habuerit, subdit : « *Ægyptum invocabant,* sup-

[1] Eccli. xxv, 3 et 4 : *Tres species odivit anima mea... ; senem fatuum et insensatum.*

ple, ad auxilium. Deo contempto, et deos Ægyptiorum colendo: sicut et sæculares remedia quærunt sæcularia Deo contempto. Isa. xxx, 3 : *Erit vobis fortitudo Pharaonis in confusionem, et fiducia umbræ Ægypti in ignominiam.* « *Ad Assyrios abierunt,* » supple, pro auxilio, sicut legitur IV Reg. xv, 19, quod fecit Manahem, rex decem tribuum, quod plangit Jeremias, Thren. v, 6 : *Ægypto dedimus manum, et Assyriis, ut saturaremur pane.* Ad *Ægyptum* abeunt, qui solatia sæcularia requirunt in lucris : ad *Assyrios* autem, qui confidunt in ambitione dignitatum. Assyrii enim *sustollentes vigilias* interpretantur, quæ solatia et turbida et frigida et insipida sunt. Jerem. II, 18 : *Et nunc quid tibi vis in via Ægypti, ut bibas aquam turbidam ? et quid tibi cum via Assyriorum, ut bibas aquam fluminis ?*

12 « *Et cum profecti fuerint.* » Quartus paragraphus, ubi pœnam describit hujus recessus, et hoc est :

« *Et cum profecti fuerint,* » supple, in Ægyptum, pro auxilio, et ad Assyrios, Jerem. XVII, 5 : *Maledictus homo, qui confidit in homine, et ponit carnem brachium* « *suum : expandam super eos rete meum,* » captivitatis scilicet. Thren. I, 13 : *Expandit rete pedibus meis, convertit me retrorsum.* Sic omnes a se recedentes ad damnationem retrahit Dominus. Job, XVIII, 8 et 9 : *Immisit in rete pedes suos, et in maculis ejus ambulat. Tenebitur planta illius laqueo.* « *Quasi volucrem cœli,* » quæ devia est, et involutam et multiplicem habet viam, « *detraham eos.* » Glossa : « Ab altitudine superbiæ « suæ deponam eos. » Isa. XIV, 11 : *Detracta est ad inferos superbia tua, concidit cadaver tuum.* Et hic, supple, « *cædam eos,* » hoc est, percutiam, « *secundum auditionem cœtus eorum.* » *Cœtum* dicit, quia tota congregatio mala fuit. Isa. I, 13 : *Iniqui sunt cœtus vestri.* Eccli. XXI, 10 : *Stuppa collecta synagoga peccantium.* Dicit autem, *secundum auditionem,* quia peccatum eorum clamavit coram Domino, et excitavit ad judicium. Genes. XVIII, 20 : *Clamor Sodomorum et Gomorrhæ multiplicatus est.* Jacob. v, 4 : *Merces operariorum, qui messuerunt regiones vestras, quæ fraudata est a vobis, clamat : et clamor eorum in aures Domini Sabaoth introivit. Secundum auditionem* ergo cædere, idem est quod plagas secundum merita peccatorum mensurare. Deuter. XXV, 2 : *Pro mensura peccati erit et plagarum modus.*

« *Væ eis !* » Quintus paragraphus, in quo quasi ex ulteriori conclusione infert sententiam damnationis. 13

« *Væ,* » scilicet æternæ damnationis, « *eis,* » supple, erit, « *quoniam recesserunt a me,* » bono scilicet incommutabili contempto, conversi sunt ad bonum commutabile, vel etiam ad malum. Thren. v, 16 : *Væ nobis, quia peccavimus!* « *Vastabuntur* » hostibus, scilicet hominibus, et dæmonibus. Psal. LXXXVIII, 42 : *Diripuerunt eum omnes transeuntes viam : factus est opprobrium vicinis suis.* « *Quia prævaricati sunt in me,* » legem scilicet transgrediendo. Isa. XLVIII, 8 : *Scio quia prævaricans prævaricaberis, et transgressorem ex utero vocavi te.* Jerem. v, 6 : *Idcirco percussit eos leo de silva, lupus ad vesperam vastavit eos.*

« *Et ego redemi eos.* » Exaggerat hic ingratitudinem, quia sicut pœnis non correcti sunt, ita nec beneficiis.

Dicit autem hic tria, scilicet quod pro beneficiis ingrati fuerunt, quod Dominum suis armis impugnaverunt, et quod radicatam ab antiquo malitiam non deseruerunt.

« *Et ego redemi eos,* » de Ægyptiaca scilicet servitute, vel sanguine meo a diabolo. Psal. CXXIX, 7 : *Apud Dominum misericordia, et copiosa apud eum redemptio.* « *Et ipsi locuti sunt contra me mendacia,* » clamantes

scilicet de vitulo : *Isti sunt dii tui, Israel, qui te eduxerunt de terra Ægypti*[1]. Vel, *mendatia* sunt vota et promissa quæ non solvuntur, vel in baptismo, vel in pœnitentia, vel suscepto ordine, contra quod dicitur, Eccli. XXIX, 20 : *Gratiam fidejussoris ne obliviscaris : dedit enim pro te animam suam.* Eccle. IX, 15 : *Inventus est in ea vir pauper et sapiens, et liberavit urbem per sapientiam suam, et nullus deinceps recordatus est hominis illius pauperis.*

14 « *Et non clamaverunt ad me,* » supple, qui solus liberare possum, « *in corde suo,* » hoc est, ex devotione cordis, contra quod dicitur, Isa. XIX, 20 : *Clamabunt ad Dominum a facie tribulantis, et mittet eis salvatorem, et propugnatorem, qui liberet eos.* « *Sed ululabant in cubilibus suis.* » *Cubilia* vocat obscura templa et antra, in quibus obscænum cultum diis exhibebant in scenicis meretriculis, in sacris Veneris, in obscænitate religionis Priapi. In his autem *ululabant*, ut dicit Hieronymus, quia « lanceolis vulnerantes se sanguine perfuderunt : » sicut III Reg. XVIII, 28, dicitur de prophetis Baal[2]. Et oratio et cantus eorum, ululatus canum reputatur. Isa. LXV, 14 : *Clamabitis præ dolore cordis, et præ contritione spiritus ululabitis.* Isa. XIII, 22 : *Respondebunt ibi ululæ in ædibus ejus.*

Et subdit de beneficio corporali quotidie præstito : « *Super triticum et vinum ruminabant.* » Repletorum usque ad nauseam propter casum appetitus et fastidium cibi, ruminare est et non comedere, esurientium autem comedere : et significat, quod ita pleni erant, quod nauseabant super tritico et vino, sicut et patres eorum nauseabant super manna[3]. Et sicut videmus divites hujus mundi, clericos et laicos facere, nec tamen superflua pauperibus erogare. Cant. VII, 9 : *Guttur tuum sicut vinum optimum, dignum dilecto meo ad potandum, labiisque et dentibus illius ad ruminandum*[4]. « *Recesserunt a me.* » Deuter. XXXII, 15 : *Incrassatus est dilectus, et recalcitravit : incrassatus, impinguatus, dilatatus, dereliquit Deum factorem suum, et recessit a Deo salutari suo.*

« *Et ego erudivi eos.* » Tangit beneficium pertinens ad perfectionem intellectus. Erudivit enim eos per Moysen et alios Prophetas. Isa. XLVIII, 17 : *Ego Dominus Deus tuus, docens te utilia, gubernans te in via qua ambulas.* « *Et confortavi brachia eorum,* » in bellis scilicet per judices, supple, et David et alios propugnatores. Psal. CXLIII, 1 : *Qui docet manus meas ad prœlium, et digitos meos ad bellum :* « *Et in me,* » hoc est, contra me, « *cogitaverunt malitiam,* » peccati scilicet. Jerem. IX, 2 et 3 : *Omnes adulteri sunt, cœtus prævaricatorum. Et extenderunt linguam suam quasi arcum mendacii et non veritatis. Confortati sunt in terra, quia de malo ad malum egressi sunt, et me non cognoverunt, dicit Dominus.* 15

« *Reversi sunt,* » ad ritum scilicet gentilem, et hoc est quod sequitur : « *Ut essent absque jugo,* » legis scilicet. Jerem. II, 20 : *A sæculo confregisti jugum meum, rupisti vincula, et dixisti : Non serviam.* « *Facti sunt quasi arcus dolosus,* » armis suis Deum impugnantes. *Arcus* enim *dolosus* revertitur in eum pro quo pugnare debuit. Jerem. IX, 3 : 16

[1] Exod. XXII, 8.

[2] III Reg. XVIII, 28 : *Clamabant ergo voce magna, et incidebant se juxta ritum suum cultris et lanceolis : donec perfunderentur sanguine.*

[3] Cf. Numer. XXI, 5.

[4] Cf. etiam Cantic. VIII, 2 : *Dabo tibi poculum ex vino condito, et mustum malorum granatorum meorum.*

Extenderunt linguam suam quasi arcum mendacii, et non veritatis. Econtra de bonis et gratis Deo dicitur, II Reg. I, 22 : *Sagitta Jonathæ numquam rediit retrorsum.* « *Cadent in gladio,* » hostium scilicet et meæ vindictæ. Job, XIX, 29 : *Fugite a facie gladii, quoniam ultor iniquitatum gladius est.* « *Principes eorum,* » supple, ut capitibus percussis, corpus ad nihil redigatur. Habacuc, III, 13 : *Percussisti caput de domo impii: denudasti fundamentum ejus usque ad collum.* « *A furore,* » hoc est, pro furore « *linguæ suæ,* » quia scilicet me furiose blasphemantes, idola vel peccata laudaverunt. Isa. LIX, 3 : *Labia vestra locuta sunt mendacium, et lingua vestra iniquitatem fatur.*

Et subdit de antiqua radicatione istius mali : « *Ista subsannatio eorum,* » hoc est, peccatum subsannatione dignum. Hieronymus : « Subsannatio est despe« ctio cum contractione naris. » « *In terra Ægypti :* » ibi enim primo boves et vitulos adorare didicerunt. Job, XXXIV, 7 et 8 : *Quis est vir ut est Job, qui bibit subsannationem quasi aquam ? Qui graditur cum operantibus iniquitatem, et ambulat cum viris impiis ?* Jerem. XIII, 23 : *Si mutare potest Æthiops pellem suam, aut pardus varietates suas, et vos poteritis bene facere, cum didiceritis malum.*

CAPUT VIII.

Samariam prædicit cum vitulo suo destruendam per Nabuchodonosor, propter idololatriam : nec ipsorum hostiæ suscipientur : civitates autem Juda etiam concremabuntur.

1. In gutture tuo sit tuba quasi aquila super domum Domini, pro eo quod transgressi sunt fœdus meum, et legem meam prævaricati sunt.
2. Me invocabunt : Deus meus, cognovimus te Israel.
3. Projecit Israel bonum, inimicus persequetur eum.
4. Ipsi regnaverunt, et non ex me : principes exstiterunt, et non cognovi : argentum suum et aurum suum fecerunt sibi idola, ut interirent.
5. Projectus est vitulus tuus, Samaria : iratus est furor meus in eos. Usquequo non poterunt emundari ?
6. Quia ex Israel et ipse est : artifex fecit illum, et non est Deus : quoniam in aranearum telas erit vitulus Samariæ.
7. Quia ventum seminabunt, et turbinem metent : culmus stans non est in eo, germen non faciet farinam : quod et si fecerit, alieni comedent eam.
8. Devoratus est Israel : nunc factus est in nationibus quasi vas immundum.
9. Quia ipsi ascenderunt ad Assur, onager solitarius sibi : Ephraim munera dederunt amatoribus.
10. Sed et cum mercede conduxerint nationes : nunc congregabo eos, et quiescent paulisper ab onere regis et principum.
11. Quia multiplicavit Ephraim altaria ad peccandum, factæ sunt ei aræ in delictum.

12. Scribam ei multiplices leges meas, quæ velut alienæ computatæ sunt.
13. Hostias offerent, immolabunt carnes et comedent, et Dominus non suscipiet eas : nunc recordabitur iniquitatis eorum, et visitabit peccata eorum : ipsi in Ægyptum convertentur.
14. Et oblitus est Israel factoris sui, et ædificavit delubra : et Judas multiplicavit urbes munitas : et mittam ignem in civitates ejus, et devorabit ædes illius.

IN CAPUT VIII OSEE

ENARRATIO.

« *In gutture tuo sit tuba.* » Hucusque instructus est Propheta de peccato populi. Ab hoc loco præcipitur ut in enuntiatione prophetica populus redarguatur primo de peccato : secundo, de peccati multiplicatione, infra, x, 1, ibi, « *Vitis frondosa Israel.* »

Prima adhuc duo habet. Primo enim ponit detestationem : secundo, ad pœnitentiam admonitionem, infra, ix, 1, ibi, « *Noli lætari Israel.* »

Istud autem capitulum in duo dividitur. Primo enim præcipit Prophetæ, ut peccatum populo annuntiet : secundo, quod in gemitum, nisi pœnituerint, et captivitatem inducentur, ibi, ℣. 10 : « *Nunc congregabo eos.* »

In prima tres paragraphi sunt. Primo enim Prophetæ quod prædicet injungitur. Secundo, causa denuntiationis ponitur, ibi, « *Ipsi regnaverunt.* » Tertio inutilitas idoli demonstratur, ibi, « *Quoniam in aranearum telas.* »

In primo paragrapho tria sunt, scilicet, injunctio prædicationis, et quid prædicet docetur, et excluditur quædam tacita objectio.

1 Dicit ergo : « *In gutture tuo,* » o Propheta, « *sit tuba,* » hoc est, sonora prædicatio. Isa. lviii, 1 : *Clama, ne cesses, quasi tuba exalta vocem tuam, et annuntia populo meo scelera eorum.* Isa. xxx, 9 : *Exalta in fortitudine vocem tuam, qui evangelizas Jerusalem : exalta, noli timere.* Dicit autem, *in gutture,* quia guttur continuatio est oris ad intima, et notatur in gutture quod sermo ab infimis suspiriis et dolore procedat. Cant. vii, 9 : *Guttur tuum sicut vinum optimum, dignum dilecto meo ad potandum, labiisque et dentibus illius ad ruminandum.* Sermo enim qui ex intimis procedit, cor accendit et lætificat, ut vinum, et sæpe ad memoriam revocatur et ruminatur. Bernardus : « Talis « mihi placet prædicator, qui mihi plan- « ctum non sibi plausum excitet. » Et dicit, *in gutture tuo,* ne alterius gutture prædicet, sicut illi, de quibus dicitur, Jerem. xxiii, 30 : *Qui furantur verba mea unusquisque a proximo suo.* Contr[a] merce[na]rios.

Quid autem prædicet, subjungit : primo de pœna, secundo de culpa.

De pœna : « *Quasi aquila super domum Domini,* » et suppletur, quia veniet hostis. Unde sensus est : Quia hostis, rex scilicet Assyriorum vel Chaldæorum, vel diabolus, avidus scilicet ad prædam super domum Domini veniet. Habac. i, 8 : *Leviores pardis equi ejus, et velociores lupis vespertinis : et diffundentur equites ejus : equites namque ejus de longe venient, volabunt quasi aquila festinans ad comedendum.* Hæc est aquila, sicut dicit Hieronymus, de qua Ezech. xvii, 3 : *Aquila grandis magnarum alarum, longo membrorum ductu, plena plumis, et varietate, venit ad Libanum, et tulit medullam cedri.* Inducit etiam hoc Prov. xxx, 17 : *Oculum, qui subsannat patrem, et qui despicit partum matris suæ,*

suffodiant eum corvi de torrentibus, et comedant eum filii aquilæ. Et dicit, *super domum Domini,* templum et familiam pertinentem ad templum signans : illi sunt enim in quos primo vindicat. Ezech. IX, 6, percutientibus populum dixit : *A sanctuario meo incipite.*

Culpam autem pro causa subjungit : « *Pro eo quod transgressi sunt* » filii mei « *fœdus meum,* » quod scilicet in patribus pepigi, Abraham, Isaac, et Jacob : « *et legem meam prævaricati sunt,* » quam scilicet in corde et in tabula scripsi per Moysen[1]. Isa. XXIV, 5 : *Transgressi sunt leges, mutaverunt jus, dissipaverunt fœdus sempiternum.*

2 Et subjungit de exclusione falsæ responsionis. Possent enim dicere, quod non transgressi sunt fœdus, cum invocent adhuc Dominum : et respondet, quod hoc faciunt ore et non corde. « *Me invocabunt : Deus meus,* » hoc est, dicendo « *Deus meus.* » Isa. XXIX, 13 : *Appropinquat populus iste ore suo, et labiis suis glorificat me, cor autem ejus longe est a me.* Matth. XV, 8 : *Populus hic labiis me honorat : cor autem eorum longe est a me.* « *Cognovimus te, Israel,* » hoc est, nos qui sumus Israel cognovimus te, ut ex supposito fiat appositum, et e converso. Israel enim interpretatur *vir videns Deum,* quia Jacob hoc nomen accipiens dixit, Gen. XXXII, 30 : *Vidi Deum facie ad faciem.* Videns autem in facie, cognoscit eum quem videt, et sic jactabant notitiam Dei, quam tamen per approbationem et devotionem non habebant. Isa. I, 3 : *Cognovit bos possessorem suum, et asinus præsepe domini sui : Israel autem me non cognovit, et populus meus non intellexit.* Hoc idem dicitur de falsis Christianis. Ad Roman. I, 28 : *Sicut non probaverunt Deum habere in notitia, tradidit illos Deus in reprobum sensum.* Matth. V, 22 et 23 : *Multi dicent mihi in illa die : Domine, Domine,* etc...? *Et tunc confitebor illis : Quia numquam novi vos.*

Et ideo respondet per pœnam subdens, 3
et suppletur quia « *Projecit Israel bonum :* » bonum, inquam, quod est omnis boni bonum, quod est Deus, sicut ait Augustinus. Matth. XIX, 17 : *Unus est bonus, Deus.* Hoc maxime projicit qui cultum Dei abjicit. Projicit etiam qui peccatum mortale committit. Ezech. V, 6 : *Judicia mea projecerunt, et in præceptis meis non ambulaverunt*[2]. Projecerunt me post dorsum suum. Ezech. XXIII, 35 : *Projecisti me post corpus tuum*[3]. Et ideo, supple, « *inimicus persequetur eum,* » scilicet diabolus vel Assyrius persequetur eum. Propter peccatum enim traditur inimicis suis homo. Exod. XV, 9 : *Dixit inimicus : Persequar et comprehendam, dividam spolia,* etc.

Ostendit autem consequenter causam : 4
primo in Prælatis, secundo in subditis.

De Prælatis inducentibus in peccatum dicit, et suppletur quia, « *Ipsi regnaverunt, et non ex me.* » Non ex Deo regnant, quia secundum Deum non regnant super subditos : licet Dominus iratus voluerit regnum Salomonis dividi, tamen populus secundum præceptum legis debuit interrogare Deum, quem vellet institui. Sic enim I Reg. IX, 16, fecit Samuel, sicut et præcepit Dominus[4]. Ex Deo enim regnare, secundum formam Dei regnare est : non ex Deo regnare, est forma Dei deposita, tyranni formam assumere, sicut Prælati faciunt nostri temporis. Sap. VI, 5 : *Cum essetis*

[1] Exod. XX, 1 et seq.
[2] Cf. etiam Ezech. XX, 13.
[3] III Reg. XIV, 9 : *Me projecisti post corpus tuum : idcirco,* etc.
[4] Deuter. XVII, 14 et seq.

ministri regni illius, non recte judicastis, nec custodistis legem justitiæ, neque secundum voluntatem Dei ambulastis. « *Principes exstiterunt*, » inferiores scilicet Prælati, « *et non cognovi*, » hoc est, non approbavi. Deus enim non approbat simoniacum, vel stultum, vel malum. Isa. XXXII, 5 et 6 : *Non vocabitur ultra is, qui insipiens est, princeps : neque fraudulentus appellabitur major : stultus enim fatua loquetur, et cor ejus faciet iniquitatem.* In quo autem hoc potissimum fuerit, subdit : « *Argentum suum* » quod pretiosum est, « *et aurum suum*, » quod pretiosissimum est, « *fecerunt sibi idola*, » ut scilicet pretiositate materiæ facilius inducerent populum ad venerandum. Argentum autem quia tinnulum est, eloquium signat : aurum vero sapientiam, quia quasi solis rubei videtur habere fulgorem. Quæ idola videmus præponi ab his qui student eloquentiæ et sapientiæ mundanæ, sicut mali advocati. Osee, II, 8 : *Argentum multiplicavi ei, et aurum, quæ fecerunt Baal.* Isa. II, 7 et 8 : *Repleta est terra argento et auro : et non est finis thesaurorum ejus : et repleta est terra ejus equis*, scilicet idolis. « *Ut interirent.* » Hæc conjunctio, *ut*, non notat causam finalem, sed consecutionem ad opus. Ex tali enim opere nihil sequebatur nisi interius. Simile, Isa. XXVIII, 13 : *Et erit eis verbum Domini : Manda remanda, manda remanda, exspecta reexspecta, exspecta reexspecta, modicum ibi, modicum ibi : ut vadant, et cadant retrorsum, et conterantur, et illaqueantur, et capiantur.*

Contra prælatos et simoniacos.

5 « *Projectus est vitulus tuus, Samaria.* » Ex parte subditorum tangit peccatum. « *Vitulus tuus, o Samaria, projectus est.* » Samariam vocat per metonymiam populum habitantem in Samaria. Per vitulum in singulari intelligit omnes vitulos in diversis locis Samariæ positos. Quod autem dicit, « *projectus est*, » signat quod projectioni addictus est per sententiam damni. Projectus est autem ut vile quid et abominabile. Jerem. XV, 1 : *Ejice illos a facie mea, et egrediantur.* Qualiter autem projiciendus sit, subdit et suppletur, quia « *iratus est furor meus in eos*, » in vitulos scilicet vel Samaritanos. « Furor, ut dicit Gregorius, est fervens ira. » Fervens autem ira procedit in pœnam. Deut. XXXII, 22 : *Ignis succensus est in furore meo.* Et subinfert admirationem, quod abs tam irrationabili peccato populus emundari non potuit : « *Usquequo non poterunt emundari ?* » Ac si dicat : Cum multoties percusserim eos, et multis beneficiis allexerim, usquequo attentabo, vel per quid potero emundare populum ? Et est simile supra, VI, 4 : *Quid faciam tibi, Ephraim ? quid faciam tibi, Juda ?* Matth. XVII, 16 : *O generatio incredula et perversa, quamdiu ero vobiscum ? usquequo patiar vos* [1] *?*

6 Et subjungit rationem, quare cito deberent emundari : « *Quia ex Israel et ipse est.* » Israel enim invenit eum, et ab aliis nationibus non accepit, sicut quædam alia idola accepit ab aliis nationibus, sicut Baal a Sidoniis, Chamos a Moabitis, vitulum autem Jeroboam et populus Israel invenerunt. Psal. CV, 20 : *Mutaverunt gloriam suam in similitudinem vituli comedentis fœnum.* Et cum homo sit ex Deo, et non Deus ex homine, irrationabile fuit credere quod esset Deus. Et hoc confirmat addens : « *Artifex fecit illum.* » Irrationabile enim est ut credatur esse Deus quem artifex fecit. Isa. XLIV, 19 et 20 : *Non cognoscunt, neque sentiunt, ut dicant : Medietatem ejus combussi igni : et coxi super carbones ejus panes : coxi carnes et comedi, et de reliquo ejus idolum faciam ? ante truncum ligni procidam ? Pars ejus cinis est :*

[1] Cf. Marc. IX, 16.

cor insipiens adorabit illud. Et hoc est quod sequitur : « *Et non est Deus:* » arte enim Deus fieri non potest, eo quod Deus incommunicabile nomen est. Sap. xiv, 21 : *Incommunicabile nomen lapidibus et lignis imposuerunt.*

Et subdit de inutilitate :

« *Quoniam in aranearum telas erit vitulus Samariæ,* » hoc est, sicut aranearum telæ vento dissipantur, ita levi motu iræ Dei dissipabitur vitulus. Venientibus enim Assyriis propter cupiditatem metalli conflatus est vitulus. Isa. lix, 6 : *Telæ eorum non erunt in vestimentum, neque operientur operibus suis : opera eorum opera inutilia, et opus iniquitatis in manibus eorum.* Et attende quod aranea eviscerat se telas faciendo propter vilem prædam muscarum, et significat avaros, qui pro vili præda eviscerant seipsos. Eccli. x, 9 et 10 : *Avaro nihil est scelestius :... quoniam in vita sua projecit intima sua.* Psal. xxxviii, 12 : *Tabescere fecisti sicut araneam animam ejus.*

Avarus araneæ comparatur.

7 Et subjungit rationem similitudinis : « *Quia ventum seminabunt.* » *Semina* sunt peccata sparsim facta. *Ventus* est impetus persecutionis quem producit peccatum. Sap. iv, 4 : *Infirmiter posita, a vento commovebuntur, et a nimietate ventorum eradicabuntur.* « *Et turbinem metent.* » *Turbo* enim ventus involutus et involvens est, et significat pœnam captivitatis populum involventem. Job, iv, 8 : *Seminant dolores, et metent eos.* Job, ix, 17 : *In turbine conteret me*, etc. Et metaphoram hujus seminis explanat, dicens : « *Culmus stans non est in eo.* » *Culmus* est calamus ex radice ortus, qui cum stat, grana pura germinat et plena : cum autem vento dejicitur ad terram, evanescit a germine granorum ; et ita dicere vult, quod dejecti per captivitatem evanescent. Deuter. xxviii, 38 : *Sementem multum jacies in terram, et modicum congregabis.* Aggæi, i, 6 : *Seminastis multum, et intulistis parum.* « *Germen,* » si quod fuerit, « *non faciet farinam.* » Farina pura est refectiva et candida, et signat puritatem virtutis quæ candet honestate et reficit dulcedine. Opera autem malorum hoc non habent, quia etsi in cortice exterius aliquid appareat, nihil habent intus veritatis. II ad Timoth. iii, 5 : *Habentes speciem quidem pietatis,* etc. Unde Hieronymus : « Culmus qui non habet germen, est vita « meritis carens. Farinam culmus non « facit, cum is qui in præsenti sæculo « proficit, et nihil veritaris intelligit, et « nullum boni operis fructum reddit. » Sap. iv, 5 : *Fructus illorum inutiles, et acerbi ad manducandum.* Et ad hoc subdit : « *Quod et si fecerit,* » farinam scilicet, aliquam quæ magis videtur quam sit, « *alieni,* » sive hostes, sive dæmones « *comedent eam.* » Isa. i, 7 : *Regionem vestram coram vobis alieni devorant.* Et hoc signatum est Matth. xiii, 4, 19, ubi dicitur, quod semen quod cecidit secus viam, volucres cœli comederunt ; quæ volucres a Domino dæmones dicuntur.

Et quod dixit, metaphorice explanat : 8
« *Devoratus est Israel,* » ab hostibus scilicet consumptus. Isa. ix, 12 : *Devorabunt Israel toto ore.* Et ideo, supple, « *nunc,* » in præsenti tempore eorum qui jam vivunt, « *factus est in nationibus* » dispersus per captivitarem, « *quasi vas immundum :* » ad immunda enim et vilia deputabantur obsequia, sicut vasa immunda vilibus deputantur obsequiis. Unde in Psal. lxxx, 7, dicitur, secundum aliam translationem : *Manus ejus in cophino servierunt* [1]. « Cophinus, ut dicit « Hieronymus, est vas quo stercora de « platea portantur. »

[1] Hæc est translatio Vulgatæ.

9 Qualiter autem hoc sit, subdit : « *Quia ipsi,* » scilicet Israelitici, « *ascenderunt,* » non sponte, sed inviti et tracti per captivitatem, « *ad Assur,* » hoc est, in terram Assyriorum, sicut et peccatores trahuntur a dæmonibus. Thren. v, 5 : *Cervicibus nostris minabamur, lassis non dabatur requies.* Ne autem hoc irrationabile videretur, subdit culpam per similitudinem, et suppletur, quia « *onager*

Onager. *solitarius sibi Ephraim.* » Onager est asinus agrestis, a græco ὄνος, quod est *asinus,* et ἄγρα, *venatio :* et est animal furiosæ concupiscentiæ propter melancholiam ignitam, et signat concupiscentiam eorum ad idola, vel pronitatem ad peccatum. Et dicitur « *solitarius,* » quasi singularis : agrestis autem, quia nulla domitus est honestate. *Ephraim* autem dicitur populus propter regnum, quod incepit ab Ephraim. Jerem. II, 24 : *Onager assuetus in solitudine, in desiderio animæ suæ attraxit ventum amoris sui : nullus avertet eam : omnes qui quærunt eam, non deficient : in menstruis ejus invenient eam.*

Et hujus signum subjungit, et suppletur, quia « *Munera dederunt amatoribus.* » Sicut enim in præcedentibus dictum est, Manahem, rex decem tribuum, et Achaz, duarum tribuum, munera miserunt Assyriis pro auxilio, et deos eorum assumpserunt : propter quod Ezech. XVI, 34, dicitur : *In eo quod dedisti mercedes, et mercedes non accepisti, factum est in te contrarium,* scilicet contra consuetudinem mulierum.

10 « *Sed et cum mercede conduxerint nationes,*» supple, alias ab Assyriis, Ægyptios vel Æthiopes, et alios ut essent eis in auxilium, sicut dicitur, Isa. LVII, 9 : *Misisti legatos tuos procul, et humiliata es usque ad inferos.*

« *Nunc congregabo eos.* » Hic tangit qualiter in captivitatem inducentur ; et quia duplex est peccatum, videlicet in hominem commissum, et in Deum, quod si non expurgetur, pœna dignum est, ideo quatuor dicit, scilicet peccatum in hominem, peccatum in Deum, et quod non expietur, et quod punietur.

« *Nunc congregabo eos,* » id est, faciam ut congregentur in pugnam scilicet, ut in pugna cadant et capiantur, qui dispersi simul capi non possent. Isa. VIII, 9 : *Congregamini, populi, et vincimini : et audite, universæ procul terræ : confortamini, et vincimini: accingite vos, et vincimini.* Jerem. VIII, 13 : *Congregans congregabo eos, ait Dominus.* Et præmisit : *Idcirco cadent inter corruentes.* Jerem. XII, 3 : *Congrega eos quasi gregem ad victimam, et sanctifica eos in diem occisionis.* Ita congregantur peccatores ut similes in culpa similes accipiant pœnas. Isa. XXIV, 22 : *Congregabuntur in congregatione unius fascis in lacum, et claudentur ibi in carcere.*

Qualiter autem hoc fiat, subdit : « *Et quiescent,* » hoc est, cessabunt, « *paulisper,* » hoc est, parvo tempore, « *ab onere regis,* » hoc est, ab oneroso tributo regis Assyriorum, « *et principum* » ejusdem regis. Negabunt enim tributum, et sic rex et principes ejus commovebuntur contra eos, et in bello illo capientur : sicut fecit Sedecias [1]. Dicit enim sic : Qui hactenus amabant adversariis dare munera quos diligebant, nunc cessare faciam ut suis principibus nulla tributa solvant, donec captivitati non tributa, sed seipsos ad omnes contumelias tolerandas præbeant. Contra hoc peccatum dicitur, ad Roman. XIII, 7 : *Reddite omnibus debita : cui tributum, tributum.* Matth. XXII, 21 : *Reddite quæ sunt Cæsaris Cæsari,* etc.

Et subjungit de peccato commisso in Deum : 11

[2] Cf. IV Reg. XXIV, 20.

« *Quia multiplicavit Ephraim altaria,* « idolorum scilicet, « *ad peccandum,* » peccatum scilicet idololatriæ. Isa. LVII, 5 : *Qui consolamini in diis subter omne lignum frondosum, immolantes parvulos in torrentibus.* « *Factæ sunt ei aræ in delictum,* » hoc est, per delictum in ruinam. Jerem. II, 36 : *Quam vilis facta es nimis, iterans vias tuas! et ab Ægypto confunderis, sicut confusa es ab Assur.*

eccatum uobus modis :piatur.

Et subdit de peccati inexpiatione, secundum quod duobus modis peccatum expiatur, observatione scilicet legis, et sacrificiis.

Et hoc est :

12 « *Scribam ei multiplices leges meas.* » Remissive legendum est et ironice, hoc est, non scribam. Et dicit *leges* a ligando. *Multiplices* autem, quia multiplices sunt actus hominum, qui legibus sunt regulandi.

Quare autem non scribat, subdit : « *Quæ,* » hoc est, quia illæ, « *velut alienæ,* » hoc est, ad eos non pertinentes, « *computatæ sunt.* » Psalm. XLIX, 17 : *Tu vero odisti disciplinam, et projecisti sermones meos retrorsum.* Jerem. VI, 10 : *Verbum Domini factum est illis in opprobrium : et non suscipient illud.*

13 Et subdit de sacrificiis.

« *Hostias offerent,* » scilicet ad Deum placandum : « *immolabunt carnes,* » in quibus pars erat Sacerdotis, et pars offerentis : « *et comedent* : » potius enim intendebant oblata devorare quam Deum placare. Isa. XXII, 13 : *Ecce gaudium et lætitia, occidere vitulos et jugulare arietes, comedere carnes, et bibere vinum : Comedamus, et bibamus :* cras enim moriemur. « *Et Dominus non suscipiet eas.* » Malach. I, 10 : *Non est mihi voluntas in vobis, dicit Dominus exercituum : et munus non suscipiam de manu vestra.* Isa. I, 11 : *Quo mihi multitudinem victimarum vestrarum, dicit Dominus? plenus sum.*

Et subjungit de pœna captivitatis :

« *Nunc recordabitur,* » supple, Dominus, « *iniquitatis eorum.* » Contra quod dicitur in Psal. LXXVIII, 8 : *Ne memineris iniquitatum nostrarum antiquarum.* « *Et visitabit,* » lumine scilicet discussionis, et punitionis judicio, « *peccata eorum.* » Isa. XXIV, 21 : *Visitabit Dominus super militiam cœli in excelso : et super reges terræ, qui sunt super terram.* Et ut justior videatur visitatio, subdit repetendo culpam, et suppletur, quia « *Ipsi in Ægyptum convertentur,* » corde scilicet et opere, et ad auxilium eorum petendum, et ad Deos eorum colendos, contra quod dicitur, Isa. XXXI, 1 : *Væ qui descendunt in Ægyptum ad auxilium, in equis sperantes.* Jerem. XLII, 13 et 14 : *Nec audiemus vocem Dei nostri, dicentes : Nequaquam, sed ad terram Ægypti pergemus : ubi non videbimus bellum.*

« *Et oblitus est Israel factoris sui.* » Deut. 14
XXXII, 18 : *Deum, qui te genuit dereliquisti, et oblitus es Domini creatoris tui.* Isa. LVII, 11 : *Mentita es, et mei non es recordata.* « *Et ædificavit delubra,* » idolis scilicet vilibus. *Delubrum* dicitur a diluendo, et est templum in quo erat fons, in quo vestes et corpora diluerunt, qui ad sacrificandum venerant ad templum, cum potius in hoc polluerentur quam diluerentur. Job, IX, 30 et 31 : *Si lotus fuero quasi aquis nivis, et fulserint velut mundissimæ manus meæ : tamen sordibus intinges me, et abominabuntur me vestimenta mea.* Jerem. II, 33 : *Quid niteris bonam ostendere viam tuam, ad quærendam dilectionem, quæ insuper et malitias docuisti vias tuas.* « *Et Judas,* » hoc est, duæ tribus, « *multiplicavit urbes munitas,* » in quibus putavit se posse resistere ne captivetur : contra quod dicitur, Habac. I, 10 : *Ipse super omnem munitionem ridebit, et comportabit ag-*

Delubra.

gerem, et capiet eam. « *Et mittam ignem in civitates ejus,* » supple, munitas, « *et devorabit ædes illius,* » hoc est, ædificia illius. Isa. I, 31 : *Erit fortitudo vestra ut favilla stuppæ, et opus vestrum quasi scintilla : et succendetur utrumque simul et non erit qui exstinguat.* Thren. II, 3 : *Succendit in Jacob quasi ignem flammæ devorantis in gyro.*

Hæc omnia sub eisdem auctoritatibus facile est referre ad peccatores, qui per delectabilia sæculi idola multiplicant, et falsa spe munitiones contra Dominum ædificant.

CAPUT IX.

Dominus in populum Israel famem et captivitatem propter ipsius peccata immittet : nec grata ipsi erunt eorum sacrificia : et quia in peccatis perseverant, perpetuo ejecti a Domino permanebunt, vagi inter nationes.

1. Noli lætari, Israel, noli exsultare sicut populi, quia fornicatus es a Deo tuo, dilexisti mercedem super omnes areas tritici.
2. Area et torcular non pascet eos, et vinum mentietur eis.
3. Non habitabunt in terra Domini. Reversus est Ephraim in Ægyptum, et in Assyriis pollutum comedit.
4. Non libabunt Domino vinum, et non placebunt ei. Sacrificia eorum quasi panis lugentium : omnes qui comedent eum, contaminabuntur : quia panis eorum animæ ipsorum, non intrabit in domum Domini.
5. Quid facietis in die solemni, in die festivitatis Domini ?
6. Ecce enim profecti sunt a vastitate. Ægyptus congregabit eos : Memphis sepeliet eos : desiderabile argentum eorum urtica hæreditabit, lappa in tabernaculis eorum.
7. Venerunt dies visitationis, venerunt dies retributionis. Scitote, Israel, stultum prophetam, insanum virum spiritualem, propter multitudinem iniquitatis tuæ, et multitudinem amentiæ.
8. Speculator Ephraim cum Deo meo : propheta laqueus ruinæ factus est super omnes vias ejus, insania in domo Dei ejus.
9. Profunde peccaverunt, sicut in diebus Gabaa [1] : recordabitur iniquitatis eorum, et visitabit peccata eorum.
10. Quasi uvas in deserto inveni Israel : quasi prima poma ficulneæ in cacumine ejus vidi patres eorum : ipsi autem intraverunt ad Beelphegor, et abalienati sunt in confusionem, et facti sunt abominabiles sicut ea quæ dilexerunt.
11. Ephraim quasi avis avolavit : gloria eorum a partu, et ab utero, et a conceptu.
12. Quod et si enutrierint filios suos, absque liberis eos faciam in hominibus : sed et væ eis cum recessero ab eis !
13. Ephraim, ut vidi, Tyrus erat fundata in pulchritudine : et

[1] Judic. XIX, 15-25.

Ephraim educet ad interfectorem filios suos.

14. Da eis, Domine. Quid dabis eis? Da eis vulvam sine liberis, et ubera arentia.

15. Omnes nequitiæ eorum in Galgal, quia ibi exosos habui eos [1]: propter malitiam adinventionum eorum, de domo mea ejiciam eos: non addam ut diligam eos: omnes principes eorum recedentes.

16. Percussus est Ephraim, radix eorum exsiccata est, fructum nequaquam facient. Quod et si genuerint, interficiam amantissima uteri eorum.

17. Abjiciet eos Deus meus, quia non audierunt eum: et erunt vagi in nationibus.

IN CAPUT IX OSEE

ENARRATIO.

« *Noli lætari, Israel.* » Hic secundum superius inductam divisionem, inclinat populum ad dolendum de peccato commisso: et quia ad duo inclinat, propter hoc in duo dividitur. Primo enim inclinat ad hoc, quod a lætitia peccati convertatur in tristitiam pœnæ. Secundo, quod peccatum deserat a pulchritudine et honestate patrum, ibi, ℣. 10: « *Quasi uvas in deserto.* »

In primo sunt tres paragraphi. Primo, enim ostendit, quod lætitia convertetur in tristitiam. Secundo, quam solemniter hoc fiet, ibi, « *Quid facietis in die solemni?* Tertio, quantæ stultitiæ sit sic lætari, ibi, « *Scitote, Israel, stultum.* »

In primo quatuor dicit. Primo enim prohibet in malis exsultare: secundo ostendit, quod hæc lætitia convertatur in tristitiam per pœnam damni: tertio, quod non expiabitur oblatione sacrificii: quarto, causam inducit quare per sacrificium non possit expiari.

1 Dicit ergo: « *Noli lætari, Israel.* » Lætabantur enim in festo idoli, sicut et peccatores lætantur in peccatis. Et est lætitia gaudium cordis, quasi latitia dicta, eo quod dilatat cor. Prov. II, 14: *Lætantur cum male fecerint, et exsultant in rebus pessimis.* Et attende, quod *nolo, non vis,* per totum condeclinium, voluntatem habet affirmatam, et negatio refertur ad volitum. Unde sensus est: Noli lætari, velis non lætari, hoc est tristari. Voluntaria enim tristitia pœnitentiæ tristitia est quæ sola secundum Deum est. II ad Cor. VII, 10: *Quæ enim secundum Deum tristitia est, pœnitentiam in salutem stabilem operatur.* « *Noli exsultare sicut populi.* » Exsultatio ad corpus refertur, quando scilicet gaudium cordis in signis apparet corporis, sicut in risu, plausu manuum, tripudio, et hujusmodi: sicut in deserto fecerunt patres eorum ante idolum. Exod. XXXII, 6: *Sedit populus manducare et bibere, et surrexerunt ludere.* Et ludus ille fuit in choreis et cantibus ante vitulum, quem ludum detestabatur Sara, ubi fecit ancillam ejici et filium ejus, cum vidisset filium ancillæ Ægyptiæ ludentem cum Isaac [2]. Prov. XIV, 13: *Risus dolore miscebitur, et extrema gaudii luctus occupat.* Quod autem dicit, *sicut populi,* intelligit populos nationum qui lætabantur in diis suis, vel sicut populares lætantur, qui lætantur in peccatis, cum eis quæ male desiderant, ad votum proveniunt. Job, XXI, 12 et 13: *Tenent tympanum et citharam, et gaudent ad sonitum organi. Ducunt in bonis dies suos,*

[1] I Reg. XIII, 5.

[2] Cf. Genes. XXI, 9 et seq.

et in puncto ad infernum descendunt. De quo autem non lætetur, subdit : « *Quia fornicatus es a Deo tuo,* » id est, de hoc non debes lætari, quod fornicatus es, assumens deos alienos in conjunctionem amoris tui, credens te per hoc liberatum esse ab obligatione legis, quod diu desiderasti. Jerem. II, 20 : *A sæculo confregisti jugum meum, rupisti vincula mea, et dixisti : Non serviam.* Bene dico, « *noli lætari,* » quia per hoc perdes omne quod dilexisti.

Et hoc est, supple, quia

« *Dilexisti mercedem super omnes areas tritici,* » hoc est, triticum super omnes areas crescens dilexisti pro mercede. Non enim habes oculum nisi ad temporalia. Deuter. XXXIII, 28 : *Oculus Jacob in terra frumenti et vini.* Psalm. IV, 8 : *A fructu frumenti, vini, et olei sui, multiplicati sunt.*

2 Et hoc totum perdes, supple, quia

« *Area et torcular non pascet eos,* » deficiente pane et vino, quæ fames primo sub Elia et Achab facta est [1]. Secundo, autem facta est sub Eliseo [2], ita quod etiam matres comederunt filios. Psal. CIV, 16 : *Vocavit famem super terram : et omne firmamentum panis contrivit.* Unde etiam, IV Reg. VI, 26 et 27 : *Mulier quædam exclamavit ad regem dicens : Salva me, domine mi rex. Qui ait : Non te salvat Dominus, unde te possum salvare ? de area, vel de torculari ?* « *Et vinum mentietur eis,* » quando cultus et labor et expensæ adhibita sunt, et fructum non reddit, tunc vinum mentitur. Habac. III, 17 : *Mentietur opus olivæ : et arva non afferent cibum.* Isa. XVII, 11 : *In die plantationis tuæ labrusca, et mane semen tuum florebit : ablata est messis in die hæreditatis, et dolebit graviter.* Hæc eadem referuntur ad mercenarios clericos, qui non ministrant nisi pro fructu areæ et vineæ, et idcirco judicio Dei dissipatur utrumque. Isa. XVI, 10 : *Et auferetur lætitia et exsultatio de Carmelo, et in vineis non exsultabit neque jubilabit.*

Clericus mercenarius.

Famem autem sequetur captivitas. 3

Et hoc est quod subjungit : « *Non habitabunt in terra Domini.* » Terra enim decem tribuum terra Domini erat, quam illi, quantum in eis erat, Domino abstulerunt et idolis dederunt, et idcirco ejecti sunt et tracti ad terras idolorum quæ coluerunt. Jerem. II, 7 : *Induxi vos in terram Carmeli, ut comederetis fructus ejus, et optima illius : et ingressi contaminastis terram meam, et hæreditatem meam posuistis in abominationem.* Ideo dicitur, Jerem. V, 19 : *Sicut... servistis deo alieno in terra vestra, ita servietis alienis in terra non vestra.* Hoc idem dicitur clericis et laicis peccatoribus, quibus propter peccata, et fames spiritualis et corporalis inducitur, et de terra Domini, hoc est, ab Ecclesia in infernum projiciuntur. Psal. CIII, 35 : *Deficiant peccatores a terra,* etc.

Et subjungit causam, et suppletur, quia « *Reversus est Ephraim,* » regnum scilicet decem tribuum, et Israel, hoc est, populus decem tribuum « *in Ægyptum,* » hoc est, ad conversationem et imitationem Ægyptiorum, vitulos scilicet colendo sicut illi boves : « *et in Assyriis pollutum comedit,* » hoc est, in imitatione Assyriorum, quorum idola etiam assumpserunt et conversationem imitati sunt. Jerem. II, 18 : *Quid tibi vis in via Ægypti, ut bibas aquam turbidam ? et quid tibi cum via Assyriorum, ut bibas aquam fluminis ?* Sic revertuntur in Ægyptum religiosi et clerici, qui peccata sæcularium in concupiscentia carnali quæ signatur per Ægyptum, et in fastu ambitionis quæ signatur per Assyrium, quæ interpretatur *altus*

[1] Cf. III Reg. XVII, 1 et seq.

[2] Cf. IV Reg. VI, 25 et seq., et VII, 1 et seq.

sensus, imitantur. Contra primum horum dicitur, Eccli. xviii, 30 : *Post concupiscentias tuas non eas, et a voluntate tua avertere.* Contra secundum dicitur, ad Roman. xii, 16 : *Non alta sapientes, sed humilibus consentientes.* Ad Philip. ii, 5 : *Hoc sentite in vobis quod et in Christo Jesu.* Quod autem dicitur *pollutum comedisse* idolothytum, intelligit quod idolis Ægyptiorum vel Assyriorum fuerat immolatum. Ezech. iv, 13 : *Comedent filii Israel panem suum pollutum inter gentes, ad quas ejiciam eos.* Pollutum etiam comedit, qui indigne pabulum præbendæ sumit. Ad Tit. i, 15 : *Coinquinatis, et infidelibus nihil est mundum.*

[Margin: Pollutum qui comedit.]

4 Et subdit, quod hoc peccatum non potest expiari sacrificiis :

« *Non libabunt Domino vinum.* » *Libare* idem est quod gustare, quia ea quæ de liquidis offerebantur, primo gustabantur an digna essent ad offerendum. Causam subjungit : « *Et,* » id est, supple, quia « *non placebunt ei sacrificia eorum.* Manus enim quæ idolis elevantur, sacrificare Deo non possunt, sicut et a peccatoribus oblatio non recipitur. Gen. iv, 5 : *Ad Cain et ad numera illius Dominus non respexit.* Eccli. xxxiv, 21 : *Immolantis ex iniquo oblatio est maculata.* Malach. i, 10 : *Non est mihi voluntas in vobis, dicit Dominus exercituum : et munus non suscipiam de manu vestra.* Attende quod vinum libatur in sanguine Christi, et sacrificium de area in corpore, quod in manibus malorum et bonorum sacerdotum æquale est. Unde quod dicitur, *non libabunt*, intelligitur quod non libant ad salutem, sed ad damnationem. I ad Cor. xi, 29 : *Qui enim manducat et bibit indigne, judicium sibi manducat, et bibit : non dijudicans corpus Domini.* Et secundum litteram vult dicere, quod quia indigne libaverunt idolis, faciet quod præ paupertate et captivitate, nec Domino, nec idolis libare possint. Daniel. iii, 38 et 39 : *Non est in tempore hoc princeps, et dux, et propheta, neque holocaustum, neque sacrificium, neque oblatio, neque incensum, neque locus primitiarum coram te, ut possimus invenire misericordiam tuam.*

[Margin: Oblatio peccatorum a Deo non recipitur.]

Et subjungit causam, quare non sit acceptum sacrificium, et supletur, quia « *quasi panis lugentium* » mortuum, supple, est oblatio eorum. *Panis lugentium* dicitur cœna quæ præparatur lamentantibus mortuum, qui panis immundus reputatur secundum legem Levitici[1] : et hoc est quod sequitur : « *Omnes qui comedunt eum, contaminabuntur,* » hoc est, immundi reputabuntur.

Et hujus etiam subjungit causam : « *Quia panis eorum,* » hoc est, lugentium, « *animæ ipsorum,* » hoc est, mortuorum scilicet pollutus est, et idcirco contingentes cadaver mortui vel comedentes in domo, in qua est, polluuntur, et ab ingressu templi suspenduntur. Et hoc est quod sequitur : « *Non intrabit in domum Domini.* » Hoc etiam videmus spiritualiter impleri in Religiosis et Sacerdotibus, qui *panem lugentium* comedunt pro animabus mortuorum oblatum, et obsequium quod debent non solvunt, et per vitam malam indignos se exhibent. Osee, iv, 8 : *Peccata populi mei comedent, et ad iniquitatem eorum sublevabunt animas eorum.* Ad Hebr. xiii, 10 : *Habemus altare, de quo edere non habent potestatem, qui tabernaculo, id est, corpori, deserviunt.* Tales etiam ab Ecclesia expellendi essent. Ad Rom. xvi, 18 : *Hujuscemodi enim Christo Domino non serviunt, sed suo ventri : et per dulces sermones, et benedictiones, seducunt corda innocentium.* De his dicitur, Joan. vi, 26 : *Amen, amen dico vobis : quæritis me, non quia vidistis signa, sed quia manducastis ex panibus, et saturati estis.*

[Margin: Sacerdotes panem comedunt lugentium mortuum.]

[1] Cf. Levit. viii, 32.

5 « *Quid facietis in die solemni.* » Tangit hic quam solemniter judicium de eis fiet, et dicit tria : solemnitatem scilicet judicii, convictionem rei, et damnationem convicti.

« *Quid facietis in die solemni ?* » *Dies* dicitur propter claritatem lucis justitiæ. I ad Corinth. IV, 5 : *Nolite ante tempus judicare, quoadusque veniat Dominus, qui et illuminabit abscondita tenebratum, et manifestabit consilia cordium. Solemnis* dicitur, quia communis omnibus, ὅλον enim Græce Latine sonat *commune.* Psal. CXVII, 27 : *Constituite die solemnem in condensis.* « *In die festivitatis Domini,* » quando scilicet judex faciet festum vos idolis per gladium sacrificando. Isa. XXXIV, 6 : *Victima Domini in Bosra, et interfectio magna in terra Edom.* Fere idem, Isa. X, 3 : *Quid facietis in die visitationis, et calamitatis de longe venientis ? ad cujus confugietis auxilium ? et ubi derelinquetis gloriam vestram ?*

6 Et subdit, de convictione rei.

« *Ecce enim profecti sunt* » supple in Ægyptum, « *a vastitate,* » hoc est, timentes vastitatem Chaldæorum. Et tangit hoc quod habetur Jerem. XLII, 2 et seq., et XLIII, 1 et seq., quod contra consilium Domini et Jeremiæ, fugerunt in Ægyptum interfecto Godolia. Isa. XXX, 1 et 2 : *Væ, filii desertores, dicit Dominus, ut faceretis consilium, et non ex me : et ordiremini telam, et non per spiritum meum, ut adderetis peccatum super peccatum : qui ambulatis ut descendatis in Ægyptum!*

Et subdit damnationem.

Et ideo, « *Ægyptus congregabit eos,* » ut scilicet omnes inveniantur ad gladium. Jerem. XII, 3 : *Congrega eos quasi gregem ad victimam, et sanctifica eos in die occisionis.* « *Memphis sepeliet eos.* » Memphis metropolis erat Ægyti, antequam Alexandria ædificaretur, et ad illam civitatem plurimi confugerunt, et idola illa venerati sunt propter auxilium. Jerem. II, 16 : *Filii quoque Mempheos et Taphnes constupraverunt te usque ad verticem.* Hoc idem dicitur eis qui propter vastitatem paupertatis clericatum assumunt, vel religionem, qui semper corde revertuntur in Ægyptum, hoc est, ad sæculi conversationem, quod significatur, Num. XI, 4 et 5, ubi dicitur : *Vulgus flagravit desiderio,* carnium scilicet, *sedens et flens,. . ait : Quis dabit nobis ad vescendum carnes ? Recordamur piscium quos comedebamus in Ægypto gratis.* Hi sunt qui omne obsequium convertunt ad lucrum, et ad ventrem. Ad Philip. III, 18 et seq. : *Multi ambulant, quos sæpe dicebam vobis (nunc autem et flens dico) inimicos crucis Christi : quorum finis interitus, quorum Deus venter est : et gloria in confusione ipsorum, qui terrena sapiunt. Nostra autem conversatio in cœlis est.* « *Desiderabile argentum eorum.* » Posset aliquis dicere : Quid fieret de possessionibus eorum eis captivatis ? et ad hoc respondet. Et vocatur *argentum,* quidquid argento mensuratur ad valorem. Unde Glossa : « Per argentum signantur omnia quæ « argento emuntur. « *Desiderabile argentum eorum,* » hoc est, possessiones argento æstimatas, « *urtica hæreditabit,* » hoc est, ita desolabitur, quod urtica ibi crescet. *Urtica* autem ab urendo dicitur, significat sensibilem dolorem et ustivum, qui succedit de possessionibus avarorum. Jacob. V, 3 : *Aurum, et argentum vestrum æruginavit : et ærugo eorum in testimonium vobis erit, et manducabit carnes vestras sicut ignis.* Prov. XXIV, 30 et 31 : *Per agrum hominis pigri transivi, et per vineam viri stulti : et ecce totum repleverant urticæ, et operuerant superficiem ejus spinæ.* « *Lappa in tabernaculis eorum* » *Lappa* lati folii est, sed acuti. Unde et contra scabiem datur et significat vermem conscientiæ, qui semper remordet et acutus est. Isa. LXVI, 24 : *Vermis eorum non morietur, et ignis eorum non exstinguetur. Taber-*

Clerici ac religiosi Ægyptum repetentes.

Argentum quid ?

nacula autem dicuntur habitationes vel exteriores vel interiores.

7 Quod autem tempus sit in solemnitate Domini hæc faciendi, subdit : « *Venerunt dies visitationis,* » in quibus scilicet peccatum manifestetur ad judicium. Isa. xxvi, 21 : *Visitet Dominus iniquitatem habitatoris terræ contra eum.* « *Venerunt dies retributionis.* » Isa. xxxiv, 8 : *Dies ultionis Domini, annus retributionum judicii Sion.* Isa. lxiii, 4 : *Dies ultionis in corde meo, annus redemptionis meæ venit.*

« *Scitote, Israel, stultum.* » Tangit hic privitionem rationis et profunditatem peccati ad puniendum, et ideo duo dicit : rationis privationem, et peccati profunditatem, ibi, « *Profunde peccaverunt.* »

In primo describit rationis privationem a tribus, scilicet, ex parvitate discretionis, ex multitudine iniquitatis, et ex negligentia officii.

Stultus.

Dicit ergo : « *Scitote, Israel, stultum.* » *Stultus* dicitur a stoliditate, qui non sapiens tantum non est, sed etiam capax sapientiæ non est. Eccle. i, 15 : *Perversi difficile corriguntur, et stultorum infinitus est numerus.* In quo autem stultus sit, subjungit : « *Prophetam, insanum virum spiritualem* » Meo judicio convertenda est propositio hoc modo. Scito illum esse virum spiritualem, hoc est, spiritu Dei plenum, quem judicasti Prophetam esse insanum. Et tangit historiam, quæ habetur, Jerem. xlii, 2 et seq., et xliii, 1 et seq., quod scilicet Jeremias Propheta, spiritu Dei plenus, judicabatur ab eis insanus, et mendacium loquens, et contra consilium et præceptum ejus fugerunt in Ægyptum. Et quod vir spiritualis fuerit Jeremias, habetur Eccli. xlix, 9, ubi dicitur : *Male tractaverunt illum, qui a ventre matris consecratus est propheta.*

Jeremias vir spiritualis.

Quod autem eum dixerunt insanum, acceperunt IV. Reg. ix, 1 et seq., ubi Eliseus misit discipulum suum prophetam ad inungendum Jehu, et quæsiverunt ab eo : *Quid venit insanus iste ad te* [1] *?* Sæculares enim spirituales homines reputant insanos. Sap. v, 3 et 4 : *Hi sunt, quos habuimus aliquando in derisum, et in similitudinem improperii. Nos insensati, vitam illorum æstimabamus insaniam.* Hieronymus tamen aliter legit, dicens : « Scitote prophetam insanum, qui prophetat tibi impunitatem in peccatis, cum « Deus peccantibus non parcat. » Ad Hebr. ii, 2 : *Omnis inobedientia accepit justam mercedis retributionem.* « *Virum spiritualem,* » hoc est, qui putabas te esse virum spiritualem. Et signat hypocritas, qui se reputant spirituales cum carnales sint. Matth. vii, 15 : *Qui veniunt ad vos in vestimentis ovium, intrinsecus autem sunt lupi rapaces.*

Mundari spirituales insanos abjiciunt.

Et explanat multitudinem amentiæ, subdens : « *Propter multitudinem iniquitatis tuæ,* » hoc est, quia diligis iniquitatem, et hoc est contra Deum et contra homines : « *et multitudinem amentiæ :* » affectus enim ligat intellectum ne veritatem agnoscat. Psal. xlviii, 21 : *Homo, cum in honore esset, non intellexit,* etc. Osee, iv, 11 : *Fornicatio, et vinum, et ebrietas auferunt cor.*

Et subdit de negligentia officii : 8

« *Speculator Ephraim cum Deo meo.* » Meo judicio loquitur hic de Ahia, de quo legitur III Reg. xi, 30 et seq., et xii, 1 et seq., quod scidit pallium in duodecim partes, et decem partes dedit Jeroboam, duas relinquens Roboam, et dixit : *Hæc dicit Dominus Deus Israel : Ecce ego scindam regnum de manu Salomonis, et dabo tibi decem tribus* [2]. Non autem dixit : Scindam a templo et a cultu Dei. Et hic Propheta fuit *cum Deo meo,* quia

[1] IV Reg. ix, 11.

[2] III Reg. xii, 31.

imperio Dei fecit, et tamen per occasionem non per causam. « *Propheta laqueus ruinæ factus est super omnes vias ejus,* » quia scissio regni occasionavit scissionem a templo, et a cultu divino. Simile est, Luc. II, 34, Simeon dixit de Christo : *Ecce positus est hic in ruinam, et in resurrectionem multorum in Israel : et in signum, cui contradicetur.* Christus enim in resurrectionem est per causam : sed in ruinam non potest esse, nisi per occasionem, scilicet, quia alii peccant in ipsum, non ipse in alios. Hieronymus tamen hic aliter legit, sic dicens : « Deus constituit Reges et Sacer« dotes et Prophetas, ut providerent po« pulo. » Unde dicit ad Ezechielem. III, 17, et XXXIII, 7 : *Fili hominis, speculatorem dedi te domui Israel.* Dicit ergo : « *Ephraim,* » hoc est, Jeroboam, « *cum Deo meo,* » hoc est, secundum voluntatem Dei mei constitutus est « *speculator,* » ad hoc ut ipse et sequaces ejus populo Dei utilia providerent, et sicut Prophetæ ad bonum erigerent. Sed in omnibus viis et actionibus « *factus est laqueus,* » quia suadendo et cogendo ad idololatriam inducebat. Et hoc dici potest de malis Prælatis, qui juxta vias, hoc est, opera hominum ponunt scandala mali exempli. Osee, V, 1 : *Laqueus facti estis speculationi.* Psal. CXXXIX, 6 : *Juxta iter scandalum posuerunt mihi.*

Et subdit explanans illud, et suppletur, quia « *insania in domo Dei ejus.* » *Insania* enim bene est propter idola pervertere vitam. Sap. XIV, 23 et 24 : *Aut obscura sacrificia facientes, aut insaniæ plenas vigilias habentes, neque vitam, neque nuptias mundas custodiunt.*

9 Et subdit de profunditate peccatorum dicens :

« *Profunde peccaverunt.* » Qui adhuc spirat in profundo non est submersus, ita dum peccator spirat in proposito pœnitendi submersus non est : quando vero desperat, submersus est. Prov. XVIII, 3 : *Impius, cum in profundum venerit peccatorum, contemnit.* « *Sicut in diebus Gabaa.* » Legitur Judic. XIX, 26, quod uxore Levitæ cum marito revertente de Bethlehem in Gabaa, incredibili stimulo libidinis Gabaonitarum est interfecta : Dominus, sicut dicit Philo in libro *centum trium quæstionum,* vindicavit, et in Israelitas, et in Gabaonitas. In Israelitas, quia bis ceciderunt. In Gabaonitas, quia ex libidine uxorem alterius et violaverunt et occiderunt. Causa vindicationis in Israelitas hæc fuit ut dicitur, quia uxorem Levitæ quæ propter adulterium a marito recesserat, et secundum legem lapidanda fuerat vindicaverunt, et idolum quod in domo Michæ invenerunt [1], secum asportaverunt, et in Micham non vindicaverunt, cum tamen adulterium minus scelus sit quam idololatria. In Gabaonitas autem, quia contra honestatem humanam uxorem sacerdotis stimulo libidinis interfecerunt, et ita isti fecerunt, quia, sicut dicitur ad Ephes. IV, 19 : *Desperantes, semetipsos dederunt impudicitiæ.* Aliter exponitur ab Hieronymo, quod Gabaa civitas fuit, in qua unctus fuit Saul [2]. Et sicut Saul contra Dominum regnavit, ita Jeroboam : et sicut peccatum Saulis profundum fuit et remedium non habuit, ita et peccatum Jeroboam. Exod. XV, 5 : *Descenderunt in profundum quasi lapis.*

Gabaonitarum nefandum scelu[s]

Propter quod sequitur : « *Recordabitur iniquitatis eorum,* » antiquæ scilicet ad vindictam quam ex patribus hæreditaverunt. Exod. XX, 5 : *Visitans iniquitatem patrum in filios, in tertiam et quartam generationem eorum qui oderunt me.* « *Et visitabit peccata eorum,* » quæ scilicet veteribus addiderunt. Psal. CXXXVIII, 5 : *Tu cognovisti omnia, novissima et antiqua.* Singuli enim pro omnibus peccatis digna recipiunt. Psal. LXI, 13 : *Tu reddes unicuique juxta opera sua.*

[1] Cf. Judic. XVIII, 18.

[2] I Reg. X, 1 et 26.

10 « *Quasi uvas in deserto.* » Tangit hic quod casus a pulchritudine et honestate patrum debet ei esse causa doloris pœnitentiæ, et habet duas partes. Primo enim dicit casum : secundo autem causam casus, ibi, ℣. 15 : « *Omnes nequitiæ eorum.* »

Prima habet duo. In primo tangit casum a desiderabilitate patrum. Qui fuerunt viri desideriorum, et hic est casus a gratia et virtute. Secundo, tangit casum a multitudine patrum et copia divitiarum, et hic est casus a gloria, ibi, « *Gloria eorum a partu.* »

In primo tria sunt, scilicet quam suaves in gustu fuerunt patres, quam abominabiles filii, quam facile ad malum inducti.

Dicit ergo : « *Quasi uvas in deserto inveni Israel.* » Sensus est : Inveni perditum peccatis, et assumpsi ad gratiam meam Israel, populum scilicet decem tribuum in deserto, quando eduxi eos de Ægypto, et legem dedi quasi uvas gustu desiderabiles, cordis gaudium generantes, propter bonitatem patrum. Deuter. XXXII, 10 : *Invenit eum in terra deserta, in loco horroris, et vastæ solitudinis.* De uvis autem, Cant. I, 13 : *Botrus cypri dilectus meus mihi in vineis Engaddi.* Tunc enim ubera populi assimilata sunt botris, sicut dicitur, Cant. VII, 7 [1]. Ubera ejus fuerunt doctrina, et exhortatio : ubera doctrinæ fuderunt lac veritatis ad fidem, uber exhortationis fundebat lac dulcissimæ consolationis ad virtutem et bonitatem : de quibus dicitur, Cant. I, 1 et 2 : *Meliora sunt ubera tua vino, fragrantia unguentis optimis.* Et quod dicit, *in deserto,* non tantum notat locum, sed etiam desertum tunc fuisse mundum a cultu divino, ut scilicet omnibus aliis neglectis, hunc populum solum elegerit. Unde Deut. VII, 6 : *Te elegit Dominus Deus tuus, ut sis ei populus peculiaris.* Hoc sub eodem sensu refertur ad primitivam Ecclesiam, et primitivam religionem, et clerum.

era duo clesiæ : trina et hortatio.

Et subjungit similitudinem a dulcedine virtutis : « *Quasi prima poma ficulneæ,* » supple, inveni eos. Prima poma ficulneæ grossi sunt, qui propter raritatem plus desiderantur, et ita primi patres desiderabili dulcedine virtutis Deo adhæserunt. Michææ, VII, 1 : *Præcoquas ficus desideravit anima mea.* De utrisque dicitur, Cant. II, 13 : *Ficus protulit grossos suos : vineæ florentes dederunt odorem suum.*

Et innuit expositionem metaphoræ, subdens : « *In cacumine ejus,* » hoc est, ficulneæ, « *vidi,* » hoc est, lumine meo illustravi et perfudi « *patres eorum,* » qui lumine meo calefacti ad charitatem, et digesti ad virtutis dulcedinem, charissimi mihi fuerunt. Umbra enim in refrigerio concupiscentiæ dulcis fuit, fructus autem in opere virtutis suavissimus. Cant. II, 3 : *Sub umbra illius, quem desideraveram, sedi : et fructus ejus dulcis gutturi meo.* Et attende quod in cacumine arboris, quanto magis succus a radice (quæ virtutem terræ habet) sublevatur ad cacumen, tanto magis digeritur, subtiliatur, et liberius soli exponitur, et fructus affert dulciores. Isa. XVII, 6 : *In cacuminibus ejus fructus ejus, dicit Dominus Deus Israel.* Elevati enim a terra et exhibiti soli justitiæ fructum dulcissimum ferunt. Hoc signatum est, Jerem. XXIV, 2 : *Calathus unus ficus habebat malas nimis,* ut solent ficus esse primi temporis. Hoc totum simul refertur ad statum primitivæ, in clero, in populo, et in religiosis, sicut dicitur ad Roman. XI, 28 : *Secundum electionem autem, charissimi propter patres.*

Subjungit autem qualiter in filiis facti sunt abominabiles :

« *Ipsi autem,* » quamvis a bonis geniti, « *intraverunt ad Beelphegor.* » Beelphegor componitur a *Bel* et *phegor*, quod est idolum tentiginis, quod, sicut dicit Hieronymus, « Imago fuit viri nu- Beelphegor.

[1] Cantic. VII, 7 : *Statura tua assimilata est palmæ, et ubera tua botris.*

« di, et habebat pellem mortui in ore, « ut significaret quod non esset reme- « dium mortalitatis, ita quod natura fu- « giens teneri non posset, nisi per os in « cibo et potu ministraretur materia li- « bidini, ita quod per Priapum in coitu « natura fugiens teneretur, unde exten- « sum habebat veretrum [1]. » Quod autem populus huic morbo subjacuerit, dicitur, Numer. xxv, 1 et seq. : *Fornicatus est populus cum filiabus Moab. Quæ vocaverunt eos ad sacrificia sua. At illi comederunt et adoraverunt deos earum. Initiatusque est Israel Beelphegor.* Psal. cv, 28 : *Initiati sunt Beelphegor, et comederunt sacrificia mortuorum.* II Paral. xv, 17, laudatur Asa eo quod matrem suam Maacha ex augusto deposuit imperio, eo quod fecisset in luco simulacrum Priapi, quod omne contrivit in frusta comminuens. Maacha *ventris percussio* interpretatur, eo quod ictibus concupiscentiæ in umbilico tundebatur, quæ deponenda est ne libidini serviat, et ipsa libido per carnis afflictionem est comminuenda. « *Et abalienati sunt* » a Deo, vero scilicet. Isa. I, 4 : *Dereliquerunt Dominum, blasphemaverunt sanctum Israel, abalienati sunt retrorsum.* « *In confusionem,* » damnationis scilicet et mortis : quia etiam confusio magna est servire turpitudini libidinis. Psal. cviii, 29 : *Operiantur sicut diploide confusione sua.* Jerem. xxxi, 19 : *Confusus sum, et erubui, quoniam sustinui opprobrium adolescentiæ meæ.* « *Et facti sunt abominabiles,* » supple, mihi et omnibus bonis, ita scilicet ut nauseam provocent. Apocal. III 16 : *Incipiam te evomere ex ore meo.* « *Sicut ea quæ dilexerunt,* » supple, sunt abominabilia, sicut idola et concupiscentiæ. Sap. xiv, 9 : *Similiter odio sunt Deo impius, et impietas ejus.* Job, xv, 16 : *Abominabilis et inutilis est homo, qui bibit quasi aquam iniquitatem.*

Concupiscentia carnis reprimenda.

Et subdit quam leviter a Deo recessit : « *Ephraim quasi avis avolavit.* » *Avis* componitur ab *a* quod est *sine,* et *via* quasi *sine via,* quia nullam certam viam tenet, et cito recedit a loco in quo est : sic populus de facili et cito deseruit legem Dei. Exod. xxxII, 8 : *Recesserunt cito de via, quam ostendisti eis.* Sap. v, 11 : *Tamquam avis, quæ transvolat in aere, cujus nullum invenitur argumentum itineris.* Hæc per omnem eumdem modum, et sub eisdem auctoritatibus referuntur ad populum clerum et religiosos, qui formam primitivorum patrum relinquunt et libidini serviunt.

« *Gloria eorum a partu.* » Tangit hic casum a gloria dupliciter. Ceciderunt enim a gloriosa multitudine successorum, et a copia divitiarum.

« *Gloria eorum,* » hoc est, gloriatio eorum, est « *a partu* » quem gloriosum ediderunt, quod signatum est, Genes. xxx, 13, ubi dixit pariens Lia : *Hoc pro beatitudine mea : Beatam quippe me dicent mulieres.* « *Et ab utero,* » qui scilicet nobilis et fide thori et castitate matrimoniali erat. Unde, Joan. VIII, 41, dicunt : *Nos ex fornicatione non sumus nati.* Cantic. VII, 2 : *Venter tuus sicut acervus tritici, vallatus liliis,* hoc est, ut triticum purus et desiderabilis, et ut lilium omni flore, castitate mirabilis. « *Et a conceptu,* » quem scilicet usque ad debitum tempus partus retinuerunt, et aborsum non patiebantur. Job, xxi, 10 : *Bos eorum concepit, et non abortivit : vacca peperit, et non est privata fœtu suo.*

[1] S. HIERONYMUS, Comm. in Osee, lib. II, cap. 9 : « Interpretatur *Beelphegor*, idolum tentigi- « nis, *habens in ore*, id est, in summitate, *pellem*, « ut turpitudinem membri virilis ostenderet. » Ed. Migne, xxv, p. 896.

12 Quia autem ab his filii ceciderunt, propter hoc sequitur :

« *Quod et si enutrierint filios suos,* » quos scilicet ad formam sui peccati nutriunt, « *absque liberis eos faciam in hominibus.* » I Reg. xv, 33 : *Absque liberis erit inter mulieres mater tua. Liberi* dicuntur filii de utero libero et ad liberos virtutis actus nati. Ad Galat. iv, 31 : *Non sumus ancillæ filii, sed liberæ* : *qua libertate Christus nos liberavit.* Unde non negat quin servos possit habere filios. Joan. viii, 34 : *Qui facit peccatum, servus est peccati.* Et hunc sensum innuit persequens : « *Sed et væ eis,* » scilicet æternæ damnationis, « *cum recessero ab eis,* » per gratiæ scilicet subtractionem. Jerem. xvii, 13 : *Recedentes a te, in terra scribentur.* Hoc signatum est, I Reg. xvi, 14, ubi dicitur quod spiritus Domini recessit a Saul, et exagitabat eum spiritus malus statim [1]. Hæc omnia referuntur ad clerum et religiosos qui gloriantur in multitudine partus, quod scilicet multos ad formam suam ducunt et generant, et ab utero libidinis qua uterum Ecclesiæ corruperunt, et a contemptu, quod scilicet in magnis Ecclesiis concepti sunt : cum tamen dicat Psal. lvii, 4 : *Erraverunt ab utero* : *locuti sunt falsa.* Non enim sunt de illis, de quibus dicitur, Isa. xxvi, 18 : *Concepimus, et quasi parturivimus, et peperimus spiritum.* Sed figurantur, I Reg. vi, 2, per uxorem Phinees, qui *os mutum* interpretatur, quæ moriens in partu vocavit filium suum Ichabod, hoc est, *inglorium,* dicens : *Translata est gloria de Israel.*

[...icorum ...a gloria-...tio.]

13 Et subdit de casu a copia divitiarum, dicens :

« *Ephraim, ut vidi,* » hoc est, ut eum luce prosperitatis perlustravi, « *Tyrus erat,* » hoc est, similis Tyro in copia divitiarum, de qua multum legitur, Ezech. xxviii, 12 et 13 : et inter cætera dicitur ibi : *Tu signaculum similitudinis, plenus scientia, et perfectus decore, in deliciis paradisi Dei fuisti* : *omnis lapis pretiosus operimentum tuum.* Et hoc est quod sequitur : « *Fundata in pulchritudine,* » hoc est, potentatu, divitiis, et splendore honoris. Ezech. xxvii, 3 : *O Tyre, tu dixisti* : *Perfecti decoris ego sum.* Hoc idem nunc de Ecclesiis et claustris dici potest, et hæc omnia per peccatum auferentur. Et hoc est quod sequitur : « *Et Ephraim educet.* » Sic continuandum est : In pulchritudine fundata fuit, sed quia cor elevatum est in pulchritudine ejus, Ezech. xxviii, 17 : *Elevatum est cor tuum in decore tuo,* ideo ad tantam inediam deducetur, quod Ephraim educet de civitate, supple, præ inedia famis, « *ad interfectorem filios suos,* » potius volens eos interfici quam fame tabescere. Quod litteraliter factum est, IV Reg. vi, 25, ubi habetur quod Benadab rege Syriæ obsidente Samariam, facta est fames tam valida, donec venumdaretur caput asini octoginta argenteis, et quarta pars cabi stercoris columbarum quinque argenteis. Stercore enim columbarum (ut dicit Josephus) Hebræi pro sale utebantur. Stercus enim columbarum propter caliditatem et siccitatem fortiter aquæ commixtum, et ad modum salinarum decoctum salem reddit. Unde tunc Samaritani cogitaverant exire ad inimicos ut interficerentur. Thren. iv, 9 : *Melius fuit occisis gladio, quam interfectis fame* : *quoniam isti extabuerunt.* Hoc etiam refertur ad personas ecclesiasticas, quæ fundatæ erant in pulchritudine, modo ad tantam inopiam revertuntur, ut ad interfectorem, hoc est, sæcularem conversationem filios educent : sæcularibus enim negotiis sunt intenti. Thren. i, 20 : *Foris interfecit gladius, et domi mors similis est.*

Columbaris stercus ad salis virtutem decoquitur.

[1] I Reg. xvi, 14 : *Spiritus Domini recessit a Saul, et exagitabat eum spiritus nequam, a Domino.*

14 Et ideo subddit Propheta prophetiam sub oratione : « *Da eis, Domine.* » Psal. XCIII, 2 : *Redde retributionem superbis.* « *Quid dabis eis ?* » Ex desiderio quærit : tanta est enim culpa eorum, quod nescit quid pro retributione petat. Exigentia enim culpæ vincit omnem pœnam. Unde, Isa. I, 5 : *Super quo percutiam vos ultra ?* Id tamen quod magis congruit, subdit : « *Da eis vulvam sine liberis.* » *Vulva* a volendo dicitur, quia semper concupiscit. Unde Proverb. XXX, 15 et 16, inter insatiabilia computatur os vulvæ, et concupiscentiam signat, quia avarus non replebitur pecunia [1]. Jerem. XVIII, 21 : *Fiant uxores eorum absque liberis.* Est autem sine liberis, quia nihil liberum conciperunt. « *Et ubera arentia.* » *Uber* ab ubertate dicitur, quia ubertim fundit. Duo enim ubera, doctrinæ scilicet et exhortationis arent in eis. Ruth, I, 11 : *Num ultra habeo filios in utero meo, ut viros ex me sperare possitis ?* Cant. VIII, 8 : *Soror nostra parva est, et ubera non habet.*

15 « *Omnes nequitiæ eorum.* » Tangit causam casus et a gratia et a gloria. « *Omnes nequitiæ eorum,* » hoc est, causa omnis nequitiæ, « *in Galgal,* » supple, initium habuit. *Galgal* sive Galgala locus est ubi Josue secundam circumcisionem fecit, sicut dicitur Josue, V, 9. Et propter hoc locus in veneratione fuit, propter quod idolum in loco illo posuerunt, ut ex loci veneratione facilius populum ad idololatriam inclinarent. I Reg. IX et X, dicitur, quod Samuel in Galgalis Saul in regem unxit, qui contra Dominum fuit, et ideo et quantum ad idololatriam et quantum ad tyrannidem regiam, in Galgalis peccatum incipit. Et hoc est quod sequitur : « *Quia ibi,* » hoc est, propter peccatum inibi factum, « *exosos habui eos.* » Jerem. XV, 1 : *Non est anima mea ad populum istum.* Moraliter autem, Galgal interpretatur *revelatio* vel *volutabrum :* revelant enim et prædicant peccata sua in scandalum. Isa. III, 9 : *Peccatum suum quasi Sodoma prædicaverunt, nec absconderunt.* Et in volutabro concupiscentiarum tota die volvuntur. II Petr. II, 22 : *Canis reversus ad suum vomitum : et, Sus lota in volutabro luti,* quos exosos habet Dominus. Psal. CXVIII, 113 : *Iniquos odio habui.* « *Propter malitiam adinventionum eorum,* » quia scilicet nova genera peccatorum invenerunt. Isa. III, 8 : *Lingua eorum et adinventiones eorum contra Dominum.* « *De domo mea ejiciam eos.* » Psal. C, 7 : *Non habitabit in medio domus meæ qui facit superbiam.* Genes. XXI, 10 : *Ejice ancillam hanc, et filium ejus.* « *Non addam ut diligam eos,* » Glossa, « in errore manentes. » Aliter contrarium esset ei quod dicitur, Osee, XIV, 5 : *Diligam eos spontanee : quoniam aversus est furor meus ab eis.*

Et subdit causam, et suppletur, quia « *Omnes principes eorum recedentes,* » supple, sunt : a primo enim Jeroboam (III Reg. XIII) usque ad ultimum Osee (IV Regum XVI) nullus fuit regum Israel qui non faceret malum in conspectu Domini. Sic etiam principes malorum recedunt a Deo. Isa. I, 23 : *Principes tui infideles, socii furum.*

Et tangit de desperatione redeundi ad bonum : 16

« *Percussus est Ephraim,* » hoc est, abscissus. Luc. III, 9 : *Securis ad radicem arborum posita est. Omnis ergo arbor non faciens fructum bonum, excidetur, et in ignem mittetur.* Luc. XIII, 7 : *Ecce anni tres sunt, ex quo venio quærens fructum in ficulnea hac, et non invenio : succide ergo illam : ut quid etiam terram occupat ?* Et ne aliquis di-

[1] Proverb. XXX, 15 et 16 : *Tria sunt insaturabilia, et quartum quodnum quam dicit : Sufficit. Infernus, et os vulvæ, et terra quæ non satiatur aqua : ignis vero numquam dicit : Sufficit.*

cat quod de radice aliquid oriri posset, respondet subdens : « *Radix eorum exsiccata est*, » nullo scilicet humore pietatis infusa, et *radix* dicitur cor vel liberum arbitrium. Isa. XL, 24 : *Et quidem neque plantatus, neque satus, neque radicatus in terra truncus eorum : repente flavit in eos, et aruerunt, et turbo quasi stipulam auferet eos.* « *Fructum nequaquam facient*, » boni operis scilicet et virtutis. Judas in epistola, ℣. 12 : *Arbores autumnales, infructuosæ, bis mortuæ, eradicatæ.* « *Quod et si genuerint*, » supple, per spuria vitulamina, sive per adulterinas plantationes. Deut. XXXII, 5 : *Generatio prava atque perversa.* « *Interficiam amantissima uteri eorum.* » Uterus enim fœdus est, et *amantissima uteri* fœditate sunt informata. Isa. XIV, 20 et 21 : *Non vocabitur in æternum semen pessimorum. Præparate filios ejus occisioni.*

Causam autem subdit : 17

« *Abjiciet eos Deus meus,* » sicut contemptos scilicet. I Reg. XVI, 1 : *Usquequo tu luges Saul, cum ego projecerim eum?* Psal. V, 11 : *Secundum multitudinem impietatum eorum expelle eos.* « *Quia non audierunt eum,* » hoc est, non exaudierunt, ut obedirent. Prov. I, 24 et 26 : *Quia vocavi et renuistis: extendi manum meam et non fuit qui adspiceret... Ego quoque in interitu vestro ridebo.* « *Et erunt vagi in nationibus,* » hoc est, per diversos errores et delectabilia nationum errantes. Genes. IV, 12 : *Vagus et profugus eris super terram*, scilicet omnibus diebus vitæ tuæ. Prov. XI, 18 : *Impius facit opus instabile.* Thren. I, 8 : *Peccatum peccavit Jerusalem, propterea instabilis facta est.*

Hæc expositio communis est ad litteralem et moralem intellectum.

CAPUT X.

Propter idololatriam Israel traditur Assyriis : et cum a Domino revocati ad justitiam, pergant sequi vias suas, omnes eorum munitiones vastabuntur.

1. Vitis frondosa Israel, fructus adæquatus est ei : secundum multitudinem fructus sui multiplicavit altaria, juxta ubertatem terræ suæ exuberavit simulacris.
2. Divisum est cor eorum, nunc interibunt : ipse confringet simulacra eorum, depopulabitur aras eorum.
3. Quia nunc dicent : Non est rex nobis, non enim timemus Dominum : et rex quid faciet nobis ?
4. Loquimini verba visionis inutilis, et ferietis fœdus : et germinabit quasi amaritudo judicium super sulcos agri.
5. Vaccas Bethaven coluerunt habitatores Samariæ : quia luxit super eum populus ejus, et æditui ejus super eum exsultaverunt in gloria ejus, quia migravit ab eo.
6. Siquidem et ipse in Assur delatus est, munus regi ultori. Confusio Ephraim capiet, et confundetur Israel in voluntate sua.
7. Transire fecit Samaria regem suum quasi spumam super faciem aquæ.
8. Et disperdentur excelsa idoli, pec-

catum Israel : lappa et tribulus ascendet super aras eorum : et dicent montibus : Operite nos : et collibus : Cadite super nos [1].
9. Ex diebus Gabaa, peccavit Israel [2] : ibi steterunt. Non comprehendet eos in Gabaa prœlium super filios iniquitatis.
10. Juxta desiderium meum corripiam eos : congregabuntur super eos populi, cum corripientur propter duas iniquitates suas.
11. Ephraim vitula docta diligere trituram : et ego transivi super pulchritudinem colli ejus : ascendam super Ephraim : arabit Judas, confringet sibi sulcos Jacob.
12. Seminate vobis in justitia, et metite in ore misericordiæ : innovate vobis novale [3] : tempus autem requirendi Dominum, cum venerit qui docebit vos justitiam.
13. Arastis impietatem, iniquitatem messuistis, comedistis frugem mendacii, quia confisus es in viis tuis, et in multitudine fortium tuorum.
14. Consurget tumultus in populo tuo : et omnes munitiones tuæ vastabuntur, sicut vastatus est Salmana [4] a domo ejus qui judicavit Baal in die prœlii, matre super filios allisa.
15. Sic fecit vobis Bethel, a facie malitiæ nequitiarum vestrarum.

IN CAPUT X OSEE

ENARRATIO.

« *Vitis frondosa Israel.* » Tangit hic reprehensionem de multitudine peccatorum, et dividitur in duo, scilicet quam multipliciter peccaverit, et quam acriter peccatum punietur, infra, XIII, 1, ibi, « *Loquente Ephraim.* »

In multiplicate peccati tria sunt, scilicet multiplicitas brevitatis, et ingratitudinis vanitas, et hanc tangit, infra, XI, 1, ibi, « *Sicut mane :* » et inutilitas, quam tangit, infra, XII, 1, ibi, « *Ephraim pascit ventum.* »

In hoc ergo capitulo tangitur multiplicitas, quam exaggerat duabus similitudinibus, scilicet similitudine vitis, et similitudine multiplicis lasciviæ vitulæ, ibi, ℣. 11 : « *Ephraim vitula.* »

In primo duo sunt : peccati multiplicitas scilicet, et consuetudinis antiquitas, ibi, « *Ex diebus Gabaa.* »

In prima harum tria sunt, scilicet peccati multiplicitas, concupiscentiæ luxus, et deformitas, ibi, « *Vaccas Bethaven :* » et peccati reatus, et brevitas, ibi, « *Transire fecit Samaria.* »

Multiplicitas autem peccati exaggeratur hic quadrupliciter, scilicet in causa, in effectu, in pœna, et in ablatione falsæ consolationis.

1 « *Vitis frondosa Israel,* » hoc est, Israel fuit similis viti frondosæ, in Patriarchis scilicet et Prophetis. Isa. v, 7 : *Vinea Domini exercituum domus Israel est : et vir Juda, germen ejus delectabile.* Frondositas autem virorem virtutis signat, et suavitatem sermonis et eloquii, quæ fuit apud Prophetas et Doctores. Ezech. XLVII, 12 : *Folia ejus ad medicinam,* supple, proficiunt. Jerem. XVII, 8 : *Erit folium ejus viride.* « *Fructus adæquatus est ei,* » supple, pro illo tempore.

[1] Isa. II, 19 ; Luc. XXIII. 30 ; Apocal. VI, 16.
[2] Judic. XIX, 15-25.
[3] Jerem. IV, 3.
[4] Judic. VIII, 12.

Et fructus signat abundantiam bonorum operum, et spiritualium gaudiorum. Eccli. xxiv, 23 : *Ego quasi vitis fructificavi suavitatem odoris : et flores mei fructus honoris et honestatis.* Joan. xv, 5 : *Qui manet in me, et ego in eo, hic fert fructum multum.*

Et subdit de multiplicitate peccatorum in filiis tantorum patrum : « *Secundum multitudinem fructus sui,* » quem scilicet habuit in patribus, « *multiplicavit altaria,* » supple, in filiis. Septuaginta habent, « Titulos, » quia in uno templo multorum deorum vel dæmonum tituli fuerunt et memoriæ. Ezech. viii, 10 : *Ingressus vidi, et ecce omnis similitudo reptilium, et animalium, abominatio, et universa idola domus Israel depicta erant in pariete in circuitu per totum. Altare* autem dicitur, quasi alta ara, ara vero ab arendo, quia igne arere facit quod imponitur, et sic tangit hoc quod habetur, III Reg. xii, 32 et 33, quod Jeroboam constituit altare, et fecit solemnitatem filiis Israel, et ascendit super altare, ut adoleret incensum[1]. De multiplicitate autem dicitur Ezech. xvi, 31 : *Fabricasti lupanar tuum in capite omnis viæ, et excelsum tuum fecisti in omni platea.* Et hoc est quod sequitur : « *Juxta ubertatem terræ suæ,* » quæ ad multas stirpes uber fuit, « *exuberavit simulacris,* » virtutem scilicet germinandi tribuens Æsculapio, fruges Cereri, calorem ferrum domantem Vulcano, vinum Baccho, nativum humorem Veneri, elementale humidum Lunæ, et sic aliis. Deuter. xxxii, 17 : *Novi recentesque venerunt, quos non coluerunt patres eorum.* Septuaginta habent, « Vitis aquosa, » et per aquosam intelligunt irriguam, ita quod ex humore concepto, multa possit producere folia et fructus. Hæc moraliter referuntur ad divites hujus sæculi et Prælatos Ecclesiarum, qui in foliis verborum abundant et fructu temporalium, et ideo altaria delectabilium construunt, et simulacra spectaculorum multiplicant, quod figuratur, Dan. iv, 9 et seq., in arbore pulcherrima, cujus erat fructus nimius, quæ statim succisa est[2]. Deut. xxxii, 15 : *Incrassatus est dilectus, et recalcitravit,* etc. Altaria divitum et Prælatorum.

2 « *Divisum est cor eorum.* » Hoc multipliciter legitur. Quia enim multis simulacris exuberavit, et ab uno Deo recessit, cor in multa per cultum et venerationem divisum est. Psal. lxxxii, 11 : *Disperierunt in Endor : facti sunt ut stercus terræ.* Endor interpretatur *fons generationis,* et signat conversionem ad lasciviam vitulorum et ad idolum Beelphegor, ex quo diffusi sunt ut vituli ad concupiscentias diversas in gula et in venereis, quæ sunt circa fontem generationis, et fiunt ut stercus terræ per utilitatem peccati. Jerem. l, 11 : *Effusi estis sicut vituli super herbam, et mugistis sicut tauri.* Legitur etiam sic, quod divisum est cor eorum in multa delectabilia, recedens ab uno Deo. I ad Cor. vii, 33 : *Sollicitus est quæ sunt mundi, quomodo placeat uxori, et divisus est.* Luc. x, 41 : *Martha, Martha, sollicita es, et turbaris erga plurima.* Hieronymus narrat ex Hebræorum doctrinis, quod ultimus rex decem tribuum sit Osee, qui malus fuit in conspectu Domini, sed non sicut antecessores ejus, ut dicitur IV Reg. xvii, 2. Licentiam enim dedit populo, ut qui vellent, ad templum Domini redirent in Jerusalem, et non cogerentur immolare vitulis : et tunc populus noluit, et sic cor populi a corde principis divisum est, et ex tunc coactionem allegare non potuerunt, et ideo secuta est statim captivitas,

[1] III Reg. xii, 32 et 33 : *Constituitque* Jeroboam *diem solemnem in mense octavo,... in similitudinem solemnitatis quæ celebratur in Juda... Et ascendit super altare quod exstruxerat in Bethel, ut adoleret incensum.*

[2] Dan. iv, 9 et seq. : *Videbam, et ecce arbor in medio terræ, et altitudo ejus nimia. Magna arbor, et fortis,* etc.

quod per Scripturam probari potest. Luc. XI, 23 : *Qui non colligit mecum, dispergit.* Psal. CV, 35 : *Commisti sunt inter gentes, et didicerunt opera eorum.* III Reg. III, 26 : *Nec mihi, nec tibi sit, sed dividatur.* Ezech. XVI, 25 : *Divisisti pedes tuos omni transeunti*, hoc est, affectus. Et ideo sequitur : « *Nunc interibunt,* » hoc est, in proximo : causam enim interitus jam conceperunt. Tob. XIV, 6 : *Prope erit interitus Ninive.* Et post pauca, ℣. 13 : *Video enim quia iniquitas ejus finem dabit ei.* Interitus Ninive, signat interitum delectabilium peccati. Ninive enim interpretatur *gratia pulchritudinis.*

Qualiter autem interire debeant, subdit : « *Ipse confringet simulacra eorum.* » *Ipse*, inquam, cujus virtus sola demonstrabilis est, hoc est, Deus. Psal. XVII, 39 : *Confringam illos, nec poterunt stare : cadent subtus pedes meos.* Item, Psal. LXVII, 22 : *Deus confringet capita inimicorum suorum.* Isa. XXIV, 19 : *Confractione confringetur terra.* « *Depopulabitur aras eorum,* » in templis scilicet, et ornatum auferens et aras subvertens. Isa. XXIV, 20 : *Gravabit eam iniquitas sua, et corruet, et non adjiciet ut resurgat.* Isa. XXI, 2 : *Qui depopulator est, vastat.* Depopulatio enim dicitur direptio quam facit populus, qui nihil relinquit nisi solitudinem, quia quod unus non vult, alter accipit. Aræ autem signant calida corda per avaritiam et concupiscentiam, in quorum igne idolis immolatur. Job, XXXI, 12 : *Ignis est usque ad perditionem devorans.* Prov. XXX, 16 : *Ignis numquam dicit : Sufficit.*

3 Quod autem hoc futurum sit per ipsum Deum quem demonstravit, probat per signum, subdens : « *Quia nunc,* » hoc est, in proximo, instante captivitate, « *dicent,* » cognoscentes fortitudinem Dei esse, qua captivantur. Osee, VI, 1 : *In tribulatione sua mane consurgent ad me.* Gregorius : « Oculos quos culpa clausit, « pœna aperit » : « *Non est rex nobis,* » qui scilicet nos defendat. Et videntur innuere illud quod tangitur IV Reg. XIX, 35 et seq., et Isa. XXXVII, 36, ubi merito boni regis Ezechiæ defensus est populus a Sennacherib, interfectis in castris Assyriorum centum octaginta quinque millibus : et cum merito sui regis defensionem non accipiant, dicunt : « *Non est rex nobis* » Et hoc est quod sequitur : « *Non enim timemus Dominum,* » ut scilicet in timore Dei regem constituissemus. Luc. XVIII, 4 : *Deum non timeo, nec hominem revereor.* Psal. X sec. Hebræos, 5 : *Non est Deus in conspectu ejus.* « *Et rex quid faciet nobis,* » sic sine timore Dei constitutus, talis enim iræ Dei resistere non potest. Ezech. XIV, 5 : *Non ascendistis ex adverso, neque opposuistis,* vos scilicet, *murum pro domo Israel.* Isa. LXIV, 7 : *Non est qui invocet nomen tuum, qui consurgat, et teneat te.* Hæc eadem sub eodem sensu ad malos Prælatos referuntur, qui sine Dei timore constituuntur.

« *Loquimini verba visionis inutilis.* » 4
Tangit hic exclusionem falsæ consolationis, de consolatione scilicet Pseudoprophetarum, qui impunitatem promittebant eis in peccatis : et hæc erat visio inutilis, quia mendax fuit. Isa. III, 12 : *Populе meus, qui te beatum dicunt, ipsi te decipiunt, et viam gressuum tuorum dissipant.* Jerem. XXIII, 14 : *In prophetis Jerusalem vidi similitudinem adulterantium, et iter mendacii : et confortaverunt manus pessimorum ut non converteretur unusquisque a malitia sua.* Et hoc est quod sequitur : « *Et ferietis fœdus,* » scilicet cum mendacio. Mendacium dicitur omne quod promittit et non solvit, sicut Propheta mendax temporalia et delectabilia carnis, et hujusmodi. Isa. XXVIII, 15 : *Posuimus mendacium spem nostram, et mendacio protecti sumus.* « *Et* » supple, ideo, « *germinabit quasi amaritudo judicium,* » hoc est, damnatio quæ pullulat in cogitatione, turget in

Falsi pr[ophetæ] qu[i] carnis su[avia] docent.

gemmis in proposito, floret in verbis vel in consensu, et fructificat in opere vel in pœna. Ezech. vii, 10 et 11 : *Egressa est contritio, floruit virga, germinavit superbia : iniquitas surrexit in virgam impietatis.* « *Super sulcos agri,* » hoc est, super cor sulcatum prædicatione Pseudoprophetarum. Genes. iii, 18 : *Spinas et tribulos germinabit tibi.* Ad Hebr. vi, 8 : *Terra proferens spinas ac tribulos, reproba est, et maledicto proxima : cujus consummatio in combustionem,* ignis scilicet.

5 « *Vaccas Bethaven.* » Tangit hic multiplicitatem concupiscentiæ quæ idololatriam sequitur. Et hoc est : « *Vaccas Bethaven,* » et tangit peccatum et peccati signum, « *coluerunt habitatores Samariæ.* » Samaria *custodia* interpretatur, Bethaven autem *domus inutilis. Vaccas* enim dicit propter derisionem, quia non solum vitulos in masculino sexu, sed et vaccas instrumenta turpitudinis in propatulo exhibentes coluerunt, quod signat Prælatos in custodia positos, qui turpitudinis lasciviam colunt. Amos, iv, 1 : *Audite verbum hoc, vaccæ pingues, quæ estis in monte Samariæ.* Psal. lxvii, 31 : *Congregatio taurorum in vaccis populorum.*

Et subdit signum per quod de peccato convincuntur, dicens : « *Quia luxit super eum populus ejus,* » vituli scilicet. Luctus autem in perditione signum fuit dilectionis in possessione : luctus enim est in ablatione delectabilis, qui luctus figuratur, Ezech. viii, 14, ubi mulieres sedebant plangentes Adonidem, amasium Veneris [1] : et Numer. xi, 4, ubi sedebat populus flens et dicens : *Quis dabit nobis ad vescendum carnes ?* Ita luctus populi in vitulis ablatis, signum fuit venerationis et dilectionis quam habebant ad eos.

Et subdit aliud signum : « *Et æditui ejus super eum.* » Æditui sunt custodes ædis, sicut Sacerdotes, et ministri Sacerdotum, et hujusmodi, « *exsultaverunt in gloria ejus,* » vituli scilicet, ut singulare pro plurali ponatur. Dum enim gloriose celebraretur, Sacerdotes exsultabant pro oblationibus et votis. Psal. xlviii, 12 : *Vocaverunt nomina sua in terris suis.* Sicut adhuc videmus malos exsultare in lasciviis. Sap. ii, 8 et 9 : *Nullum pratum sit quod non pertranseat luxuria nostra. Nemo nostrum exsors sit luxuriæ nostræ.* Ubique relinquamus signa lætitiæ, quoniam hæc est pars nostra, et hæc est sors nostra. « *Quia migravit ab ea* » (Hieronymus ponit, *ab eo :* ab ea, scilicet, gloria : vel ab eo, scilicet, populo). A gloria enim idoli migraverunt per captivitatem Sacerdotes : idolum autem migravit a populo.

Et hoc est quod sequitur : « *Siquidem* 6
et ipse, » scilicet vitulus, « *in Assur delatus est,* » hoc est, ad regem Assyriorum, « *munus regi ultori.* » Et tangit quod tempore Manahen factum est, IV Reg. xv, 19, qui mille talenta argenti misit regi Assyriorum, ut manus ejus esset cum ipso : inter quæ etiam vitulos misit quos aureos esse putavit. Ex quo malo tria mala surrexerunt. Dicit enim Hieronymus, quod Jeroboam vitulos aureos posuit, quos ex avaritia Sacerdotes subtraxerunt, et vitulos æreos deauratos illis simillimos supposuerunt ; et propter hoc populus videns vitulos perditos, luxit. Sacerdotes autem exsultaverunt, putantes fraudem eorum de cætero deprehendi non posse. Rex autem Assyriorum ad deteriora provocatus est, videns se deceptum, quia æs pro auro receperat. Prov. xi, 6 : *In insidiis suis capientur iniqui.* Prov, xii, 20 : *Dolus in corde cogitantium mala.* Osee, v, 13 :

Sacerdotes vitulis aureis æreos supposuerunt.

[1] Ezech. viii, 14 : *Et ecce ibi mulieres sedebant plangentes Adonidem.*

Abiit Ephraim ad Assur, et misit ad regem ultorem.

Et subdit pœnam : « *Confusio capiet Ephraim :* » confusio scilicet pœnæ pro confusione culpæ. Psal. cviii, 29 : *Operiantur sicut diploide confusione sua*, hoc est, confusione corporis et animæ, et cordis et vultus in pœnitentia. Et attende quod captus tenetur vi capientis, et vult dicere quod vi confusionis tenebuntur, ita quod recedere non possunt. Jerem. ii, 26 : *Quomodo confunditur fur quando deprehenditur, sic confusi sunt domus Israel.* Causam autem confusionis subdit : « *Et* » id est, vel quia « *confundetur Israel in voluntate,* » hoc est, pro voluntate « *sua* » mala, ut sciamus quod non tantum pro opere, sed etiam pro voluntate homo damnatur. Voluntas enim mala, radix mala est, de qua dicitur, Matth. vii, 18 : *Non potest arbor mala bonos fructus facere.*

Voluntas mala, damnabilis, non tantum opus.

7 Quos autem confusio capiet consequenter ostendit, primo in rege, secundo in populo.

« *Transire fecit Samaria regem suum,* » hoc est, peccatum Samariæ, propter quod ruit Prælatus. Eccli. x, 17 : *Sedes ducum superborum destruxit Deus.* Luc. ii, 52 : *Deposuit potentes de sede.* « *Quasi spumam super faciem aquæ.* » Spuma ex bullis componitur ventosis, et signat ventosam superbiam, quæ cito dissipatur. Sap. v, 15 : *Spes impii tamquam lanugo est, quæ a vento tollitur : et tamquam spuma gracilis, quæ a procella dispergitur.*

8 « *Et disperdentur,* » supple, tunc, « *excelsa idoli,* » hoc est, excelsa in quibus erant idola in Dan et in Bethel, et signat ambitionem quæ idolum suum ponit in excelsis. Isa. x, 33 : *Excelsi statura succidentur.* « *Peccatum Israel.* » In vitulis enim et in excelsis peccaverunt. Unde, Exod. xxxii, 31 : *Reversusque ad Dominum, ait : Obsecro, peccavit populus iste*, etc.

Et subjungit pœnam ex parte populi. « *Lappa, et tribulus ascendet super aras eorum,* » hoc est, corda in quibus dæmonibus sacrificant. *Lappa* propter tenacitatem adhærentem signat concupiscentiam : *tribulus* autem punitivam pœnam. Quia et concupiscentia adhærebit damnatis, et pœna removebit delectabile. Genes. iii, 18 : *Spinas et tribulos germinabit tibi.* Osee, ix, 6 : *Desiderabile argentum eorum urtica hæreditabit, lappa in tabernaculis eorum.* Quanta autem sit pœna, subjungit : « *Et dicent montibus : Operite nos :* » vellent enim mori ne viderent mala quæ passuri sunt, et ideo vellent montibus cooperiri, et collibus contegi. Apoc. vi, 16 : *Dicunt montibus et petris : Cadite super nos, et abscondite nos a facie sedentis super thronum.* Et hoc est quod sequitur : « *Et collibus : Cadite super nos.* » Hieronymus moraliter hoc exponit dicens, quod « *montes* « signant Sanctos qui veram habent altitudinem, qui operiunt multos et sanctitate conversationis et intercessione « orationis. *Colles* autem signant eminentias sæculares quæ cadunt quotidie « et non veram habent altitudinem, et « petunt in pœnitentia, ut illi colles coram eis non stent, sed cadant ne stent « in eis elevati contra Deum. » Psal. xxxv, 12 et 13 : *Non veniat mihi pes superbiæ : et manus peccatoris non moveat me. Ibi ceciderunt omnes qui operantur iniquitatem.* De montibus autem dicitur, Jerem. xxxi, 23 : *Benedicat tibi Dominus, pulchritudo justitiæ, mons sanctus.*

« *Ex diebus Gabaa.* » Tangit hic antiquæ consuetudinis pertinaciam et pœnam, et dicit tria : peccatum, pertinaciam, et pœnam. 9

Peccatum innuit, cum dicit : « *Ex diebus Gabaa, peccavit Israel.* » Et tangit peccatum quod factum est in Gabaa :

quod duplex est, sicut in antehabitis dictum est[1] : unum quidem de idolo Michæ, in quo injuriam Dei non vindicaverunt, fœminam adulteram indignam vindicta vindicaverunt, quin potius idolum Michæ asportantes semper secum retinuerunt. Secundum fuit, quod Saulem, qui fuit de Gabaa, regem postulaverunt, ne sub regno Dei essent, et ne Dominus regnaret super eos. Primum est, Judic. XVIII, 17 et seq. Secundum, I Reg. VIII, 5 et seq. Et ita modo ad idola conversi sunt, et a regno David ad Jeroboam declinaverunt. Et hoc est quod dicit : « *Ex diebus Gabaa peccavit,* » hoc est, duplex peccatum in consuetudine retinuit « *Israel.* » Isa. XLVIII, 8 : *Transgressorem ex utero vocavi te.* Act. VII, 51 : *Dura cervice, et incircumcisis cordibus, et auribus, vos semper Spiritui sancto resistitis.* « *Ibi steterunt,* » hoc est, pertinaci voluntate in illo peccato remanserunt. Psal. I, 1 : *Beatus vir qui non abiit in consilio impiorum, et in via peccatorum non stetit.* Jerem. LI, 50 : *Qui fugistis gladium, venite, nolite stare.* Bernardus : « Stare in via Dei, « retrocedere est. » Matth. XX, 6 : *Quid hic statis tota die otiosi ?* »

Et subdit pœnam, innuens quod etiam judicio humano inferenda sit talibus. « *Non,* » id est, nonne etiam, supple, judicio humano, « *comprehendet,* » hoc est, comprehendere debet, ut nusquam effugere possint « *eos,* » tantos scilicet peccatores, « *in Gabaa prœlium* » hoc est, prœlium simile Gabaonitico, quod, inquam, prœlium fuit « *super filis iniquitatis,* » Gabaonitas conterendos et delendos, hoc est, ut deleantur sicut illi deleti sunt. Quasi dicat, sic debet. Ad Hebr. II, 2 et 3 : *Si omnis prævaricatio et inobedientia accepit justam mercedis retributionem, quomodo nos effugiemus, si tantam neglexerimus salutem ?*

Pœna comes est culpæ.

Similes enim in culpis similes esse debent in pœnis. Ad Roman. XI, 20 et 21 : *Noli altum sapere, sed time. Si enim Deus naturalibus ramis non pepercit, ne forte tibi nec parcat.* II Petr. II, 9 : *Novit Dominus pios de tentatione eripere : iniquos vero in diem judicii reservare cruciandos.*

Habito autem judicio, quod etiam ho- 10
mo judicat, infert, et suppletur rationalis conjunctio, ergo, « *Juxta desiderium meum,* » hoc est, voluntatem meam quam habeo in reddendo unicuique pro meritis, « *corripiam eos,* » per obsidionem scilicet, et captivitatem, ut emendentur. Ad Hebr. XII, 7 : *Quis filius, quem non corripit pater ?* Job, V, 17 et 18 : *Increpationem Domini ne reprobes : quia ipse vulnerat, et medetur.* II Machab. VI, 16 : *Corripiens in adversis populum suum non derelinquit.*

Qualiter autem hoc fiat, subdit, et suppletur, quia « *Congregabuntur super eos populi,* » Assyriorum scilicet exercitus congregabuntur consensu prœliandi contra eos. Isa. V, 26 : *Elevabit Dominus signum in nationibus procul, et sibilabit ad eum de finibus terræ : et ecce festinus velociter veniet.* Sicut etiam dæmones congregantur ad damnationem peccatoris. Isa. XXXIV, 15 : *Illuc congregati sunt milvi, alter ad alterum.* Milvi enim sunt ad rapiendum. « *Cum corripientur propter duas iniqnitates suas.* » Duæ iniquitates sunt : Dei per idololatriam dimissio, et regni David per assumptionem Jeroboam relictio. Isa. VIII, 6 et 7 : *Pro eo quod abjecit populus iste aquas Siloe, quæ vadunt cum silentio, et assumpsit magis Rasin, et filium Romeliæ : propter hoc ecce Dominus adducet super eos aquas fluminis fortes et multas, regem Assyriorum.* Vel duæ iniquitates sunt, quod vindicaverunt indigna vindicta, et peccatum idololatriæ non vindicaverunt, sed assumpserunt. Jerem. II, 13 : *Duo mala fecit populus*

[1] Cf. supra enarrationem in ℣. 9 cap. IX.

meus: Me dereliquerunt fontem aquæ vivæ, et foderunt sibi cisternas, cisternas dissipatas, quæ continere non valent aquas. Vel duæ iniquitates sunt, recessus a Deo, et mala conversio ad creaturam. Jacobi, I, 14 : *Unusquisque tentatur a concupiscentia sua abstractus, et illectus.* Hæc sub eodem sensu et litteralia sunt et moralia.

11 « *Ephraim vitula docta.* » Ab hoc loco prosequitur secundam similitudinem de vitula, in decem tribubus scilicet, et in duabus, ibi, « *Arabit Judas.* »

In decem tribubus prosequitur proprietates vitulæ de petulantia. In duabus autem tribubus proprietates vitulæ de aratione.

Peccator in circuitu ambulat.

Et hoc est : « *Ephraim vitula docta diligere trituram.* » *Tritura* est in terris calidis, quando vel pedibus animalium circumeuntium super areas aristæ excutiuntur, vel circumductione rotarum lignearum, vel ferrearum paleæ in pabulum excutiuntur. Et hoc est quod vult dicere : « *Ephraim,* » supple, est quasi vitula docta diligere trituram, « *vitula* » scilicet per lasciviam, triturans per laboris circuitum ; « *docta diligere trituram,* » id est, per hoc quod circumiens accipit dulcedinis pabulum, oblita laboris, ex dulcedinis pabulo semper ad laborem revertitur. Isa. XXI, 10 : *Tritura mea, et filii areæ meæ, quæ audivi a Domino exercituum Deo Israel, annuntiavi vobis.* Ita populus ille laborem hujus mundi dilexit et circuitum facit, propter hoc quod in lucris invenit. Unde Gregorius : « Sunt quædam desides ani-« mæ, quibus nihil laboriosius est quam « in hujus mundi laboribus non labo-« rare. » Psal. XI, 9 : *In circuitu impii ambulant.* Beatus autem Gregorius dicit has figurari Num. XI, 5, ubi Hebræis pastis pane Angelorum, in memoriam venerunt cepe, et allia, et pepones, quæ vel insipida sunt, vel sine lacrymis non comeduntur. Psal. LXXIX, 6 : *Cibabis nos pane lacrymarum.* Item, Psal. CXXVI, 2 : *Surgite postquam sederitis, qui manducatis panem doloris.* Et subjungit pœnam, dicens : « *Et ego transivi,* » conculcando scilicet, et comprimendo, « *super pulchritudinem colli ejus.* » Pulchritudo colli in extensione colli est, et robore, et erectione. Isa. III, 16 et 17 : *Pro eo quod elevatæ sunt filiæ Sion, et ambulaverunt extento collo, et nutibus oculorum ibant, et plaudebant, ambulabant pedibus suis, et composito gradu incedebant : decalvabit Dominus verticem filiarum Sion, et Dominus crinem earum nudabit.* Et vult dicere, quod ita transibit, quod nudabit et ad nihilum rediget. Judic. V, 21 : *Conculca, anima mea, robustos.* Et hoc est quod sequitur : « *Ascendam super Ephraim,* » conculcans scilicet, et opprimens cervicositatem superbiæ. Isa. LXIII, 3 : *Calcavi eos in furore meo, et conculcavi eos in ira mea.*

Et subjungit de aratione vitulæ in Juda, hoc est, in duabus tribubus, et dicit tria : actum scilicet, et modum, et pœnam.

Actum dicit : « *Arabit Judas.* » Tangit hic quod habitum est, Osee, V, 10, ubi dictum est : *Facti sunt principes Juda quasi assumentes terminum.* Ibi enim dictum est, quod dilataverunt terminos suos super terminos decem tribuum captivatis eis. Et addit : « *Confringet sibi sulcos Jacob :* » et *Jacob* vocat multos de decem tribubus, qui tempore captivitatis ad duas tribus confugerunt, qui etiam ad terras suas excolendas redierunt. Genes. XXXIV, 21 : *Negotientur in terra, et exerceant eam, quæ spatiosa et lata indiget cultoribus.*

Sed ut opus permaneat, modum qualiter excolant terram, subjungit : 12

« *Seminate vobis in justitia,* » ut scilicet, nulli injuriam faciatis, et jus suum unicuique tribuatis. Eccle. XI, 6 : *Mane semina semen tuum, et vespere ne cesset*

manus tua. Psal. cxxv, 5 : *Qui seminant in lacrymis, in exsultatione metent.* Luc. viii, 4 : *Exiit qui seminat, seminare semen suum* [1]. « *Et metite in ore misericordiæ,* » ut scilicet de messione vestra pauperibus erogetis, ita scilicet quod etiam in ore verba compassionis proferatis. Eccli. xviii, 16 : *Nonne ardorem refrigerabit ros ? sic et verbum melius quam datum.* Qui sic seminat, centuplum metit. Genes. xxvi, 12 : *Sevit Isaac in terra illa, et invenit in ipso anno centuplum.* Joan. iv, 36 : *Qui metit, mercedem accipit, et congregat fructum in vitam æternam.* Unde qui seminat pauperibus erogando, metit mercedem accipiendo. II ad Corinth. ix, 10 : *Qui autem administrat semen seminanti, et panem ad manducandum præstabit, et multiplicabit semen vestrum, et augebit incrementa frugum justitiæ vestræ.* « *Innovate vobis novale,* » in quo scilicet frutices errorum et stirpes peccatorum non superseminatæ sunt, novæ scilicet, corde conversi ad Dominum. Jerem. iv, 3 : *Novate vobis novale, et nolite serere super spinas.* Boetius : « Prius « exstirpanda sunt vitia, ut inserantur « virtutes. » Et hoc quidem faciendum est in actione.

Quid autem faciendum sit in contemplatione et cultu, subjungit : « *Tempus autem requirendi Dominum,* » scilicet dum inveniri potest. Isa. lv, 6 : *Quærite Dominum, dum inveniri potest : invocate eum, dum prope est,* hoc est, per pœnitentiam in hac præsenti vita. Et hoc est quod sequitur : « *Cum venerit,* » per gratiæ scilicet et beneficii manifestationem. I ad Corinth. iv, 5 : *Veniet Dominus, qui et illuminabit abscondita tenebrarum, et manifestabit consilia cordium.* « *Qui docebit vos justitiam,* » in qua scilicet et seminare et metere debetis. Isa. xlviii, 17 : *Ego Dominus Deus tuus, docens te utilia.* Sap. viii, 7 : *Sobrietatem et prudentiam docet, et justitiam, et virtutem, quibus nihil utilius est in vita hominibus.*

Quod autem ab hac doctrina avertunt se, subjungit : « *Arastis impietatem.* » **13**
Aratio laborem acquirendi signat, et impie arat, qui semper in proximo plus vult habere in lucro et minus in damno. « Pietas enim est benevolentia in paren« tale bonum, » ut dicit Tullius in fine *primæ Rhetoricæ.* Et impius est, qui proximum, in quo resultat summi parentis bonum, vel opprimit damno, vel spoliat bono sibi debito, et ille arat impietatem. Unde, Sap. ii, 10, dixerunt impii : *Venite, opprimamus pauperem justum.* « *Iniquitatem messuistis,* » hoc est, ex iniquo vos ditastis. Isa. v, 8 : *Væ qui conjungitis domum ad domum, et agrum agro copulatis usque ad terminum loci !* Habac. ii, 6 : *Væ ei, qui multiplicat non sua !* « *Comedistis frugem mendacii.* » *Fruges mendacii* sunt, quæ promittunt refectionem et non satiant. Lucrum enim temporale non satiat. Prov. iv, 17 : *Comedunt panem impietatis, et vinum iniquitatis bibunt.* Aggæi, i, 6 : *Comedistis, et non estis satiati.* Prov. xiii, 25 : *Justus comedit, et replet animam suam : venter autem impiorum insaturabilis.* Et subjungit causam : « *Quia confisus es in viis tuis,* » hoc est, in operibus idololatriæ scilicet, et peccatorum, quod maxima præsumptio est in malo confidere. Eccli. xxxvii, 3 : *O præsumptio nequissima, unde creata es?* Homo enim non debet confidere in viis suis, quia ignorat eas et exitus earum. De primo dicitur, Job, iii, 23 : *Viro cujus abscondita est via, et circumdedit eum Deus tenebris ?* De secundo dicitur, Prov. xiv, 12 : *Est via, quæ videtur homini justa : novissima autem ejus deducunt ad mortem.* « *In multitudine fortium tuorum,* » supple, confisus es in multitudine pugnatorum et munitionum.

Lucrum temporale non satiat.

[1] Cf. Matth. xiii, 3, et Marc. iv, 3.

Contra quod dicitur, Jerem. xvii, 5 : *Maledictus homo, qui confidit in homine, et ponit carnem brachium suum, et a Domino recedit cor ejus.*

14 Et subjungit pœnam duplicem, scilicet confusionis populi in seipso per divisionem, et vastationis ab inimicis.

Potentiæ Dei nihil potest resistere.

De primo dicit : « *Consurget tumultus in populo tuo,* » schismatum scilicet, et contradictionum. Isa. iii, 5 : *Tumultuabitur puer contra senem, et ignobilis contra nobilem.*

De secundo dicit : « *Et omnes munitiones tuæ vastabuntur :* » non enim potest stare quod contra potentiam Dei se elevat. II ad Cor. x, 4 et 5 : *Arma militiæ nostræ non carnalia sunt, sed potentia Deo ad destructionem munitionum, consilia destruentes, et omnem altitudinem extollentem se adversus scientiam Dei.* Sæculares etiam munitiones non stant contra Dominum. Abdiæ, ℣. 4 : *Si exaltatus fueris ut aquila, et si inter sidera posueris nidum tuum : inde detraham te, dicit Dominus.* Et hujus vastationis ponit similitudinem, subdens : « *Sicut vastatus est Salmana.* » Judic. viii, 2, Salmana princeps fuit Madianitarum quem Gedeon judex Israel interfecit. Et hoc est quod sequitur : « *A domo,* » id est, a familia, « *ejus qui vindicavit Baal,* » hoc est, qui injuriam Dei vindicavit in Baal. Et tangit historiam, quæ est Judic. vi, 25 et seq., ubi dicitur quod pater Gedeonis lucum plantavit, et aram Baal exstruxit, et bovem superposuit : quem lucum Gedeon Angelo se confortante succidit, aram subvertit, e bovem dejecit. Quod cum populus vindicare vellet, pater Gedeonis dixit, ℣. 31 et 32 : *Numquid ultores estis Baal ?... Si Deus est, vindicet se de eo qui suffodit aram ejus. Ex illo die vocatus est Gedeon, Jerobaal,* hoc est, ultor Baal. « *In die prœlii,* » quando scilicet Gedeon prœliatus est cum ipso et omnes interfecit. Psal. lxxxii, 10 : *Fac illis sicut Madian, et Sisaræ : sicut Jabin in torrente Cison.* Item, Psal. lxxxii, 12 : *Pone principes eorum sicut Oreb, et Zeb, et Zebee, et Salmana.* Sicut enim illi corruerunt pro peccato, ita et alii cadent peccatores. « *Matre super filios allisa.* » Sicut enim Salmana in filiis Israel filios occidit ante oculos matrum, et postea matres peremit, ut bis morerentur et corde et corpore : ita e converso, Gedeon Salmana in conspectu matris suæ occidit, dicens : Sicut fecit gladius tuus matres sine filiis, sic inter mulieres sine liberis erit mater tua. Et occiso filio, allisit matrem ad lapidem et interfecit, ne fœda generatione amplius terram corrumperet [1]. Isa. xiv, 20 21 : *Non vocabitur in æternum semen pessimorum. Præparate filios ejus occisioni.*

Causam autem hujus vastationis subjungit : *Sic fecit vobis Bethel,* » hoc est, idololatria in Bethel facta. Bethel autem interpretatur *domus Dei,* ubi immunditias exercuerunt. Jerem. xi, 15 : *Quid est, quod dilectus meus in domo mea fecit scelera multa.* » *A facie malitiæ,* » hoc est, a præsentia malitiæ quæ in scandalum multis præsens est. Malach. ii, 8 : *Vos recessitis de via, et scandalizastis plurimos in lege.* « *Nequitiarum vestrarum.* » *Nequitia* dicitur malitia, in qua malus facit quidquid potest, ita quod nequit amplius. Luc. xi, 29 : *Generatio hæc, generatio nequam est.* Isa. xvi, 6 : *Superbia ejus, et arrogantia ejus, et indignatio ejus plusquam fortitudo ejus.* 15

[1] Cf. Judic. viii, 5 et seq.

CAPUT XI.

Beneficiis ostendit Dominus se diligere populum Israel : sed propter illius scelera tradidit eum Assyriis : attamen propter suam misericordiam reducet eos, ut in terra sua serviant Domino, una cum gentibus ad Deum conversis.

1. Sicut mane transiit, pertransiit rex Israel. Quia puer Israel, et dilexi eum : et ex Ægypto vocavi filium meum [1].

2. Vocaverunt eos, sic abierunt a facie eorum : Baalim immolabant, et simulacris sacrificabant.

3. Et ego quasi nutritius Ephraim, portabam eos in brachiis meis : et nescierunt quod curarem eos.

4. In funiculis Adam traham eos, in vinculis charitatis : et ero eis quasi exaltans jugum super maxillas eorum, et declinavi ad eum ut vesceretur.

5. Non revertetur in terram Ægypti, et Assur ipse rex ejus, quoniam noluerunt converti.

6. Cœpit gladius in civitatibus ejus, et consumet electos ejus, et comedet capita eorum.

7. Et populus meus pendebit ad reditum meum : jugum autem imponetur eis simul, quod non auferetur.

8. Quomodo dabo te, Ephraim ? protegam te, Israel ? quomodo dabo te sicut Adama, ponam te ut Seboim [1] ? Conversum est in me cor meum, pariter conturbata est pœnitudo mea.

9. Non faciam furorem iræ meæ : non convertar ut disperdam Ephraim, quoniam Deus ego, et non homo : in medio tui sanctus, et non ingrediar civitatem.

10. Post Dominum ambulabunt : quasi leo rugiet : quia ipse rugiet, et formidabunt filii maris.

11. Et avolabunt quasi avis ex Ægypto, et quasi columba de terra Assyriorum : et collocabo eos in domibus suis, dicit Dominus.

12. Circumdedit me in negatione Ephraim, et in dolo domus Israel : Judas autem testis descendit cum Deo, et cum sanctis fidelis.

[1] Matth. II, 15.

[1] Genes. XIX, 24.

IN CAPUT XI OSEE

ENARRATIO.

« *Sicut mane transiit.* » Tangit hic admonitionem populi per considerationem plagarum et beneficiorum Dei, et ideo tres partes sunt in capitulo isto.

Primo tangit ingratitudinem ad beneficia eductionis de Ægypto. Secundo, describit misericordiam Dei punientis pro peccato, ibi, ℣. 8, « *Quomodo dabo te, Ephraim?* » Quia vero misericordis non est punire, idcirco tertio ostendit, quid compulerit Deum ad puniendum,

ibi, ℣. 12, *Circumdedit me in negatione.*

In primo horum tria sunt. Primo enim ostendit quod ablationis regni et regis causa fuit abjectio regni Dei. Secundo, beneficia Dei quæ ut rex et pater exhibuit, commemorat, et ingratitudinem populi, ibi, « *Quia puer Israel.* » Tertio, qualiter populus sicut effrænis equus non reducitur, nisi fræno pœnarum, ibi, « *In funiculis Adam.* »

1 Dicit ergo : « *Sicut mane transiit,* » velociter scilicet et cito « *pertransiit rex Israel,* » hoc est, decem tribuum. Unde, Osee, XIII, 10 : *Ubi est rex tuus : maxime nunc salvet te.* Hoc autem dicitur populo qui in protectione Dei constitutus fuit et regimine, et illo contempto hominem in regem petiit. I Reg. VIII, 7 : *Audi vocem populi in omnibus quæ loquuntur tibi : non enim te abjecerunt, sed me, ne regnem super eos.* Et quia sic contra voluntatem Domini obtentus est, stare non potuit, sed *transiit sicut mane,* hoc est, subito et velociter, ita scilicet quod sol claritatis et prosperitatis ejus ad summum non pervenit : antequam enim illucesceret per claritatem ablatus fuit. Job, III, 4 : *Dies ille vertatur in tenebras, nec requirat eam Deus desuper, et non illustretur lumine.* Sic dictum est de Nabuchodonosor, Isa. XIV, 12 : *Quomodo cecidisti de cœlo, Lucifer, qui mane oriebaris ?* Sic potentia et claritatis mundi cito transit. Eccli. x, 11 : *Omnis potentatus brevis vita.* Isa. XXXVIII, 12 : *Dum adhuc ordirer, succidit me.*

Prosperitas mundi non diuturna.

Et quale fuerit regnum Dei quod abjecerunt, subdit : « *Quia puer Israel,* » supple, erat imbecillis sensu, quando legem non habuit, et infirmus virtute, quando violentia Pharaonis in Ægypto tenebatur oppressus. I ad Cor. XIII, 11 : *Cum essem parvulus, loquebar ut parvulus, sapiebam ut parvulus, cogitabam ut parvulus.* « *Et dilexi eum,* » hoc est, signa dilectionis exhibui cum non meruisset. Deuter. XXXIII, 3 : *Dilexit populos, omnes sancti in manu illius sunt.* Deut. x, 14 et 15 : *En Domini Dei tui cœlum est, et cœlum cœli, terra et omnia, quæ in ea sunt : et tamen patribus tuis conglutinatus est Dominus, et amavit eos.* « *Et ex Ægypto vocavi filium meum,* » hoc est, ex Ægypto vocavi eum ut esset liber, ut filius meus servitute aliena de cætero non oppressus, et in hæreditate mea positus. Numer. XXIV, 8 : *Deus eduxit illum de Ægypto.* Mich. VI, 4 : *Eduxit te de terra Ægypti.* Hoc etiam refertur ad eos moraliter, quos Deus educit de servitute peccati ad libertatem virtutis. Psal. XXXIX, 3 : *Eduxit me de lacu miseriæ, et de luto fæcis.* Unde, Exod. IV, 22, 23, dicit Pharaoni, qui signat diabolum : *Filius meus primogenitus Israel. Dixi tibi : Dimitte filium meum.*

Qualiter autem eduxerit, subdit : 2
« *Vocaverunt eos,* » Moyses scilicet et Aaron, duces et nuntii mei, sicut dicitur, Exod. III et IV et usque ad XII. Prov. IX, 3 : *Misit ancillas suas ut vocarent ad arcem, et ad mœnia civitatis.* « *Sic,* » supple, vocati a tantis et a talibus, « *abierunt a facie eorum,* » hoc est, a doctrina eorum recesserunt. Exod. XXXII, 7 et 8 : *Peccavit populus tuus, quem eduxisti de terra Ægypti. Recesserunt cito de via, quam ostendisti eis.* Jerem. II, 5 : *Quid invenerunt patres vestri in me iniquitatis, quia elongaverunt a me, et ambulaverunt post vanitatem, et vani facti sunt ?* « *Baalim immolabant.* » Primum et medium et ultimum peccatum conjungit. Primo enim a facie Moysi recesserunt per vitulum : postea in terra sancta existentes sub Achab Baalim adoraverunt [1] : postea in fine multiplicantes idololatriam simulacris sacrificaverunt,

[1] Cf. III Reg. XVI, 31 et 32.

singularum gentium idola sumentes. Jerem. II, 28 : *Secundum numerum quippe civitatum tuarum erant dii tui, Juda.* Illud idem sub eisdem auctoritatibus refertur ad clerum et ad populum, qui ab institutis primorum patrum recessit per lasciviam vituli, et postea abjecto jugo per malam libertatem servivit Baal, qui interpretatur *absque jugo,* deinde fingens delectabilia diversis seducitur spectaculis. Et hoc est quod sequitur : « *Et simulacris sacrificabant.* »

3 Et subjungit de beneficiis in deserto exhibitis :

« *Et ego,* » supple, eram « *quasi nutritius Ephraim,* » hoc est, decem tribuum. *Nutritius* enim semper cibum parat infantulo, et sic paravit cibum, manna scilicet, et coturnices. Psal. LXIV, 10 : *Parasti cibum illorum : quoniam ita est præparatio ejus.* Exod. XVI, 13 et seq., ubi pluit manna, unde gloriantes dicunt, Joan. VI, 49 : *Patres vestri manducaverunt manna in deserto.* « *Portabam eos in brachiis meis,* » signis scilicet et portentis et victoriis sustentando. Deut. I, 31 : *Portavit te Dominus Deus tuus, ut solet homo gestare parvulum filium suum, in omni via, per quam ambulastis.* Isa. XL, 11 : *In brachio suo congregabit agnos, et in sinu suo levabit, fœtas ipse portabit.* Sic etiam a peccatis reductos Dominus nutrit gratia, et sacramento Eucharistiæ, et collatione virtutis portat. Luc. XV, 5 et 6 : *Imponit eam in humeros suos gaudens : et veniens domum convocat amicos, et vicinos, dicens illis : Congratulamini mihi, quia inveni ovem meam, quæ perierat.*

Et subdit de ingratitudine : « *Et nescierunt,* » hoc est, scire noluerunt per beneficia, « *quod curarem eos,* » hoc est, quod omnis mea intentio esset ut curarentur a peccato et idololatria. Isa. XXVII, 9 : *Iste omnis fructus ut auferatur peccatum ejus,* et hoc scire noluerunt. Psal. XXXV, 4 : *Noluit intelligere ut bene ageret.* Act. VII, 25 : *Existimabat autem,* supple, Moyses, *intelligere fratres, quoniam Deus per manum ipsius daret salutem illis : at illi non intellexerunt.* Eccli. XXIX, 22 : *Ingratus sensu derelinquet liberantem se.*

Subjungit autem quod non retrahentur a malis, nisi per pœnas : « *In funiculis Adam traham eos.* » *Funiculi Adam* sunt pœnæ et maledictiones, quibus vinctus est Adam a Domino cum peccaret. Prov. V, 22 : *Iniquitates suæ capiunt impium, et funibus peccatorum suorum constringitur.* Quia vero pius pater punit ad correctionem, ideo subsequitur : « *In vinculis charitatis.* » Pœnam enim vincientem ex charitate inductam dicit, sicut flagella super filium. Eccli. XXX, 1 : *Qui diligit filium suum, assiduat ei flagella* [1]. Ad Hebr. XII, 7 : *Quis filius, quem non corripit pater?* Hæc expositio litteralis est. Hieronymus tamen aliter exponit, dicens, quod « funiculi Adam sunt, quibus vinctus « Christus Adam fecit sanctum : eisdem « enim vinculis charitatis vinctus voluit « eos curare et sanctificare, et ad se trahere. » Jerem. XXXI, 9 : *In charitate perpetua dilexi te, ideo attraxi te, miserans.* Joan. XII, 32 : *Ego si exaltatus fuero a terra, omnia traham ad meipsum.* Sic Pater trahit ad Filium. Joan. VI, 44 : *Nemo potest venire ad me, nisi Pater, qui misit me, traxerit eum.* Sic Filius trahit ad fidem per illuminationem : sic etiam trahit ad seipsum, sicut jam dictum est : sic Spiritus vinculo charitatis ad sanctitatem. Ad Ephes. IV, 3 : *Solliciti servare unitatem Spiritus in vinculo pacis.* Et est iste funiculus triplex qui difficile rumpitur [2].

4

Funiculi Adam.

Quia vero sic trahi non possunt, sicut

[1] Cf. Proverb. XIII, 24 et XXIII, 13.

[2] Eccle. IV, 12 : *Funiculus triplex difficile rumpitur.*

propter duritiam oris equus effrænis, oportet quod camo trahantur, et hoc est. « *Et ero eis,* » ex quo aliter esse non potest, « *quasi exaltans jugum super maxillas eorum.* » Et litteraliter intelligitur de captivitate Assyriorum, quod exaltatur in maxillis, quando constringuntur maxillæ blasphemæ per ipsum. Jacob. III, 3 : *Si autem equis fræna in ora mittimus ad consentiendum nobis, et omne corpus illorum circumferimus.* Psal. XXXI, 9 : *In camo et fræno maxillas eorum constringe, qui non approximant ad te.* Glossa hoc aliter legit. Dicit enim quod « exaltatur jugum quan« do aufertur, quando autem ponitur « fortiter ad collum, deprimitur. » Et est sensus secundum Glossam : Jugum quod est super maxillas eorum ero exaltans per ablationem, ubi scilicet jugum Gentium auferetur ab eis. Isa. IX, 4 : *Jugum oneris ejus, et virgam humeri ejus, et sceptrum exactoris ejus superasti.* Genes. XXVII, 40 : *Tempus veniet, cum excutias, et solvas jugum ejus de cervicibus tuis.* Psal. II, 3 : *Dirumpamus vincula eorum, et projiciamus a nobis jugum ipsorum.* Quædam etiam Glossa legit de jugo legis Dei, quod superexaltatur, quando magnifice impletur. Matth. XI, 29 : *Tollite jugum meum super vos.* Thren. III, 27 : *Bonum est viro, cum portaverit jugum ab adolescentia sua.* Super maxillas autem ponitur, quando die et nocte meditatur et quasi ruminatur.

Et subjungit de beneficio præstito in deserto : « *Et declinavi ad eum* » manna (Exod. XVI, 13 et seq.), « *ut vesceretur :* quod signat declinationem corporis et sanguinis Domini ad Ecclesiam. Isa. LXVI, 12 : *Ecce ego declinabo super eam fluvium pacis, et quasi torrentem inundantem gloriam gentium, quam sugetis.* Psal. LXXVII, 23 et seq. : *Januas cœli aperuit Dominus. Et pluit illis manna ad manducandum, et panem cœli dedit eis. Panem Angelorum manducavit homo.* Apoc. II, 17 : *Vincenti dabo manna abconditum.* Sap. XVI, 20 : *Paratum panem de cœlo præstitisti illis sine labore, omne delectamentum in se habentem, et omnis saporis suavitatem.*

Qualiter autem infrænet eos, ostendit 5
subdens : « *Non revertetur in terram Ægypti,* » populus scilicet. Concupiscentiæ enim Ægyptiacæ semper erant in corde populi. Propter quod, IV Reg. XV, 19 et seq., sub Manahem rege Israel a facie Assyriorum voluerunt redire in Ægyptum. Similiter post interfectionem Godoliæ, contra consilium Jeremiæ in Ægyptum redierunt (Jerem. XLI, 17 et XLII), quod Domino non placuit, sicut patet, Isa. XXX et XXXI, quod fuit contra præceptum Domini. Deut. XVII, 16, ubi dicitur de rege, quod non reducet populum in Ægyptum. Et ideo dicit, quod sub Manahem non poterunt redire. Osee, II, 6 et 7 : *Sepiam viam tuam spinis, et sepiam eam maceria, et semitas suas non inveniet. Et sequetur amatores suos, et non apprehendet eos.* Et hoc est quod sequitur : « *Et Assur ipse rex ejus,* » qui etiam in Ægypto comprehendet eos. Isa. XIX, 4 : *Tradam Ægyptum in manu dominorum crudelium, et rex fortis dominabitur eorum.* Numer. XXIV, 21 et 22 : *Si in petra posueris nidum tuum, et fueris electus de stirpe Cin, quamdiu poteris permanere ? Assur enim capiet te.* Signat autem captivitatem peccatorum a diabolo : Assur enim *altus sensus* interpretatur, et signat diabolum, a quo postquam peccator capitur ad Ægyptiaca desideria redire non poterit. Bernardus : « In æternum non obtinebit « quod vult, et tamen quod non vult in « perpetuum sustinebit. » Septuaginta hic multum differunt ab Hebræo. Dicunt enim sic : « Habitabit Ephraim in Ægy« pto, et Assur ipse rex ejus. » Causam autem hujus subjungit : « *Quoniam noluerunt converti.* » Si enim conversi fuissent ad Dominum, non traditi fuissent captivitati regis Assyriorum. Je-

Desideria peccatorum vana.

rem. IV, 1 : *Si reverteris, Israel, ait Dominus, ad me convertere : si abstuleris offendicula a facie mea, non commoveberis.*

6 Qualiter autem traditi sint, subjungit : « *Cepit*[1] *gladius in civitatibus ejus.* » Gladius dicitur *capere*, quando non inanem aerem verberat, sed stringitur in vulneribus. Thren. I, 20 : *Foris interficit gladius, et domi mors similis est.* Et dicit, *in civitatibus*, ut civitatibus expugnatis spes resistendi villis non remaneat. Isa. XXXIII, 8 : *Projecit civitates, non reputavit homines.* Isa. VI, 11 : *Desolentur civitates absque habitatore, et domus sine homine.* Iste gladius signat peccatum, quo peccatores interficiuntur. Psal. IX, 7 : *Inimici defecerunt frameæ in finem : et civitates eorum destruxisti.* « *Et consumet electos ejus,* » gladius scilicet. *Electi* dicuntur bellatores, nobiles, et divites, qui primo interfecti sunt. Psal. LXXVII, 64 : *Sacerdotes eorum in gladio ceciderunt.* Deut. XXXII, 25 : *Foris vastabit eos gladius, et intus pavor, juvenem simul ac virginem.* « *Et comedet capita eorum,* » hoc est, Principes, et Reges, et Sacerdotes. Habac. III, 14 : *Maledixisti sceptris ejus, capiti bellatorum ejus.* Et ibidem, ℣. 13 : *Percussisti caput de domo impii.* Gladius dicitur *comedere* quando consumit. Deut. XXXII, 42 : *Gladius meus devorabit carnes, de cruore occisorum, et de captivitate, nudati inimicorum capitis.*

7 « *Et populus meus,* » supple, tunc videns non esse auxiliatorem nisi me, « *pendebit* » desiderio et spe « *ad reditum meum,* » hoc est, ut ad me revertatur. Osee, II, 7 : *Et dicit : Vadam, et revertar ad virum meum priorem : quia bene mihi erat tunc magis quam nunc.* Osee, XIII, 9 : *Perditio tua, Israel : tantummodo in me auxilium tuum.* Deut. XXXII, 39 : *Videte quod ego sim solus, et non sit alius Deus præter me.* Quo autem cogente revertantur et suspirent ad Dominum, subdit : « *Jugum autem imponetur eis,* » durissimæ scilicet servitutis et captivitatis. III Reg. XII, 11 : *Pater meus posuit super vos jugum grave, ego autem addam super jugum vestrum.* Hoc jugum peccati jugum est, de quo dicitur, Thren. I, 14 : *Vigilavit jugum iniquitatum mearum : in manu ejus convolutæ sunt, et impositæ collo meo.* « *Simul,* » omnibus scilicet quod nullus effugiet, « *quod non auferetur,* » vi scilicet humana. Usque hodie tenentur captivi in montibus Persarum. Eccli. XL, 1 : *Occupatio magna creata est omnibus hominibus, et jugum grave super filios Adam.* Illo enim domare necesse fuit cervicosam superbiam eorum.

« *Quomodo dabo te ?* » Compassionis affectum ostendit hic miserator et misericors Pater, dicens, quod victus misericordia condignam pœnam inferre non potest. 8

Dicit autem duo, scilicet compassionis affectum, et effectum, ibi, « *Post Dominum ambulabunt.* » Affectum exprimit per quæstionem modi et cordis conversionem, et duritiæ, sive severitatis abdicationem. Quæstionem facit quadruplicem :

Prima est : « *Quomodo dabo te, Ephraim ?* » Septuaginta : « Quid faciam tibi, Ephraim ? » Unde sensus secundum Hieronymum est : « Ex quo multis beneficiis et multis plagis converti noluisti, quomodo, hoc est, ad quem modum ponam te ut convertaris ? iniquitas enim tua non admittit clementiam, affectui autem meo repugnat severitas, et ergo difficilis est modus quo convertaris. » Osee, VI, 4 : *Quid faciam tibi, Ephraim ?* Isa. V, 4 : *Quid est*

[1] Vulg. habet *cœpit*, quod aliud significat.

quod ultra debui facere vineæ meæ, et non feci ei?

Secunda quæstio : « *Protegam te, Israel?* » hoc est, quomodo possum te protegere ? Iniquitas enim tua meretur ut non protegaris. Psal. cxxiv, 5 : *Declinantes autem in obligationes, adducet Dominus cum operantibus iniquitatem.* Item, Psal. cxviii, 155 : *Longe a peccatoribus salus.*

Tertia quæstio : « *Quomodo dabo te ?* » Septuaginta : « Quid faciam tibi ? » peccatum enim tuum non habet modum, justitia vero dura est, et clementia locum non habet. Michææ, vi, 3 : *Popule meus, quid feci tibi, aut quid molestus fui tibi ? responde mihi.*

Quarta quæstio est : « *Sicut Adama, ponam te ut Seboim ?* » Hoc est, iniquitas tua meretur perpetuam desolationem, sicut desolata est Adama et Sebois, igne et sulphure in Pentapoli[1], sed hoc affectus paternus non admittit. Simile, Jerem. xxxi, 20 : *Si filius honorabilis mihi Ephraim, si puer delicatus.* II Reg. xix, 4 : *Rex operuit caput suum, et clamabat voce magna : Fili mi Absalom, Absalom fili mi, fili mi*[2]. Et signat compassionis affectum ad peccatores. Unde, Luc. xv, 20 : *Cum autem* filius prodigus *adhuc longe esset, vidit illum pater ipsius, et misericordia motus est, et accurrens cecidit super collum ejus, et osculatus est eum.*

Et subjungit de conturbatione cordis : « *Conversum est in me cor meum,* » hoc est, de profundo misericordia movente versum. Simile, Genes. vi, 6 et 7 : *Tactus dolore cordis intrinsecus, Delebo, inquit, hominem, quem creavi.* Genes. xlv, 30 : *Commota fuerant viscera ejus super fratre suo.* « *Pariter conturbata est pœnitudo mea.* » Glossa. « Pœnitet me « delere populum meum. » Jerem. xxxi, 20 : *Idcirco conturbata sunt viscera mea super eum : miserans miserebor ejus, ait Dominus.*

Et hoc est quod sequitur : 9

« *Non faciam furorem iræ meæ,* » hoc est, non mittam pœnam quam meruisti. Mich. vii, 18 et 19 : *Non immittet ultra furorem suum, quoniam volens misericordiam est. Revertetur, et miserebitur nostri.* « *Non convertar,* » a clementia mea scilicet, « *ut disperdam Ephraim,* » hoc est, quod in nihilum redigam, quod non relinquam semen. Isa. i, 9 : *Nisi Dominus exercituum reliquisset nobis semen, quasi Sodoma fuissemus, et quasi Gomorrha similes essemus.* Et dicit hic Hieronymus in *originali*, quod « licet quinque civitates « subversæ sunt in Pentapoli, tamen « duæ inter illas, Sodoma scilicet et Go« morrha auctrices erant criminis, et « per illas signantur duæ tribus, quæ « in hoc quod templum habebant, et « Sacerdotes, et Prophetas, plus pecca« verunt quam decem : » quia, Luc. xii, 47 : *Ille servus qui cognovit voluntatem domini sui, et non præparavit, et non fecit secundum voluntatem ejus, vapulabit multis.* Unde, Isa. i, 10, dicitur ad duas tribus : *Audite verbum Domini, principes Sodomorum, percipite auribus legem Dei nostri, populus Gomorrhæ.* Peccatum autem decem tribuum comparatur Adamæ et Seboim quæ secundariæ fuerunt in peccato. Decem enim tribus per ignorantiam legis minus peccaverunt. Hujus autem causam ex natura Dei assignat : « *Quoniam Deus ego, et non homo.* » Quasi dicat, Hieronymus : « Homo ad hoc punit ut per« dat, Deus ad hoc corripit ut emen« det. » Osee, vi, 6 : *Misericordiam volui, et non sacrificium.* II Machab. vi, 16 : *Corripiens in adversis populum suum non derelinquit.* « *In medio tui*

Deus corripit ut emendet.

[1] Adama et Sebois, urbes Pentapoleos. Cf. Genes. xiv, 9; xix, 24. Deuter. xxix, 22.

[2] Cf. etiam III Reg. xviii, 33.

sanctus, et non ingrediar civitatem, » hoc est, qui hactenus in medio tui ostendi me essem sanctum, hoc est, omnino ab omni pollutione alienum et incontaminatum, in judicio iræ meæ non ingrediar civitatem, ut scilicet ad modum legum civilium, quibus utuntur in civitatibus vindices. Unde Hieronymus : « Hoc est, non sum unus de « his qui in urbibus habitant, qui huma« nis legibus vivunt, qui crudelitatem « arbitrantur justitiam, et jus summum « malitia est : mea autem lex, meaque « justitia est salvare corruptos. » Job, XXXIII, 24 : *Libera eum, ut non descendat in corruptionem : inveni in quo ei propitier.* Judæi exponunt hoc, quod Deus exspectavit reditum eorum, et quod alienæ gentis civitatem non ingrederentur, ut ibi habeant templum et cultum.

Post misericordiæ autem affectum, subdens ostendit effectum, promittens pœnitentiam populo, ut locum habeat miseratio.

10 « *Post Dominum ambulabunt :* » et est vox Prophetæ. Daniel. III, 41 : *Nunc sequimur te in toto corde, et timemus te.* Job, XXIII, 11 : *Vestigia ejus secutus est pes meus. Ambulare* autem, hoc est, proficere. Psal. CXVIII, 1 : *Beati immaculati in via : qui ambulant in lege Domini.* Habita autem pœnitentia populi, statim subjungit qualiter congregabuntur virtute Dei : « *Quasi leo rugiet,* » et suppletur, quia scilicet Dominus rugiet ut leo, in terrorem omnium captivantium Israel. Amos, I, 2 : *Dominus de Sion rugiet, et de Jerusalem dabit vocem suam.* Amos. III, 8 : *Leo rugiet, quis non timebit?* « *Quia ipse rugiet,* » per seipsum scilicet comminabitur. Hieronymus : « Cum leo ru« git, volatilia et bestiæ terrore vocis « gradu fixo se movere non possunt : « ita Domino comminante, necesse est « quod omnes contremiscant, » et ideo sequitur : « *Et formidabunt filii maris.* » *Filii maris* dicuntur qui fluctus amaritudinis inducunt. Isa. LVII, 20 : *Impii quasi mare fervens, quod quiescere non potest.*

Illis autem territis, quid futurum sit, 11
subjungit : « *Et avolabunt,* » supple, captivi. Hieronymus legit, « volabunt *quasi avis ex Ægypto.* » Quidam enim fugientes Assyrios et Ægyptios transfugerunt, et illos dicit se revocaturum, sicut et eos qui ad conversationem sæcularem convertuntur revocat. De qua ave, in Psal. X, 2, dicitur : *Transmigra in montem sicut avis,* secundum aliam translationem[1]. « *Et quasi columba de terra Assyriorum,* » qui scilicet ab Assyriis captivati sunt. Et intendit dicere, quod ubicumque captivi sunt, reducet eos terrore suæ potentiæ, sicut et nunc congregavit Ecclesiam. Isa. XLIII, 5 et 6 : *Ab oriente adducam semen tuum, et ab occidente congregabo te. Dicam aquiloni : Da : et austro : Noli prohibere.* Matth. VIII, 11 : *Multi ab Oriente, et Occidente venient, et recumbent cum Abraham, et Isaac, et Jacob in regno cœlorum.* De Ægypto veniunt qui a concupiscentia carnali et desideriis sæculi veniunt. De Assur, qui de superbia et fastu ambitionis. Hæc duo conjungit Isaias, LX, 8 : *Qui sunt isti, qui ut nubes volant, et quasi columbæ ad fenestras suas?* « *Et collocabo eos,* » sic venientes, « *in domibus suis :* » reducens scilicet ad patriam et ad possessiones suas. Jerem. XXXII, 43 : *Et possidebuntur agri in terra ista.* Peccatorem autem revertentem in domum conscientiæ reducit Dominus. Sap. VIII, 16 : *Intrans in domum meam, conquiescam cum illa : non enim habet amaritudinem conversatio illius, neque tædium convictus il-*

[1] Vulg. habet, Psal. x, 2 : *Transmigra in montem sicut passer.*

lius. « *Dicit Dominus.* » I Reg. IX, 6 : *Omne, quod loquitur, sine ambiguitate venit.*

12 Quia vero posset aliquis dicere vel quærere, quare contra affectum suum populum captivitati tradiderit, ideo respondet, et suppletur, quia

« *Circumdedit me,* » ut scilicet judicium effugere non possem, « *in negatione,* » qua me, Sacerdotes et Prophetas negavit et abjecit, « *Ephraim,* » hoc est, regnum decem tribuum, sicut continetur, Daniel. IX, 26 : *Non erit ejus populus, qui eum negaturus est.* Sic negant, de quibus dicitur ad Titum, I, 16 : *Confitentur se nosse Deum, factis autem negant.* Hoc maxime facit Ephraim, qui *frugifer* interpretatur, quia divites hujus sæculi maxime negant Deum, ad minus opere. » *Et in dolo,* » quo scilicet a rege circumventus est, me negavit « *domus Israel,* » hoc est populus qui negavit me metu principis. Sic et populus Christianus dolo circumventus a sacerdotibus negat Dominum. Dicunt enim sacerdotes consuetudines bonas debere teneri, et consuetudines bonas vocant, quas iniquis legibus dictaverunt in lucrum suum. Psal. V, 7: *Virum sanguinum et dolosum abominabitur Dominus.* Sanguinum enim vir est, qui sanguinem pauperis defraudat. Eccli. XXXIV, 25 : *Panis egentium vita pauperum est : qui defraudat illum, homo sanguinis est.*

Sacerdotes dolosi. Consuetudines quæstuum non commendandæ.

Quia autem aliquis posset quærere, Quare Judam tunc non tradidit in captivitatem, quando decem tribus, respondet : « *Judas autem,* » hoc est, duæ tribus, « *testis,* » virtutis scilicet et veritatis, ut dicit Glossa. Apoc. III, 14 : *Hæc dicit : Amen, testis fidelis, et verus.* « *Descendit cum Deo,* » hoc est, spe divini adjutorii, et tangit historiam Exodi, XIV, 21 et seq., ubi dicitur, quod filiis Israel conclusis montibus et mari et Ægyptiis, divisum est mare, et quando nulla tribus fuit ausa in mare descendere, tribus Juda descendit adjutorio Dei confisa. « *Et cum sanctis fidelis,* » Moyse scilicet, et Aaron. Vel quando decem tribus separatæ sunt a Deo et regno David (III Reg. XII, 20 et seq.), Judas descendit a dignitate pristina, quæ tribubus duodecim imperare consueverat usque ad imperium duarum tribuum, « *cum sanctis fidelis,* » hoc est, cum templo, sacerdotibus et prophetis cum quibus remansit, sicut et nunc Judas, hoc est, *confitens*, verbo, ore, et opere, descendit, hoc est, humiliatur *cum sanctis fidelibus*[1], hoc est, cum vere sanctis, qui coram Deo humiliantur. Eccli. XVII, 25 et 26 : *In partes vade sæculi sancti, cum vivis et dantibus confessionem Deo. Non demoreris in errore impiorum.*

[1] Vulgata, uti vidimus, habet « *cum sanctis fidelis.* » Hebr. ועם-קדושים, Qedoshim, ait Keil, est quoddam plurale majestatis. Cf. Prov. IX, 10.

CAPUT XII.

Vane fidit Israel in Ægypto, ut ab Assur liberetur : sed tam ipsi quam Juda reddet Dominus juxta merita ipsorum, qui immemores beneficiorum Jacob patriarchæ præstitorum, declinaverunt in avaritiam : quibus tamen pacem offert, carpens potissimum idololatriam Galaad.

1. Ephraim pascit ventum, et sequitur æstum : tota die mendacium et vastitatem multiplicat : et fœdus cum Assyriis iniit, et oleum in Ægyptum ferebat.
2. Judicium ergo Domini cum Juda, et visitatio super Jacob : juxta vias ejus, et juxta adinventiones ejus reddet ei.
3. In utero supplantavit fratrem suum [1] : et in fortitudine sua directus est cum angelo [2].
4. Et invaluit ad angelum, et confortatus est : flevit, et rogavit eum. In Bethel invenit eum, et ibi locutus est nobiscum.
5. Et Dominus Deus exercituum, Dominus memoriale ejus.
6. Et tu ad Deum tuum converteris : misericordiam et judicium custodi, et spera in Deo tuo semper.
7. Chanaan, in manu ejus statera dolosa, calumniam dilexit.
8. Et dixit Ephraim : Verumtamen dives effectus sum, inveni idolum mihi : omnes labores mei non invenient mihi iniquitatem quam peccavi.
9. Et ego Dominus Deus tuus ex terra Ægypti, adhuc sedere te faciam in tabernaculis, sicut in diebus festivitatis.
10. Et locutus sum super prophetas, et ego visionem multiplicavi, et in manu prophetarum assimilatus sum.
11. Si Galaad idolum, ergo frustra erant in Galgal bobus immolantes : nam et altaria eorum quasi acervi super sulcos agri.
12. Fugit Jacob in regionem Syriæ, et servivit Israel in uxorem, et in uxorem servavit [3].
13. In propheta autem eduxit Dominus Israel, de Ægypto, et in propheta servatus est [4].
14. Ad iracundiam me provocavit Ephraim in amaritudinibus suis : et sanguis ejus super eum veniet, et opprobrium ejus restituet ei Dominus suus.

IN CAPUT XII OSEE

ENARRATIO.

« *Ephraim pascit ventum.* » Secundum divisionem superius datam reprehenditur hic populus, quod Deo vocante ad utilia contempto, inutilibus occupabatur. Cum enim sperare deberet in auxilio Dei, semper quæsivit auxilium ab Ægyptiis et Assyriis. Propter quod dividitur capitulum in duas partes, in quarum prima

[1] Genes. xxv, 25.
[2] Ibid. xxxii, 24.
[3] Genes. xxviii, 5.
[4] Exod. xiv, 21 et 22.

dicit, quod populus in judicio convincendus est de hoc. Secundo, ex parte Dei proponit beneficia, et ex parte populi occupationem circa inutilia, ibi, ℣. 3 : « *In utero supplantavit.* »

In prima parte proponit tria, scilicet occupationem circa inutilia per metaphoram : secundo, metaphoræ explanationem : tertio, judicii convictionem.

1 Dicit ergo : Judas descendit cum sanctis fidelibus, sed « *Ephraim* » aversus a Deo, « *pascit ventum.* » Seneca in libro *Naturalium quæstionum* dicit, quod « ventus nihil aliud est, quam aer impulsus : » quamvis enim ventilabrum sit vapor terreus, tamen flatus aer impulsus est. Unde cum etiam verba quibus nihil subest, sint aer percussus et impulsus, « *ventum pascit* » qui multa loquitur quibus nihil subest, prout dicit Job, VI, 26 : *Ad increpandum tantum eloquia concinnatis, et in ventum verba profertis.* Sic decem tribus fœdera componentes inter se et Assyrios, et inter se et Ægyptios, nihil fecerunt, nisi pascere ventum. « *Et sequitur æstum.* » *Æstus* quidam ventus est nocivus, meridionalis scilicet, qui laxat corpora et resolvit, et malas materias poris ingerit ad corporis magnum nocumentum et aliquando mortem : et qui sequitur talem æstum, mortem suam sequitur et venatur. Propter Assyrios ergo dicit, quod « *pascit ventum,* » propter Ægyptios autem dicit, quod « *sequitur æstum.* » Genes. XXXI, 40 : *Die noctuque æstu urebar, et gelu, fugiebatque somnus ab oculis meis.* Et signat eos qui pro labore terrenorum omni vento fortunæ, et omni æstu laboris se non timent exponere. Contra quod dicitur de Sanctis, Isa. XXXII, 2 : *Erit vir sicut qui absconditur a vento, et celat se a tempestate.*

Ventum pascere, quid ?

Ventus meridionalis corpori officit.

Quod autem metaphorice dixit, explanat : « *Tota die mendacium,* » quantum ad fœdus Assyriorum, « *et vastitatem,* » hoc est, causam vastitatis, « *multiplicat,* » quantum ad fœdus Ægyptium, quod sibi fuit causa vastitatis. Prov. X, 4 : *Qui nititur mendaciis, hic pascit ventos : idem sequitur aves volantes.* Eccli. XXXIV, 2 : *Quasi qui apprehendit umbram, et persequitur ventum : sic et qui attendit ad visa mendacia.* Hoc etiam dicitur de his qui temporalia prosequuntur. Psal. IV, 3 : *Ut quid diligitis vanitatem, et quæritis mendacium ?* Dicit enim Augustinus, quod « temporalia omnia mentiuntur quæ promittunt. »

In quo autem pascat ventum, et æstum sequatur, subdit : « *Et fœdus cum Assyriis iniit :* » quod factum est, IV Reg. XIV, 19 et 29, sub Manahem : « *et oleum in Ægyptum ferebat :* » oleum purissimum in terra promissionis est, fæculentum autem in Ægypto, et inter cætera munera quæ regi Ægypti mittebant, etiam oleum miserunt. Et hoc est quod hic dicit, « *oleum in Ægyptum ferebat.* » Isa. XXXI, 1 : *Væ qui descendunt in Ægyptum ad auxilium, in equis sperantes !* Moraliter autem fœdus init cum Assyriis ambitiosus in alto sensu semper stans. Job, XLI, 25 : *Ipse est rex super universos filios superbiæ.* Oleum fert in Ægyptum, qui sæcularibus blanditur in peccatis. Psal. CXL, 5 : *Oleum peccatoris non impinguet caput meum.*

Subinfert autem quod de hoc vindicandi sunt : 2

« *Judicium ergo Domini,* » quo scilicet convinci debeat ad pœnam, « *cum Juda,* » hoc est, cum duabus tribubus, ideo scilicet quia visa captivitate decem tribuum pro peccato non se correxit. Ezech. XVI, 38 : *Judicabo te judiciis adulterarum, et effundentium sanguinem.* « *Et visitatio,* » per pœnam, « *super Jacob,* » hoc est, super decem tribus. Exod. XX, 5 : *Visitans iniquitatem patrum in filios, in tertiam et quartam generationem.* Psal. LXXXVIII, 33 : *Visitabo in virga iniquitates eorum : et in verberibus peccata eorum.* Formam au-

tem judicii subdit : « *Juxta vias ejus*, » Jacob scilicet et Judæ. Et vocat vias tritas a patribus quasi hæreditaria peccata : et ideo subdit : « *Et juxta adinventiones ejus*, » quæ scilicet de novo invenerunt, « *reddet ei.* » Prov. I, 31 : *Comedent igitur fructus viæ suæ, suisque consiliis saturabuntur.* Isa. III, 9 : *Væ animæ eorum, quoniam reddita sunt eis mala!* Matth. XXI, 41 : *Malos male perdet.*

3 « *In utero supplantavit.* » Hic tria proponit Dei beneficia, a quibus ille populus sequens ventum semper se avertit. Primum, est beneficium confortationis contra fratrem. Secundum, est beneficium eductionis de Ægypto, et illuminationis Prophetarum, ibi, « *Et ego Dominus Deus tuus.* » Tertium, est beneficium constructionis domus per uxores et divitias, ibi, « *Fugit Jacob in regionem Syriæ.* »

In prima parte duo sunt, scilicet beneficii descriptio et populi aversio, ibi, « *Chanaan.* »

In primo duo sunt, et tertium quod est conclusio ex duobus.

Duo autem prima sunt confortatio in utero, et confortatio in via, quando fugit Laban avunculum.

Dicit ergo : Jacob scilicet, « *in utero supplantavit fratrem suum*, » scilicet Esau, et tangit historiam quæ continetur, Genes. XXV, 25, ubi dicitur : *Protinus alter egrediens*, scilicet Jacob, *plantam fratris tenebat manu : et idcirco vocavit eum Jacob.* Sic enim tenens plantam immiscuit se primogenituræ, quod non erat infantis, nisi virtute Dei factum fuisset. Genes. XXVII, 36 : *Juste vocatum est nomen ejus Jacob : supplantavit enim me in altera vice : primogenita mea ante tulit, et nunc secundo surripuit benedictionem meam.* Hoc ergo beneficium est, quo virtute Dei et promissiones paternas et benedictiones hæreditavit, et ad filios transmisit. Isa. LVIII, 14 : *Sustollam te super altitudines terræ, et cibabo te hæreditate Jacob patris tui.*

Et subdit beneficium confortationis in via : « *Et in fortitudine sua directus est cum Angelo.* » Septuaginta : « Sic et in « labore suo prævaluit Deo, et confortatus est cum Angelo et potuit. » Unde sensus est ut sic ordinetur littera : In fortitudine sua cum Angelo, quam habuit vel accepit, luctans cum Angelo, directus est, hoc est, rectissimus factus est et rectitudinis nomen accepit. Et tangit historiam quæ continetur, Genes. XXXII, 24 et seq., ubi dixit Angelus cum quo luctabatur : *Nequaquam, inquit, Jacob appellabitur, nomen tuum, sed Israel.* Israel enim vel *directus*, vel *rectissimus* interpretatur, ut dicit Hieronymus, et inducit id quod est Isa. XLIV, 1 : *Et nunc audi, Jacob, serve meus, et Israel, quem elegi.*

« *Et invaluit ad Angelum*, » hoc est, *ad Angelum*, complectens scilicet et stringens eum valetudinem divinam accepit, cum esset timidus et imbecillis. Isa. VIII, 13 et 14 : *Dominum exercituum ipsum sanctificate : ipse pavor vester, et ipse terror vester. Et erit vobis in sanctificationem*, hoc est, in confortationem et valetudinem, unde Angelus dixit : *Si contra Deum fortis fuisti, quanto magis contra homines prævalebis* [1]. Et hoc est quod sequitur : « *Et confortatus est.* » Isa. XL, 31 : *Qui sperant in Domino, mutabunt fortitudinem.* Psal. LXXXIII, 8 : *Ibunt de virtute in virtutem.* II Reg. III, 1 : *David proficiscens, et semper seipso robustior.* 4

Qualiter autem invaluit, subdit : « *Flevit, et rogavit eum.* » « Lacrymis enim, ut « dicit Hieronymus, pupugit, devotione « orationis vinxit, et sic lacrymis et ora« tione, quasi duobus brachiis Angelum « strinxit. » Isa. XXXVIII, 5 : *Audivi orationem tuam, et vidi lacrymas tuas.* Jerem.

[1] Genes. XXXII, 28.

XXXI, 16 : *Quiescat vox tua a ploratu, et oculi tui a lacrymis : quia est merces operi tuo.* Tobiæ, XII, 12, dixit Angelus : *Quando orabas cum lacrymis,... ego obtuli orationem tuam Domino.* Et quam paratus invenitur Angelus, subdit, et tangit historiam quæ continetur Genes. XXVIII, 11 et seq., ubi cum Jacob de domo patris recederet, et in quodam loco requiescere vellet post solis occubitum, cœlum vidit apertum, et scalam descendentem ad terram de cœlo, *et Dominum innixum scalæ dicentem sibi : Ego sum Dominus Deus Abraham patris tui, et Deus Isaac : terram, in qua dormis, tibi dabo et semini tuo.* Et propter hoc locum illum Bethel vocavit, qui prius Luza dicebatur. Bethel enim *domus Dei* interpretatur. « *In Bethel invenit eum.* » Primum scilicet, et innuit quod omnis apparitio facta Patribus, per Angelos facta est. Ad Hebr. I, 1 : *Multifariam, multisque modis olim Deus loquens patribus in prophetis.* « *Et ibi locutus est nobiscum.* » Nobiscum Deus loquitur quando bonum nostrum loquitur. Osee, II, 14 : *Loquar ad cor ejus.* Hæc simul moralia sunt. In lucta enim virtutis et fletu compunctionis, et oratione devotionis Angelos obtinemus. Hoc signatum est, Matth. IV, 11, ubi post luctam tentationis et victoriam, Angeli accesserunt et Domino ministraverunt[1]. Et Luc. XXII, 43, ubi cum Dominus in agonia prolixius oraret, apparuit Angelus confortans eum[2], quod ut dicit Ambrosius, « non ad caput, sed ad « membra referendum est. »

Angeli oratione et lacrymis demulcentur.

5 Quod autem hoc a filiis in memoria teneatur, ostendit, subdens : « *Et Dominus Deus exercituum,* » hoc est, quod et Dominus sit, et Deus, et exercituum Dominus, qui exercitibus suis et impugnare et salvare possit, supple, est « *Dominus memoriale ejus.* » Unde Septuaginta sic habent : « Dominus autem Deus omnipo- « tens erit memoriale ejus : » quod enim semper defensorem Patrum se exhibuit et exercitus angelicos in defensionem eorum misit, hoc debet esse memoriale apud homines. Unde Jacob Angelos videns, dixit : *Castra Dei sunt hæc*[3]. Sic Angeli missi sunt ad Eliseum, IV Reg. VI, 16 et 17. Sic missi sunt sub Onia ad templum defendendum, II Machab. III, 25 et 26. Sic missi sunt ad Judam Machabæum invulnerabilem custodiendum, II Machab. X, 29 et 30. Propter hoc dicitur, Isa. LXIII, 7 : *Miserationum Domini recordabor, laudem Domini super omnibus, quæ reddidit nobis Dominus, et super multitudinem bonorum domui Israel, quæ largitus est eis.* Tantorum enim beneficiorum nemo debet esse immemor.

Unde ex his concludit : 6

« *Et tu,* » supple, ergo « *ad Deum converteris.* » Joel, II, 12 : *Convertimini ad me in toto corde vestro.* Thren. V, 21 : *Converte nos, Domine, ad te, et convertemur.* Formam autem conversionis subdit : « *Misericordiam,* » ad te scilicet et proximum, « *et judicium,* » supple, in agendis, « *custodi :* » ut quid verum, quid falsum, quid bonum, quid malum sit, dijudices. Psal. C, 1 : *Misericordiam, et judicium cantabo tibi, Domine.* Et subjungit de ordine ad Deum : « *Et spera in Deo tuo semper,* » non in Assyrio vel Ægyptio. In Deo autem sperare, est sperando in eum bonis operibus tendere. Psal. XXXVI, 3 : *Spera in Domino, et fac bonitatem.* Ad Rom. V, 5 : *Spes non confundit.* Ad Hebr. VI, 18 : *Fortissimum solatium habeamus, qui confugimus ad tenendam propositam spem.* « *Semper* » autem dicit, quia sicut dicit Glossa, « Omnis laus in fine rei ca-

[1] Matth. IV, 11 : *Tunc reliquit eum diabolus : et ecce Angeli accesserunt, et ministrabant ei.*

[2] Luc. XXII, 43 : *Apparuit illi Angelus de cœlo, confortans eum. Et factus in agonia, prolixius orabat.*

[3] Genes. XXXII, 2.

« nitur. » Matth. xxiv, 13 : *Qui perseveraverit usque in finem, hic salvus erit.*

7 « *Chanaan.* » Tangit hic populi ingrati tantis beneficiis aversionem, et dicit in contractibus injustitiam, in violentiis calumniam ad proximum, et impietatem in Deum.

« *Chanaan* : » nominativus est absolutus. Ponitur enim ut sequens relatio locum habeat. Et est sensus : Populus iste non est de Jacob vel Israel, sed est de Chanaan, de semine iniquitatis. Daniel. xiii, 56 : *Semen Chanaan, et non Juda.* Ezech. xvi, 3 : *Radix tua, et generatio tua de terra Chanaan.* Unde autem hoc sciatur, subdit, et suppletur, quia « *in manu ejus* » supple, est « *statera dolosa.* » In omnibus contractibus statera dolosa est quæ deprimitur ad leve, et ascendit ad grave, in eo scilicet qui semper nititur dejicere proximum. Deuter. xxv, 13 et 14 : *Non habebis in sacculo diversa pondera, majus et minus : nec erit in domo tua modius major et minor.* Talis statera est eorum, qui multum ponderant temporalia, et parum spiritualia. Prov. xi, 1 : *Statera dolosa, abominatio est apud Dominum : et pondus æquum, voluntas ejus.* « *Calumniam dilexit,* » in oppressione scilicet pauperum. Isa. iii, 15 : *Quare atteritis populum meum, et facies pauperum commolitis ?* Isa. v, 23 : *Væ qui justificatis impium pro muneribus, et justitiam justi aufertis ab eo !* Hæc clero conveniunt qui omnes causas per calumniam ad lucrum trahunt. Isa. x, 1 et 2 : *Væ qui condunt leges iniquas, et scribentes, injustitiam scripserunt, ut opprimerent in judicio pauperes, et vim facerent causæ humilium populi mei !*

8 « *Et dixit Ephraim.* » Tangit corruptionem ordinis ad Deum. « *Et dixit Ephraim,* » in corde scilicet : « *Verumtamen dives effectus sum.* » Psal. lii, 1 : *Dixit insipiens in corde suo : Non est Deus.* Hieronymus : « Quasi dicat : Undecumque habeam, non curo, dummodo habeam : putat enim se esse divitem in idolo vel in delectabili quod consequitur, quamvis decipiatur. » Apoc. iii, 17 : *Dicis : Quod dives sum, et locupletatus, et nullius egeo : et nescis quia tu miser es, et miserabilis, et pauper, et cæcus, et nudus.* « *Inveni idolum mihi,* » supple, quod divitias reputo. Jerem. xvii, 11 : *Fecit divitias, et non in judicio.* « *Omnes labores mei,* » quibus laboravi, « *non invenient mihi,* » per inflictionem pœnæ alicujus judicis, « *iniquitatem quam peccavi.* » Et est verbum desperantis, qui providentiam negat, et judicium futurum, contra quod dicit, Eccli, v, 3 : *Ne dixeris : Quomodo potui ? aut quis me subjiciet propter facta mea ? Deus enim vindicans vindicabit.* Et ibidem, ℣. 4 : *Ne dixeris : Peccavi, et quid mihi accidit triste ? Altissimus est enim patiens redditor.* Eccle. v, 5 : *Ne dederis os tuum ut peccare facias carnem tuam : neque dicas coram Angelo : Non est providentia : ne forte iratus Deus contra sermones tuos dissipet cuncta opera manuum tuarum.*

Providentia Dei non neganda.

« *Et ego Dominus Deus.* » Secunda propositio est pro Domino in judicio, et habet duas particulas. Primo enim proponit pro Domino. Secundo, contra populum, ibi, « *Si Galaad idolum.* » 9

Pro Domino proponit duo, scilicet beneficentiam in Ecclesiis et in Sanctis, et certa responsa in dubiis, ibi, « *Et locutus sum.* »

Circa beneficentiam duo proponit, quorum primum est argumentum secundi. Primum est eductio de terra Ægypti : secundum autem de terra Chaldæorum reductio.

« *Et ego Dominus,* » supple, sum potestate, « *Deus* » providentia, « *tuus* » beneficiis. « *Ex terra Ægypti,* » hoc est, qui eduxi te de terra Ægypti. Mich. vi, 5 : *Quia eduxi te de terra Ægypti,*

et de domo servientium liberavi te : et misi ante faciem tuam Moysen, et Aaron, et Mariam. Hæc autem eductio (sicut sæpe dictum est) eductionem signat de peccatis. Isa. LXIII, 14 : *Sic adduxisti populum tuum, ut faceres tibi nomen gloriæ.* Et ex præterito subinfert spem futuri : « *Adhuc,* » supple, si pœnitueris, iterum « *sedere te faciam,* » celebrando festum, « *in tabernaculis,* » ut scilicet iteratum festum Tabernaculorum celebres pro reductione de captivitate, sicut celebrasti pro eductione de Ægypto. Et hoc est quod sequitur : « *Sicut in diebus festivitatis,* » Scenophegiæ scilicet, quando celebrasti festum eductionis de Ægypto. Iste sensus juvatur ex eo quod dicitur, Jerem. XXIII, 7 et 8 : *Ecce dies veniunt, dicit Dominus, et non dicent ultra : Vivit Dominus, qui eduxit filios Israel de terra Ægypti : Sed: Vivit Dominus, qui eduxit et adduxit semen domus Israel de terra aquilonis, et de cunctis terris, ad quas ejeceram eos illuc.* Sicut autem eductio de Ægypto signat eductionem de peccato, in qua cantatur canticum submersionis Ægyptiorum. Exod. XV, 1 : *Cantemus Domino : gloriose enim magnificatus est.* Ita per eductionem de Chaldæa signatur eductio de tentationibus per profectum virtutum, in quo cantatur canticum graduum, quod quindecim gradibus determinatur, in Psal. CXXXVII, 5 : *Cantent in viis Domini : quoniam magna est gloria Domini.* Mich. VII, 15 : *Secundum dies egressionis tuæ de terra Ægypti ostendam ei mirabilia.*

10 Et subjungit de secunda beneficentia ex parte Dei, scilicet quod eis dedit etiam responsa in dubiis.

« *Et locutus sum super prophetas.* » Supereminentiam notat Spiritus illuminantis prophetas. Isa. LXI, 1 : *Spiritus Domini super me.* Act. I, 8 : *Accipietis virtutem supervenientis Spiritus sancti in vos.* Spiritus enim superior infra se continet spiritum humanum, ut errare non possit. Nec uno modo locutus sum, sed « *et ego visionem multiplicavi,* » ut scilicet modo sensibili, modo imaginabili, modo intellectuali in visione loquerer. Psal. LXXXVIII, 20 : *Tunc locutus es in visione sanctis tuis.* Isa. XXVIII, 11 : *In loquela labii, ex lingua altera, loquetur ad populum istum,* scilicet Dominus. Ad Hebr. I, 1 : *Multifariam, multisque modis olim loquens Deus patribus in prophetis :* « *Et,* » quod plus est, « *in manu,* » hoc est, in opere « *prophetarum assimilatus sum,* » ut operibus intelligerent quod verbis audire noluerunt. Sicut quod Moyses extensis brachiis in modum crucis stetit contra Amalec, Exod. XVII, 11 et seq. Sicut Isaias nudus ivit et discalceatus tribus diebus, Isa. XX, 2 et seq. Sicut quod Jeremias calathis ficuum futura præfiguravit, Jeremiæ, XXIV, 2 et seq. : et Ezechiel vasis transmigrationis, Ezechiel. XII, 3 et seq. : et Jonas tribus diebus et tribus noctibus in ventre ceti fuit, Jonæ, II, 1. Sufficientia ergo erat in Domino ad omnia hæc quæ a Deo requiruntur. Beneficium enim fuit in indigentiis, et responsa in dubiis, et ex hoc infert quod frustra errabant in idolis, quæ neutrum horum facere possunt.

Christus in Prophetis adumbratus.

« *Si Galaad idolum,* » supple est, « *ergo frustra erant* : » et hic est punctuatio[1]. Hieronymus : « Hæc enim efficaciter in Deo, et inaniter in idolis requiruntur. » Isaiæ, VIII, 19 : *Cum dixerint ad vos : Quærite a pythonibus, et a divinis, qui strident in incantationibus suis : Numquid non populus a Deo suo requiret pro vivis a mortuis ?* Galaad enim civitas est ultra Jordanem, in sor- **11**

[1] In Vulgata non est ponctuatio, sed ℣. 11 habet : *Si Galaad idolum, ergo frustra erant in Galgal bobus immolantes.*

tibus Ruben et Gad et dimidiæ tribus Manasse, ubi Laban comprehendit Jacob[1]. Et propter hoc locus venerabilis habebatur, et ideo ibi idolum erat quod venerabantur decem tribus. Osee, VI, 8 : *Galaad civitas operantium idolum, supplantata sanguine.* In hoc idolo frustra erant « *in Galgal bobus immolantes.* » Galgal sive Galgala, civitas est duarum tribuum juxta Bethel, ubi etiam fuit idolum quod duæ tribus venerabantur, quod etiam frustra fuit, cum Deus nec deesset in beneficiis, nec deesset in responsis. Deuter. IV, 7 : *Nec est alia natio tam grandis, quæ habeat deos appropinquantes sibi, sicut Deus noster adest cunctis obsecrationibus nostris.* Osee, IX, 15 : *Omnes nequitiæ eorum in Galgal, quia ibi exosos habui eos : propter malitiam adinventionum eorum.* Et dicit *bobus* in derisionem et in signum concupiscentiæ. Bovem enim pro tauro ponit, qui lascivus est. Unde, Prov. VII, 22, ubi de meretrice loquitur, subjungit : *Statim eam sequitur quasi bos ductus ad victimam, et quasi agnus lasciviens.* Hanc litteram Haymo aliter punctuat, et legit sic : « *Si,* » hoc est, et si « *Galaad,* » hoc est, in decem tribubus, « *est idolum,* » propter hoc scilicet, quod nec templum, nec Prophetas : nec Sacerdotes habuerunt. Et legit tamen pro *ergo* sic : « *Tamen frustra erant in Galgal,* » hoc est, in duabus tribubus, « *bobus immolantes.* » Ibi enim erant Sacerdotes, et templum, et Prophetæ. Sed ne negare possint, convincit, subdens : « *Nam et altaria eorum,* » scilicet decem et duarum tribuum, apparent « *quasi acervi,* » hoc est, tumuli arenarum vel lapidum, « *super sulcos agri.* » Septuaginta : « Super desertum campi. » Et tangit quod hostibus venientibus, villis et campis desertis, templa idolorum fracta sunt, et tumuli ruinarum super campum desertum apparuerunt. Matth. XXIV, 2 : *Non relinquetur hic lapis super lapidem, qui non destruatur.*

« *Fugit Jacob.* » Adhuc tertio proponit in judicio beneficia quæ Patri fecit in constructione domus, et filiis in illuminatione Prophetæ, et ex opposito aversionem ingrati populi. 12

« *Fugit Jacob in regionem Syriæ :* » quod fugit, erat metus ratione fratris sui, qui dixit, Genes. XXVII, 41 : *Venient dies luctus patris mei, et occidam, Jacob fratrem meum.* Quod autem in Syriam fugit, consilium fuit matris, quæ noluit ut de filiabus Heth uxorem duceret, sicut ibidem dicitur, cap. XXVIII, 1 et 2 : *Noli accipere conjugem de genere Chanaan : sed vade, et proficiscere in Mesopotamiam Syriæ, ad domum Bathuel, patris matris tuæ, et accipe tibi inde uxorem de filiabus Laban, avunculi tui.* Et hoc tangit hic. « *Et servivit Israel,* » Laban scilicet avunculo suo, « *in uxorem* » habendam, Genes. XXIX, 18 : *Serviam tibi pro Rachel filia tua minore, septem annis :* « *et in uxorem servivit*[2], » Liam scilicet aliis septem annis, ut ibidem dicitur : et sic Deus ordinatione uxorum, et procreatione filiorum, et multiplicatione possessionum domum construxit Jacob. Ruth, IV, 11 : *Faciat Dominus hanc mulierem, quæ ingreditur domum tuam, sicut Rachel, et Liam, quæ ædificaverunt domum Israel : ut sit exemplum virtutis in Ephrata.* Signat autem hoc in spiritualibus fugam a sæculari conversatione in regionem Syriæ, quæ *sublimis* interpretatur, hoc est, in sublimitatem pœnitentiæ vel religionis. Jerem. XLVIII, 28 : *Estote quasi columba nidificans in summo ore foraminis.*

Et subdit de illuminatione Prophetæ : 13
« *In propheta autem,* » Moyse scilicet et Aaron et Maria et aliis septuaginta duo-

[1] Cf. Genes. XXXII, 23.

[2] Vulg. habet, *servavit.*

bus, qui Numer. xi, 25, prophetabant : « *eduxit Dominus Israel de Ægypto,* » ne scilicet incertas promissiones sequerentur. II Petr. i, 16 : *Non doctas fabulas secuti notam fecimus vobis Domini nostri Jesu Christi virtutem.* « *Et in propheta servatus est,* » hoc est, in successione prophetali, ita quod Doctor justitiæ numquam defuit. Eccli. xxiv, 46 : *Adhuc doctrinam quasi prophetiam effundam, et relinquam illam quærentibus sapientiam, et non desinam in progenies illorum usque in ævum sanctum.*

14 Et subjungit de aversione populi a tantis beneficiis : et suppletur, et tamen « *Ad iracundiam me provocavit Ephraim,* » hoc est, regnum decem tribuum, vel in mundo fructificantes. Isa. xxx, 30 : *Terrorem brachii sui ostendet in comminatione furoris, et flamma ignis devorantis.* « *In amaritudinibus suis,* » hoc est, peccatis, quæ me pium et dulcem ad amaritudinem provocant. Jerem. ii, 21 : *Quomodo conversa es mihi in pravum vinea aliena?* Deut. xxxii, 33 : *Fel draconum vinum eorum.*

Ex omni ista disputatione triplici quæ proposita est, infert sententiam : « *Et* » supple, ideo, « *Sanguis ejus,* » hoc est, causa sanguinis sive mortis, « *super eum veniet* : » ipse enim per peccatum sibi causa mortis est. II Reg. i, 16 : *Sanguis tuus super caput tuum : os enim tuum locutum est adversum te.* « *Et opprobrium ejus restituet ei Dominus suus.* » *Opprobrium* vocat probrosum peccatum, quod restituitur, quando congrue punitur. Deuter. xxv, 2 : *Pro mensura peccati erit et plagarum modus.* Isa. xxvii, 8 : *In mensura contra mensuram, cum abjecta fuerit, judicabis eam.* Isa. iii, 11 : *Væ impio in malum : retributio enim manuum ejus fiet ei !*

Pœna correspondet culpæ.

CAPUT XIII.

Abominationes Israel ostendit, propter quas ipsi minatur exitium : Dominus dicit se solum esse Deum et liberatorem, arguens Israel ingratitudinis de beneficiis in deserto acceptis, gravemque ob id vindictam illis comminatur : addens se eos de morte liberaturum, devictis morte et inferno.

1. Loquente Ephraim, horror invasit Israel : et deliquit in Baal, et mortuus est.
2. Et nunc addiderunt ad peccandum : feceruntque sibi conflatile de argento suo quasi similitudinem idolorum, factura artificum totum est : his ipsi dicunt : Immolate, homines vitulos adorantes.
3. Idcirco erunt quasi nubes matutina, et sicut ros matutinus præteriens, sicut pulvis turbine raptus ex area, et sicut fumus de fumario.
4. Ego autem Dominus Deus tuus, ex terra Ægypti : et Deum absque me nescies, et salvator non est præter me [1].
5. Ego cognovi te in deserto, in terra solitudinis.
6. Juxta pascua sua adimpleti sunt et

[1] Isa. xliii, 11.

saturati sunt : et levaverunt cor suum, et obliti sunt mei.

7. Et ego ero eis quasi leæna, sicut pardus in via Assyriorum.

8. Occurram eis quasi ursa, raptis catulis : et dirumpam interiora jecoris eorum, et consumam eos ibi quasi leo, bestia agri scindet eos.

9. Perditio tua, Israel : tantummodo in me auxilium tuum.

10. Ubi est rex tuus ? maxime nunc salvet te in omnibus urbibus tuis : et judices tui, de quibus dixisti : Da mihi regem, et principes [1].

11. Dabo tibi regem in furore meo, et auferam in indignatione mea.

12. Colligata est iniquitas Ephraim : absconditum peccatum ejus.

13. Dolores parturientis venient ei : ipse filius non sapiens : nunc enim non stabit in contritione filiorum.

14. De manu mortis liberabo eos, de morte redimam eos : ero mors tua, o mors ! morsus tuus ero, inferne [2] ! consolatio abscondita est ab oculis meis.

15. Quia ipse inter fratres dividet : adducet urentem ventum Dominus de deserto ascendentem [3] : et siccabit venas ejus, et desolabit fontem ejus : et ipse diripiet thesaurum omnis vasis desiderabilis.

IN CAPUT XIII OSEE

ENARRATIO.

« *Laqueute Ephraim.* » Secundum superius inductam divisionem duo intendit hic Propheta, peccati scilicet, et vanitatis accumulationem et condemnationem, et Prophetæ contristationem, ibi, ỷ. 14 : «*De manu mortis liberabo eos.*»

In prima parte duo sunt : peccati accumulatio, et peccati accumulati colligatio ad condemnandum, ibi, ỷ. 12 : « *Colligata est iniquitas.* »

In prima adhuc duo sunt, scilicet, accumulatio idololatriæ, et accumulatio ingratitudinis ibi, ỷ. 4 : « *Ego autem Dominus Deus tuus.* »

In primo quatuor sunt, scilicet peccati principium, peccati additamentum, et quam sit irrationabile peccatum, et qualiter sit puniendum.

Dicit ergo : « *Loquente Ephraim,* » rege scilicet decem tribuum Jeroboam, qui fuit de Ephraim : et intelligit, *loquente,* hoc est, præcipiente. Ezech. xxxiv, 4 et 5 : *Cum austeritate imperabatis eis, et potentia. Et dispersæ sunt oves meæ, eo quod non esset pastor.* « *Horror invasit Israel,* » hoc est, horrendum peccatum idololatriæ. Job, iv, 15 : *Cum spiritus me præsente transiret, inhorruerunt pili carnis meæ.* Eccli. xxvii, 15 : *Loquela multum jurans, horripilationem capiti statuet.* Austera enim præcipientes multum jurare consueverunt. « *Et deliquit in Baal,* » qui vel *superior* vel *devorator* interpretatur. Maxime enim hoc competit libidinosis et ambitiosis. « *Et mortuus est,* » hoc est, causam mortis accepit. Genes. ii, 17 : *Quocumque die comederis ex eo, morte morieris.* Hoc sub eodem sensu ad Prælatos refertur, qui Ephraim sunt propter temporalium fructificationem, et verbo et opere loquuntur ad populi subversionem. I ad Corinth. xv, 33 : *Corrumpunt mores bonos colloquia mala.* Psal.

[1] I Reg. viii, 5.

[2] I ad Corinth. xv, 54 ; ad Hebr. ii, 14.

[3] Ezech. xix, 12.

XLIX, 19 : *Os tuum abundavit malitia : et lingua tua concinnabat dolos.* Et sic horrendum peccatum invadit subditos. Isa. XXI, 3 et 4 : *Corrui cum audirem, conturbatus sum cum viderem. Emarcuit cor meum, tenebræ stupefecerunt me.* « *Et deliquit in Baal,* » hoc est, per luxuriam et avaritiam et superbiam. Baal enim, ut superior superbiam, ut vero devorator avaritiam, et quia colebatur per libidinem, luxuriam signat. Colebatur enim in idolo Phegor. I Joan. II, 16 : *Omne, quod est in mundo, concupiscentia carnis est, et concupiscentia oculorum, et superbia vitæ.* Et sic moritur populus, sicut supra dictum est : « *Ephraim educet ad interfectorem filios suos*[1]. »

2 Et subdit de additamento peccati :

« *Et nunc addiderunt ad peccandum,* » per novas scilicet inventiones idolorum. Psal. LXVIII, 28 : *Appone iniquitatem super iniquitatem eorum.* In quo autem addiderint, subdit : « *Feceruntque sibi conflatile,* » scilicet vitulum, « *de argento suo,* » hoc est, de pretiosissimis quæ habebant. Osee, II, 8 : *Ego argentum multiplicavi ei, et aurum quæ fecerunt Baal.* « *Quasi similitudinem idolorum.* » *Quasi* dicit, quia non erat vera similitudo, quia ad id quod nihil est non potest esse similitudo. I ad Corinth. VIII, 4 : *Scimus quia nihil est idolum in mundo.* Istud moraliter refertur ad eos qui nova peccata veteribus addunt. Isa. XXX, 1 et 2 : *Ut adderetis peccatum super peccatum, qui ambulatis ut descendatis in Ægyptum.* Ambulat enim in Ægyptum qui semper proficit in peccatis. Hi faciunt conflatile, desideriis enim et studiis delectabilia conflant sibi : et de argento faciunt, quia eloquia ad hoc componunt. Judic. XVII, 3 : *Consecravi et vovi hoc argentum Domino, ut de manu mea suscipiat filius meus, et faciat sculptile atque conflatile.* Dicit autem *quasi similitudinem,* quia quidquid in vita diligitur, potius umbra quam veritas est. Judic. IX, 36 : *Umbras montium vides quasi capita hominum, et hoc errore deciperis.*

Peccata nova veteribus non addenda.

Et subdit de peccati irrationabilitate. « *Factura artificum totum est.* » Artifex autem non potest dare substantiam. Sap. XIII, 10 : *Infelices autem sunt, et inter mortuos spes illorum est, qui appellaverunt deos opera manuum hominum, aurum et argentum, artis inventionem.* « *His,* » idolis scilicet, « *ipsi,* » Principes scilicet et Sacerdotes, « *dicunt,* » hoc est, præcipiunt : « *Immolate,* » cum inutile sit talibus immolare. Sap. XIII, 17 et 18 : *Non erubescit loqui cum illo, qui sine anima est : et pro sanitate quidem infirmum deprecatur, et pro vita rogat mortuum, et in adjutorium inutilem invocat.* Et subdit : « *Homines vitulos adorantes.* » Glossa vult, quod *homines,* possit esse vocativi vel nominativi casus. Si est vocativi casus, refertur ad præcedens, et est sensus, quod Sacerdotes dicunt : O homines, immolate vitulis. Si nominativi est, refertur ad sequens sub hoc sensu : Cum sint homines, sunt adorantes vitulos. Deposita enim ratione, magis bruti quam etiam ipsi vituli efficiuntur. Isa. XLIV, 18 et 19 : *Obliti sunt ne videant oculi eorum, et ne intelligant corde suo. Non recogitant in mente sua, nec cognoscunt, neque sentiunt, ut dicant : Medietatem ejus combussi igni, et coxi super carbones ejus panes : coxi carnes et comedi, et de reliquo ejus idolum faciam, ante truncum ligni procidam.* Psal. XLVIII, 13 : *Homo cum in honore esset, non intellexit : comparatus est jumentis insipientibus.* Hæc eadem dicuntur de Prælato qui fit ab hominibus et non ex Deo.

[1] Cf. Osee, IX, 13.

Zach. XL, 17 : *O pastor, et idolum, derelinquens gregem.* Hic enim in figura vituli ad libidines et lasciviam populi vel augendam vel dissimulandam formatus est. Psal. CV, 20 : *Mutaverunt gloriam suam in similitudinem vituli.* Hic enim nihil venerabile habet, nisi pompam sæculi. Propter quod laudatur Mardochæus, quod talem adorare noluit [1], ne honorem divinum impenderet illi, quem Deus non constituerat.

3 Subdit autem de pœna per quatuor comparationes comprehendens eam, et est communis expositio ad litteram et ad mores.

Primo, ponit comparationem vitæ, dicens : « *Idcirco erunt quasi nubes matutina.* » *Nubes matutina* vapor est frigiditate noctis compressus, et radiis solis incontinenti dissolutus, et ita est de vita præsenti, quæ radiis solis justitiæ quando judicium demonstrat, statim dissolvitur. Jacob. IV, 15 : *Quæ est enim vita vestra ? vapor est ad modicum parens, et deinceps exterminabitur.* Judas in epistola, ℣. 12 : *Hi sunt nubes sine aqua, quæ a ventis circumferuntur.*

Nubes matutina.

Et subdit de profectu vitæ et prosperitate : « *Et sicut ros matutinus præteriens.* » Ros enim fœcundat sicut prosperitas : sed sicut ros mane, sole statim exsiccatur, ita prosperitas stultorum tacta luce justitiæ Dei in nihilum redigitur. Prov. I, 32 : *Aversio parvulorum interficiet eos, et prosperitas stultorum perdet illos.* Osee, VI, 4 : *Misericordia vestra quasi nubes matutina, et quasi ros mane pertransiens.* Eccli. XLIII, 24 : *Ros obvians ab ardore venienti humilem efficiet eum.*

Et subdit de corpore : « *Sicut pulvis turbine raptus ex area.* » In area enim ut seges contrita est et triturata, multus consuevit esse pulvis, qui turbine primo involutus et elevatus dissipatur, ita et homo post semina et labores hujus vitæ in pulverem revertitur et dissipatur : corpus enim non est nisi pulvis compactus et in pelle una conglutinatus. Job, VII, 21 : *Ecce, nunc in pulvere dormiam, et si mane me quæsieris, non subsistam.* I Machab. II, 63 : *Hodie extollitur, et cras non invenietur : quia conversus est in terram suam, et cogitatio ejus periit.* Psal. CXLV, 4 : *Exibit spiritus ejus, et revertetur in terram suam,* supple, corpus : *in illa die peribunt.*

Et subdit de comparatione spiritus qui vehiculum est vitæ et virtutis, qui in fumum resolvitur : « *Et sicut fumus de fumario* » raptus. *Fumarium* vocat, ut dicit Hieronymus, « cataractam sive « foramen muri per quod egreditur fu« mus. » Sap. II, 3 : *Spiritus diffundetur tamquam mollis aer, et transibit vita nostra tamquam vestigium nubis.* De hoc sic in *Moralibus* dicit Gregorius : « Carnalis gloria dum nitet, cadit : et « dum apud se extollitur, repentino in« tercepto fine terminatur. Sic namque « aurarum flatu in altum stipula rapi« tur, sed ad ima casu concito revocatur. « Sic ad nubila fumus extollitur, sed re« pente annihilatur, et intumescendo « dissipatur. Sic ab infimis nebula as« cendendo se erigit, sed exortus hanc « solis radius ac si non fuit abstergit. « Sic in herbarum superficie nocturni « roris humor spargitur, sed divini lu« minis subito calore siccatur. Sic spu« mosæ aquarum bullæ inchoantibus « pluviis excitatæ, ab infimis certatim « prodeunt : sed eo celerius diruptæ de« pereunt, quo inflatæ altius extendun« tur : cumque excrescunt ut appareant, « crescendo peragunt ut non subsi« stant. »

« *Ego autem Dominus.* » Tangit hic ingratitudinis accumulationem, et tan- 4

[1] Cf. Esther, V, 9.

git tria, ex quibus concludit propositum, et illud est quartum. Primum est, propositio beneficiorum Domini : secundum, aversio ingrati populi : tertium, pœna qua sunt feriendi. Ex his concludit, quod non nisi in Deo est salus populi.

De primo dicit : « *Ego autem,* » cum idolum nihil sit, « *Dominus Deus* » sum, scilicet per naturæ veritatem et omnium superpositionem : « *tuus* » autem per beneficiorum collationem. I ad Corinth. VIII, 5 et 6 : *Et si sunt qui dicantur dii sive in cælo, sive in terra* (*siquidem sunt dii multi, et domini multi*), *nobis tamen unus Deus, Pater, ex quo omnia.* « *Ex terra Ægypti,* » hoc est, divinitatis meæ potentiam ostendi, in eductione de terra Ægypti, et litteraliter et spiritualiter. Exod. XX, 2 : *Ego sum Dominus Deus tuus, qui eduxi te de terra Ægypti, de domo servitutis :* hoc enim quotidie facit de peccatis educendo. « *Et Deum absque me nescies,* » hoc est, Deum qui absque me est, mei scilicet nihil habens, nescies per approbationem. Exod. XX, 3 : *Non habebis deos alienos coram me.* Hoc enim non implet fornicator qui deam habet Venerem, nec avarus qui nummum adorat [1]. Nec superbus qui in excelsis sacrificat. Et subdit : « *Et salvator non est præter me.* » Virtus enim salvandi non est nisi in ipso. Isa. XLV, 21 : *Ego Dominus, et non est ultra Deus absque me, Deus justus, et salvans non est præter me.*

Et subdit de beneficiis præstitis in
5 deserto : « *Ego cognovi te in deserto,* » notitia scilicet dilectionis, electionis, et beneficiorum. Exod. XXXIII, 12 : *Novi te ex nomine, et invenisti gratiam coram me.* II ad Timoth. II, 19 : *Cognovit Dominus qui sunt ejus. In deserto* autem dicit, propter privationem cultus, ubi nullus potuit subvenire, nisi Deus. « *In terra solitudinis,* » ut etiam potentiam ad cultum auferat. Solitudo enim est terra quæ coli non potest propter malitiam. Deut. XXXII, 10 : *Invenit eum in terra deserta, in loco horroris, et vastæ solitudinis.* Quod signat desertum in quo invenitur peccator, ubi nec Angeli nec Sancti habitant.

Signum autem hujus notitiæ suppo-
nit ex verbo Prophetæ : « *Juxta pascua* 6
sua : » et est ac si aliquis quæreret, quo populum novit Deus ? Et respondet Propheta : « *Juxta pascua sua.* » Deut. VIII, 3 : *Afflixit te penuria, et dedit tibi cibum manna, quod ignorabas tu et patres tui : ut ostenderet tibi, quod non in solo pane vivat homo, sed in omni verbo quod egreditur de ore Dei.* Pluit enim illis manna et conturnices, Exod. XVI, 13. Et dedit carnes ut egrederentur per nares, Numer. XI, 31. Aquam quoque de petra eduxit, cujus dulcedo melli comparatur, quæ continuo sequebatur populum per desertum, Numer. XX, 11. Psal. LXIV, 10 : *Parasti cibum illorum : quoniam ita est præparatio ejus.* Sap. XVI, 21 : *Substantia tua dulcedinem tuam, quam in filios habes, ostendebat : et uniuscujusque voluntati deserviens, ad quod quisque volebat convertebatur,* cibus scilicet quem eis dedisti.

Manna uniuscujusque parebat desiderio.

« *Adimpleti sunt.* » Tangit hic populi aversionem, quod super impletionem impleti, divitiis scilicet et deliciis, et honoribus. « *Et saturati sunt : et levaverunt cor suum :* » difficile enim est divitiis adimpletum cor non elevari, Ezech. XXVIII, 17 : *Elevatum est cor tuum in decore tuo.* Jerem. V, 27 et 28 : *Magnificati sunt et ditati. Incrassati sunt et impinguati : et præterierunt*

[1] Ad Ephes. V, 5 : *Hoc scitote intelligentes, quod omnis fornicatur, aut immundas, aut avarus, quod est idolorum servitus, non habet hæreditatem in regno Christi et Dei.*

sermones meos pessime. Hieronymus inducit hoc Deut. xxxii, 15 : *Incrassatus est dilectus, et recalcitravit : incrassatus, impinguatus, dilatatus.* « *Et obliti sunt mei,* » quod scilicet me præ oculis non habuerunt. Jerem. ii, 32 : *Populus meus oblitus est mei diebus innumeris.* Isa. lvii, 11 : *Mentita es, et mei non es recordata.*

7 Subdit autem de pœna qua sunt puniendi, et ponit similitudines in crudelitate punientis.

« *Et ego ero eis quasi leæna,* » quæ sævior leone esse dicitur. Genes. xlix, 9 : *Requiescens accubuisti ut leo, et quasi leæna, quis suscitabit eum ?* Numer. xxiii, 24 : *Ut leæna consurget, et quasi leo erigetur : non accubabit donec devoret prædam, et occisorum sanguinem bibat.* Et hoc est dictum propter sævitiam. « *Sicut pardus in via Assyriorum,* » supple, occurram eis. Et sicut dixit *leæna* propter sævitiam, ita dicit *pardus* propter velocitatem, ne effugiant. Habac. i, 8 : *Leviores pardis equi ejus.* Et tunc, sicut dicit Amos, ii, 14 : *Peribit fuga a veloce.* Jerem. v, 6 : *Percussit eos leo de silva, lupus ad vesperam vastavit eos, pardus vigilans super civitates eorum.* Dicit autem, *in via Assyriorum,* quia semper ad Assyrios fugere cogitabant. Jerem. ii, 18 *Quid tibi cum via Assyriorum, ut bibas aquam fluminis ?* sic etiam sæculares confugiunt semper ad altum sensum.

8 « *Occurram eis quasi ursa raptis catulis* : » de qua dicit Hieronymus, quod « qui scribunt de naturis animalium, « dicunt quod nihil ita sævit sicut ur-« sa, raptis catulis. » Et in illa sævitia et feritate dicit, quod occurrat per regem Assyriorum, vel spiritualiter per diabolum. Prov. xxviii, 15 : *Leo rugiens, et ursus esuriens, princeps impius super populum pauperem.* Dicit autem, *raptis catulis,* quia primo negantes tributum quasi catulos rapuerunt, et per hoc adversarios concitaverunt ad sævitiam. II Reg. xvii, 8 : *Tu nosti patrem tuum, et viros, qui cum eo sunt, esse fortissimos et amaro animo, veluti si ursa raptis catulis in saltu sæviat.* Hanc sævitiam exaggerat Salomon, Prov. xvii, 12 : *Expedit magis ursæ occurrere raptis fœtibus, quam fatuo confidenti in stultitia sua.* « *Et dirumpam interiora jecoris eorum,* » hoc est, vitalia eorum, vel ea quæ amant, quia cogit amare jecur: separabuntur enim a peccatore omnia delectabilia sua. Osee, ii, 12 : *Comedet eam bestia agri.* « *Et consumam eos ibi,* » in pœnis scilicet. Et modum tangit quando dicit : « *Quasi leo.* » Deut. xxxii, 26 : *Dixi : Ubinam sunt ? cessare faciam ex hominibus memoriam eorum.* Isa. xxxviii, 13 : *Quasi leo sic contrivit omnia ossa mea.* « *Bestia agri scindet eos.* » *Bestia* quasi *vastia* dicitur, et signat crudelitatem, vel Romanorum, vel dæmonum. Genes. xxxvii, 33 : *Fera pessima comedit eum, bestia devoravit Joseph.*

Ex his concludit propositum, subdens : 9
« *Perditio tua, Israel.* » Hoc est, o Israel, tu ipse es causa perditionis tuæ, qui semper a me, qui sum vita tua, aversus es. Psal. xxx, 13 : *Factus sum tamquam vas perditum.* « *Tantummodo in me auxilium tuum,* » qui semper cogitavi de salute tua. Isa. l, 7 : *Dominus Deus auxiliator meus, et ideo non sum confusus.* Psal. cxx, 2 : *Auxilium meum a Domino, qui fecit cœlum et terram.*

Et excludit præsumptionem falsi auxilii, subdens : « *Ubi est rex tuus ?* » in quo scilicet auxilium præsumpsisti. Rex enim salvare non poterit. I Reg. viii, 18 : *Non exaudiet vos Dominus in die illa, quia petisti vobis regem.* Humana 10

enim virtus salvare non poterit : « *maxime nunc salvet te*, » tempore scilicet necessitatis : tunc enim debet succurrere rex et amicus. In necessitate enim probatur amicus [1]. « *In omnibus urbibus tuis*, » hoc est, munitionibus, quæ jam omnes expugnantur, vel per diabolum, vel per mortem, vel per tyrannum exteriorem. Isa. xxxvi, 1 : *Ascendit Sennacherib rex Assyriorum super omnes civitates Juda munitas, et cepit eas.* « *Et judices tui,* » ubi sunt? hoc est, principes qui te judicant, qui modo scilicet subvenire non possunt. Deuter. xxxii, 38 : *Surgant, et opitulentur vobis, et in necessitate vos protegant.* « *De quibus dixisti,* » per Samuelem scilicet, I Reg. viii, 4 et seq. « *Da mihi regem, et principes.* » Sic enim dixerunt : *Rex erit super nos. Et erimus nos quoque sicut omnes gentes : et judicabit nos rex noster, et egredietur ante nos, et pugnabit bella nostra pro nobis* [2].

11 Et, supple, tunc respondi per Samulem : « *Dabo tibi regem in furore meo,* » qui scilicet te premat, et non defendat : « *et auferam* » hunc regem « *in indignatione mea,* » quia scilicet in Amalec debite non vindicavit. « In sig-
« num autem hujus, ut dicit Hierony-
« mus, mugire fecit tonitrua, et descen-
« dere pluvias in die messis, quod in-
« consuetum est in Palestina. » I Reg. xii, 17 : *Numquid non messis tritici est hodie ? invocabo Dominum, et dabit voces et pluvias : et scietis, et videbitis, quia malum grande feceritis vobis in conspectu Domini, petentes super vos regem.* Similiter etiam peccant qui petunt sibi Prælatos non ex imperio Domini, sub quibus suas habeant libertates. II ad Timoth. iv, 3 et 4 : *Erit tempus, cum sanam doctrinam non sustinebunt, sed ad sua desideria coacervabunt sibi magistros, prurientes auribus, et a veritate quidem auditum avertent, ad fabulas autem convertentur.*

« *Colligata est.* » Tangit hic de congregatione iniquitatis ad pœnæ condemnationem : 12

« *Colligata est iniquitas Ephraim.* » Et dicitur, *colligata*, quasi simul in sacculo ligata, in quo scilicet ad judicium reservatur : et hic sacculus est in divina scientia nostrorum peccatorum memoria, et colligatio est non interrupta peccatorum nostrorum reminiscentia, et peccatorum accumulatio. Job, xiv, 16 et 17 : *Tu quidem gressus meos dinumerasti, sed parce peccatis meis. Signasti quasi in sacculo delicta mea, sed curasti iniquitatem meam.* Et sic id quod sequitur, expositio est præcedentis : « *Absconditum peccatum ejus,* » hoc est, in abscondito reservatum : vel dicatur quod *absconditum est*, eo quod per confessionem non est revelatum ad pœnitentiam. Job, xxxi, 33 : *Si abscondi quasi homo peccatum meum, et celavi in sinu meo iniquitatem meam.* Quasi dicat, male mihi accidit. Et hæc expositio communis est ad litteralem et moralem. E converso, de confitentibus dicitur. Psal. xxxi, 5 : *Dixi : Confitebor adversum me injustitiam meam Domino : et tu remisisti impietatem peccati mei.* Isa. xliii, 26 : *Narra si quid habes, ut justificeris.* Qui autem abscondit scelera, non dirigetur, et ideo punitur.

Confessio peccatorum utilis est.

Et hoc est quod sequitur : « *Dolores parturientis venient ei.* » Dolores parturientis sunt, quando id quod cum delectatione conceptum est, prodit ad lucem, et arctat uterum, et torquet dolore scindente eam, quæ concepit. Isa. lix, 4 : *Conceperunt laborem, et pepererunt iniquitatem.* Psal. vii, 15 : *Concepit dolorem, et peperit iniquitatem.* I ad Thess. v, 3 : 13

[1] Cf. Eccli. vi, 7 et seq.

[2] Cf. I Reg. viii, 19 et 20.

Cum dixerint pax, et securitas : tunc repentinus eis superveniet interitus, sicut dolor in utero habenti. Isa. XXXVII, 3 : *Dies tribulationis, et correptionis, et blasphemiæ dies hæc : quia venerunt filii usque ad partum, et non est virtus pariendi.*

Quod autem causa doloris istius in ipso sit, subdit, et suppletur, quia « *Ipse filius non sapiens,* » qui scilicet pericula futura sapienter prævideat, et corrigat per pœnitentiam quod dereliquit. Osee, IV, 14 : *Populus non intelligens vapulabit.* Isa. V, 13 : *Propterea captivus ductus est populus meus, quia non habuit scientiam.* Et probat hoc per signum, subdens : « *Nunc enim,* » in proxima scilicet tribulatione captivitatis, « *non stabit,* » sed cadet « *in contritione filiorum,* » quando scilicet filii ejus conterentur, vel filii mei de duabus tribubus. Si enim duabus tribubus quæ templum non abjecerunt non pepercit, tunc nullo modo parcet illis qui templum abjecerunt. Jerem. XLV, 4 et 5 : *Ecce quos ædificavi, ego destruo : et quos plantavi, ego evello, et universam terram hanc. Et tu quæris tibi grandia ? noli quærere : quia ecce ego adducam malum super omnem carnem.* Luc. XXIII, 31 : *Si in viridi ligno hæc faciunt, in arido quid fiet ?*

14 « *De manu mortis.* » Quia jam dictum est quod ad finalem damnationem congregata est iniquitas, ideo ne desperet populus de liberatione, saltem ab inferno, subdit de liberatione futura per Christum : « *De manu mortis liberabo eos.* » *Manus* peccatum est, qua peccatores tenentur in morte. Sap. I, 13 et 16 : *Deus mortem non fecit :... impii autem manibus et verbis accersierunt illam.* Liberando enim de peccatis, liberat de manu mortis. Matth. I, 21 : *Ipse salvum faciet populum suum a peccatis eorum.* Isa. XXXVIII, 17 : *Tu autem eruisti animam meam ut non periret, projecisti post tergum tuum omnia peccata mea.* Mich. VII, 19 : *Deponet iniquitates nostras, et projiciet in profundum maris omnia peccata nostra.* « *De morte redimam eos.* » Ex quo redimit de manu mortis, per consequens, redimit de morte æterna. Ad Roman. IV, 25 : *Traditus est propter nostra delicta,* scilicet destruenda. Morte enim sua mortem nostram destruxit, et vitam resurgendo reparavit[1]. Quod figuratum est, Gen. L, 23, ubi dicitur : *Post mortem meam Deus visitabit vos, et ascendere vos faciet de terra ista.*

Qualiter autem hoc fiat, subdit :

Christus infernum momordit.

« *Ero mors tua, o mors.* » *Mors* dicitur vivere secundum actum mortis, qua mortificare potest, et in morte detinere, quam potestatem amisit Christi morte, et ideo mortua dicitur esse. Apoc. XX, 6, dicitur de hac morte : *Beatus, et sanctus, qui habet partem in resurrectione prima.* In his secunda mors potestatem non habet.

Et quia infernus receptaculum est mortuorum, propter hoc subdit : « *Morsus tuus ero, inferne.* » Ad infernum enim descendit anima Christi, et eos qui longa spe adventum suum exspectaverant, inde liberavit, et ita infernum momordit, scilicet limbum patrum, quasi dentibus abstrahendo, et receptaculum damnatorum et limbum parvulorum in originali decedentium derelinquendo. Septuaginta sic : « Ubi est, mors, causa tua ? ubi est aculeus « tuus, inferne ? » Et hoc inducit Apostolus, I ad Corinth. XV, 54 et seq., sic dicens : *Absorpta est mors in victoria. Ubi est, mors, victoria tua ? ubi est, mors, stimulus tuus ? Stimulus autem mortis peccatum est : virtus vero peccati lex. Deo autem gratias, qui dedit nobis victoriam per Jesum Christum Dominum nostrum,* qui scilicet mortuus est pro nobis. Et quod Apostolus sic exponit, præsumptuosum

[1] « Ipse enim verus est Agnus qui abstulit peccata mundi. Qui mortem nostram moriendo destruxit, et vitam resurgendo reparavit. » Præf. pasch.

reputo aliter exponere. Quia vero ista liberatio in futurum promissa longe post tempora Prophetæ exhibita est, ideo subdit : « *Consolatio abscondita est ab oculis meis :* » præsens enim in carne non videbo ea. Isa. xxxviii, 10 et 11 : *Quæsivi residuum annorum meorum. Dixi : Non videbo Dominum Deum in terra viventium.*

15 De quo autem maxime tristatur, subdit :

« *Quia ipse,* » infernus scilicet morsus, « *inter fratres dividet,* » hoc est, inter quoslibet vinculo amicitiæ conjunctos. Unus enim assumetur ad gloriam, et alter relinquetur ad pœnam. Matth. xxiv, 40 et 41 : *Tunc duo erunt in agro : unus assumetur, et alter relinquetur. Duæ molentes in mola : una assumetur, et altera relinquetur :* duo in lecto, unus assumetur, et alter relinquetur. Et de hoc testatur Propheta, quod aliquis de suis perditur, et a consortio beatorum separatur. I Reg. xv, 32 : *Siccine separat amara mors ?*

Qualiter autem per imminentem captivitatem hoc fiat, subdit :

« *Adducet Dominus,* » sapientia scilicet sua, « *urentem ventum,* » hoc est, exercitum levem et velocem, potius flatu venti venientem quam ambulantem, qui sicut ventus urens omnia exsiccabit. Ezech. i, 4 : *Ecce ventus turbinis veniebat ab aquilone : et nubes magna, et ignis involvens,* ut per ignem exsiccet, per nubem grandinet terrore et comminatione, per ventum vero velociter discurrat et undique diffundatur. Job, iv, 8 et 9 : *Vidi eos, qui operantur iniquitatem, et seminant dolores, et metunt eos, flante Deo periisse, et spiritum iræ ejus esse consumptos.* Job, xxvii, 21 : *Tollet eum ventus urens.* Aggæi, ii, 18 : *Percussi vos vento urente, et aurugine, et grandine omnia opera manuum vestrarum : et non fuit in vobis qui reverteretur ad me.* « *De deserto ascendentem.* » *De deserto* dicitur venire ab effectu, quia desertum facit. Joel, ii, 3 : *Quasi hortus voluptatis terra coram eo, et post eum solitudo deserti.* Dicitur enim *ascendere,* quia opprimendo et subruendo venit. Job, i, 19 : *Ventus vehemens irruit a regione deserti, et concussit quatuor angulos domus, quæ corruens oppressit liberos tuos.* Hæc eadem sub eodem modo referuntur ad suggestionem diaboli. « *Et siccabit venas ejus.* » *Venæ* sunt villæ et oppida a metropoli derivata, et venæ sunt etiam per quas vita, sensus et motus a corde fluunt in membra. Isa. xxxvii, 25, glorians dicit (auctor istius mortis) : *Ego exsiccavi vestigio pedis mei omnes rivos aggerum.* Isa. xix, 7 : *Omnis sementis irrigua siccabitur, arescet, et non erit.* « *Et desolabit fontem ejus,* » vel metropolim in populo, vel cor in corpore, ut scilicet et metropolis destruatur, et homo moriatur. Eccle. xii, 6 : *Conteratur hydria super fontem.* Tunc erit verum quod dicitur in epistola Judæ, quod sunt fontes sine aqua[1]. Isa. xix, 5 et 6 : *Fluvius desolabitur atque siccabitur, et deficient flumina : et attenuabuntur, et siccabuntur rivi aggerum.* « *Et ipse,* » scilicet ventus qui exercitum signat vel divinum judicium, « *diripiet,* » hoc est, diripi faciet « *thesaurum omnis vasis desiderabilis.* » Victo populo thesaurus terræ direptus est, tam in vasis pretiosis quam in auro et in argento, sicut et ea quæ sunt hominis diripiuntur post mortem. Ezech. xxxviii, 13 : *Ecce ad diripiendam prædam congregasti multitudinem tuam, ut tollas argentum, et aurum, et auferas supellectilem, atque substantiam, et diripias manubias infinitas.* In Glossis innuitur expositio, quod ventus sit Christus, urens charitate, desertum faciens mundum a vanitate, et veniens de deserto generis humani, vel de deserto virginalis uteri, et siccans ve-

[1] Epist. Judæ, v. 12 : *Nubes sine aqua.*

nas mortis, hoc est peccata, qui desolabit fontem, hoc est diabolum a quo peccata fluxerunt, qui diripit vasa desiderabilia, quia animas Sanctorum desiderabiles ab inferno abstraxit, et in paradiso collocavit. Luc. xi, 21 : *Si fortior eo superveniens vicerit eum, universa arma ejus auferet, in quibus confidebat*[1]. Hoc figuratur, Exod. xiv, 21 : *Abstulit mare Dominus flante vento vehementi et urenti tota nocte, et vertit in siccum.* Isa. li, 10 : *Numquid non tu siccasti mare, aquam abyssi vehementis : qui posuisti profundum maris viam, ut transirent liberati?* Prima tamen expositio litteralis est. Et quia infernus et mors præsens sic dividunt inter fratres, et hoc peccatum fecit, ideo Propheta non tam imprecantis quam prædicentis modo subdit :

Christus vento urenti est similis.

16 « *Pereat Samaria*[2], » hoc est, decem tribus, vel etiam peccator. Psal. lxvii, 3 : *Sicut fluit cera a facie ignis, sic pereant peccatores a facie Dei.* Optat quod pereant, ne vivant in peccatis. Causam autem subdit : « *Quoniam ad amaritudinem concitavit Deum suum*, » qui scilicet dulcis est per naturam, amaræ iræ efficitur propter peccatum. Jerem. ii, 21 : *Quomodo conversa es in pravum vinea aliena?* « *In gladio pereant*, » divinæ scilicet ultionis. Job, xix, 29 : *Fugite a facie gladii, quoniam ultor iniquitatum gladius est.* Vel, pereat in gladio spiritus quod est verbum Dei[3]. « *Parvuli eorum elidantur, et fœtæ ejus discindantur.* »Hoc legimus prædictum esse sub Benadab, de Hazahele : *Juvenes eorum interficies gladio, et parvulos eorum elides, et prægnantes divides*[4]. Hoc tamen moraliter refertur ad hoc quod *parvuli* sint primi motus peccati, qui ad petram Christum elidendi sunt, ne nutriantur et crescant in peccatum : *fœtæ* autem sunt conceptus malorum propositorum, qui scindendæ sunt per pœnitentiam, ne ad lucem veniant. Matth. xxiv, 19 : *Væ prægnantibus et nutrientibus in illis diebus.*

CAPUT XIV.

Perditionem annuntiat Israeli propter ipsius peccata : revocat tamen ad se, et conversis plurima bona promittit.

1. Pereat Samaria, quoniam ad amaritudinem concitavit Deum suum ! in gladio pereant, parvuli eorum elidantur, et fœtæ ejus discindantur !
2. Convertere, Israel, ad Dominum Deum tuum, quoniam corruisti in iniquitate tua.
3. Tollite vobiscum verba, et convertimini ad Dominum : et dicite ei : Omnem aufer iniquitatem, accipe bonum : et reddemus vitulos labiorum nostrorum.
4. Assur non salvabit nos, super equum non ascendemus, nec dicemus ultra : Dii nostri opera manuum nostrarum, quia ejus, qui in te est, misereberis pupilli.
5. Sanabo contritiones eorum, dili-

[1] Cf. Matth. xii, 29 : *Quomodo potest quisquam intrare in domum fortis, et vasa ejus diripere, nisi prius alligaverit fortem? et tunc domum illius diripiet.*

[2] Hic ultimus versus cap. xiii est in Vulgata versiculus primus capitis sequentis.

[3] Ad Ephes. vi, 17.

[4] IV Reg. viii, 12.

gam eos spontanee, quia aversus est furor meus ab eis.
6. Ero quasi ros : Israel germinabit sicut lilium, et erumpet radix ejus ut Libani.
7. Ibunt rami ejus, et erit quasi oliva gloria ejus, et odor ejus ut Libani.
8. Convertentur sedentes in umbra ejus : vivent tritico, et germinabunt quasi vinea : memoriale ejus sicut vinum Libani.
9. Ephraim, quid mihi ultra idola ? ego exaudiam, et dirigam eum ego ut abietem virentem : ex me fructus tuus inventus est.
10. Quis sapiens, et intelliget ista ? intelligens, et sciet hæc ? quia rectæ viæ Domini, et justi ambulabunt in eis : prævaricatores vero corruent in eis.

IN CAPUT XIV OSEE

ENARRATIO.

« *Convertere, Israel.* » Hoc divisum est contra præcedens : totum est enim de consolatione pœnitentium.

Dividitur autem in partes tres. In prima docet conversionem. In secunda ponit benignam Domini ad conversos responsionem, ibi, ℣. 5 : « *Sanabo.* » In tertia invitat ad intelligendum hujus prophetiæ prolatum sermonem, ibi, ℣. 10 : « *Quis sapiens.* »

In prima duo dicit : cordis scilicet conversionem, et qualibus verbis impetrent propitiationem, ibi, « *Tollite vobiscum.* »

2 Continuatio ad præcedens [1] : Ex quo tantis malis digni sunt qui peccant, et per pœnitentiam tot mala declinant conversi, ergo « *Convertere, Israel.* » Conversio mutatio situs est, ut scilicet superius fiat inferius, et e converso : et dextrum sinistrum, et e converso : et anterius posterius, et e converso : et interius exterius, et e converso. In peccatore enim ratio inferior est, et sensualitas superior, quod convertendum est. Prov. xxx, 21 et seq. : *Per tria movetur terra, et quartum non potest sustinere : per servum cum regnaverit : per stultum cum saturatus fuerit cibo : per odiosam mulierem cum in matrimonio fuerit assumpta : et per ancillam cum fuerit hæres dominæ suæ.* Servus inferior est ad dominum, et signat hominem in comparatione ad Deum, qui super Dominum esse vult, quando Domino non supponitur. Ezech. xxviii, 2 : *Cum sis homo, et non Deus, et dixisti cor tuum quasi cor Dei.* Ancilla autem sensualitas est, et domina ratio : qui ordo in peccatore pervertitur, sed debet restitui per pœnitentiam, quod signatum est, Genes. xvi, 9, ubi Angelus dixit ad ancillam Agar : *Revertere ad dominam tuam, et humiliare sub manu illius.* Stultus autem saturatus cibo, concupiscentia est per quem etiam regnum justitiæ turbatur, et ideo mente et spiritu reprimendus est. Job, v, 3 : *Vidi stultum firma radice, et maledixi pulchritudini ejus statim.* Dextera autem signat spiritualia, et sinistra temporalia : sed peccator spiritualia habet a sinistris, quia parvi momenti sunt apud illum, sicut sinistra pigra est, et temporalia habet a dextris. Matth. vi, 3 : *Nesciat sinistra tua quid faciat dextera tua.* Peccator etiam interiora habet sordida, et exteriora pulchra, quod etiam convertendum est. Psal. xliv, 14 : *Omnis gloria ejus filiæ regis ab intus.* De pulchri-

Conversio pœnitenti necessaria.

[1] Expositio primi versus secundum divisionem Vulgatæ invenitur in fine capitis præcedentis.

tudine autem exteriori, Prov. xxxi, 30 : *Fallax gratia, et vana est pulchritudo.* Peccator etiam æterna habet posterius, transitoria vero anterius, quod iterum convertendum est. Ad Philip. iii, 13 : *Quæ quidem retro sunt obliviscens, ad ea vero, quæ sunt priora, extendens meipsum.* Sic ergo, « *Convertere*, o *Israel*, » hoc est, rectifica te, o Israel, fortis in opere, et qui vides Deum per fidem, ad hunc intus ascende per affectum in contemplatione. Isa. xlv, 21 : *Convertimini ad me, et salvi eritis omnes fines terræ.*

Ad quem autem convertatur, subdit : « *Ad Dominum Deum tuum.* » Ad Dominum propter debitum, Psal. cxxii, 2 : *Sicut oculi servorum in manibus dominorum suorum : sicut oculi ancillæ in manibus dominæ suæ : ita oculi nostri ad Dominum Deum nostrum.* « *Deum*, » quia necessarium. Deus enim θέος græce dicitur : θέος autem a θεῶμαι quod est *video, vides*, derivatur. Necessarium enim est ad eum converti, qui hominem et omnes actus ejus circumspicit. Ad Hebr. iv, 13 : *Omnia nuda et aperta sunt oculis ejus, ad quem nobis sermo.* Boetius in *Consolatione philosophiæ :* « Magna necessitas vobis « bene agendi indicta est, qui omnia agi- « tis ante oculos cuncta cernentis. » « *Tuum*, » quia utile : dicitur enim *tuus*, quia beneficus. Ad Hebr. xi, 16 : *Non confunditur Deus vocari Deus eorum : paravit enim illis civitatem.*

A quo autem convertatur, subdit : « *Quoniam corruisti in iniquitate tua.* » Iniquitas enim et peccatum ruina est, et casus : in casu autem et ruina nemo stat nec stare potest. Psal. xxxv, 12 et 13 : *Non veniat mihi pes superbiæ, et manus peccatoris non moveat me. Ibi ceciderunt qui operantur iniquitatem.* Isa. iii, 5 : *Corruet populus vir ad virum*, propter quod necesse est ut erigatur et convertatur. Ad Ephes. v, 14 : *Surge qui dormis, et exsurge a mortuis.* Isa. lxiv, 6 : *Cecidimus quasi folium universi, et iniquitates nostræ quasi ventus abstulerunt nos.*

Et subdit de verbis quibus poterunt 3
impetrare propitiationem :

« *Tollite vobiscum verba*, » hoc est, verba quæ vobiscum sint, et pro vobis, et non contra vos. Hæc sunt verba supplicationis in oratione, veritatis in prædicatione, veræ confessionis coram Sacerdotibus, jubilationis in laude. Matth. xii, 37 : *Ex verbis tuis justificaberis, et ex verbis tuis condemnaberis.* Eccli. xlv, 2 : *In verbis suis monstra placavit.* Hæc autem verba, corde, ore, et opere pronuntianda sunt. Ad Ephes. iv, 29 : *Omnis sermo malus ex ore vestro non procedat : sed si quis bonus ad ædificationem fidei, ut det gratiam audientibus.* « *Et convertimini ad Dominum*, » verbis scilicet et operibus. Thren. v, 21 : *Converte nos, Domine, ad te, et convertemur.* Jerem. xv, 19 : *Si converteris, convertam te.* « *Et dicite ei*, » verbis devotionis scilicet, Genes. xviii, 27 : *Loquar ad Dominum meum, cum sim pulvis et cinis :* « *Omnem aufer iniquitatem* » ut nihil scilicet peccati remaneat, ne mali seminis pullulent rediviva plantaria. Michææ, vii, 18 : *Quis Deus similis tui, qui aufers iniquitatem, et transfers peccatum reliquiarum hæreditatis tuæ ?* delendo enim transit ac si non videat. II Paralip. xxxiv, in oratione Manasses : *Remitte mihi, Domine, remitte mihi, et ne simul perdas me cum iniquitatibus meis, neque in æternum iratus, reserves mala mihi.* Psal. l, 11 : *Averte faciem tuam a peccatis meis, et omnes iniquitates meas dele.* « *Accipe bonum.* » Hieronymus : « Te auferente malum, « poterimus offerre bonum. » Et est sensus : Accepta bonum quod offerre possumus, et hoc est spiritus contribulatus. Dan. iii, 39 : *In animo contrito, et spiritu humilitatis suscipiamur.* « *Et reddemus vitulos labiorum nostrorum.* » Septuaginta : « Fructum labiorum no-

Gratiarum actio vitulis comparanda.

strorum, » in gratiarum scilicet actione, quæ vitulis comparatur, eo quod mixta est saltibus gaudiorum teneritudo consolationum (occidit pater vitulum saginatum [1]), et labori seges virtutum. Ad Hebr. XIII, 15 : *Offeramus hostiam laudis semper Deo, id est, fructum labiorum confitentium nomini ejus.* Psal. LXVIII, 31 et 32 : *Laudabo nomen Dei cum cantico, et magnificabo eum in laude : et placebit Deo super vitulum novellum.* Item, Psal. L, 21 : *Tunc imponent super altare tuum vitulos.* I Reg. I, 24, Anna adduxit Samuelem in templum in vitulis tribus, hoc est, hilaritate orationis, laudis, et gratiarum actionis.

abscondito cor meum, et osculatus sum manum meam, etc.

Et subdit de sufficientia propitiationis in Deo : « *Quia ejus, qui in te est,* » hoc est, qui fide, spe, et charitate in te manet, « *misereberis pupilli.* » Septuaginta : « Populi. » Pupillus fuit populus in peccato Deo patre destitutus. Thren. V, 3 : *Pupilli facti sumus absque patre.* Pupillus est pœnitens a patre diabolo relictus, et matre concupiscentia. Psal. XXVI, 10 : *Pater meus, et mater mea dereliquerunt me : Dominus autem assumpsit me.* Glossa adducit illud Psal. X sec. Hebr. 14 : *Tibi derelictus est pauper : orphano tu eris adjutor.* De mansione in Deo dicitur, Joan. XV, 9 : *Manente in dilectione mea.*

4 Et quia ad falsa auxilia aliquando confugerant, illa abdicat, subdens :

« *Assur non salvabit nos,* » hoc est, confidentiam in auxilio Assyriorum non habebimus, sed in te solo. Assur autem, id est, altus sensus, signat superbiam, in qua non est confidendum. Tobiæ, IV, 14: *Superbiam numquam in tuo sensu, aut in tuo verbo dominari permittas : in ipsa enim initium sumpsit omnis perditio.* « *Super equum non ascendemus,* » hoc est, in Ægyptiorum auxilio qui equis abundant, spem non ponemus. Equus autem signat luxuriam, quæ abdicanda est. Isa. XXXI, 1 : *Væ qui descendunt in Ægyptum ad auxilium, in equis sperantes !* Amos, III, 15 : *Ascensor equi non salvabit animam suam.* Exod. XV, 1 : *Equum et ascensorem dejecit in mare.* « *Nec dicemus ultra,* » per idololatriam : « *Dii nostri opera manuum nostrarum.* » Osee, II, 17 : *Auferam nomina Baalim de ore ejus.* Moraliter autem opera manuum suarum adorat, cui placent opera sua, et sufficientia esse putat. Isa. II, 8 : *Opus manuum suarum adoraverunt, quod fecerunt digiti eorum.* Quod detestatur Job, XXXI, 27 : *Si lætatum est in*

Operibus non arrogante fidendum.

« *Sanabo contritiones.* » Tangit hic benignitatem recipientis Domini in duobus, in affectu scilicet, et effectu. 5

De affectu dicit : « *Sanabo contritiones eorum.* » Bonum naturale conteritur per peccatum, sicut bonum corporis conteritur per pœnas. Sanatur autem quando per gratiam reparatur. Jerem. XVII, 14 : *Sana me, Domine, et sanabor : salvum me fac, et salvus ero.* Psal. CXLVI, 3 : *Qui sanat contritos corde, et alligat contritiones eorum.*

Qualiter autem ista sanitas perficiatur, subdit : « *Diligam eos spontanee.* » *Spontaneum* est quod totum in libertate voluntatis consistit et nulla coactione compellitur, nullo pretio emitur, nullo obsequio prævenitur, et talis est dilectio Dei in nobis. I Joan. IV, 10 : *In hoc est charitas : non quasi nos dilexerimus Deum, sed quoniam ipse prior dilexit nos.* Ad Roman. V, 8 et 9 : *Commendat autem charitatem suam Deus in nobis : quoniam cum adhuc peccatores essemus, secundum tempus Christus pro nobis mortuus est.* Talem etiam charitatem diligit in nobis. Judic. V, 9 : *Cor meum*

[1] Cf. Luc. XV, 23.

diligit principes Israel. Qui propria voluntate obtulistis vos discrimini, benedicite Domino, « *quia aversus est furor meus ab eis,* » hoc est, causa furoris per pœnitentiam. Mich. VII, 18 : *Non immittet ultra furorem suum, quoniam volens misericordiam est.* Exod. XXXII, 14 : *Placatusque est Dominus ne faceret malum quod locutus fuerat adversus populum suum.*

6 Et subdit de effectu :

« *Ero quasi ros.* » Ostendens primo quoniam virtus germinativa in ipso est, propter quod rori se comparat, quia ros fœcunditatem terrænascentibus tribuit et confortationem. Cant. v, 2 : *Caput meum plenum est rore, et cincinni mei guttis noctium.* Isa. XXVI, 19 : *Ros lucis ros tuus, et terram gigantium detrahes in ruinam.* Eccli. XLIII, 24 : *Ros obvians ab ardore venienti humilem efficiet eum,* Aquilonem scilicet. Isa. XLV, 8 : *Rorate, cœli, desuper.* « *Israel germinabit quasi lilium,* » illo scilicet rore infusus. Lilium rectum, in toto stipite viride, multorum florum, in flore candens, in centro floris croceum, in folio floris repandum, odoriferum, tumentibus pulmonibus aptum. Rectitudo justitiam signat, viriditas virorem fidei et virtutis, multitudo foliorum connexionem virtutum, candor castitatem, croceum in centro carnis mortificationem, repandum ad se incurvatum per discussionem suiipsius. Unde, III Reg. VII, 26, dicitur, quod lilium sit repandum. Justus germinabit sicut lilium, et florebit in æternum ante Dominum[1]. Cant. II, 2 : *Sicut lilium inter spinas, sic amica mea inter filias.* Odoriferum autem per famam bonæ opinionis. Cant. IV, 5 : *Qui pascuntur in liliis.* Tumido pulmoni medicamentum, virtute castitatis et humilitatis. Cant. VII, 2 : *Venter tuus sicut acervus tritici, vallatus liliis.*

Et subdit de profectu : « *Et erumpet radix ejus,* » in multas scilicet stirpes et germina virtutum scilicet et operationum. Job, XXIX, 19 : *Radix mea aperta est secus aquas, et ros morabitur in messione me.* « *Ut Libani,* » qui mons calidus est, in quo mirabiliter emittunt radices. Jerem. XVII, 8 : *Erit quasi lignum quod transplantatur super aquas, quod ad humorem mittit radices suas, et non timebit cum venerit æstus. Et erit folium ejus viride, et in tempore siccitatis non erit sollicitum, nec aliquando desinet facere fructum.* Libanus autem *candidatio* interpretatur, quia omnia hæc debent esse in candore virtutis. Thren. IV, 7 : *Candidiores Nazaræi ejus nive.*

Et subdit de pulchritudine honestatis : 7

« *Ibunt rami ejus,* » hoc est, eundo dilatabuntur, in ramificationem scilicet virtutum, et meritorum, et multiplicationem fidelium. Ezech. XXXVI, 8 : *Vos autem, montes Israel, ramos vestros germinetis, et fructum afferatis populo meo Israel.* Daniel. IV, 18 : *Rami ejus pulcherrimi.* Eccli. XXIV, 22 : *Rami mei honoris et gratiæ.*

Et subdit de pulchritudine :

« *Et erit quasi oliva gloria ejus.* » *Oliva* ministra lucis est, et signat doctrinam veritatis. Zachar. VI, 3 : *Duæ olivæ super candelabrum : una a dextris lampadis, et una a sinistris ejus,* hoc est, doctrina veritatis de æternis, et doctrina veritatis de temporalibus. Oliva etiam unctiva est infirmitatis, et signat misericordiam quæ ungit infirmos. Eccle. IX, 8 : *Oleum de capite tuo non deficiat,* quia misericordia a nobis deficere non debet. Etiam est cibi conditiva oliva. Eccli. XXIV, 19 :

Oliva doctrinam significat veritatis.

[1] Vulg. habet, Psal. XCI, 13 : *Justus, ut palma florebit,* etc. Et Isa. XXXV, 1 : *Lætabitur deserta,... et florebit quasi lilium.*

Quasi oliva speciosa in campis, omnibus scilicet communis.

Et subdit de suavitate opinionis : « *Et odor ejus ut Libani*, » qui est odor thuris in diffusione sanctitatis. Cant. iv, 10 : *Odor unguentorum tuorum super omnia aromata.* Sicut enim gloriatur in nitore conscientiæ apud Deum, quod signatur per oleum, ita providet bona coram hominibus in odore bonæ famæ. II ad Corinth. ii, 15 : *Christi bonus odor sumus Deo in iis qui salvi fiunt, et in iis qui pereunt.*

8 Et subdit de securitate quiescentium in tali regno :

« *Convertentur* » ad Dominum tota devotione. I Petr. ii, 25 : *Conversi estis nunc ad Pastorem et Episcopum animarum vestrarum.* « *Sedentes*, » hoc est, quiescentes « *in umbra ejus*, » scilicet protectionis. Cant. ii, 3 : *Sub umbra illius quem desideraveram, sedi: et fructus ejus dulcis gutturi meo.* Psal. lvi, 2 : *In umbra alarum tuarum sperabo, donec transeat iniquitas.*

Et subdit de edulio :

« *Vivent tritico.* » Septuaginta : « Inebriabuntur tritico, » litterali scilicet, et verbi Dei et corporis Jesu Christi. Psal. cxlvii, 14 : *Adipe frumenti satiat te.* Osee, ii, 22 : *Terra exaudiet triticum, et vinum, et oleum : et hæc exaudient Jezrahel.* Genes. xxvii, 37 : *Frumento, et vino stabilivi eum.*

« *Et germinabunt quasi vinea*, » in fructum scilicet dulcissimum, Deum et hominem lætificantem, in spiritualibus scilicet consolationibus. Eccli. xxiv, 23 : *Ego quasi vitis fructificavi suavitatem odoris.* Vinea enim jucunda est pampinis, hoc est, foliis, quæ verba signant ædificationis : super vicinas arbores repausat, quod signat congruentiam conformitatis et applicabilitatis ad homines. De pampino dicitur, Osee, x, 1 : *Vitis frondosa Israel.* De antibus dicitur, I ad Corinth. ix, 22 : *Omnibus omnia factus sum, ut omnes facerem salvos.* Est etiam diffusa palmitibus in exemplis. Psal. lxxix, 12 : *Extendit palmites suos usque ad mare : et usque ad flumen propagines ejus.* In amaritudine quoque constitutos lætificat, et defluentes deliciis tenet et sistit. Minimi floris est tamen odoriferi, ita quod dubitatur apud Philosophos, utrum floreat, eo quod flos infixus viti non invenitur, sed tamquam pulvis circumpositus ? quia in mundo in paucis floret, quamvis odorem virtutis longe lateque diffundat. Cant. ii, 13 : *Vineæ florentes suum odorem dederunt.* In fructu autem gaudium et lætitiam generat. Judic. ix, 13, dixit vitis : *Numquid possum deserere vinum meum, quod lætificat Deum et homines ?*

Vineæ pulchra significatio.

« *Memoriale ejus*, » apud posteros scilicet, in quorum recordatione semper sunt. Eccli. xliv, 10 : *Illi viri misericordiæ sunt, quorum pietates non defuerunt*, sicut et nos memoriam Sanctorum habemus in laudibus. Isa. xxvi, 8 : *Nomen tuum, et memoriale tuum in desiderio animæ.* « *Sicut vinum Libani.* » Glossa Hieronymi : « Libanus apud Græ-« cos et Hebræos mons dicitur, et thus ; « hic autem pro thure ponitur, unde vi-« num Libani gaudium spirituale est, « thure devotionis conditum. » Cant. vii, 9 : *Guttur tuum sicut vinum optimum, dignum dilecto meo ad potandum, labiisque et dentibus illius ad ruminandum*[1]. Eccli. xlix, 1 et 2 : *Memoria Josiæ in compositionem odoris facta est opus pigmentarii. In omni ore quasi mel indulcabitur ejus memoria.*

Et subdit de propitiatu : 9

« *Ephraim, quid mihi ultra idola*, » supple, opponis ? Deum enim non debes eligere præter me, cum ego in omnibus

[1] Cant. viii, 2 : *Dabo tibi poculum ex vino condito, et mustum malorum granatorum meorum.*

sufficiam. II ad Corinth. vi, 16 : *Qui consensus templo Dei cum idolis ?* I ad Cor. viii, 5 et 6 : *Etsi sunt qui dicantur dii, sive in cœlo, sive in terra* (*siquidem sunt dei multi, et domini multi*) : *nobis tamen est unus Deus, Pater, ex quo omnia, et nos in illum.* Indignum enim Deo est, quod aliud idolum secum colatur.

Et subdit, quam paratus est in propitiatu : « *Ego exaudiam,* » in oratione scilicet. Jerem. xxxiii, 3 : *Clama ad me, et ego exaudiam te : et annuntiabo tibi grandia.* « *Et dirigam eum,* » in prosperis scilicet et omni rectitudine virtutis. Psal. xxxix, 3 : *Statuit super petram pedes meos, et direxit gressus meos.* Tobiæ, iv, 20 : *Pete ab eo, ut vias tuas dirigat, et omnia consilia tua in ipso permaneant.* « *Ego ut abietem virentem* » ponam eum. Isidorus : « *Abies* ab abeundo « dicitur, quia in altissimum abit, et si- « gnat intentionem cœlestium. » Ad Philip. iii, 20 : *Nostra conversatio in cœlis est. Virentem* autem dicit propter virorem mentis semper recentem. Jerem. xvii, 8 : *Erit folium ejus viride.*

Et subdit de multiplicatione fructus. « *Ex me fructus tuus inventus est,* » et propter hoc multiplex est, quia ex Deo est. Ezech. xlvii, 12 : *Non defluet folium ex eo, et non deficiet fructus ejus.*

10 « *Quis sapiens.* » Tangit hic Propheta invitationem ad intelligentiam istorum sermonum.

Sapiens. « *Quis sapiens.* » *Sapiens* proprie dicitur, qui sapore divinorum et experimento divinæ sapientiæ, virtutis, et bonitatis accepit notitiam. Isa. xi, 2 et seq. : *Requiescet super eum spiritus Domini : spiritus sapientiæ,* etc. « *Et intelliget ista ?* » quæ scilicet de Deo dicta sunt : et *quis* notat raritatem talium et commendabilitatem. Psal. cvi, 43 : *Quis sapiens, et custodiet hæc, et intelliget misericordias Domini ?* Prov. i, 5 : *Audiens sapiens, sapientior erit : et intelligens, gubernacula possidebit.* « *Intelligens, et sciet hæc ?* » Gregorius : « Intellectum « dat, dum de intellectis mentem illumi- « nat. » Unde intellectus est illuminatio de Scripturis : ille enim hæc scire poterit et intus legere, hoc est, intelligere. Psal. xxxi, 8 : *Intellectum tibi dabo, et instruam te.* Eccli. xvii, 5 et 6 : *Disciplina intellectus replevit illos. Creavit illis scientiam spiritus, sensu implevit cor illorum : et mala et bona ostendit illis.*

Quid autem intelligant, subdit :

« *Quia rectæ viæ Domini,* » hoc est, mandata et judicia ipsius. Ezech. xviii, 29 : *Numquid viæ meæ non sunt æquæ, domus Israel, et non magis viæ vestræ pravæ ?* Psal. xviii, 9 : *Justitiæ Domini rectæ.* « *Et justi ambulabunt in eis,* » *?* hoc est, proficient. Isa. xxi, 7 : *Semita justi recta est, rectus callis justi ad ambulandum.* » « *Prævaricatores vero.* » *Prævaricator* est, ut dicitur ad Galat. ii, 18, qui destruit ea quæ fecit[1]. Sic qui qui ore dicunt et opere negant, prævaricatores sunt. II Reg. xxiii, 6 : *Prævaricatores quasi spinæ evellentur universi.* « *Corruent in eis,* » viis Domini scilicet, quod tamen non est ex viis, sed ex pravitate pedis ambulantis, sicut equus cespitans plus cespitat in via plana quam in aspera. Glossa adducit hoc quod habetur, Luc. ii, 34 : *Ecce positus est hic in ruinam, et in resurrectionem multorum in Israel.*

[1] Ad Galat. ii, 18 : *Si quæ destruxi, iterum hæc ædifico : prævaricatorem me constituo.*

INDEX

IN OSEE PROPHETAM.

D. ALBERTI MAGNI,

EPISCOPI RATISBONENSIS

DOCTRINA TOTO ORBE CELEBERRIMI,

ORDINIS PRÆDICATORUM,

IN JOEL PROPHETAM ENARRATIO.

PROLOGUS.

Spiritus sanctus ostiarius est sacræ scripturæ.

Aperite mihi portas justitiæ : ingressus in eas, confitebor Domino[1]. Phatuel *aperiens Deus* interpretatur, et signat Spiritum sanctum, qui ostiarius est, sicut dicitur, Joan. x, 3[2]. Hic ostiarius aperit : qui nisi aperiat divina virtute, nemo ad intelligendum et docendum divina intrare poterit, eo quod consilium Dei scire nemo potest. Ad Roman. xi, 34 : *Quis enim cognovit sensum Domini? Aut quis consiliarius ejus fuit?* Isa. xl, 13 : *Quis adjuvit spiritum Domini? aut quis consiliarius ejus fuit, et ostendit illis?* Joël autem interpretatur *humilis descensus*, quia prophetico Spiritu docet descendere ad humilitatem pœnitentiæ. Interpretatur etiam *incipiens Deus*, eo quod nihil præsumpsit incipere, cujus Deus non esset auctor. Eccli. xviii, 6 : *Cum consummaverit homo, tunc incipiet.* Hic ergo, aperiente sibi ostium Spiritu sancto, spiritualia præcepta de pœnitentia docet. I ad Corinth. ii, 12 et 13 : *Nos autem non spiritum hujus mundi accepimus, sed Spiritum, qui ex Deo est : ut sciamus quæ a Deo donata sunt nobis, quæ et loquimur.* Et per hanc portam ingressus ad veritatem et virtutem, confitetur

[1] Psal. cxvii, 19.
[2] Joan. x, 3 : *Huic ostiarius aperit, et oves vocem ejus audiunt*, etc.

Domino in laude et prædicatione veritatis et virtutis. Ad Roman. x, 10 : *Corde creditur ad justitiam, ore autem confessio fit ad salutem.* Et ideo secundus in ordine ponitur, ut populus qui secundum prædicationem Osee fornicatus est a Domino, per prædicatam pœnitentiam Joël ad Dominum revertatur. Jerem. III, 1 : *Fornicata es cum amatoribus multis : tamen revertere ad me, et ego suscipiam te.*

Joel inter duodecim Prophetas secundus est.



Prologus D. Hieronymi in Joel prophetam [1].

Sanctus Joël apud Hebræos post Osee ponitur. Et sicut ibi sub nomine Ephraim, ad decem tribus confertur vaticinium, vel Samaria vel Israel sæpe memorantur: sic in hunc Prophetam [2] omne quod dicitur, principaliter [3] ad tribum Juda ad Jerusalem pertinere credendum est, et nullam omnino Israelis, id est,decem tribuum, in hoc fieri mentionem. Tempora quoque quibus prophetavit, eadem debemus accipere quæ in Osee legimus [4]: in diebus Oziæ, Joathan, et Achaz, et Ezechiæ, regum Juda : in diebus Jeroboam, filii Joas, regis Israel. Porro factum esse sermonem Domini, ad meritum ejus refertur cui fit, non ad conditionem illius qui fieri dicitur, ut alibi legimus : *Dominus factus est mihi in salutem* [5]. Auditus autem in Scripturis sanctis non est ille qui in aure sonat, sed qui in corde percipitur, juxta illud quod Dominus loquitur in Evangelio : *Qui habet aures audiendi, audiat* [6]. Quod autem dicitur hebraice *haazinu* [7], græce ἐνωτίσασθαι [8], etla tine sonat *auribus percipite*, proprie non au re, sed corde percipitur. Qui senes sunt et cœlestes, audiunt spiritualiter : qui autem habitant in terra appellanturque terreni, auribus percipiunt. Ubicumque autem hæc duo verba conjuncta [9] ponuntur, non ad simplicem tantum verborum sonum referuntur, sed ad reconditam quoque dictorum intelligentiam pertinent [10]. In Genesi, Lamech loquitur ad uxores suas Ada et Sella : « Audite verba mea, uxores Lamech, auribus percipite sermones meos: quia virum occidi in vulnus meum, et juvenem in livorem meum [11]. Et Isaias : *Audite cœli, et auribus percipe, terra* [12].

[1] Ex principio Commentar. Hieronymi in Joel prophetam.
[2] Bibl. Rob. Stephani, Parisiis, MDXXXII, habet, *in hoc propheta*.
[3] Hoc verbum *principaliter* deest in Bibl. Rob. Steph.
[4] Vide dicta sub finem præfationis in XII prophetas.
[5] Psal. CXVII, 14, 21, 28.
[6] Matth. XI, 15 ; XIII, 9, 43 ; Marc. IV, 9 ; Luc. VIII, 8 ; XIV, 35.
[7] Melius, Eezinu (האדיבז).
[8] Vel ἐνωτίσασθε.
[9] Bibl. Rob. Steph. *juncta*.
[10] Bibl. Rob. Steph. *pertinere intelligendum est*.
[11] Genes. v, 23. Vide infra textum Vulgatæ.
[12] Isa. 1, 2.

PROLOGI DIVI HIERONYMI IN JOEL PROPHETAM EXPLANATIO.

« Sanctus Joel. » Huic Prophetæ Hieronymus præmittit prologum et argumentum.

In *prologo* quinque continentur. Ordo scilicet ad quos prophetat, et tempus prophetiæ, et qualiter accepit inspirationem, et qualiter audienda est enuntiatio prophetica.

Sanctum dicit, ut ad prophetandum sit idoneus. Psal. XLIX, 16 : *Peccatori dixit Deus : Quare tu enarras justitias meas ?* Eccli. XV, 9 : *Non est speciosa laus in ore peccatoris.* Joel *incipiens Deus* dicitur, ut omne quod dicit, a Deo incipere credatur. Ad Roman. XV, 18 : *Non audeo aliquid loqui eorum, quæ per me non efficit Christus.* « Apud Hebræos, » apud quos est primus fons doctrinæ fidei. Prov. V, 16 : *Deriventur fontes tui foras, et in plateis aquas tuas divide.* « Post Osee, » hoc est, post librum Osee, « ponitur, » quia postquam fornicatus est populus, consequens est ut per pœnitentiam revertatur. Pœnitentia enim supponit peccatum esse factum. II Paralip. in oratione Manasses : *Non posuisti pœnitentiam justis,... iis, qui tibi non peccaverunt.*

Et subdit de materia, id est, ad quos prophetat.

« Et sicut ibi, » hoc est, in Osee, « sub nomine Ephraim, » quod signat regnum decem tribuum, « ad decem tribus confertur, » hoc est, componitur, « vaticinium : » quæ scilicet decem tribus, « vel Samaria, » a metropoli, « vel Israel, » a primo patre, « sæpe memorantur, » hoc est, nominantur : « sic in hunc Prophetam omne quod dicitur. » Sic ordinatur littera : Sic omne quod dicitur in hunc Prophetam, ad eos scilicet. Psal. LXXXIV, 9 : *Audiam quid loquatur in me Dominus Deus.* II ad Cor. XIII, 3 : *An experimentum quæritis ejus, qui in me loquitur Christus.* « Principaliter ad tribum Juda, » hoc est, ad regnum Juda, quod fuit super duas tribus, « et ad Jerusalem, » metropolim scilicet, ubi sedes regni fuit, « pertinere credendum est. » *Principaliter* dicit, quia litteralis sensus ad duas tribus est : tropologicus autem ad omnes extenditur. « Et nullam omnino, » quoad sensum litteralem, « Israelis, id est, decem tribuum in hoc » libro Joelis « fieri mentionem, » supple, principaliter.

Et subdit de tempore.

« Tempora quoque quibus prophetavit » Joel, « eadem debemus accipere, » secundum regulam Hebræorum, quod Prophetas in quorum titulis tempora et reges non ponuntur, intelligere debemus temporibus eorumdem regum prophetasse, qui ponuntur in titulo immediate præcedentis Prophetæ : « quæ in Osee legimus, » qui immediate istum præcedit. Et subdit de nominibus illorum : « In diebus Oziæ, » de quo IV Reg. XV, « Joa« than, » de quo ibidem, « et Achaz, » de quo IV Reg. XVI, « et Ezechiæ, » de quo IV Reg. XVII et XVIII, « regum Juda. » Isti enim quatuor reges fuerunt duarum tribuum. « In diebus Jeroboam, filii Joas, regis Israel, » de quorum utroque habetur IV Reg. XIII. Quo tempore Joel prophetaverit ?

Et subdit qualiter per inspirationem sermo Dei factus est ad ipsum.

« Porro factum esse sermonem Domini. » Sermo Domini in se factus non est. Dicit enim Augustinus et Chrysostomus, quod, « id per quod omnia sunt « facta, factum esse non potest : seque« retur enim quod esset factum per seip« sum. » Sunt autem omnia facta per verbum Dei. Joan. I, 3 : *Omnia per ipsum facta sunt : et sine ipso factum est nihil, quod factum est.* « Ad meritum ejus cui fit, refertur, » ut scilicet connotatum verbi in Propheta factum esse credatur, hoc est, inspiratio verbi ad prophetandum, « non, » hoc est, non refertur factio, « ad conditionem illius, » scilicet Sermo Domini in se factus non est.

sermonis, « qui fieri, » vel condi, « dicitur. » Et hoc est quod factio quæ importatur per participium *factus*, non ponatur circa rem substantivi sui quod est *sermo*, sed in re accusativi vel dativi, cum dicitur : *Factus est ad Joelem vel Joeli*[1] : illi enim vel ad illum aliquid factum est quod est inspiratio. Et hoc probat, subdens : « Ut alibi legimus, » scilicet in Psal. CXVII, 14 : « *Dominus... factus est mihi in salutem.*» Alia translatio, *Salvatorem*, ubi factio non ponitur circa rem accusativi. Salvator enim factus non est, sed ponitur circa rem dativi, hoc est circa eum qui salvatur et cui salus datur.

Et subdit de auditu enuntiationis propheticæ.

« Auditus autem, » quo scilicet audiuntur divina, « in Scripturis sanctis, » quæ spiritualiter loquuntur, « non est ille, » exterior scilicet, « qui in aure » exteriori, « sonat » in aere. De illo enim dicitur, Isa. VI, 9 : *Audite, audientes, et nolite intelligere : et videte visionem, et nolite cognoscere.* « Sed qui in corde percipitur, » ad intellectum scilicet qui quasi locus est auditorum et vas, « juxta illud quod Dominus loquitur, » Matth. XIII, 9 : « *Qui habet aures audiendi, audiat*[2], » interius percipiendo. Aliter enim dicitur : *Non audivit populus meus vocem meam : et Israel me non intellexit*[3]. Dicit enim, *aures audiendi*, eo quod via est ad auditum interiorem. Apoc. III, 6 : *Qui habet aurem, audiat quid Spiritus dicat Ecclesiis.* Et hoc probat ex proprietate Græci sermonis, subdens : « quod autem dicitur Hebraice haazenu[4], græce ενωτίσασθαι[5], et latine sonat, *auribus percipite.* » Et arguit ex hoc subdens : « Proprie non aure, » quæ via scilicet est, et non vas, vel locus, « sed corde percipitur. » Percipitur enim quod capitur ; non enim capitur aliquid in quo est sicut in transitu : aure ergo non percipitur, quia non capitur. Subdit distinguens qui audiant et qui percipiant : « Qui senes sunt, » mentis scilicet canitie, de qua Sap. IV, 8 et 9 : *Cani sunt sensus hominis, et ætas senectutis vita immaculata.* « Et cœlestes, » sensu scilicet et merito. Ad Philip. III, 20 : *Nostra conversatio in cœlis est.* « Audiunt spiritualiter : » illi enim spiritum habent interius revelantem. Joan. XVI, 13 : *Cum venerit ille Spiritus veritatis, docebit vos omnem veritatem.* « Qui autem habitant in terra, » hoc est, in terreno corpore, quod ab auditu spirituali impedit animam, Sap. IX, 15 : *Corpus quod corrumpitur, aggravat animam, et terrena inhabitatio deprimit sensum multa cogitantem* : « appellanturque terreni, auribus percipiunt, » quasi ab alio loquente. Joan. III, 31 : *Qui est de terra, de terra est, et de terra loquitur.*

Et subjungit documentum generale :

« Ubicumque autem hæc duo verba, » audite scilicet, et auribus percipite, « conjuncta ponuntur, » in Prophetis scilicet, « non ad simplicem tantum verborum sonum referuntur, qui simplex sonus est in sensu litterali, « sed ad reconditam quoque, » spiritualem scilicet in litterali, « dictorum, » hoc est, eorum quæ dicuntur, « intelligentiam pertinent. » Hoc autem probat, subdens : « In Genesi[6] Lamech, » qui a Cain descendit, « loquitur ad uxores suas Ada et Sella, » primus enim bigamiam introduxit : « Audite verba mea, uxores Lamech, » et hoc refertur ad auditum interiorem, « auribus percipite sermones meos, » quod refertur ad auditum exteriorem, « quia occidi virum in vulnus meum, » hoc est Cain, qui propter fratricidium profugus habitavit inter be- Lamech primus bigamiam invexit.

[1] Ut Vulgata, reliquimus illud nomen *Joel* indeclinabile.

[2] Cf. etiam Matth. XI, 15, XIII, 43 ; Marc. IV, 9 ; Luc. VIII, 8 et XIV, 35.

[3] Psal. LXXX, 12.

[4] Melius, eezinu, האזינו

[5] Vel ενωτίσασθε.

[6] Cf. Genes. IV, 23 et seq.

stias, quem Lamech ad feram projiciens sagittam occidit. Et quod dicitur, *in vulnus meum*, sensus est, hoc est, in vulnus a me inflictum, « et juvenem in livore meo [1]. » Dicitur enim quod Lamech cæcus a juvene dirigebatur ad venationem, et quia Cain occidit vulnere sagittæ, et hoc juvenis non prohibuit, iratus in juvenem, insurrexit, et liventibus ictibus per arcum juvenem occidit. Et hoc est quod dicitur, *in livore meo.* « Et Isa. I, 2: *Audite, cœli,* » hoc est, cœlestes, quorum est intus auditus, « *et auribus percipe, terra,* » hoc est, terreni, qui tantum exterius audiunt.



Argumentum D. Hieronymi in Joel prophetam, ex Prologo Galeato.

Joel, filius Phatuel, describit terram duodecim tribuum, eruca, brucho, locusta, rubigine vastante consumptam ; et post eversionem prioris populi, effusum iri Spiritum sanctum super servos Dei et ancillas, id est, super centum vigint credentium nomina, et effusum iri ex cœnaculo Sion. Qui centum vigenti, abi uno usque ad quindecim paulatim et per incrementa surgentes, quindecim graduum numerum efficiunt, qui in Psalterio mystice continentur ad Paulinam.

Ex tribus generibus rhetorum hæc sumuntur principia, et tres sunt argumentorum partes ex quibus solet omnis orator incipere : aut enim dociles, aut benovolos, aut attentos debet efficere. Hic igitur propheta a magnitudine cladis sumens initium, eosque qui audituri erant volens ad pœnitentiam provocare, reddit attentos, admirans futurum malum, et considerantes venturæ cladis asperitatem ocius arriperent pœnitentiam. In hoc propheta idcirco, nec reges, nec tempora sunt prænotata , quia iisdem temporibus ac regibus quibus Osee, prophetavit.

Joel interpretatur *incipiens*, aut *Domini descensus* ; tropologice, hoc est, quod qui ostium et scientiam Dei habuerit apertam, recte incipit prophetare. Joel. de tribu Ruben natus, et iste de videntibus unus fuit, in agro Bethoron, ubi etiam in pace mortuus est atque sepultus.

[1] Vugl. habet, Genes. IV, 23: *Audite vocem meam, uxores Lamech, auscultate sermonem meum: quoniam occidi virum in vulnus meum, et adolescentulum in livorem meum.*

ARGUMENTI DIVI HIERONYMI IN JOEL PROPHETAM EXPLANATIO.

Post hunc prologum præmittit Hieronymus argumentum, in quo mentem aperit de contentis in prophetia. Accipitur autem istud de verbis Hieronymi in *Prologo galeato*.

Et sicut tria continentur in prophetia, ita et tria in argumento : scilicet clades evertens, pœnitentia, et sanctificatio. « Joel, Phatuel filius, » hoc est, Propheta Prophetæ filius. Psal. XXIII, 6 : *Hæc est generatio quærentium eum*, scilicet Dominum : « describit terram duarum tribuum, » Judæ scilicet, et Benjamin, quibus immixti erant Sacerdotes, et tribus levitica. « Eruca, » quæ est vermis oleribus adhærens, et viride et molle quod est in folio consumens, sed non tangens stipitem folii, vel venas quæ de stipite in viridi folio disperguntur, eo quod ille duræ sunt. « Brucho, » hoc est, pullo locustæ, quando de semine primo egreditur, et nec saltum habet nec volatum. Sub quo etiam intelligitur *attalagus*, qui est bruchus aliquantulum grandiusculus, quando scilicet saltum parvum habet, sed non volatum. « Locusta, » quod idem quidem animal est, sed perfectum. Unde componitur a longo, et hasta : eo quod retro longa crura habet per modum hastæ quibus nititur et impingit se ad saltum; habet etiam alas, quibus utitur ad volatum. « Rubigine, » Rubigo dicitur ros incensus ab aere descendens, et viridia magis incendens, et primo ad minii colorem, postea autem in fuliginem convertens, et hoc modo adhærentia erucæ nociva est, dura tamen dimittit. Bruchus autem immobilitate, quia late et in diversis pastum quærere non potest, id quod remansit erucæ, totum medullitus exsugit. Locusta autem quæ altius volat, etiam ad arborum flores, fructus, et frondes extollitur, quæ erucæ et brucho superfuerunt. Rubigo autem quæ cum rore omnia tegit, nihil relinquit. Et sic in principio sui a quadruplici plaga, « vastante consumptam, » describit terram duarum tribuum.

Eruca.

Bruchus, locustæ pullus.

Locusta.

Rubigo.

In secunda autem parte : « Et » id est, etiam, « post eversionem prioris populi, » quæ eversio facta est per plagas, vel per pœnitentiam quam in secundo describit capitulo, supple, describit etiam in tertio capitulo « effusum iri Spiritum sanctum, » in Dei præordinatione, « super servos Dei et ancillas, » Apostolos scilicet et mulieres, quæ cum eis erant, sicut dicitur Act. I, 8. Et hoc explanat, subdens : « Id est, super centum viginti credentium nomina. » *Nomina* dicuntur nominati inter credentes et perfecti, quod adaptat ulterius, subdens : « Et, » id est, quia « fuerunt viri in cœnaculo montis Sion, » Apostoli scilicet et discipuli, centum viginti. Act. I, 15 : *Erat turba hominum fere centum viginti* : cujus numeri subjungit mysterium : « Qui, » scilicet centum viginti, « ab uno usque ad quindecim, » progressione scilicet continua, « paulatim, » ut scilicet quilibet numerus secundum se sigillatim accipiatur, « et per incrementa, » ut scilicet sequens numerus præcedenti semper adjungatur, « surgentes » numeri « quindecim graduum numerum efficiunt, » propter hoc quod progressio stat in quindecim. Gradus autem quindecim in Psal. CXIX ad CXXXIV. Sunt qui dicuntur *canticum graduum*, eo quod signat profectus ascendentis per gradus virtutum, et sunt ad Psal. CXIX: *Ad Dominum cum tribularer*, inclusive, usque ad quatuordecim sequentes continue. Et hoc est quod sequitur : « Qui, » scilicet numerus, « in Psalterio mystice continetur. » *Progressio* autem *continua* vocatur numerus ab uno usque ad quindecim numeratus, ita quod quilibet numerus contentus inter quindecim omnibus præcedentibus se continuo supponatur. Sic scilicet duo uni addita faciunt tria. Tria autem duobus et

Psalmi quindecim graduum.

uni addita faciunt sex. Quatuor autem tribus et duobus et uni addita, faciunt decem. Et hoc modo progrediendo usque ad quindecim, surgit numerus centum viginti, nec plus nec minus.

Et hucusque completum est argumentum mentem aperiens de omnibus quæ in prophetia continentur. Quod autem sequitur, Glossa est de originali sumpta, in quo ostendit modum principii in prophetia, et quare in titulo reges non ponuntur, et qualiter sibi nomen congruit et genus.

« Ex tribus generibus rhetorum, » hoc est, rhetoricorum locorum, « hæc sumuntur principia, » scilicet istius prophetiæ, quod explanans, subdit : « Et » idem « tres sunt argumentorum partes, » quibus scilicet advocatus mentem admonens judicis et assistentium, primo prooemialiter proponit, « ex quibus solet omnis orator incipere. » Et enumerat locos illos : « Aut enim dociles, » juribus scilicet et rationibus propositorum allegatis, « aut benevolos, » favorabilitate causæ præposita, « aut attentos, » difficultate dicendorum ostensa, « debet efficere, » orator scilicet. Et hoc adaptat isti auctori, subdens : « Hic igitur Propheta, » Joel scilicet, recte secundum artem rhetoricam, « a magnitudine, » futuræ scilicet « cladis, » suæ scilicet prophetiæ, « sumens initium, » prophetandi scilicet, « eosque qui audituri erant » prophetiam « volens ad pœnitentiam provocare. » Isa. L, 4 : *Dominus dedit mihi linguam eruditam, ut sciam sustentare eum, qui lassus est verbo.* « Reddit attentos. » Isa. L, 5 : *Dominus Deus aperuit mihi aurem*, ut audiam eum quasi magistrum. Per quid autem reddit attentos, subdit : « Admirans, » hoc est, in admirationem ponens, « futurum malum, » quod scilicet terræ et habitatoribus prophetat imminere. Et subdit intentionis suæ in hoc finem : « Ut considerantes, » auditores scilicet, « venturæ cladis asperitatem, » oculis magis cordis quam corporis, « ocius arriperent pœnitentiam, » territi scilicet de malo futuro.

Et subjungit quare reges et tempora in titulo non ponuntur : « In hoc Propheta idcirco, nec reges, nec tempora sunt prænotata, » in titulo scilicet, « quia, » secundum regulam Hebræorum, « iisdem temporibus ac regibus quibus Osee, » supple, prophetavit, « prophetavit » et iste, et ideo post Osee immediate ordinatur.

Et subdit de nominis congruentia : « Joel interpretatur *incipiens*, aut *Domini descensus.* » Ptolomæus in *Proverbiis* : « Qui inter sapientes est humilior, inter sapientes est sapientior, sicut profundiores lacunæ, plures continent aquas. » Eccli. III, 20 : *Quanto magnus es, humilia te in omnibus.* Luc. XIV, 10 : *Recumbe in novissimo loco.* Et subdit mysterium, dicens : « Tropologice, hoc est, » significatum scilicet « quod qui ostium, et, » id est, « scientiam Dei, » hoc est, scientiam de divinis, « habuerit apertam, » hoc est, revelatam, quod Phatuel hujus Prophetæ pater interpretatur, « recte incipit prophetare, » et hoc in præhabitis ostensum est.

Deinde subdit de genere et sepultura ; « Joel, de tribu Ruben natus, » supple, fuit, et hoc competit, quia Ruben *visio* interpretatur. « et iste de videntibus, » hoc est, de Prophetis, « unus fuit. » I Reg. IX, 9 : *Qui Propheta dicitur hodie, vocabatur olim Videns.* Et subdit de patria : « In agro » hoc est, villa agresti, « Bethoron, » quod interpretatur *domus magistri*, vel *domus ascensus humilium*, quod etiam competit, quia ibi Spiritum sanctum ut magistrum audivit, et ibi ab humilitate idiotæ ad sublimitatem prophetiæ ascendit. « Ubi etiam, » in agro scilicet Bethoron, « in pace, » supple, ante captivitatem et gladium, « mortuus est. » Psal. LXXV, 3 : *Factus est in pace locus ejus*, scilicet Dei. « Atque sepultus. » Isa. XI, 10 : *Erit sepulcrum ejus gloriosum.*

CAPUT I.

Joel, parabola proposita de eruca, locusta, brucho, et rubigine, quatuor plagas contra Judam vaticinando, hortatur omnes, et potissimum sacerdotes ad planctum, jejunium et orationem, plangens et ipse vastitatem terræ suæ.

1. Verbum Domini, quod factum est ad Joël, filium Phatuel.
2. Audite hoc, senes : et auribus percipite, omnes habitatores terræ : Si factum est istud in diebus vestris, aut in diebus patrum vestrorum ?
3. Super hoc filiis vestris narrate, et filii vestri filiis suis, et filii eorum generationi alteræ.
4. Residuum erucæ comedit locusta, et residuum locustæ comedit bruchus, et residuum bruchi comedit rubigo.
5. Expergiscimini, ebrii : et flete, et ululate, omnes qui bibitis vinum in dulcedine, quoniam periit ab ore vestro.
6. Gens enim ascendit super terram meam, fortis et innumerabilis : dentes ejus ut dentes leonis : et molares ejus ut catuli leonis.
7. Posuit vineam meam in desertum, et ficum meam decorticavit : nudans spoliavit eam, et projecit : albi facti sunt rami ejus.
8. Plange quasi virgo accincta sacco super virum pubertatis suæ.
9. Periit sacrificium et libatio de domo Domini : luxerunt sacerdotes, ministri Domini.
10. Depopulata est regio, luxit humus, quoniam devastatum est triticum, confusum est vinum, elanguit oleum.
11. Confusi sunt agricolæ, ululaverunt vinitores super frumento et hordeo, quia periit messis agri.
12. Vinea confusa est, et ficus elanguit : malogranatum, et palma, et malum, et omnia ligna agri aruerunt, quia confusum est gaudium a filiis hominum.
13. Accingite vos, et plangite, sacerdotes : ululate, ministri altaris : ingredimini, cubate in sacco, ministri Dei mei, quoniam interiit de domo Dei vestri sacrificium et libatio.
14. Sanctificate jejunium, vocate cœtum, congregate senes, omnes habitatores terræ in domum Dei vestri [1], et clamate ad Dominum.
15. A, a, a, diei ! quia prope est dies Domini, et quasi vastitas a potente veniet.
16. Numquid non coram oculis vestris alimenta perierunt de domo Dei nostri, lætitia et exsultatio ?
17. Computruerunt jumenta in stercore suo, demolita sunt horrea, dissipatæ sunt apothecæ, quoniam confusum est triticum.
18. Quid ingemuit animal, mugierunt greges armenti ? Quia non est pascua eis : sed et greges pecorum disperierunt.
19. Ad te, Domine, clamabo, quia ignis comedit speciosa deserti, et flamma succendit omnia ligna regionis.

[1] Infra, II, 15 et 16.

20. Sed et bestiæ agri, quasi area sitiens imbrem, suspexerunt ad te : quoniam exsiccati sunt fontes aquarum, et ignis devoravit speciosa deserti.

IN CAPUT I JOEL

ENARRATIO.

« *Verbum Domini.* » Prophetia hæc primo in tres partes dividitur, scilicet in titulum, excitationem ad auditum, et prophetiæ contextum.

1 Titulus est iste : « *Verbum Domini.* » Quod ideo dicitur *verbum* singulariter, quia cum sit unicum et increatum, secundum quod in Deo est, tamen ratio et causa et forma multorum est verborum, quibus scilicet secundum diversos effectus exprimitur, de qua unitate dicitur, Job, xxxiii, 14 : *Semel loquitur Deus, et secundo id ipsum non repetit.* « *Quod factum est.* » Glossa, « non « quantum ad se, » sicut in præcedentibus dictum est, eo quod factio non ponitur circa Verbum : et ideo addit, « *ad Joel,* » ut in anima Prophetæ factio per inspirationem esse intelligatur. Et subdit de parente : « *Filium Phatuel* : » ut sicut carnaliter, ita spiritualiter a tanto patre descendisse sciatur. Eccli. xliv, 11 : *Cum semine eorum permanent bona.*

2 « *Audite hoc, senes.* » Excitat hic ad attentionem ex admiratione dicendorum, proponens a quibus et qualiter audiatur, et iterum dicendorum ostendens magnitudinem, et qualiter hæc doctrina in posteros est derivanda.

« *Audite hoc, senes,* » non tam canitie corporis, quam mentis, tales enim patulum habent auditum. Sap. iv, 8 et 9 : *Senectus venerabilis est, non diuturna, neque numero annorum computata : cani autem sunt sensus hominis, et ætas senectutis vita immaculata.* Et horum (sicut jam in præcedentibus dictum est) audire est : « *Et auribus percipite,* » corporis scilicet, « *omnes habitatores terræ.* » Horum enim audire exteriori audire est, quia spiritum loquentem ad aurem interiorem non habent. Deut. xxxii, 1 : *Audite, cœli, quæ loquor : audiat terra verba oris mei. Cœli,* id est, cœlestes sunt qui hic *senes. Terra* vero, id est, terrestres, qui hic *habitatores terræ* appellantur. Isa. i, 2 : *Audite, cœli, et auribus percipe, terra : quoniam Dominus locutus est.*

Et subdit de raritate facti : « *Si factum est istud in diebus vestris,* » præsentium scilicet, « *aut in diebus patrum vestrorum,* » præteritorum scilicet, quorum exstat memoria. Et sicut dicit Hieronymus : « *Patres* vocat, patres, avos, « proavos, et atavos, et subavos. » Daniel. xii, 1 : *Veniet tempus quale non fuit ab eo, ex quo gentes esse cœperunt,* super terram scilicet, *usque ad tempus illud.* Matth. xxiv, 21 : *Erit enim tunc tribulatio magna, qualis non fuit ab initio mundi usque modo, neque fiet.*

3 Et subjungit de derivatione hujus prophetiæ ad posteros : « *Super hoc filiis vestris narrate.* » Glossa, « omni futuræ soboli. » Psal. lxx, 18 : *Donec annuntiem brachium tuum generationi omni, quæ ventura est.* « *Et filii vestri,* » supple, narrent, « *filiis suis,* » « ut (sicut « dicit Augustinus) cum propagatione « seminis fiat propagatio doctrinæ, reli- « gionis : » « *et filii eorum,* » supple, narrent, « *generationi alteræ,* » in successiones perpetuas. Deuter. xxxii, 7 :

Parentes filiis suis annuntient Dei magnalia.

Interroga patrem tuum et annuntiabit tibi: majores tuos, et dicent tibi. Hoc signatur, Isa. vi, 3, ubi dicitur, quod « *Seraphim clamabant alter ad alterum.* Marc. xi, 9 : *Qui præibant, et qui sequebantur, clamabant dicentes : Hosanna.* Et hoc est quod dicitur, Eccli. xxiv, 14 : *Enarrabo doctrinam usque in longinquum.* Et post pauca, ℣. 46 : *Doctrinam quasi prophetiam effundam, et relinquam illam quærentibus sapientiam, et non desinam in progenies illorum usque in ævum sanctum.*

1 « *Residuum erucæ.* » Hic incipit prophetia, et habet tres partes. In quarum prima per terrorem concutit corda ad pœnitentiam. In secunda docet pœnitentiam veram, infra, ii, 1, ibi, « *Canite tuba.* » In tertia, pœnitentibus vere Spiritus sancti promittit abundantiam, et super hostes victoriam, infra, iii, 1, ibi, « *Quia ecce in diebus illis.*

Prima harum dividitur in duas. Primo enim describit pœnæ magnitudinem : et quia metaphorice locutus est, secundo describit metaphoræ explanationem, ibi, ℣. 6 : « *Gens enim ascendit.* »

In prima duo paragraphi sunt. Primo enim describit futurum malum. Secundo, ex hoc excitat ad pœnitentiæ fletum.

« *Residuum erucæ,* » scilicet quod eruca non comedit, « *comedit locusta.* » Isa. xiv, 11 : *Subter te sternetur tinea, et operimentum tuum erunt vermes.* Exod. x, 4 et 5 : *Ecce ergo inducam cras locustam in fines tuos, quæ operiant superficiem terræ, ne quidquam ejus appareat.* Et post pauca, ℣℣. 5 et 6: *Corrodet omnia ligna quæ germinant in agris, Et implebunt domus tuas, et servorum tuorum, et omnium Ægyptiorum : quantam non viderunt patres tui, et avi, ex quo orti sunt super terram, usque in præsentem diem.* « *Et residuum locustæ comedit bruchus.* » Psal. civ, 34 : *Venit locusta et bruchus, cujus non erat numerus.* « *Et residuum bruchi comedit rubigo.* » Psal. lxxvii, 46 : *Dedit ærugini fructus eorum : et labores eorum locustæ.* Ærugo et rubigo pro eodem hic sumuntur, Jacob. v, 3 : *Aurum, et argentum vestrum æruginaverunt : et ærugo eorum in testimonium vobis erit, et manducabit carnes vestras sicut ignis.* Hæc quatuor exponens Hieronymus litteraliter, dicit : « Per erucam « Assyrii, Chaldæi, et Babylonii signifi« cantur, qui decem tribus tempore « Ezechiæ (IV Reg. xviii) et duas tribus « cum tribu sacerdotali tempore Joakim, « nepotis Josiæ (IV Reg. xxiv) captivave« runt. Per locustam, Medi et Persæ « signantur. Per bruchum, Macedones, « et omnes Alexandri successores, ma« xime Antiochus, cognomento Epi« phanes, qui more bruchi sedit in Ju« dæa, et omnes reliquias priorum re« gum devoravit. Per rubiginem signan« tur Romani, qui penitus omnem « Judæam vastaverunt. » Dicit etiam Hieronymus, quod « Hebræi dicunt, « quod ante captivitatem his quatuor « plagis ad litteram Judæa vastata fue« rit. » Gregorius explanat moraliter, sic dicens : « Per erucam nota libidinem, « quæ sicut eruca corruptæ naturæ ad« hæret. Job, xvii, 14 : *Putredini dixi :* « *Pater meus es : mater mea, et soror* « *mea, vermibus.* Per locustam, inanem « gloriam, quæ circunvolat et alta requi« rit. Apocal. ix, 3 : *De fumo putei exie*« *runt locustæ in terram, et data est* « *illis potestas, sicut habent potestatem* « *scorpiones terræ.* Per bruchum, inglu« viem ventris, quæ quasi immobilis « est, et immunda, et rodit quæcumque « sunt viridia. Isa. xxxiii, 3 : *Congrega*« *buntur spolia vestra sicut colligitur* « *bruchus, velut cum fossæ plenæ fuerint* « *de eo.* Per rubiginem, iram : multi enim « domant libidinem, sed inde erigun« tur in superbiam, de superbia ruunt in « ingluviem, de nimia comestione et « ebrietate in iram et furorem. Prov. « xxv, 4 : *Aufer rubiginem de argento,*

« *et egredietur vas purissimum.* Qui « his perturbationibus obvolvuntur, lu« men sapientiæ intueri non possunt. » Hieronymus moraliter sic exponit. « Per « hæc quatuor significantur quatuor ani« mi passiones, quæ si ultra modum « dominantur, auferunt salutem animæ. « Duæ harum sunt de præsenti, tristi« tia scilicet de præsenti adversitate, « gaudium de præsenti prosperitate. De « tristitia dicitur, II ad Corinth. VII, 10 : « *Sæculi tristitia mortem operatur.* De « gaudio, Sap. XIV, 28 : *Dum lætantur,* « *insaniunt.* Duæ vero sunt de futuro, « timor scilicet de futuro malo, spes de « futuro bono. De timore, dicitur in « Psal. XIII, 5 : *Trepidaverunt timore* « *ubi non erat timor.* De spe, Sap. V, « 15 : *Spes impii tamquam lanugo est,* « *quæ a vento tollitur.* » De his quatuor passionibus simul dicit Philosophia ad Boetium :

Gaudia sperne,
Pelle timorem,
Nec dolor adsit
Spemque fugato.
Nubila mens est
Vinctaque frænis,
Hæc ubi regnant.

Adhuc Gregorius aliam ponit expositionem sic dicens : « Ego reor erucam esse « incipientem in animo passionem, quæ « tarda est, et discurrere non potest. » Unde vult quod morosa cogitatio sit eruca. « Locusta autem quæ avolat et de« vorat quidquid attingit, significat opus « instabile. Bruchus autem qui insi« det, consuetudinem significat. Ru« bigo vero quæ omnia consumit despe« rationem. »

5 Ex his excitat ad fletum, subdens : « *Expergiscimini, ebrii.* » Somno depressos vocat, qui delectatione peccati in obsequiis Dei immobiles facti sunt, quibus dicitur, Jonæ, I, 6 : *Quid tu sopore deprimeris? Surge, invoca Deum tuum.* Ad Ephes. V, 14 : *Surge qui dormis, et exsurge a mortuis.* Ad Roman. XIII, 11 : *Hora est jam nos de somno surgere.* Hos etiam vocat *ebrios*, quia peccato rationem habent ligatam, et maxime libidine. I Reg. I, 14 : *Usquequo ebria eris? Digere paulisper vinum, quo mades.* Isa. XXVIII, 1 : *Væ coronæ superbiæ, ebriis Ephraim!* His dicit, « *Expergiscimini.* » I ad Corinth. XV, 34 : *Evigilate, justi, et nolite peccare.* « *Et flete,* » sicut dicit Ambrosius : « Lacry« mæ lavant delictum, quod voce pudor « est confiteri. » Psal. VI, 7 : *Lavabo per singulas noctes lectum meum, lacrymis meis stratum meum rigabo.* Jerem, IX, 1 : *Quis dabit capiti meo aquam, et oculis meis fontem lacrymarum? et plorabo die ac nocte.* Thren. III, 48 : *Divisiones aquarum deduxit oculus meus, in contritione filiæ populi mei.* « *Et ululate.* » Ululatus proprie luporum est, quando infausta voce querulas, et tristitiæ plenas voces emittunt, et hoc modo ululare dicitur pœnitens, quando tales emittit voces. Jerem. VI, 26 : *Accingere cilicio, et conspergere cinere : luctum unigeniti fac tibi, planctum amarum.*

Peccatum ebrietas est deforme.

Ululatus pœnitentium est.

Quibus autem talem ululatum indicat, subdit : « *Omnes, qui bibitis vinum,* » temporalis scilicet gaudii et delectationis, « *in dulcedine,* » hoc est, pro dulcedine, quibus scilicet bibendi causa dulcedo vel voluptas est, et non necessitas. Prov. XXIII, 31 et 32 : *Ne intuearis vinum quando flavescit, cum splenduerit in vitio color ejus : ingreditur blande, sed in novissimo mordebit ut coluber.* Et subjungit causam fletus et luctus, dicens : « *Quoniam periit ab ore vestro :* » quia aut vini sapor perit ab ore, quando aufertur : aut os perit a vini sapore, quando senescit et infirmatur. Psal. CXLV, 4 : *In illa die peribunt omnes cogitationes eorum.*

« *Gens enim.* » Hic explanat ea quæ metaphorice dixerat, et dividitur hæc 6

pars in duas, in quarum prima explanat terribilitatem eorum quæ dixerat. In secunda, ad pœnitentiam invitat, ibi, « *Sanctificate jejunium.* »

In prima harum tria sunt. Primum est ferocitas hostium. Secundum, defectus Sacerdotum, ibi, « *Periit sacrificium.* » Tertium, luctus omnium, ibi, « *Luxit humus.* »

Dicit ergo : « *Gens enim.* » *Gens* dicitur quæ generatione corrupta nihil amplius habet. Sap. XII, 10 et 11 : *Quoniam non poterat mutari cogitatio eorum in perpetuum : semen enim erat maledictum ab initio, et naturalis malitia ipsorum.* « *Ascendet,* » viribus scilicet tentationis et oppressionis. Deut. XXVIII, 44 : *Ipse*, scilicet inimicus, *erit in caput, et tu eris in caudam.* « *Super terram meam.* » Per metonymiam terreni signantur per terram, super quos ascendit tribulatio. Isa. XXXII, 13 : *Super humum populi mei, spinæ et vepres ascendent.* « *Fortis,* » hoc est, in fortitudine propria confidens. Isa. XIX, 4 : *Rex fortis dominabitur eorum.* « *Et innumerabilis.* » Sap. IV, 3: *Multigena impiorum multitudo non erit utilis.* Eccle. I, 15 : *Stultorum infinitus est numerus.*

Et subdens describit hostium ferocitatem :

« *Dentes ejus,* » quibus scilicet scindunt pauperes, « *ut dentes leonis.* » Secundum Naturales dentes anteriores divisores sunt, et significant majores principes qui dividunt omne quod bonum est in populo. Prov. XXX, 14 : *Generatio, quæ pro dentibus gladios habet, et commandit molaribus suis, ut comedat inopes de terra, et pauperes ex hominibus.* Leo autem ferocitatem significat, sive in hominibus, sive in dæmonibus. Isa. XXVIII, 13 : *Quasi leo sic contrivit omnia ossa mea.* « *Et molares ejus ut catuli leonis.* » Incisores dentes mandant cibum molaribus conterendum. Unde molares significant inferiores officiatos, vel dæmonum, vel hominum, quia omnia comminuunt. Job, IV, 10 : *Rugitus leonis, et vox leænæ, et dentes catulorum leonum contriti sunt.* Catuli etiam leonis quia per se venari non possunt, quidquid a parentibus offertur, totum medullitus exsugunt et corrodunt, sic et faciunt officiati inferiores. Psal. LVII, 7 : *Molas leonum confringet Dominus.*

Et subjungit de effectu : 7

« *Posuit vineam meam in desertum.* » Isa. V, 7 : *Vinea Domini exercituum domus Israel est.* Unde animæ fideles germinantes spiritualia gaudia, *vineæ* dicuntur, quas exterminant tyranni sæculares per subtractionem temporalium, spirituales autem per spiritualium omnimodam desolationem. Psal. LXXXVIII, 42 : *Diripuerunt eum omnes transeuntes viam.* Habac. III, 17 : *Non erit germen in vineis.* Ablatum est enim gaudium spirituale ab Ecclesia, et quod plus est, in desertum posuit, ut iterum non colatur. Unde, Isa. VII, 23, dicitur : *Ubi fuerint mille vites, mille argenteis, in spinas et in vepres erunt.* In sollicitudinem enim temporalium quæ per spinas, et in tenacitatem avaritiæ quæ per vepres intelligitur, omnia quæ in mundo sunt, conversa sunt.

Et subjungit de destructione dulcedinis virtutis : « *Et ficum meam decorticavit.* » *Ficus* stipitem virtutum significat, qui est charitas. Judic. IX, 11, dixit ficus : *Numquid possum deserere dulcedinem meam,* qua utuntur dii et homines, *fructusque suavissimos.* Ista decorticata est, quando corticem humilitatis amisit. Mich. III, 3 : *Pellem eorum desuper excoriaverunt.* « *Nudans,* » a gratuitis scilicet, « *spoliavit eam,* » supple, a virtutibus. Luc. X, 30 : *Qui etiam despoliaverunt eum.* « *Et projecit,* » quasi vilem et inutilem in terram, ut scilicet terrena concupisceret, et in Deo nullam haberet partem. Thren. I, 9 : *Deposita est vehementer, non habens consolatorem.* « *Albi facti sunt rami ejus.* » *Albi,*

id est aridi : lignum enim album arens albescit, et albedo destitutionem naturalis significat caloris. Job, VIII, 12 : *Ante omnes herbas arescit. Rami* ejus significant ramificatores virtutum in bona opera, qui aridi sunt quando fructum bonorum operum non ferunt. Jerem. XVII, 6 : *Erit quasi myricæ in deserto, et non videbit cum venerit bonum.*

8 Ex omnibus his concludit propositum : « *Plange,* » hoc est, ergo plange, « *quasi virgo accincta sacco.* » Saccus accingitur propter pœnitentiæ asperitatem. Job, XVI, 16 et 17 : *Saccum consui super cutem meam, et operui cinere carnem meam. Facies mea intumuit a fletu.* « *Super virum pubertatis suæ,* » quæ scilicet virginitatem amisit, et delicias pubertatis non retinuit. Sic duæ tribus cum idolis virginitatem amiserunt, et delicias quas speraverunt in idolis, non retinuerunt. Prov. XIV, 13 : *Risus dolore miscebitur, et extrema gaudii luctus occupat.* Job, XXI, 13 : *Ducunt in bonis dies suos, et in puncto ad inferna descendunt.*

9 Et causam dicit planctus Sacerdotum : « *Periit sacrificium.* » *Sacrificium* est de aridis, ut de granis et farina, « *et libatio de domo Domini,* » supple, periit. *De domo Domini* autem dicitur, quia in domo Domini non offertur. Sacrificium autem aridum compunctionem spiritus significat. Psal. L, 19 : *Sacrificium Deo spiritus contribulatus.* Daniel. III, 39 : *In animo contrito, et spiritu humilitatis suscipiamur. Libamen* autem quod a gustando dicitur, prægustationem significat æternorum gaudiorum. Joel, II, 14 : *Sacrificium, et libamen Domino Deo vestro.* Quæ duo videmus periisse ab Ecclesia, supple, et ideo, « *luxerunt sacerdotes,* » hoc est, sacræ dotes Dei, et sacra dantes. Causa autem luctus erat, quia non erat qui decimas vel primitias offerret in templum, quibus sustentarentur. II Machab. III, 16 : *Jam vero qui videbat summi sacerdotis vultum, mente vulnerabatur : facies enim et color immutatus declarabat internum animi dolorem.* Dolent enim boni Sacerdotes, quod sacrificia spiritualia in templo Dei non offeruntur. Et subjungit quam irrationabile sit quod plorant « *ministri Domini.* » Ministrorum enim Domini est lætari et exsultare si non esset culpa in subjectis, vel in vita propria. Isa. LXI, 6 : *Vos autem Sacerdotes Domini vocabimini : Ministri Dei nostri, dicetur vobis.* I ad Corinth. IV, 1 : *Sic nos existimet homo ut ministros Christi : et dispensatores mysteriorum Dei.* Horum enim lætari est, Psal. LXXXVI, 7 : *Sicut lætantium omnium habitatio est in te.* Sacerdotes lugeant divini cultus neglectum, non sua damna.

Et subjungit de planctu omnium, dicens : 10

« *Depopulata est regio,* » hoc est, populo inimico vastata, et hoc in Ecclesia est, quia populo divino destituta est. Isa. I, 7 : *Regionem vestram coram vobis alieni devorant, et desolabitur sicut in vastitate hostili.* Et explanat hanc causam per partes, triticum scilicet, et vinum, et oleum, et lignum pomiferum. « *Luxit humus.* » Glossa, « Habitatores hu« mi qui mercedem de humo sperabant. » Jerem. IX, 1 : *Quis dabit capiti meo aquam, et oculis meis fontem lacrymarum? et plorabo die ac nocte.* « *Quoniam devastatum est triticum,* » litteraliter scilicet. Isa. XVII, 11 : *Ablata est messis in die hæreditatis, et dolebit graviter.* Triticum etiam est refectio verbi Dei, et refectio sacramenti, quæ vastata sunt, vel ita ut non sint, vel ut non digne sint. Judic. VI, 4 : *Sicut erant in herbis cuncta vastabant usque ad introitum Gazæ : nihilque omnino ad vitam pertinens relinquebant in Israel.* « *Confusum est vinum,* » et litteraliter, et vinum etiam spiritualium gaudiorum. Isa. V, 4 : *Exspectavi ut faceret uvas, et fecit labru-*

scas. Isa. xvi, 10 : *Vinum in torculari non calcabit qui calcare consueverat.* « *Elanguit oleum,* » litteraliter scilicet, et oleum pietatis quod ab Ecclesia deficit. De his dicitur, Deuter. xxviii, 38 et seq. : *Sementem multam jacies in terram, et modicum congregabis, quia locustæ devorabunt omnia. Vineam plantabis, et fodies : et vinum non bibes, nec colliges ex ea quippiam, quoniam vastabitur vermibus. Olivas habebis in omnibus terminis tuis, et non ungeris oleo, quia defluent, et peribunt.*

11 His autem ablatis, subdit de confusione laborantium :

Prælati sunt Ecclesiæ agricolæ.

« *Confusi sunt agricolæ,* » fructum laboris scilicet non invenientes. Jacob. v, 7 : *Ecce agricola exspectat pretiosum fructum terræ, patienter ferens donec accipiat temporaneum, et serotinum.* Agricolæ autem sunt Prælati et Prædicatores. I ad Corinth. iii, 9 : *Dei agricultura estis.* Hi confusi sunt quando in populo fructum debitum non inveniunt. Jerem. xiv, 4 : *Confusi sunt agricolæ, operuerunt capita sua.* « *Ululaverunt vinitores,* » fructum scilicet vini non invenientes, eo quod destructa est vinea. Psal. lxxxviii, 42 : *Diripuerunt eum omnes transeuntes viam.* Hoc autem spiritualiter est, quando cœlestia gaudia non profert populus, sed amaritudines peccatorum, et sæcularium negotiorum. Jerem. ii, 21 : *Quomodo conversa es mihi in pravum, vinea aliena?*

Super quo sic confusi sunt, subdit : « *Super frumento,* » scilicet ablato, quod est refectio hominum, « *et hordeo* » ablato, quod est cibus jumentorum. Isa. xxxii, 11 et 12 : *Accingite lumbos vestros. Super ubera plangite, super regione desiderabili, super vinea fertili.* Isa. xv, 6 : *Aruit herba, defecit germen, viror omnis interiit.* Frumentum autem est refectio spiritualis, quæ clericis et religiosis proponenda est. Hordeum autem quod grossum et asperum est, grossam signat doctrinam corporalibus similitudinibus propositam, quæ laicis exhibenda est sicut jumentis. In signum hujus panibus hordeaceis pavit Dominus turbas[1]. Et cum laica peteret panem delicatum, respondit Dominus : *Non est bonum sumere panem filiorum, et mittere canibus*[2].

Et subjungit de sterilitate in generali : « *Quia periit messis agri,* » hoc est, omnis fructus bonorum operum. Isa. xvi, 9 : *Super vindemiam tuam, et super messem tuam vox calcantium irruit,* omnia scilicet auferentium. Isa. xvii, 11 : *Ablata est messis in die hæreditatis, et dolebit graviter.*

Et hoc ostendit per partes : 12

« *Vinea confusa est,* » et corporalis et spiritualis. Habac. iii, 17 : *Ficus enim non florebit : et non erit germen in vineis.* Et hoc est quod sequitur : « *Et ficus elanguit,* » per peccatum scilicet, ne dulcem fructum virtutis proferre posset. Luc. xiii, 7 : *Ecce anni tres sunt ex quo venio quærens fructum in ficulnea hac, et non invenio : succide ergo illam.* « *Malogranatum,* » supple, elanguit et litteraliter et spiritualiter. Malogranatum significat collegiatas Ecclesias, in quibus multi sub uno tecto vivunt, mundissimo panno albo involuti per votum castitatis, et uno cortice teguntur per observantiam regiminis, et immunitates privilegiorum. Unde tintinnabula aurea et mala punica præcepit Dominus affigi tunicæ summi Sacerdotis in inferiora ora[3], ut tintinnabulum sonum doctrinæ daret, malum punicum de custodia subditorum moneret. Unde, Cant. vi, 10 : *Descendi in hortum meum, ut viderem poma convallium, et inspicerem*

Ecclesiæ collegiatæ malogranatis sunt similes.

[1] Cf. Joan. vi, 9 et seq.
[2] Matth. xv, 22 et seq.
[3] Cf. Exod. xxviii, 33 et seq.

si floruisset vinea, et germinassent mala punica. « *Et palma* » supple, elanguit. Palma autem, quia ex multis crescit, et non ex uno, et crescit ex multis sibi invicem implexis, Prælatos dignitatis superioris significat. Ad Hebr. v, 1 : *Omnis pontifex ex homibus assumptus, pro hominibus constituitur.* Hæc palma rectitudine stipitis, rectitudinem vitæ signat ; implexione multorum, signat connexionem virtutum : unde spatulis erectis et viridibus, virorem et rectitudinem signat virtutis. Unde Levit. xxiii, 40, præcepit Dominus ut tollant ramos ligni densarum frondium, spatulasque palmarum, et lætentur coram Domino Deo suo. Elatæ autem, in quibus pendet fructus dactylorum utiles ministros significant, et officiatos dulcem fructum consolationis procurantes. Cant. v, 11 : *Comæ ejus sicut elatæ palmarum.* Sicut enim coma capiti, ita officiati adhærent Prælato. Psal. xci, 13 : *Justus, ut palma florebit.* Job, xxix, 18 : *Dicebamque : In nidulo meo moriar, et sicut palma multiplicabo dies.* « *Et malum,* » arbor scilicet mala ferens, quæ salubris est in umbra, pulcherrima in flore, et suavissima in fructu, et signat Ecclesiasticos viros in inferioribus dignitatibus constitutos, salubrem umbram defensionis, florem honestatis et fructum operis multum exhibentes. Cant. ii, 3 : *Sicut malus inter ligna silvarum, sic dilectus meus inter filios. Sub umbra illius quem desideraveram, sedi : et fructus ejus dulcis gutturi meo.*

Prælati superiores palmæ comparantur.

Prælati inferiores malo comparantur.

Et subinfert generaliter de omnibus: « *Et omnia ligna agri aruerunt* » pomifera scilicet. In epistola Judæ, ℣. 12 : *Arbores autumnales, infructuosæ, bis mortuæ, eradicatæ.* Tales enim hodie sunt qui videntur in Ecclesiis.

Ex omnibus his subinfert conclusionem intentam : « *Quoniam confusum est gaudium a filiis hominum,* » hoc est, gaudii materia. Prov. xiv, 13 : *Risus dolore miscebitur, et extrema gaudii luctus occupat.* Thren. v, 16 : *Cecidit corona capitis nostri.* Et præmittit, ℣. 15 : *Defecit gaudium cordis nostri : versus est in luctum chorus noster.* Et dicit : « *A filiis hominum* » qui rationales sunt. Gaudere enim in defectu boni bestialium hominum est. Prov. ii, 14 : *Lætantur cum male fecerint, et exsultant in rebus pessimis.*

« *Accingite vos.* » Dicit quatuor, qui scilicet plangant, et qualiter, et qua de causa, et ad quem converti debeant. 13

« *Accingite vos,* » armis scilicet pœnitentium, ut tentatori resistere valeatis. Prov. xxxi, 17 : *Accinxit fortitudine lumbos suos, et roboravit brachium suum.* Lumbos quidem, ne in libidinem pœnitentem titillarent : brachium, ut virtutum operibus hostem prosterneret. Ad Ephes. vi, 13 : *Accipite armaturam Dei, ut possitis resistere in die malo, et in omnibus perfecti stare.* « *Et plangite, sacerdotes,* » qui causam scilicet aliorum suscepistis. Unde de Domino summo nostro Sacerdote dicitur, ad Hebr. v, 7 : *Qui in diebus carnis suæ, preces supplicationesque ad eum qui ponit illum salvum facere a morte, cum clamore valido et lacrymis offerens,* in omnibus scilicet *exauditus est pro sua reverentia.* Job, xvi, 17 : *Facies mea intumuit a fletu, et palpebræ meæ caligaverunt.* « *Ululate, ministri altaris,* » peccatoribus scilicet compatientes. Matth. ii, 18 : *Vox in Rama audita est, ploratus et ululatus multus* [1]. « *Ingredimini,* » in templum scilicet, vel in Ecclesiam per pœnitentiam. Extra Ecclesiam enim oratio non auditur. Psal. xcix, 3 : *Introite portas ejus in confessione.* Genes. xxiv, 31 : *Ingredere, benedicte Domini : cur foris stas?* « *Cubate in sacco,* » ut scilicet delicias in asperi-

Sacerdotis est orare pro aliis.

[1] Cf. Jerem. xxxi, 15.

tatem convertatis. Job, xvi, 16 : *Saccum consui super cutem meam, et operui cinere carnem meam.* « *Ministri Dei mei :* » illi enim magis tenentur, et facilius exaudiuntur. I ad Corinth. iv, 1 : *Sic nos existimet homo ut ministros Christi, et dispensatores mysteriorum Dei.*

Et subdit causam : « *Quoniam interiit de domo Dei vestri,* » de templo scilicet, vel Ecclesia, « *sacrificium,* » de aridis scilicet, « *et libatio,* » supple, de liquidis. *Sacrificium* autem significat id quod est in contritione spiritus oblatum : *libatio* vero quod in dulcedine charitatis et devotionis, quorum utrumque defecit ab Ecclesia. Daniel. iii, 38 : *Non est in tempore hoc princeps, et dux, et propheta, neque holocaustum, neque sacrificium, neque oblatio, neque incensum, neque locus primitiarum coram te.*

14 Et subdit qualiter plangendum sit : « *Sanctificate jejunium.* » Jejunium sanctificatur quando a peccatis homo mundatur, et oratione et eleemosyna confortatur : sanctum enim et mundum est, et forte. Isa. lviii, 6 : *Nonne hoc est majus jejunium, quod elegi? dissolve colligationes impietatis, solve fasciculos deprimentes,* hoc est, peccata. De secundo, Tobiæ, xii, 8 : *Bona est oratio cum jejunio, et eleemosyna magis quam thesauros auri recondere.* « *Vocate cœtum,* » ut omnes scilicet simul clament. Dicit enim Augustinus, quod « impossibile est multorum preces non exaudiri. » Jacob. v, 16 : *Multum valet deprecatio justi assidua.* « *Congregate senes,* » canitie mentis scilicet, ut pro vobis intercedant. Psal. xlix, 5 : *Congregate illi sanctos ejus : qui ordinant testamentum ejus super sacrificia.* « *Et omnes habitatores terræ,* » hoc est, eos qui terrena dilexerunt, et modo pœnitent. Psal. xlviii, 3 : *Quique terrigenæ, et filii hominum : simul in unum dives et pauper.* Ad Rom. iii, 23 : *Omnes enim peccaverunt, et egent gloria Dei.* « *In domum Dei vestri,* » supple, congregate eos, ut ex veneratione loci citius exaudiamini. Exod. iii, 5 : *Locus in quo stas, terra sancta est.* II Machab. iii, 18 : *Alii etiam gregatim de domibus confluebant, publica supplicatione obsecrantes, pro eo quod in contemptum locus esset venturus.*

Sanctificare jejunium, quid?

Oratio multorum facilius exauditur.

« *Et clamate ad Dominum,* » ut intentio vocis magnitudinem doloris pœnitentium significet. Jonæ, iii, 8 : *Operiantur saccis homines, et jumenta, et clament ad Dominum in fortitudine.* Baruch, iii, 1 : *Anima in angustiis, et spiritus anxius clamat ad te, Domine.*

15 Quid autem clament, subdit : « *A, a, a, diei !* » *A* hic non est littera, sed interjectio dolentis pro triplici vastitate, regni scilicet, sacerdotii, et populi : vel pro peccato omissionis, commissionis, et consuetudinis : vel pro peccato proprio, proximi, et incolatu miseriæ : vel pro tribus plagis, fame scilicet, peste, et gladit. Jerem. i, 6 : *A, a, a, Domine Deus.* Jerem, xiv, 13 : *A, a, a, Domine Deus.* Ezech. iv, 14 : *A, a, a, Domine Deus.* Septuaginta : « Heu, heu, heu, diei ! » *Diei* autem dicit, quia luce visitationis divinæ, peccata manifestantur ad pœnam. Isa. lxiii, 4 : *Dies ultionis in corde meo, annus redemptionis meæ venit.* Quia non timentur mala nisi sint propinqua, ideo subdit : « *Quia prope est dies Domini,* » ultionis scilicet divinæ. Amos, v, 18 : *Dies Domini tenebræ, et non lux.* Isa. x, 3 : *Quid facietis in die visitationis,* scilicet Domini. « *Et quasi vastitas a potente veniet.* » *A potente* dicit ut nullus valeat resistere. Job, xxxi, 30 : *In diem perditionis servatur malus, et ad diem furoris ducetur.* Job, ix, 19 : *Si fortitudo quæritur, robustissimus est : si æquitas judicii, nemo audet pro me testimonium dicere.* Psal. lxxxviii, 9 : *Potens es, Domine, et veritas tua in circuitu tuo.*

16 Et subdit de causa:

« *Numquid non coram oculis vestris,* » convincens ex proprio testimonio. « *Numquid non coram oculis vestris,* » vobis scilicet testificantibus, *alimenta perierunt,* » et supple, ex vestra culpa ? Hoc maxime potest dici Prælatis nostris, qui videntes quod pabula spiritualia perierunt ex inutilitate personarum, tamen bonos non vocant ad præbendas, sed malos. Habac. III, 17 : *Arva non afferent cibum.* Isa. III, 7 : *Non sum medicus, et in domo mea non est panis, neque vestimentum.* « *In domo Dei nostri,* » supple, periit « *lætitia, et exsultatio,* » hoc est, causa lætitiæ et exsultationis, propter hoc quod et temporalia et spiritualia ablata sunt. Isa. XXIV, 7 et 8 : *Luxit vindemia, infirmata est vitis, ingemuerunt omnes qui lætabantur corde. Cessavit gaudium tympanorum, quievit sonitus lætantium, conticuit dulcedo citharæ.*

Beneficia ecclesiastica non sunt indignis conferenda.

17 Et hæc quidem de hominibus, et subdit de jumentis:

« *Computruerunt jumenta in stercore suo,* » litteraliter quidem, quia pascua non habentia jumenta, in stabulo, loco scilicet stercorum, contabuerunt, sicut etiam propter defectum spiritualis pabuli, jumenta, hoc est, laici, in stercore temporalium et vitiorum computrescunt. Thren. IV, 5 : *Qui nutriebantur in croceis, amplexati sunt stercora.* « *Demolita sunt horrea.* » Septuaginta : « Dissipati sunt thesauri ; » propter quod patet quod *demolita* est correpta penultima. *Moliri* enim ex insidiis est malum parare : *demolitum* autem esse, mola tribulationis ad minima confractum. Horrea autem ista grana Ecclesiæ reservantia, animæ sunt Doctorum, de quibus dicitur in Psal. CXLIII, 13 : *Promptuaria eorum plena, eructantia ex hoc in illud :* quæ nunc demolita sunt, quia non est quod inveniatur in eis nisi vanitas, quæ per zizaniam significatur, cum tamen dicat Dominus, Malach. III, 10 : *Inferte omnem decimam in horreum, et sit cibus in domo mea.* « *Dissipatæ sunt apothecæ.* » *Apotheca* dicitur reservatorium alimentorum ad cibum sufficienter paratorum, quæ in Ecclesia nec temporaliter nec spiritualiter deesse deberet, aliter enim destituitur ministris domus Domini. Unde Rebecca invitans servum Abrahæ, dixit : *Palearum et fœni plurimum est apud nos, et locus spatiosus ad manendum*[1]. Genes. VI, 21 : *Tolles tecum ex omnibus escis, quæ mandi possunt, et comportabis apud te : et erunt tam tibi, quam illis in cibum.*

Et subjungit causam : « *Quoniam confusum est triticum.* » *Confusum* dicitur *triticum,* quando confusi sunt sperantes in tritico, eo quod in eo nihil inveniunt. Thren. II, 12 : *Matribus suis dixerunt : Ubi est triticum et vinum ? cum deficerent quasi vulnerati in plateis civitatis : cum exhalarent animas suas in sinu matrum suarum,* hoc est, Ecclesiarum in quibus nutritæ sunt. 18

Et ab eis quærit testimonium, subdens : 19

« *Quid ingemuit animal ?* » Alia translatio, « cur, » et *animal* dicitur, vel litteraliter, vel animalis homo qui in thesauris Ecclesiæ non invenit pabulum. Unde translatio Septuaginta : « Quid reponemus ? » Jerem. XIV, 12 : *Gladio, et fame, et peste consumam eos.* « *Mugierunt greges armenti,* » simplices scilicet de populo : mugiendo enim petunt cibum, et non habent, nec datur eis, quia non est. I Reg. VI, 12 : *Ibant in directum vaccæ per viam quæ ducit Bethsames,* hoc est, ad domum solis, *et itinere uno gradiebantur, pergentes et mugientes.* Nullo autem respondente, ipsemet re-

[1] Genes. XXIV, 25.

spondet : « *Quia non est pascua eis :* » propter hoc scilicet et animal ingemuit, et greges mugierunt. Dicitur autem *pascua, pascuæ,* et *pascua, pascuorum,* quia heteroclitum est. Jerem. xiv, 5 : *Cerva in agro peperit, et reliquit : quia non erat herba.* « *Sed et greges pecorum disperierunt,* » fame scilicet consumpti, quia pastores pabulum non habebant. Ezech. xxxiv, 5 : *Dispersæ sunt oves meæ, eo quod non esset pastor,* scilicet qui pasceret eas. Propter hoc Petro dixit Christus, Joan. xxi, 17 : *Pasce oves meas.* Et ter dixit ut pasceret, verbo scilicet, et exemplo, et temporali subsidio.

20 Et subdit ad quem debeant converti :

« *Ad te, Domine, clamabo.* » Nullus enim potest auxiliari nisi tu. II Paralip. xx, 12 : *Cum ignoremus quid agere debeamus, hoc solum habemus residui, ut oculos dirigamus ad te.* Et causam clamoris subjungit : « *Quia ignis,* » hoc est, vastatio hostis, « *comedit speciosa deserti.* » Glossa, « Plana camporum, « aut prata, vel quælibet loca herbis vi- « rentia quæ pascua dabant jumentis. » Et hic *ignis* ignem libidinis significat, qui comedit desertum a gratia, et omnem consumit virtutis virorem. Job, xxxi, 12 : *Ignis est usque ad perditionem devorans, et omnia eradicans genimina.* « *Et flamma,* » quæ lucens est, et malum opus significat in propatulo factum, « *succendit omnia ligna regionis,* » eos scilicet qui in sæculo videbantur virentes. Judith, xvi, 21 : *Dabit ignem, et vermes in carnes eorum, ut urantur, et sentiant usque in sempiternum.*

« *Sed et bestiæ agri,* » hoc est, agre- 21
stes, qui signant laicos, « *quasi area sitiens imbrem,* » supple, sanæ doctrinæ et gratiæ. Jerem. xiv, 3 : *Majores miserunt minores suos ad aquam : venerunt ad hauriendum, non invenerunt aquam, reportaverunt vasa sua vacua : confusi sunt et afflicti.* « *Suspexerunt ad te,* » petentes scilicet gratiam. Isa. xxxviii, 14 : *Attenuati sunt oculi mei, suspicientes in excelsum.* Psal. xli, 1 : *Quemadmodum desiderat cervus ad fontes aquarum, ita desiderat anima mea ad te Deus.* « *Quoniam exsiccati sunt fontes aquarum.* » Litteralis sensus planus est. Spiritualiter autem fontes aquarum sunt Doctores Scripturarum, qui licet habeant officium, tamen doctrina non fluit ab eis. III Reg. xvii, 7 : *Post dies autem siccatus est torrens : non enim pluerat super terram.* « *Et ignis devoravit speciosa deserti.* » Ignis scilicet incentivum vitiorum devoravit viridia et speciosa eorum qui deserti sunt a gratia et cultura Sanctorum, et Angelorum. Psal. xlix, 3 : *Ignis in conspectu ejus exardescet : et in circuitu ejus tempestas valida.*

Doctores Ecclesiæ fontibus comparantur.

CAPUT II.

Propheta Judæis crudelitatem hostium suorum denuntiat, et quam terribilis erit ipsis dies illa : quapropter ad pœnitentiam eos hortatur : et conversis magnam pollicetur Dominus prosperitatem, seque daturum spiritum suum super omnem carnem, et magna prodigia ante Diem Domini magnum et terribilem ; eritque salvus omnis qui invocaverit nomen Domini.

1. Canite tuba in Sion, ululate in monte sancto meo, conturbentur omnes habitatores terræ : quia venit dies Domini, quia prope est.

2. Dies tenebrarum et caliginis, dies nubis et turbinis : quasi mane expansum super montes populus multus et fortis : similis ei non fuit a principio, et post eum non erit usque in annos generationis et generationis.

3. Ante faciem ejus ignis vorans, et post eum exurens flamma. Quasi hortus voluptatis terra coram eo, et post eum solitudo deserti, neque est qui effugiat eum.

4. Quasi adspectus equorum, adspectus eorum : et quasi equites sic current.

5. Sicut sonitus quadrigarum super capita montium exsilient, sicut sonitus flammæ ignis devorantis stipulam, velut populus fortis præparatus ad prœlium.

6. A facie ejus cruciabuntur populi : omnes vultus redigentur in ollam.

7. Sicut fortes current : quasi viri bellatores ascendent murum : viri in viis suis gradientur, et non declinabunt a semitis suis.

8. Unusquisque fratrem suum non coarctabit : singuli in calle suo ambulabunt : sed et per fenestras cadent, et non demolientur.

9. Urbem ingredientur, in muro current, domos conscendent, per fenestras intrabunt quasi fur.

10. A facie ejus contremuit terra, moti sunt cœli, sol et luna obtenebrati sunt, et stellæ retraxerunt splendorem suum [1].

11. Et Dominus dedit vocem suam ante faciem exercitus sui : quia multa sunt nimis castra ejus, quia fortia, et facientia verbum ejus : magnus enim dies Domini, et terribilis valde : et quis sustinebit eum [2] ?

12. Nunc ergo, dicit Dominus, convertimini ad me in toto corde vestro, in jejunio, et in fletu, et in planctu.

13. Et scindite corda vestra, et non vestimenta vestra : et convertimini ad Dominum Deum vestrum, quia benignus et misericors est, patiens et multæ misericordiæ, et præstabilis super malitia [3].

14. Quis scit si convertatur [4], et ignoscat, et relinquat post se bene-

[1] Isa. XIII, 10 ; Ezechiel, XXXII, 7 ; Infra, v. 31, et III, 15 ; Matth. XXIV, 29 ; Marc. XIII, 24 ; Luc. XXI, 25.

[2] Jerem. XXX, 7 ; Amos, V, 18 ; Sophon. I, 15.

[3] Psal. LXXXV, 5 ; Jonæ, IV, 2.

[4] Jonæ, III, 9.

dictionem, sacrificium et libamen Domino Deo vestro ?

15. Canite tuba in Sion, sanctificate jejunium, vocate cœtum [1],

16. Congregate populum, sanctificate ecclesiam, coadunate senes, congregate parvulos, et sugentes ubera : egrediatur sponsus de cubili suo, et sponsa de thalamo suo.

17. Inter vestibulum et altare plorabunt sacerdotes, ministri Domini, et dicent : Parce, Domine, parce populo tuo : et ne des hæreditatem tuam in opprobrium, ut dominentur eis nationes. Quare dicunt in populis : Ubi est Deus eorum ?

18. Zelatus est Dominus terram suam, et pepercit populo suo.

19. Et respondit Dominus, et dixit populo suo : Ecce ego mittam vobis frumentum, et vinum, et oleum, et replebimini eis : et non dabo vos ultra opprobrium in gentibus.

20. Et eum qui ab aquilone est procul faciam a vobis, et expellam eum in terram inviam et desertam : faciem ejus contra mare orientale, et extremum ejus ad mare novissimum : et ascendet fœtor ejus, et ascendet putredo ejus, quia superbe egit.

21. Noli timere, terra : exsulta, et lætare, quoniam magnificavit Dominus ut faceret.

22. Nolite timere, animalia regionis, quia germinaverunt speciosa deserti : quia lignum attulit fructum suum, ficus et vinea dederunt virtutem suam.

23. Et, filii Sion, exsultate, et lætamini in Domino Deo vestro, quia dedit vobis doctorem justitiæ, et descendere faciet ad vos imbrem matutinum et serotinum, sicut in principio.

24. Et implebuntur areæ frumento, et redundabunt torcularia vino et oleo.

25. Et reddam vobis annos quos comedit locusta, bruchus, et rubigo, et eruca : fortitudo mea magna quam misi in vos.

26. Et comedetis vescentes, et saturabimini : et laudabitis nomen Domini Dei vestri, qui fecit mirabilia vobiscum : et non confundetur populus meus in sempiternum.

27. Et scietis quia in medio Israel ego sum : et ego Dominus Deus vester, et non est amplius : et non confundetur populus meus in æternum.

28. Et erit post hæc : Effundam spiritum meum super omnem carnem [2] : et prophetabunt filii vestri et filiæ vestræ : senes vestri somnia somniabunt, et juvenes vestri visiones videbunt.

29. Sed et super servos meos et ancillas in diebus illis effundam spiritum meum.

30. Et dabo prodigia in cœlo et in terra, sanguinem, et ignem, et vaporem fumi.

31. Sol convertetur in tenebras, et luna in sanguinem [3], antequam veniat dies Domini magnus, et horribilis.

32. Et erit : Omnis qui invocaverit nomen Domini, salvus erit [4] : quia in monte Sion et in Jerusalem erit salvatio, sicut dixit Dominus, et in residuis quos Dominus vocaverit.

[1] Supra, I, 14.

[2] Isa. XLIV, 3 ; Act. II, 17.

[3] Supra, II, 10 ; Matth. XXIV, 29 ; Luc. XXI, 25 ; Act. II, 20.

[4] Ad Roman. X, 13.

IN CAPUT II JOEL

ENARRATIO.

« *Canite tuba.* » Hic vocat ad pœnitentiam. Et dividitur in tria. Primo enim ponit terrorem hostium, ut concutiantur corda. Secundo, docet pœnitentiæ modum pro impetranda venia, ibi, ℣. 12 : « *Nunc ergo dicit Dominus : Convertimini.* » Tertio, respondet pœnitentibus verba consolatoria, ibi, ℣. 18 : « *Zelatus est Dominus terram suam.* »

In primo duo sunt, scilicet propositio terroris, et conclusio ex hoc, quod magna et terribilis erit judicii dies, ibi, in fine ℣. 11 : « *Magnus enim dies.* »

In primo ex duodecim sumit terrorem, quæ per ordinem dicentur in littera.

1 Dicit ergo : Ex quo tot mala ventura sunt per erucam, et bruchum, locustam, et rubiginem, supple, ergo, « *Canite tuba,* » vel prædicatores, vel Angeli vocantes ad judicium. Osee, VIII, 1 : *In gutture tuo sit tuba.* Isa. LVIII, 1 : *Quasi tuba exalta vocem tuam.* « *In Sion,* » ut scilicet in Sion congregentur ad plangendum. Psal. CXXXVI, 1 : *Sedimus et flevimus, cum recordaremur Sion.* Thren. I, 4 : *Viæ Sion lugent.* In Ecclesia enim plangendum est, et extra Sion planctus non exauditur. « *Ululate in monte sancto meo,* » templo scilicet, pro amisso regno et sacerdotio. Isa. II, 14 : *Dies Domini exercituum super omnes montes excelsos, et super omnes colles elevatos.* Thren. V, 18 : *Propter montem Sion quia disperiit, vulpes ambulaverunt in eo :* sicut et in Ecclesia sublimitas speculationis, et altitudo sanctitatis disperierunt. « *Conturbentur,* » ad pœnitentiam scilicet, « *omnes habitatores terræ,* » id est, terræ dilectores. II ad Corinth. VII, 8 et 9 : *Quoniam etsi contristavi vos in epistola, non me pœnitet : nisi pœniteret, videns quod epistola illa (etsi ad horam) vos contristavit ; nunc gaudeo : non quia contristati estis, sed quia contristati estis ad pœnitentiam.* Isa. XXIV, 19 et 20 : *Confractione confringetur terra, contritione conteretur terra, commotione commovebitur terra, agitatione agitabitur terra.* Psal. LIX, 4 : *Commovisti terram, et conturbasti eam : sana contritiones ejus, quia commota est.* Isa. XXIV, 17 : *Formido, et fovea, et laqueus super te, qui habitator es terræ.*

Et subdit secundum paragraphum, in quo hujus fletus dicit causam : Judicium Dei tripliciter exercetur.

« *Quia venit dies Domini,* » judicii scilicet, quod tripliciter exercetur, temporaliter scilicet, per hominem hostem : æternaliter in anima, in morte cujuslibet, per hostem dæmonem : et universaliter in die judicii, per exercitum dæmonum et Angelorum. Habac. II, 3 : *Veniens veniet, et non tardabit.* Prov. VI, 34 : *Zelus et furor viri non parcet in die vindictæ.* « *Quia prope est.* » Glossa, « Non differtur. » Isa. XIV, 1 : *Prope est ut veniat tempus ejus, et dies ejus non elongabuntur.* Jacob. V, 9 : *Judex ante januam assistit.*

Et describit mala diei : 2

« *Dies tenebrarum,* » privans scilicet luce gaudii. Jerem. IV, 23 : *Adspexi cœlos, et non erat lux in eis,* hoc est, qui in sublimitate cœlesti ambulabant et in mundo fulgebant. « *Et caliginis.* » *Caligo* dicitur obscuritas densa aeris, quæ fit ex pulvere terrestri incenso per modum nubis elevato, et significat fumum peccatorum qui tunc elevatur ante judicem. Job, III, 5: *Obscurent eum tenebræ, et umbra mortis : occupet eum caligo, et involvatur amaritudine.* Sap. XVII, 17 : *Una catena tenebrarum omnes erant colligati.* Exod. X, 21 : *Sint tenebræ super terram Ægyp-*

ti tam densæ, ut palpari queant. Dicitur etiam « *tenebrarum,* » propter ignorantiam, quia prævideri non potest. Job, III, 23 : *Viro cujus abscondita est via, et circumdedit eum Deus tenebris.* « *Caliginis* » autem dicitur, quia nescit homo quam sententiam reportabit. Eccle. IX, 1 : *Nescit homo utrum amore an odio dignus sit.* « *Dies nubis.* » *Nubes* hic dicitur obscuritas irati judicis, ex qua in peccatores tonitrua comminationum, grandines maledictionum, et fulgura sententiarum procedunt. Sap. V, 22, 23 : *Ibunt directe emissiones fulgurum, et tamquam a bene curvato arcu nubium exterminabuntur, et ad certum locum insilient. Et a petrosa ira plenæ mittentur grandines.* « *Et turbinis.* » *Turbo* hic dicitur sententia involvens, et rapiens, et in pœnam trahens. Nahum, I, 3 : *Dominus in tempestate et turbine viæ ejus.* In tempestate, quantum ad iram. In turbine, quantum ad sententiæ involutionem.

Et subdit qualiter omnes operiet : « *Quasi mane expansum super montes.* » Quod dicit, exponitur a Hieronymo sic : « Radius matutinus citius tangit montes, « et paulatim crescens etiam campos il- « lustrat, et sic claritas judicii Domini a « sublimibus incipit. Sap. VI, 7 : *Po-* « *tentes potenter tormenta patientur.* Et « sic usque ad plana subditorum de- « scendit. Jerem. IV, 24 : *Vidi montes, et* « *ecce movebantur : et omnes colles con-* « *turbati sunt.* » Alia expositio est, quod *mane* dicatur matutina nebula, quæ cacumina montium operit, et tenebris involvit. Sic enim tunc tenebris tristitiæ involventur peccatores. Osee, V, 1 : *Facti estis... rete expansum super Thabor.* Unde, Isa. XIII, 2 : *Super montem caliginosum levate signum.* Mons caliginosus dicitur caligine oppressus.

Et in tertio paragrapho subdit eorum quæ de die dixit explanationem :

« *Populus multus,* » exercitus scilicet Chaldæorum, vel dæmonum, vel etiam Angelorum bonorum, qui ministrabunt in judicio. Habac. I, 6 : *Ecce ego suscitabo Chaldæos, gentem amaram, et velocem, ambulantem super latitudinem terræ.* « *Et fortis,* » cui nullus resistat. Habac. I, 12 : *Domine, in judicium posuisti eum : et fortem ut corriperes, fundasti eum,* hoc est, tu posuisti ut judicium tuum per eum exerceres, et fortem fundasti eum ut peccatores per eum corriperes. « *Similis ei non fuit a principio,* » in fortitudine scilicet. Ante Chaldæos enim et Assyrios nulla fuit similis fortitudo. Similiter dæmonum fortitudini nihil comparatur in inferioribus. Job, XLI, 24 : *Non est super terram potestas quæ comparetur ei, qui factus est ut nullum timeret.* Isa. XIX, 4 : *Tradam Ægyptum,* hoc est, peccatores, *in manu dominorum crudelium, et rex fortis dominabitur eorum.* « *Et post eum non erit,* » non simpliciter, sed « *usque in annos generationis,* » Medorum scilicet et Macedonum, « *et generationis,* » supple, Romanorum, per quos omnes dæmones signantur. Matth. XII, 39 : *Generatio mala, et adultera.* Prov. XXX, 14 : *Generatio, quæ pro dentibus gladios habet, et commandit molaribus suis, ut comedat inopes de terra, et pauperes ex hominibus.*

Et in quarto paragrapho ostendit de 3
effectu :

« *Ante faciem ejus,* » hoc est, ante præsentiam ejus, judicis scilicet et exercitus, « *ignis vocans.* » Hieronymus : « Quia « quidquid attigerit quasi vorax flamma « consumit. » Psal. XCVI, 3 : *Ignis ante ipsum præcedet, et inflammabit in circuitu inimicos ejus.* Isa. XXX, 27 : *Ardens furor ejus, et gravis ad portandum.* « *Et post eum exurens flamma.* » Ribaldorum enim et nebulonum multitudo sequi consuevit, quæ quæque vilia tollit, quæ exercitus dimisit. Isa. XXXIII, 12 : *Erunt populi quasi de incendio cinis, spinæ congregatæ igni com-*

burentur. Matth. XIII, 30 : *Colligite primum zizania, et alligate ea in fasciculos ad comburendum.* Psal. CV, 18 : *Flamma combussit peccatores.* « *Quasi hortus voluptatis,* » scilicet in amœnitate viridium, pulchritudine florum, et ubertate fructuum, « *terra,* » supple, fuit disposita « *coram eo,* » hoc est, antequam exercitus veniret, ita quod nullius rei indigentia fuit in terra. Universa terra irrigabatur sicut paradisus [1]. Cant. V, 13 : *Emissiones tuæ paradisus.* Hortus enim voluptatis paradisus est. Unde Genes. II, 8, secundum translationem Septuaginta, « Plantaverat Dominus « Deus paradisum in Eden [2]. » Eden *deliciæ* interpretatur. « *Et post eum,* » exercitum scilicet Chaldæorum, vel dæmonum, « *solitudo deserti,* » supple, est omnibus depopulatis. Jerem. IV, 23 : *Adspexi terram, et ecce vacua erat, et nihili.* Psal. CVI, 34 : *Terram fructiferam in salsuginem, a malitia inhabitantium in ea.* Isa. VI, 11 et 12 : *Terra relinquetur deserta. Et longe faciet Dominus homines.* « *Neque est qui effugiat eum,* » judicem scilicet et exercitum. Amos, II, 14 : *Peribit fuga a veloce, et fortis non obtinebit virtutem suam.*

Judicium Dei nullus effugiet.

4 Et subdit quintum paragraphum de fremitu :

« *Quasi adspectus equorum, adspectus eorum,* » supple, erit. Prov. XIX, 12 : *Sicut fremitus leonis, ita et regis ira.* Jerem. VIII, 16 : *A Dan auditus est fremitus equorum ejus, a voce hinnituum pugnatorum ejus commota est omnis terram : in furore obstupefacies gentes.* Frendentes enim, et frementes, et Chaldæi, et dæmones irruunt in peccatores. Isa. V, 29 : *Et frendet, et tenebit prædam : et amplexabitur, et non erit qui eruat.* « *Et quasi equites,* » supple, super veloces equos ascendentes, « *sic current* : » de loco scilicet ad locum, ut omnia capiant. Habac. I, 8 : *Diffundentur equites ejus : equites namque ejus de longe venient, volabunt quasi aquila festinans ad comedendum.*

Et subdit sextum paragraphum de tumultu quadrigarum portantium cibos, et arma : 5

« *Sicut sonitus quadrigarum,* » supple, sonat, ita scilicet sonabunt « *super capita montium,* » quia etiam altissima et munitissima loca operient, nec locus est quem non capiant, unde glorians dicit rex Assyriorum, Isa. XXXVII, 24 : *In multitudine quadrigarum mearum ego ascendi altitudinem montium, juga Libani.* Hoc etiam competit diabolo, cujus quadriga est peccatum cordis, oris, operis, et consuetudinis, qua capita montium, hoc est, superborum ascendit. Isa. V, 18 : *Væ qui trahitis, iniquitatem in funiculis vanitatis, et quasi vinculum plaustri peccatum !* De montibus autem dicitur, Job, XXVIII, 9 : *Subvertit a radicibus montes.* « *Exsilient,* » de loco suo scilicet ad locum alium, « more locustarum, ut dicit Hieronymus, saliet qua« si cervus claudus [3]. » « *Sicut sonitus flammæ ignis,* » qui similis est tonitruo. Quando enim ex re combusta vapor terrestris egreditur cum impetu, flammam percutit, et tumultum ad modum tonitrui facit ; et ita in tumultu venit ille exercitus, sive hominum, sive dæmonum. Isa. V, 30 : *Sonabit super eum in die illa sicut sonitus moris.* Eccli. XLVIII, 18 : *Vox tonitrui ejus verberabit terram.* « *Devorantis stipulam.* » Stipula dicuntur peccatores, quia apti sunt igni. Isa. I, 31 : *Erit fortitudo vestra ut favilla stuppæ,*

[1] Genes. II, 10 : *Fluvius egrediebatur de loco voluptatis ad irrigandum paradisum.*

[2] Vulg. habet, Genes. II, 8 : *Plantaverat Dominus Deus paradisum voluptatis a principio.*

[3] Isa. XXXV, 6 : *Saliet sicut cervus claudus.*

et opus vestrum quasi scintilla : et succendetur utrumque simul, et non erit qui exstinguat.

Et septimo, subjungit de instructione ad bellum : « *Velut populus fortis,* » fortitudine scilicet utens pro jure. Sap. II, 11 : *Sit fortitudo nostra lex justitiæ : quod enim infirmum est, inutile invenitur.* « *Præparatus ad prœlium,* » hoc est, omnibus armis et præparamentis instructus, sicut est ars bellica, et exercitium, et hujusmodi. Job, XXXIX, 25 : *Procul odoratur bellum, exhortationem ducum, et ululatum exercitus.* I Reg. XVII, 33 : *Hic vir bellator est ab adolescentia sua.*

6 Et subdit in octavo paragrapho de cruciatu :

« *A facie ejus* » hoc est, a præsentia ejus, « *cruciabuntur populi.* » Unde de locustis, Apoc. IX, 5 et 6, dicitur : *Cruciatus eorum, ut cruciatus scorpii cum percutit hominem. Et in diebus illis quærent homines mortem, et non invenient eam : et desiderabunt mori, et fugiet mors ab eis.* « *Omnes vultus redigentur in ollam.* » Loquitur hoc ad modum locustarum, ut dicit Hieronymus, quæ quando elevantur, irruunt in facies hominum, et dimordentes vultum, luridam nigredinem inducunt, ac si facies lepra combusta sit. Isa. XIII, 8 : *Faciens combustæ vultus eorum.* Quod spiritualiter dæmones in anima faciunt, imaginem Dei deformantes. Thren. IV, 8 : *Denigrata est super carbones facies eorum.* Et ibidem, IV, 2 : *Filii Sion inclyti, et amicti auro primo : quomodo reputati sunt in vasa testea, opus manuum figuli?*

Imago Dei deformatur in homine per peccatum.

7 Et subjungit in nono paragrapho de impetu :

« *Sicut fortes current.* » *Fortes* dicit, qui non lassantur. Isa. V, 26 et 27 : *Ecce festinus velociter veniet. Non est deficiens, neque laborans in eo : non dormitabit, neque dormiet.* Dæmon enim semper discurrit ad nocendum, sicut et tyrannus. « *Quasi viri bellatores,* » hoc est, scientes bellum et audaces, « *ascendent murum,* » hoc est, munitiones spirituales et corporales. Isa. XXII, 5 : *Dies interfectionis, et conculcationis, et fletuum, Domino Deo exercituum in valle visionis, scrutans murum, et magnificus super montem.* Jerem. LII, 14 : *Totum murum Jerusalem per circuitum destruxit cunctus exercitus Chaldæorum.*

Et subjungit in decimo paragrapho de ordine pugnantium :

« *Viri,* » viriles scilicet, « *in viis suis gradientur,* » ordinate scilicet, ut quilibet locum suum custodiat, ne exercitus dividi possit. Job, XLI, 6 et 7 : *Corpus illius quasi scuta fusilia, compactum squamis sese prementibus. Una uni conjungitur, et ne spiraculum quidem incedit per eas.* « *Et non declinabunt a semitis suis.* » *Semitæ* dicuntur officia militum in exercitu, scilicet ut sagittarius suum custodiat officium, satelles suum, dux suum, et miles suum. Jerem. XLVI, 22 : *Cum exercitu properabunt, et cum securibus venient ei.*

« *Unusquisque fratrem suum non coarctabit,* » impediendo scilicet, sed promovebit ad bellum, propter quod dicitur, Matth. XII, 26, et Lucæ, XI, 18[1], quod Satanas in Satanam non est divisus, quia sicut hic dicit Glossa, « in « hoc se promovent, quod ad peccatum « inducant. » Et hoc est quod sequi- 8

Dæmones communi conspiratione insidiantur hominibus.

[1] Matth. XII, 26 : *Et si Satanus Satanam ejicit, adversus se divisus est : quomodo ergo stabit regnum ejus?* Luc. XI, 18 : *Si autem et Satanas in seipsum divisus est, quomodo stabit regnum ejus?*

tur. « *Singuli in calle suo ambulabunt.* » Glossa, « Proprium implentes « officium, quæ officia non sunt nisi « impugnationis et tentationis. » Dicit Hieronymus, quod « hæc etiam faciunt « locustæ ordinate volando, et vias suas « custodiendo. » Prov. xxx, 27 : *Regem locusta non habet, et egreditur universa per turmas suas.* Propter quod dicitur, Cant. vi, 9 : *Terribilis ut castrorum acies ordinata.*

9 Et subjungit in undecimo paragrapho aviditate de ad prædam :

« *Sed et per fenestras cadent,* » non exspectantes scilicet ostii apertionem, « *et non demolientur,* » passive scilicet, hoc est, demolitionem ex casu non sentient aviditate rapiendi. In spirituali autem impugnatione, fenestræ sunt apertiones sensuum. Jerem. ix, 21 : *Ascendit mors per fenestras nostras, ingressa est domos nostras.*

« *Urbem,* » supple, munitam, « *ingredientur,* » quasi sine obstaculo. Jerem. iv, 29 : *Ingressi sunt ardua, et ascenderunt rupes : universæ urbes derelictæ sunt.* Munimenta enim hujusmodi capit diabolus, quando etiam verticem rationis expugnat. Eccle. ix, 14 : *Civitas parva, et pauci in ea viri : venit contra eam rex magnus et vallavit eam exstruxitque munitiones per gyrum, et perfecta est obsidio.* « *In muro current,* » ad murum scilicet dissipandum : qui murus significat munimenta sanctorum patrum et præceptorum. Thren. ii, 5 : *Præcipitavit omnia mœnia ejus : dissipavit munitiones ejus.* « *Domos conscendent, per fenestras intrabunt quasi fur.* » Hieronymus : « Sicut fur intrans « per fenestras solet occulte rapere ; sic « illi clausis januis non timore, sed præcipitati audacia, per fenestras aviditate di- « ripiendi intrant. » Joan. x, 1 : *Qui non intrat per ostium in ovile ovium, sed ascendit aliunde, ille fur est, et latro.* Istum modum, ut dicit Hieronymus, etiam locustæ tenent, sicut dicitur Exod. x, 13 et 14[1].

Et subjungit in duodecimo paragrapho de multitudine, quæ scilicet terram movet et cœlum claudit, ac si nube spississima obvolutum sit. 10

« *A facie ejus,* » hoc est, a præsentia ejus, « *contremuit terra,* » hoc est, terreni : « *moti sunt cœli,* » hoc est, cœlestes, id est, Sancti. Isa. xiii, 13 : *Super hoc cœlum turbabo : et movebitur terra de loco suo.* Jerem. ii, 12 : *Obstupescite, cœli, super hoc.* « *Sol et luna obtenebrati sunt,* » « non luminis amis- « sione, ut dicit Hieronymus, sed quan- « do locustæ de loco ad locum trans- « eunt, sua multitudine solent radios « solis a terra excludere, et terram qua- « si nubes obumbrare, et ita vult quod « tantus fuerit exercitus, quod pulvis « elevatus, quasi nubes impedit solem « et lunam lucere super terram. » Vel, « *sol et luna obtenebrati sunt,* » quando nulla claritas gaudii in majoribus vel minoribus invenitur. Isa. xxxiv, 4 : *Complicabuntur sicut liber cœli : et omnis militia eorum defluet sicut defluit folium de vinea et de ficu.* Apoc. ix, 2 et 3 : *Obscuratus est sol et aer de fumo putei : et de fumo putei exierunt locustæ in terram.* « *Et stellæ retraxerunt splendorem suum,* » ex simili causa. *Stellæ* autem dicuntur singulares personæ claritatem dignitatis in populo habentes, quæ splendorem hunc retraxerunt, vel tentatione diaboli, vel angustia hostis et tyranni. Isa. xiii, 10 : *Stellæ cœli, et splendor earum non expandent lumen suum : obtenebratus est sol in ortu suo, et luna non splendebit in lumine suo.* Apoc. vi, 12 et 13 :

[1] Exod. x, 13 et 14 : *Mane facto, ventus urens levavit locustas, quæ ascenderunt super universam terram Ægypti.*

Sol factus est niger tamquam saccus cilicinus, et luna tota facta est sicut sanguis, et stellæ de cœlo ceciderunt super terram.

11 His omnibus adjungit adjutorium divinum, quia etiam Deus cum inimicis pugnabit contra eos.

« *Et Dominus dabit vocem suam,* » præcepti scilicet comminationis et terroris. Amos, I, 2 : *Dominus de Sion rugiet, et de Jerusalem dabit vocem suam.* Psal. XVIII, 14 : *Intonuit de cœlo Dominus, et Altissimus dedit vocem suam.* Terribilis enim vox est, quando præcipitur hosti quod impugnet ; et miser peccator terretur, ne respicere audeat. Et hoc est quod sequitur : « *Ante faciem exercitus sui.* » Glossa, « dæmonum qui sunt castra Dei, quia etiam ei nolentes militant. » Job, XXXVII, 5 : *Tonabit Deus in voce sua mirabiliter.* « *Quia multa sunt nimis castra ejus,* » Dei scilicet ad subvertendos peccatores. Sap. v, 18 : *Accipiet armaturam zelus illius, et armabit creaturam ad ultionem inimicorum.* Et ibidem, ℣. 21 : *Pugnabit cum illo orbis terrarum contra insensatos.* « *Quia fortia,* » ex sententia divina confortata. Et ideo dicuntur *multa nimis et fortia,* quia omnibus prævalentia. Luc. XI, 21 : *Cum fortis armatus custodit atrium suum, in pace sunt ea quæ possidet.* Thren. I, 16 : *Facti sunt filii mei perditi, quoniam invaluit inimicus.* « *Et facientia verbum ejus,* » hoc est, Domini : non enim sine obedientia etiam dæmones super homines habent potestatem, sicut patet, Job, I et II. Psal. CII, 20 : *Benedicite Domino, omnes Angeli ejus : potentes virtute, facientes verbum illius, ad audiendam vocem sermonum ejus.*

Creatura omnis armatur ad vindictam peccatorum.

Ex omnibus his concludit : « *Magnus enim dies Domini,* » judicii scilicet. *Magnus* autem dicitur virtute constringendi inimicos. Nahum, I, 3 : *Dies magna, et amara valde.* Et hoc est quod sequitur : « *Et terribilis valde,* » propter sententiam condemnationis. Ad Hebr. XII, 21 : *Ita terribile erat quod videbatur, quod Moyses dixit : Exterritus sum, et tremebundus.* « *Et quis sustinebit eum ?* » Malach. III, 2 : *Quis poterit cogitare diem adventus ejus, et quis stabit ad videndum eum ?* de propriis scilicet meritis habens fiduciam.

« *Nunc ergo dicit Dominus.* » Invitat 12
hic ad pœnitentiam, et dicit duo, scilicet quare, et qualiter convertendi sint, et ad quem. Secundo, quam generaliter, et quam instanter sit petenda venia, ibi, ℣. 15 : « *Canite tuba.* »

In primo dicit tria. Primo et secundo adjungit causam, quare ad Deum convertendi sint.

« *Nunc ergo, dicit Dominus, convertimini ad me.* » *Convertimini* dicit, quia non vult mortem peccatoris. Eccli. XII, 3 : *Altissimus odio habet peccatores, et misertus est pœnitentibus.* Ezech. XXXIII, 11 : *Nolo mortem impii, sed ut convertatur impius a via sua, et vivat ?* « *Ad me,* » misericordem scilicet. Jerem. XV, 19 : *Propter hoc dicit Dominus : Si converteris,* scilicet ad me, *convertam te.* Perversus est enim qui ad Dominum non est conversus. Jerem. XV, 19 : *Convertentur ipsi ad te, et tu non converteris ad eos.* « *In toto corde vestro,* » ut cor vestrum sit totum, idque quadrupliciter, scilicet ut sit indivisum, integrum, perfectum, et omnia sua intra se continens. Indivisum ad Deum adunatum, Osee, X, 2 : *Divisum est cor eorum, nunc interibunt.* Integrum in nulla parte per peccatum confractum. Et hoc intendit Apostolus, I ad Thessal. V, 23 : *Ut integer spiritus vester, et anima, et corpus sine querela in adventu Domini nostri Jesu Christi servetur.* Perfectum perfectione charitatis et virtutis, II Machab. I, 3 : *Faciatis ejus voluntatem corde magno et animo volenti.* Omnia intra se habens, motum scilicet et sensum, et vitæ principium, et

Conversio peccatoris ad Deum fit ex toto corde.

totum ordinem corporis. Matth. xxii, 37 : *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo.* « *Corde* » autem dicit, ut de profundis visceribus fiat conversio : profundissimum enim est cor. Unde etiam in Psalm. cxxix, 1, dicitur : *De profundis clamavi ad te, Domine.* Quando ex profundis pœnitens non convertitur, inanis ac ficta reputatur pœnitentia. Cor etiam ex fortissima carne est, et multis nervis ligatum : in quo notatur, quod fortissime teneat conceptam conversionem, et fortissime sit alligatus Deo, quasi impossibilis ad separationem. De primo, Eccli. xxi, 17 : *Cor fatui quasi vas confractum, et omnem sapientiam non tenebit.* De secundo, Act. xx, 22 : *Alligatus ego spiritu, vado in Jerusalem.* Isa. viii, 16 : *Liga testimonium, signa legem in discipulis meis.* « *Vestro* » autem dicit, non alieno, sicut hi qui ore convertuntur, et corda eorum vagantur circa diversa. Vel, « *vestro* » dicit, ut faciamus quod in nobis est. Prov. xxiii, 26 : *Præbe, fili mi, cor tuum mihi.* « *In jejunio.* » Glossa, « ut in futuro saturemini. » Bernardus : « Non magnum est ut « venter jejunet usque ad rugitum, qui « sæpe repletus est usque ad vomitum. » II ad Corinth. xi, 27 : *In jejuniis multis.* « Jejunio enim mortificantur pestes cor- « poris, » ut dicit Beda. Psal. xxiv, 13 : *Ego autem cum mihi molesti essent, induebar cilicio. Humiliabam in jejunio animam meam*, hoc est, animalitatem meam. Matth. xvii, 20 : *Hoc genus*, dæmoniorum scilicet, *non ejicitur, nisi per orationem et jejunium.* Unde Ninivitæ jejunio propitiationem invenerunt[1]. Et Levit. xvi, 29, dicitur : *Affligetis animas vestras*, in jejunio scilicet. Et illa dies vocabatur *propitiationis,* quia in jejunio propitiatio Dei inveniebatur. « *Et in fletu.* » Glossa, « ut in futuro « rideatis. » Joan. xvi, 20 : *Plorabitis, et flebitis vos.* Matth. v, 5 : *Beati qui lugent.* Luc. vi, 21 : *Beati qui nunc fletis : quia ridebitis.* Thren. i, 2 : *Lacrymæ ejus in maxillis ejus.* « *Et in planctu.* » Glossa, « ut in futuro consolemini. » Planctus autem est compositum lamentum ex vocibus querulis, significantibus causas doloris. Jerem. vi, 26 : *Luctum unigeniti fac tibi, planctum amarum.*

Jejunium pœnitenti et utile est et necessarium.

13 « *Et scindite corda vestra.* » Scinditur quod violenter et difficulter separatur, et ita vult, quod violentiam faciamus nobis, ut cor separetur a delectabilibus peccatorum præteritorum. Et hoc est idem quod contritio cordis, quando scilicet in minima scinditur cor, et ubique separatur a peccato. Jerem. iv, 19 : *Ventrem meum, ventrem meum doleo, sensus cordis mei turbati sunt in me.* Venter cordis dicitur memoria peccatorum, quæ dolore plena debet esse et scissionibus, et cor debet esse turbatum in omni sensu vitæ. Unde Glossa : « Scindite, « hoc est, aperite corda vestra per confes- « sionem. » Corda enim quasi utres sunt plena peccatis, et nisi scissa fuerint sponte rumpentur. « *Et non vestimenta vestra.* » Mos Judæorum erat tempore tristitiæ scindere vestimenta, et hoc hic interdicit, ne in exteriori apparatu tantum pœnitere videantur, quod hypocritarum est. Matth. vi, 16 : *Exterminant enim facies suas, ut appareant hominibus jejunantes.* Quidam dicunt, quod vestimenta virtutum non sunt scindenda. Eccle. ix, 8 : *Omni tempore sint vestimenta tua candida.* Et hæc expositio non est ad propositum.

Et subdit ad quem convertantur :

Converti Deum quantumlibet sceletus non dubitet.

« *Et convertimini,* » supple, sic, « *ad Dominum Deum vestrum,* » ad Dominum remuneratorem scilicet, quia dives est. Ad Roman. x, 12 : *Idem Dominus omnium, dives in omnes, qui invocant illum*, Deum scilicet propitiatorem.

[1] Cf. Jonæ, iii, 10.

Mich. VII, 18 : *Quis Deus similis tui, qui aufers iniquitatem?* Nostrum autem benefactorem. Ad Hebr. XI, 16 : *Non confunditur Deus vocari Deus eorum.*

Deus misericors est et patiens.

Et subdit causam quare ad Dominum converti debeant :

« *Quia benignus.* » Aristoteles in magnis *Moralibus* dicit, quod « bonitas et « benignitas non sunt virtutes, sed dis- « positiones ad virtutem : bonitas enim « est cordis diffusio in omni placentia « boni, benignitas autem est quando per « ignem amoris bonum ejus large fluit « in alia. Unde dicitur benignitas quasi « bona igneitas. » Deut. IV, 24 : *Dominus Deus tuus ignis consumens est.* Ad Rom. II, 4 : *An ignoras quoniam benignitas Dei ad pœnitentiam te adducit?* Bonus enim et benignus est in seipso.

Et subjungit qualis sit ad nos : « *Et misericors est,* » effectu scilicet in miseriæ ablatione : statim enim aufert miseriam ab afflictis. Jacob. II, 13 : *Superexaltat misericordia judicium, et in ira non obliviscitur misericordiæ.* Psal. LXXVI, 10 : *Aut obliviscetur misereri Deus? aut continebit in ira misericordias suas?* Habac. III, 2 : *Cum iratus fueris, misericordiæ recordaberis.* « *Patiens,* » dissimulando scilicet peccata hominum, et exspectando ad pœnitentiam. Eccli, V, 4 : *Altissimus est patiens redditor.* Augustinus : « Quid faciet de illo desuper inspectore, « quem latere nihil potest, qui tanto vi- « det patientius, quando sapientius?» Nec dicitur *patiens*, quod passio cadat in ipsum, sed quod exhibet patientis effectum. « *Et multæ misericordiæ,* » hoc est, multiplicis. Quæcumque enim peccata sint, dimittit, et non uno bono, sed multiplicibus exornat. Isa. LV, 7 : *Derelinquat impius viam suam, et vir iniquus cogitationes suas, et revertatur ad Dominum, et miserebitur ejus, et ad Deum nostrum: quoniam multus est ad ignoscendum.* Jonæ, IV, 2 : *Scio quia tu Deus clemens, et misericors es, patiens, et multæ miserationis, et ignoscens super malitia.* Et hoc est quod hic sequitur : « *Et præstabilis super malitia,* » hoc est, facile præstans veniam super malitia præterita, ei qui vere est pœnitens. Lucæ, VII, 47 : *Remittuntur ei peccata multa, quoniam dilexit multum.* Mich. VII, 19 : *Deponet iniquitates nostras, et projiciet in profundum maris omnia peccata nostra.* Jerem. XXXI, 34 : *Propitiabor iniquitati eorum, et peccati eorum non memorabor amplius.*

Et subdit de sollicitudine tardæ conversionis, et est ac si dicat illud Isaiæ, LV, 6 : *Quærite Dominum, dum inveniri potest : invocate eum, dum prope est.* Et illud Eccli. V, 8 : *Non tardes converti ad Dominum, et ne differas de die in diem.* Si enim tardaveris et Deum quæsieris, quando longe est, « *Quis scit si convertatur,* » ab ira scilicet ad misericordiam? Licet enim verum sit quod dicitur, Ezech. XVIII, 21, 22, quod quacumque die peccator ingemuerit, *omnium iniquitatum ejus, quas operatus est, non recordabor ;* tamen valde incertum est, utrum ei qui pœnitentiam differt usque ad ultimam ætatem, vel infirmitatem, Deus gratiam gemendi dare velit. In tali enim casu dicit Gregorius, quod « qui non vult cum « potuerit, justum est ut infligatur ei non « posse cum voluerit. » Prov. I, 24 et seq. : *Quia vocavi, et renuistis, extendi manum meam, et non fuit qui adspiceret. Despexistis omne consilium meum, et increpationes meas neglexistis. Ego quoque in interitu vestro ridebo, et subsannabo, cum vobis id, quod timebatis, advenerit.* « *Et ignoscat,* » scilicet Deus : hoc est, quis scit si ignoscere velit, quia quamvis certum sit quod contrito ignoscat, tamen incertum est utrum aliquis vere contritus sit. Eccle. VII, 14 : *Nemo potest corrigere quem ille despexerit.* II Machab. IX, 13 : *Orabat hic scelestus Dominum, a quo non erat misericordiam consecuturus* Unde, Genes. IV, 5 : *Ad Cain, et ad munera illius, non respexit* Deus. Et Num. XVI, 15, Moyses de qui-

14

Conversio ad Deum per pœnitentiam non est differenda.

busdam dixit : *Ne respicias sacrificia eorum.* « *Et relinquat post se benedictionem,* » hoc est, Quis scit si Deus post tardationem pœnitentiæ relinquat benedictionem et non maledictionem. Indignus enim benedictione videtur, qui motioni divinæ non statim obtemperat. Prov. I, 28 : *Tunc invocabunt me, et non exaudiam : mane consurgent et non invenient me.* « *Sacrificium, et libamen Domino Deo vestro,* » hoc est, Quis scit si talem dabit benedictionem, per quam efficiamur sacrificium et libamen Domino Deo nostro. *Sacrificium* per contribulatum cor, *libamen* autem per dulcissimum gustum virtutis. Quibusdam enim dicit, Malach. I, 10 : *Non est mihi voluntas in vobis, dicit Dominus exercituum : et munus non suscipiam de manu vestra.* Job, XLII, 7 : *Iratus est furor meus in te, et in duos amicos tuos.* Et post pauca dicit, quod non recipiet sacrificium ab eis [1].

15 « *Canite tuba in Sion,* » Postquam dixit, qualiter pœnitendum est, subjungit de generalitate pœnitentium, et qualiter a deliciis abstinendum sit, et qualiter plangendum, et quid in planctu dicendum. Et ista sunt quæ hic dicuntur per ordinem :

« *Canite tuba in Sion,* » accusativi casus, hoc est, in Sionem, vocando scilicet ut ante Dominum plangant. In Sion enim sive in Ecclesia planctus auditur, et non extra. Psal. LXXXVI, 3 : *Diligit Dominus portas Sion super omnia tabernacula Jacob.* « *Sanctificate jejunium.* » In præhabitis dictum est, quomodo jejunium sanctificatur confortatione et munditia. Et ibi dictum est, qualiter tuba canitur. Jonæ, III, 5 : *Prædicaverunt jejunium, et induti sunt saccis a majore usque ad minorem.* « *Vocate cœtum.* » *Cœtus* hic vocatur congregatio majorum, qui regebant populum, ut qui primi fuerunt in peccatis, primi etiam sunt in pœna. Genes. XLIX, 2 : *Congregamini et audite, filii Jacob, audite Israel patrem vestrum.*

« *Congregate populum,* » non tam in unum locum, quam in unum cor : unde Glossa, « ut qui dispersus erravit a Deo, « congregatus in unum Deo placeat. » Psal. XLIX, 5 : *Congregate illi sanctos ejus.* Ambrosius super Luc. XI, 23, super illud : *Qui non colligit mecum, dispergit.* « Opus Dei, congregare est : opus « autem diaboli, dispergere. « *Sanctificate Ecclesiam,* » ut merito sanctitatis Ecclesiæ facilius impetretis. Eccli. XXIV, 16 : *In plenitudine sanctorum detentio mea.* Et ibidem, ℣℣. 3 et 4 : *In plenitudine sancta admirabitur, et in multitudine electorum habebit laudem, et inter benedictos benedicetur.* « *Coadunate senes.* » Glossa, « non tam ætate quam « sapientia, quorum scilicet consilio san- « ctificationem ordinetis. » Alia Glossa : « Senes ætate jubentur adunari, ut sal- « tem in extremo vitæ termino pœni- « teant. » Maledicti enim sunt qui nec in extrema senectute revertuntur. Isa. LXV, 20 : *Peccator centum annorum maledictus erit.* II Paral. XVI, 12, de Asa dicitur, quod nec in infirmitate quæsivit Dominum, sed magis in medicorum arte confisus est [2]. Et post pauca dicitur, quod mortuus est *in unguentis meretriciis* [3]. « *Congregate parvulos,* » vel ætate vel humilitate. Marc. X, 14 : *Sinite parvulos venire ad me :... talium est enim regnum cœlorum.* « *Et sugentes ubera,* » ut scilicet merito innocentium vobis parcatur : vel eos dicit *sugentes*, qui in contemplatione sugunt uberasapientiæ. Glossa inducit hoc I Petri, II, 2 : *Sicut modo geniti infantes, rationabile, sine dolo lac*

[1] Cf. Job, XLII, 8 et seq.

[2] II Paralip. XVI, 12 : *Ægrotavit Asa anno trigesimo nono regni sui, dolore pedum vehementissimo, et nec in infirmitate sua quæsivit Dominum, sed magis in medicorum arte confisus est.*

[3] Ibidem, ℣. 13 : *Sepelierunt eum... plenum aromatibus et unguentis meretriciis.*

concupiscite : ut in eo crescatis in salutem. Et illud Psal. VIII, 3 : *Ex ore infantium et lactentium perfecisti laudem.* « *Egrediatur sponsus.* » Hic ostendit, quod tempore pœnitentiæ abstrahantur a deliciis etiam licitis, ut facilius gratia impetretur. « *Egrediatur sponsus de cubili suo.* » Cubile a cubando dicitur, eo quod in eo ad amplexus cubatur. I ad Corinth. VII, 29 : *Qui habent uxores, tamquam non habentes sint.* I Machab. I, 28 : *Omnis maritus sumpsit lamentum : et quæ sedebant in thoro maritali, lugebant.* « *Et sponsa de thalamo suo :* » deliciæ enim in tristitiam convertendæ sunt. Eccle. III, 5 : *Tempus amplexandi, et tempus longe fieri ab amplexibus.* II Machab. III, 19 : *Accinctæ mulieres ciliciis pectus, per plateas confluebant : sed et virgines, quæ conclusæ erant, procurrebant ad Oniam.*

Pœnitentibus eti m licita sunt vitanda.

17 Et subdit de Sacerdotibus supplicantibus pro populo. In necessitate enim recurrendum est ad patres, maxime spirituales.

« *Inter vestibulum et altare.* » Vestibulum ante portam templi fuit, in quo Sacerdotes sacris vestibus induti ad altare accedebant : vel, « vestibulum est « porticus vestiens murum, » ut dicit Hieronymus. Altare autem duplex erat, altare interius quod erat altare incensi, et aliud extra templum quod erat altare holocaustorum, et inter interius et exterius jacebant sacerdotes deprecantes pro populo. « *Plorabunt sacerdotes, ministri Domini,* » inferiores scilicet levitæ : horum enim est pro populo deprecari, quia suscipiunt curam populi. Unde, Sap. XVIII, 21, dicitur, quod *properans homo sine querela*, sacerdos scilicet summus, *deprecari pro populis, proferens servitutis suæ scutum, orationem, et per incensum deprecationem allegans, restitit iræ, et finem imposuit necessitati* : propter quod etiam quidam sacerdotes et ministri reprehenduntur, Ezech. XIII, 5 : *Non ascendistis ex adverso, neque opposuistis,* vos scilicet, *murum pro domo Israel.* De bonis autem e contrario dicitur, II Machab. XV, 14 : *Hic est fratrum amator, et populi Israel : hic est, qui multum orat pro populo, et universa sancta civitate.*

Intercessio sacerdotum necessitatis tempore est requirenda.

Quid autem orantes dicant, subdit :

« *Et dicent : Parce, Domine,* » fragilitati scilicet peccantium, « *parce populo tuo,* » hoc est, devotioni pœnitentium qui jam populus tuus sunt. Hieronymus tamen allegorice exponens hunc locum, dicit, quod « altare est crux, in « quo Christus obtulit seipsum : vestibu« lum autem resurrectio, qua resurgens « indutus est lumine sicut vestimento. « Et inter hæc duo plorandum est, ut « scilicet per mortem nostrum destruat « peccatum, et per resurrectionem in« duat nos justitia sicut lumine. » Ad Rom. VI, 25 : *Traditus est propter delicta nostra, et resurrexit propter justificationem nostram.* Exod. XXXII, 12 : *Quiescat ira tua, et esto placabilis super nequitia populi tui.* « *Et ne des hæreditatem tuam in opprobrium.* » Hæreditas ab hærendo dicitur, quia immobiliter ex jure adhæret possessori. Isa. XIX, 25 : *Hæreditas mea Israel.* In opprobrium autem datur, quando ab inimicis, vel dæmonibus opprobrium patitur. Psal. XLIII, 14 : *Posuisti nos opprobrium vicinis nostris, subsannationem et derisum his, qui sunt in circuitu nostro.* Ita dico, ne des in opprobrium, « *ut dominentur eis nationes.* » Nationes dominantur quando nationum mores dominantur, ut scilicet Sanctus gentiles mores assumat. Thren. V, 8 : *Servi dominati sunt nostri : non fuit qui redimeret de manu eorum.* Ostendit etiam ulterius blasphemiam quæ consurgit in Deum : « *Quare dicunt in populis : Ubi est Deus eorum ?* » Psal. III, 3 : *Multi dicunt animæ meæ : Non est salus ipsi in Deo ejus.*

« *Zelatus est Dominus.* » Hic tangitur 18
consolatio pœnitentium, primo in temporalibus, secundo in spiritualibus, ibi,

℣. 28 : « *Et erit post hæc : Effundam.* » Tertio, in ultione inimicorum, ibi, ℣. 29 : « *Sed et super servos meos et ancillas in diebus illis.* »

In primo duo sunt, scilicet gratia, ad quam recipiuntur pœnitentes, et restitutio in præterito perditorum ut efficiantur abundantes, ibi, ℣. 25 : « *Et reddam vobis annos.*

In prima duo sunt, pœnitentium receptio, et receptorum in bonis omnibus fructificatio, ibi, ℣. 21 : « *Noli timere, terra.* »

In prima adhuc tria sunt, scilicet movens ad reconciliationem, receptio reconciliatorum, et ablatio inimicorum reconciliationem impedientium.

« *Zelatus est Dominus terram suam,* » per metonymiam, hoc est, homines terræ suæ : hujus enim meritum nostrum non fuit causa, sed zelus divini amoris. Isa. IX, 7 : *Zelus Domini exercituum faciet hoc.* Psal. LXVIII, 10 : *Zelus domus tuæ comedit me.* Isa. LIX, 17 et 18 : *Opertus est quasi pallio zeli. Sicut ad vindictam quasi ad retributionem indignationis.* Et est idem quod dicitur, Osee, XIV, 5 : *Diligam eos spontanee, quia aversus est furor meus ab eis.* Et hoc est quod sequitur : « *Et pepercit populo suo,* » hoc est, indulsit peccatum. Luc. II, 14 : *In terra pax hominibus bonæ voluntatis.* Exod. XXXII, 12 : *Quiescat ira tua, et esto placabilis super nequitia populi tui.* Parcit autem dupliciter, scilicet culpam dimittendo, et reatum pœnæ æternæ in pœnam temporalem commutando, et etiam pœnæ expiativæ magnam partem dimittendo, quia pœnas dignas pro peccatis nullus solvere possit. Job, XI, 6 : *Intelligeres quod multo minora exigaris ab eo, quam meretur iniquitas tua.*

19 Ad quid autem recipiat, subdit : « *Et respondit Dominus,* » oranti scilicet populo et pœnitenti. Desiderio enim Sanctorum respondet Dominus per gratiæ appositionem. Psal. CI, 24 : *Respondit ei in via virtutis suæ.* « *Et dixit populo suo.* » Psal. LXXXIV, 9 : *Loquetur pacem in plebem suam. Et super sanctos suos : et in eos, qui convertuntur ad cor.* Et specificat, subdens : « *Ecce ego mittam vobis frumentum,* » quod significat stabilimentum virtutis, « *et vinum,* » quod signat spirituale gaudium, « *et oleum,* » quod ministrat lumen veritatis in intellectu, et condimentum pinguedinis devotionis in affectu, et unctionem suavitatis in conscientia. Genes. XXVII, 37 : *Frumento et vino stabilivi eum.* « *Et replebimini eis,* » frumento scilicet, vino, et oleo, ita quod divisim referatur ad hæc omnia. Repletio autem saturitatem prementem sonat, ita quod inducit nauseam et vomitum, quod in bonis accipitur in eructatione verborum, et maxime in productione operum. Jerem. XXXI, 14 : *Populus meus bonis meis adimplebitur.* Psal. LXXXIX, 14 : *Repleti sumus mane misericordia tua : et exsultavimus, et delectati sumus.*

Pœnam peccatis debitam nemo per se potest exsolvere.

Et subdit de ablatione malorum, primo in communi, et postea in speciali :

« *Et non dabo vos ultra opprobrium in gentibus.* » Est responsio ad id quod ante dictum est : « *Ne des hæreditatem tuam in opprobrium, ut dominentur eis nationes* [1]. » Iniqui enim dominatores et captivatores multa sanctis inferunt opprobria. Psal. XLIII, 14 : *Posuisti nos opprobrium vicinis nostris, subsannationem et derisum his, qui sunt in circuitu nostro.* Isa. IV, 1 : *Aufer opprobrium nostrum.* Hoc enim Dominus aufert, quando aufert dominium inimicorum. Psal. CXVIII, 22 : *Aufer a me opprobrium, et contemptum : quia testimonia tua exquisivi.* Et hic habetur, quod etiam dæmones faciunt opprobria consentientibus sibi.

[1] Cf. ℣. 17 hujus capitis.

20 Et in speciali subdit :

« *Et eum,* » scilicet inimicum, « *qui ab Aquilone est,* » hoc est, ab Assyria et Chaldæa, « *procul faciam a vobis.* » Hoc accidit quando ante Jerusalem cum Sennacherib, rege Assyriorum, percussa sunt centum octoginta quinque millia [1]. Et dicitur quod incinerati fuerint igne infernali et invisibili. Psal. xc, 7 : *Cadent a latere tuo mille, et decem millia a dextris tuis : ad te autem non appropinquabit.*

Et hoc est quod sequitur :

« *Et expellam eum in terram inviam, et desertam.* » Intelligitur de fuga regis qui fugit cum decem, et timens vias publicas tenere ausus non fuit, sed latenter per deserta et invia fugit. Isa. x, 18 et 19 : *Erit terrore profugus : et reliquiæ ligni saltus ejus præ paucitate numerabuntur.* Qualiter autem expellet, subdit : « *Faciem ejus,* » hoc est, primam partem exercitus ejus, « *contra mare orientale,* » supple, diffusam expellam. Mare orientale, mare Mortuum est, et fuit initium terræ promissionis ad Orientem : in qua parte prima pars exercitus diffusa est : « *et extremum ejus,* » hoc est, extremum exercitus diffusum, supple, « *ad mare novissimum,* » supple etiam, inde expellam, ut tota scilicet terra tua ab hostibus liberetur. Isa. LII, 1 : *Non adjiciet ultra ut pertranseat per te incircumcisus et immundus.* Mich. v, 9 : *Exaltabitur manus tua super hostes tuos, et omnes inimici tui peribunt.* Deut. XXXIII, 27 : *Ejiciet a facie tua inimicum, dicetque : Conterere.* « *Et ascendet fœtor ejus, et ascendet putredo ejus.* » Sensus est : Ascendet fœtor ex putredine. Et hoc ad putredinem exercitus referri non potest litteraliter, quia incineratus fuit, sed refertur ad cadaver regis Assyriorum, quem interfecerunt filii sui Nabuchodonosor, quem filius ejectum de sepulcro dedit vulturibus. Isa. XIV, 19 : *Tu projectus es de sepulcro tuo, quasi stirps inutilis pollutus, et obvolutus.* Et quod exercitus utique diffusus sit ad Orientem et Occidentem in terra promissionis, dicitur, Isa. VIII, 7 et 8 : *Ecce Dominus adducet super eos aquas fluminis fortes et multas, regem Assyriorum, et omnem gloriam ejus : et ascendet super omnes rivos ejus, et fluet super ripas universas, et ibit per Judam, inundans, et transiens usque ad collum veniet.*

buchodo- nosor a is occidi- tur.

Subjungit autem causam quare sic percussit hostem :

« *Quia superbe egit,* » hoc est, quod ego permisi et ordinavi fieri peccatoribus in pœnitentiam, ille perfecit in superbia : ut ex hoc magnificaretur et dilataretur regnum ejus. Isa. x, 12 et 13 : *Visitabo super fructum magnifici cordis regis Assur, et super gloriam altitudinis oculorum ejus. Dixit enim : In fortitudine manus meæ feci, et in sapientia mea intellexi, et abstuli terminos populorum.* Partem istius expositionis Hieronymus refert ad locustas dicens, quod « sicut factum est locustis, ita fiet Assyriis. » Dicit etiam quod « locustæ terram promissionis repleverant a mari orientali usque ad mare occidentale, sed ventum occidentalem suscitavit Dominus, qui flans versus Orientem, partem exercitus locustarum orientalem projecit in mare Mortuum, et producens ventum orientalem, qui flans ad Occidentem, aliam partem locustarum projecit in mare Magnum, et sic terra liberata est. Locustæ autem submersæ in littoribus marium jacentes putrefactæ, fœtore ex cadaveribus pestilentiam in hominibus et animalibus effecerunt. » Et hoc dicit velle dicere Prophetam in loco isto. Spiritualiter autem hæc ad diabolum referuntur, qui ab Aquilone, plaga nebulosa et frigida, hoc est, habitatione peccatoris venit. Jerem. I, 14 : *Ab Aquilone pandetur omne malum super omnes habitatores terræ,* qui

[1] Cf. IV Reg. XIX, 35, et Isa. XXXVII, 36.

procul fit a nobis, quando peccatum et vis dæmonis a nobis aufertur, ita quod etiam tentatio provenit nobis ad profectum. Ad Rom. xvi, 20 : *Deus pacis conterat satanam sub pedibus vestris velociter.* Expellitur in terram inviam, hoc est, in peccatores, et desertam, quia peccatores invii sunt Angelis, et deserti a cultura virtutis. Matth. xii, 43 : *Cum immundus spiritus exierit ab homine, ambulat per loca arida.* Facies diaboli, una ad Orientem est in his qui semper quærunt oriri in dignitatibus sæculi. Isa. xiv, 12 : *Quomodo cecidisti de cœlo, Lucifer, qui mane oriebaris?* Facies alia in avaris ad Occidentem est, qui in fine suo avariores sunt quam a principio. Prov. xxx, 16 : *Infernus, et os vulvæ, et terra quæ non satiatur aqua : ignis vero numquam dicit : Sufficit.* Et quo plus ponitur in lignis, eo magis æstuat. Isa. xxx, 33 : *Nutrimenta ejus, ignis et ligna multa : flatus Domini sicut torrens sulphuris succendens eam.* Utraque facies ad mare est, hoc est, ad sæculi amaritudinem. Ambitio enim amara est, similiter et avaritia. Isa. lvii, 20 : *Impii quasi mare fervens, quod quiescere non potest.* Utriusque putredo in fœtore peccati et infamia ascendit et inficit. Amos, iv, 11 : *Asendere feci putredinem castrorum vestrorum in nares vestras : et non redistis ad me, dicit Dominus.*

Avaritia ætatis accessu crescit.

21 Post repressionem populi terræ, tangit reconciliationem populi sui :

« *Noli timere, terra.* » Et est responsio ad hoc quod dixit supra, *Ignis comedit speciosa deserti* [1], sed modo confortatur, quia virtutem accipiet germinandi. « *Noli timere,* » scilicet mala præterita, quia indulta sunt. Isa. xl, 2 : *Completa est malitia ejus, dimissa est iniquitas illius : suscepit de manu Domini duplicia pro omnibus peccatis suis.* « *Exsulta, et lætare.* » Terra *exsultat,* quando de intimis exsiliens, viret, floret, et fructificat. *Lætatur,* quando hanc amœnitatem ubique dilatat, et litteraliter et spiritualiter. Isa. xxxv, 1 et 2 : *Lætabitur deserta et invia, et exsultabit solitudo, et florebit quasi lilium. Germinans germinabit, et exsultabit lætabunda et laudans.* « *Quoniam magnificavit Dominus ut faceret,* » hoc est, magnificus Dominus magnifice et in magnis effluentiam suæ largitatis exhibuit, et ideo dicit, *ut faceret,* simpliciter, et non dicit hoc vel illud, quia hoc parum esset. Psal. cxxv, 3 : *Magnificavit Dominus facere nobiscum : facti sumus lætantes.* Deuter. xxxii, 3 et 4 : *Date magnificentiam Deo nostro... Dei perfecta sunt opera.*

« *Nolite timere, animalia regionis.* » 22
Respondet ad hoc quod in principio dictum est : *Quid ingemuit animal* [2] *?* Et ideo consolatur animalia et silvestria et domestica : et consolatur animalia, hoc est, animales homines, « *quia germinaverunt speciosa deserti, quia lignum attulit fructum suum.* » *Deserta* dicuntur derelicta a cultu, ut ferant pastum animalibus : *speciosa deserti* sunt gramina in pastum animalium, quæ germinat desertum. Ezech. xxxvi, 8 : *Vos autem, montes Israel, ramos vestros germinetis, et fructum vestrum afferatis populo meo Israel.* Et hoc *lignum* significat fideles animas fructum virtutis producentes. Jerem. xvii, 8 : *Erit quasi lignum quod transplantatur super aquas, quod ad humorem mittit radices suas : et non timebit cum venerit æstus. Et erit folium ejus viride, et in tempore siccitatis non erit sollicitum, nec aliquando desinet facere fructum.* « *Ficus, et vinea dederunt virtutem suam,* » in germinando, scilicet ficus in dulcedine virtutis, et vinea in jucunditate cœlestis gaudii. Cant. ii, 13 : *Ficus protulit grossos suos : vi-*

[1] Joel. i, 19.

[2] Joel, i, 18.

neæ florentes dederunt odorem suum.

23 « *Et filii Sion,* » hoc est, totus populus ad Sion pertinens, secundum fidei speculationem. Psal. LXXXVI, 7 : *Sicut lætantium omnium habitatio est in te.* « *Exsultate* » corpore, « *et lætamini* » corde, « *in Domino Deo vestro,* » et non in aliquo alio bono. Habac. III, 18 : *Ego autem in Domino gaudebo : et exsultabo in Deo Jesu meo.* Isa. LXI, 10 : *Gaudens gaudebo in Domino, et exsultabit anima mea in Deo meo.* « *Quia dedit vobis doctorem justitiæ,* » cœtum scilicet Prophetarum, et maxime Christum, qui dicit, Isa. LXIII, 1 : *Ego, qui loquor justitiam, et propugnator sum ad salvandum.* Isa. XXX, 20 et 21 : *Non faciet avolare a te ultra doctorem tuum : et erunt oculi tui videntes præceptorem tuum. Et aures tuæ audient verbum post tergum monentis : Hæc est via, ambulate in ea : et non declinetis neque ad dexteram, neque ad sinistram.* Isa. XLVIII, 17 : *Ego Dominus Deus tuus docens te utilia, gubernans te in via, qua ambulas.* « *Et descendere faciet,* » Dominus de cœlesti scilicet beneficio, « *ad vos,* » hoc est, ad utilitatem vestram, « *imbrem matutinum,* » ad fœcundanda semina, « *et serotinum,* » ad fructus maturandos, « *sicut in principio,* » antequam scilicet terra corrumperetur per peccatum. Thren. v, 21 : *Innova dies nostros, sicut a principio.* Spiritualiter autem, imber matutinus est doctrina Veteris Testamenti, serotinus vero doctrina Novi. Osee, VI, 3 : *Veniet nobis quasi imber temporaneus, et serotinus terræ.* Psal. LXVII, 10 : *Pluviam voluntariam segregabis, Deus, hæreditati tuæ.* Deuter. XXVIII, 12 : *Aperiet Dominus thesaurum suum optimum, cœlum, ut tribuat pluviam terræ tuæ in tempore suo.*

Imber matutinus doctrina Veteris Testamenti.

24 « *Et implebuntur areæ,* » hoc est, agri, « *frumento,* » vel etiam animæ fidelium frumento gratiæ et virtutum : « *et torcularia,* » id est, studiosi, qui quasi in torculari se premunt quotidie, « *vino redundabunt,* » cœlestis scilicet doctrinæ, et gaudii cœlestis. *Redundare* autem est per doctrinam et exempla ad alios effluere. Prov. III, 10 : *Et implebuntur horrea tua saturitate, et vino torcularia tua redundabunt.* « *Et oleo,* » quod significat unguentum devotionis et illuminationem veritatis et condimentum saporis spiritualis. Deuter. XXVIII, 11 : *Abundare te faciet Dominus omnibus bonis, fructu uteri tui, et fructu jumentorum tuorum, fructu terræ tuæ.* II ad Corinth. IX, 10 : *Multiplicabit semen vestrum, et augebit incrementa frugum justitiæ vestræ.* Osee, II, 8 : *Ego dedi ei frumentum, et vinum, et oleum, et argentum multiplicavi ei, et aurum.*

« *Et reddam vobis annos.* » Tangit hic restitutionem præteritorum : « *Reddam annos,* » hoc est, fructus annorum in præterito ablatorum. Et hoc est vehemens argumentum, quod bona ablata per peccatum, reviviscunt per pœnitentiam. Genes. XXXI, 39 : *Ego damnum omne reddebam : Quidquid furto peribat, a me exigebas.* « *Quos comedit locusta,* » inanis gloria scilicet, « *bruchus,* » pigritia, « *et rubigo,* » invidia, « *et eruca,* » carnalis concupiscentia. Hieronymus : « Per quot annos famem sustinuisti, per tot annos iterum duplicabo fructus. » Job, XLII, 10 : *Addidit Dominus omnia quæcumque fuerant Job, duplicia.* Sic videmus in pœnitentibus, qui propter memoriam præteritorum peccatorum ferventiores sunt, et quotidie duplicant fructus operum. II ad Corinth. VII, 11 : *Ecce enim hoc ipsum, secundum Deum contristari vos, quantam in vobis operatur sollicitudinem : sed defensionem, sed indignationem, sed timorem, sed desiderium, sed æmulationem, sed vindictam : in omnibus exhi-* 25

Bona opera reviviscunt per pœnitentiam.

buistis vos, incontaminatos esse negotio. Ecce quomodo pro uno bono perdito, septem surrexerunt. Hæ sunt septem spicæ quæ pullulabant in culmo uno plenæ atque formosæ [1]. Sic dictum est, ad Rom. VIII, 28, quod *diligentibus Deum, omnia cooperantur in bonum.* Et dicit Glossa, « etiam peccatum, quia per peccatum « ferventiores resurgunt pœnitentes. » « *Fortitudo mea magna.* » Hieronymus vult, quod hoc non referatur nisi ad erucam, dicit enim sic : « Eruca vix move- « tur et levi contactu conteritur, in quo « fortitudo Dei magna et humana fragi- « litas demonstratur, sicut per sciniphes « in Ægypto [2], quæ tam parvæ sunt ut « vix cernantur. Poterat quidem Deus « cuncta diluvio operire, vel fulmine « cremare ; sed potentiam suam et no- « stram fragilitatem per hujusmodi os- « tendit. Si enim hæc tam parva sunt « homine fortiora, unde gloriatur terra « et cinis [3] ? » « *Quam misi in vos,* » hoc est, contra vos, destruendos scilicet : hæc enim vim non habuissent ad nocendum, nisi a Deo missa essent. Job, IX, 19 : *Si fortitudo quæritur, robustissimus est.* Deuter. XXVIII, 25 : *Tradat te Dominus corruentem ante hostes tuos.*

Deus fortia prosternit per infirma.

26 « *Et comedetis vescentes.* » *Vescor* ab esca et væ componitur : quia (sicut dicit Augustinus) « non nisi pro væ necessitatis esca sumi debet. » Psal. XXI, 27 : *Edent pauperes, et saturabuntur.* Pauperes dicuntur de necessitate famis deperditi sibi non sufficientes. « *Et saturabimini.* » Prov. XIII, 25 : *Justus comedit et replet animam suam : venter autem impiorum insaturabilis.* Hoc etiam spiritualiter intelligitur de esurientibus justitiam. Matth. V, 6 : *Beati, qui esuriunt, et sitiunt justitiam : quoniam ipsi saturabuntur.* « *Et laudabitis nomen Domini Dei vestri,* » in gratiarum actione scilicet. Psal. XXI, 27 : *Laudabunt Dominum qui requirunt eum.* Eccli. LI, 15 : *Laudabo nomen tuum assidue, et collaudabo illud in confessione.* « *Qui fecit mirabilia vobiscum,* » resuscitando scilicet antiquum miraculum quo turbas pavit, in deserto [4]. Psal. CX, 4 et 5 : *Memoriam fecit mirabilium suorum, misericors et miserator Dominus : escam dedit timentibus se.* « *Et non confundetur populus meus in sempiternum.* » Glossa, « si permanserit incepto opere pœnitentiæ. » Isa. L, 7 : *Dominus Deus auxiliator meus, et ideo non sum confusus : ideo posui faciem meam ut petram durissimam, et scio quoniam non confundar.* Psal. XXIV, 3 : *Universi, qui sustinent te, non confundentur.*

« *Et scietis,* » per experimentum sci- 27
licet gratiæ, « *quia in medio Israel ego sum,* » sine personarum acceptione omnibus æqualiter paratus. Ezech. XLIII, 7 : *Locus solii mei, et locus vestigiorum pedum meorum, ubi habito in medio filiorum Israel.* Joan. I, 26 : *Medius vestrum stetit, quem vos nescitis.* Luc. XXII, 27 : *Ego in medio vestrum sum sicut qui ministrat.* « *Et ego Dominus Deus vester,* » supple, sum. Psal. XLIV, 12 : *Ipse est Dominus Deus tuus, et adorabunt eum.* « *Et non est amplius,* » supple, præter me Deus. Isa. XLV, 21 : *Numquid non ego Dominus, et non est ultra Deus absque me ? Deus justus, et salvans non est præter me.* « *Et non confundetur populus meus in æternum,* » confusione scilicet præteriti peccati. Isa. LIV, 4 : *Confusionis adolescentiæ tuæ oblivisceris, et opprobrii viduitatis tuæ non recordaberis amplius.*

[1] Cf. Genes. XLI, 22.
[2] Cf. Exod. VIII, 17.
[3] Eccli. X, 9 : *Quid superbit terra et cinis ?*
[4] Cf. Exod. XVI et XVII.

28 « *Et erit post hæc.* » Tangit consolationem in bonorum spiritualium collatione, et tria dicit, in communi scilicet Spiritus effusionem : spiritus ostensionem, ibi, « *Et dabo prodigia :* » et judicii terrorem, ibi, « *Sol convertetur.* »

In primo tria sunt, largitas scilicet Spiritus effusi, generalitas, et distributio per effectus.

« *Et erit,* » certitudinis significativum est. I Regum, IX 6 : *Omne, quod loquitur, sine ambiguitate venit.* « *Post hæc,* » ordinem notat veritatis ad figuram. I ad Corinth. XV, 46 : *Non prius quod spirituale est, sed prius quod animale.*

« *Effundam.* » Largitatem doni et muneris significat, et quod Spiritus qui prius fuit in Dei occultis, nunc ad exteriora diffunditur. Ad Tit. III, 5 et 6 : *Per lavacrum regenerationis, et renovationis Spiritus sancti, quem effudit in nos abunde.* Effunditur autem Sipritus sicut aqua, scilicet mundificans, refrigerans, reficiens, et rigans. Mundificans a sorde, Ezech. XXXII, 25 : *Effundam super vos aquam mundam, et mundabimini ab omnibus inquinamentis vestris.* Refrigerans a concupiscentia, Daniel. XIII, 15 : *Susanna voluit lavari in pomario : æstus quippe erat.* Voluit ergo lavari, hoc est, refrigerari ab æstu. Reficiens verbo Dei et sacramento altaris, Psal. XXII, 2 : *Super aquam refectionis educavit me,* rigans interiori consolatione. Eccli. XXIV, 41 et 42 : *Ego quasi fluvius dioryx, et sicut aquæductus exivi de paradiso. Dixi : Rigabo hortum meum plantationum, et inebriabo prati mei fructum.* Dioryx *medicamentum generationis* interpretatur, aquæductus vero abundantiam fluxus significat. Isa. LXVI, 12 : *Ecce ego declinabo super eam quasi fluvium pacis.* Joan. VII, 38 et 39 : *Flumina de ventre ejus fluent aquæ vivæ. Hoc autem dixit de Spiritu quem accepturi erant credente sineum.* Eccli. XXIV, 40 : *Ego sapientia effudi flumina.* Et attende quod cum impetu fluit Spiritus, quem impellit interior Spiritus. Isa. LIX, 19 : *Timebunt qui ab occidente, nomen Domini : et qui ab ortu solis, gloriam ejus : cum venerit quasi fluvius violentus, quem spiritus Domini cogit.* Pietate enim charitatis violenter compellitur ad nos. Effusio autem notat in exterioribus manifestationem, ut scilicet non tantum in occulto Angelorum contineatur. Prov. V, 16 : *Deriventur fontes tui foras, et in plateis aquas tuas divide.*

Spiritus fluit cum impetu.

« *Spiritum,* » qui principium vitæ est, et principium illuminationis, et principium operis ; et sic operatur vitam in gratia, illuminationem in revelatione, et virtutem in opere. De primo, Joan. VI, 64 : *Spiritus est, qui vivificat.* De secundo, II ad Corinth. IV, 6 : *Deus, qui dixit de tenebris lumen splendescere, ipse illuxit in cordibus nostris.* Propter hoc dicitur *Spiritus veritatis.* Joan. XVI, 13 : *Cum venerit ille Spiritus veritatis, docebit vos omnem veritatem.* De principio operis, quod est virtus, Luc. XXIV, 49 : *Sedete in civitate, quoadusque induamini virtute ex alto.* I ad Corinth. XII, 11 : *Hæc omnia operatur unus atque idem Spiritus.* Et attende, quod non dicit, *de Spiritu,* quia quod ex parte est, imperfectum est [1]. Tria sunt autem in quibus Spiritus datur perfecte, scilicet ad sanctificatoris inhabitationem, ad sanctitatis demonstrationem, et ad sanctitatis perfectionem. Primum facit Spiritus per seipsum, secundum per gratiam gratum facientem tertium per gratiam gratis datam. De primo dicitur, IV Reg. II, 15 : *Requievit spiritus Eliæ super Eliseum.* Isa. XI, 2 : *Requiescet super eum spiritus Domini.* I ad Corinth. III, 16 : *Nescitis quia templum Dei estis, et Spiritus Dei habitat in*

Spiritus datur perfecte ad tria.

[1] II ad Corinth. XIII, 10 : *Cum venerit quod perfectum est, evacuabitur quod ex parte est.*

vobis [1]. De secundo, Act. II, 4 : *Repleti sunt omnes Spiritu sancto.* Act. X, 45 : *In nationes gratia Spiritus sancti effusa est.* De tertio, II Mach. III, 24 : *Spiritus omnipotentis Dei magnam fecit suæ ostensionis evidentiam.* I ad Corinth. XII, 7 : *Unicuique datur manifestatio Spiritus ad utilitatem.* Manifestatur enim Spiritus in gratiis gratis datis, quæ sunt sermo sapientiæ, sermo scientiæ, operatio miraculorum, et alia quæ in duodenario numero enumerat Apostolus [2]. Hæc tria significantur per tria quæ dedit Elias Eliseo[3], duplicem scilicet Spiritum et pallium. Duplex enim Spiritus est ad inhabitandum et gratum faciendum, pallium autem operimentum est gratiæ gratis datæ. Cui ad hæc tria datur Spiritus, sicut Ecclesiæ, datur Spiritus non partitus : cui autem ad ultimum, tantum portio Spiritus datur. Unde his qui ad prophetiam acceperunt Spiritum (quæ est gratia gratis data) dicitur Numer. XII, 17 : *Auferam de spiritu tuo, tradamque eis*, scilicet septraginta viris. Sanctis autem Novi Testamenti non partitus datur Spiritus. Joan. XX, 22 : *Insufflavit, et dixit eis : Accipite Spiritum sanctum*, et non de Spiritu sancto.

Spiritus sanctus datur sanctis Novi Testamenti non partitus.

« *Meum,* » divinum scilicet, qui vos ad me convertet, et reducet. Ad hoc enim missus replet nos Spiritus (ut dicit Dionysius) ut convertat nos ad congregantis Patris unitatem qui dedit Spiritum. Eccle. XII, 7 : *spiritus redeat ad Deum, qui dedit illum.* Isa. LXIII, 14 : *Spiritus Domini ductor ejus fuit.* Eccle. I, 6 : *Lustrans universa in circuitu pergit spiritus, et in circulos suos revertitur.* Job, XXXIV, 14 : *Si direxerit ad Deum cor suum, Spiritum illius et flatum ad se trahet.* « *Super omnem carnem.* » *Caro* secundum Philosophum sola susceptibilis est spiritus ad manifestam vitam. Plantæ enim vivunt vita occulta, unde caro hic per synecdochen ponitur pro homine, in quo homine omni modo manifestatur spiritus. Glossa inducit illud Isa. XL, 5 : *Videbit omnis caro pariter quod os Domini locutum est.* Et significat, quod sine distinctione personarum, Judæi et Græci, omni carni datur Spiritus. Act. X, 44 : *Cecidit Spiritus super omnes qui audiebant verbum.* Unde tunc dixit Petrus, ibidem, ℣. 34 et 35 : *In veritate comperi, quia non est personarum acceptor Deus : sed in omni gente, qui timet Deum et operatur justitiam, acceptus est illi.* Sap. I, 7 : *Spiritus Domini replevit orbem terrarum, et hoc, quod continet omnia*, hoc est, cœlum. Act. II, 4 : *Repleti sunt omnes Spiritu sancto.* Psal. XVIII, 7 : *Nec est qui se abscondat a calore ejus.*

Et subddit distributionem quantum ad omnes diversitates hominum.

Propheti.

« *Et prophetabunt filii vestri, et filiæ vestræ* » Prophetia est (ut dicunt Augustinus et Hieronymus) doctrina de divinis, quæ non nisi Spiritu Dei cognosci possunt. Eccli. XXIV, 46 : *Doctrinam quasi prophetiam effundam, et relinquam illam quærentibus sapientiam.* Sap. VII, 27 : *Per nationes in animas sanctas se transfert, amicos Dei et prophetas constituit.* I ad Corinth. XIV, 31 : *Potestis omnes per singulos prophetare : ut omnes discant, et omnes exhortentur. Filii et filiæ* discernunt sexum, et sicut in Veteri Testamento prophetaverunt filiæ Debora [4], Holda prophetissa[5], Judith, Esther, et aliæ : ita in Novo Testamento prophetaverunt filiæ, Beata Virgo, Elisabeth, Anna prophetissa, et sicut dicitur Act. XXI, 9, filiæ Philippi, quæ in Antiochia prophetaverunt. In Veteri autem

[1] I ad Corinth, VI, 19 : *An nescitis quoniam membra vestra templum sunt Spiritus sancti, qui in vobis est ?*

[2] I ad Corinth. XII, 8 et seq.

[3] IV Reg. II, 9, et seq.

[4] Cf. Judic. IV et V.

[5] Cf. IV Reg. XXIII, 14 et seq.

Testamento prophetaverunt filii, totus cuneus Prophetarum : et in Novo cœtus Apostolorum, et Agabus [1]. Et si objiciatur illud Matth. xi, 13 : *Omnes enim prophetæ, et lex usque ad Joannem,* Dicendum, quod prophetia stetit in Joanne quantum ad novæ gratiæ prædictionem, sed quantum ad doctrinam Spiritus numquam stabit. Eccli. xxiv, 46 : *Non desinam in progenies illorum usque in ævum sanctum.* Filii tamen perfectiorem nativitatem in filiis Dei significant. Joan. i, 12 : *Dedit eis potestatem filios Dei fieri.* Filiæ autem imperfectionem et tamen fœcundam. Isa. lx, 4 : *Filii tui de longe venient, et filiæ tuæ de latere surgent.*

Et subdit aliam differentiam, ætatis scilicet :

« *Senes vestri somnia somniabunt.* » Senes dicuntur canitie mentis plusquam ætatis, de quibus dicitur, Job, xii, 12 : *In antiquis est sapientia, et in multo tempore prudentia.* Hi somnia somniabant, non secundum quod somnium est passio dormientis, sed secundum quod somnium est oculorum et sensum clausio ad exteriora, ut interius percipiatur revelans Sipritus. Cant. v, 2 : *Ego dormio,et cor meum vigilat.* Psal. iv, 9 : *In pace in idipsum dormiam, et requiescam.* Revelatio autem *somnium* dicitur, quia sicut somnium aliquando visio intellectualis, et aliquando ostensio imaginum corporalium dicitur : ita Spiritus revelat se quandoque in intellectuali, aliquando in imaginaria visione. Et sic duobus modis etiam docentur divina : Aliquando enim traduntur explicite, Joan. xvi, 29 : *Ecce nunc palam loqueris, et proverbium nullum dicis.* Aliquando per figuras, sicut in parabolis, Matth. xiii, 35 : *Aperiam in parabolis os meum, eructabo abscondita a constitutione mundi.* Sic somniavit Jacob scalam se videre, cujus cacumen cœlos tangebat [2]. Sic somniavit Daniel in porta Ulai [3]. Hujusmodi enim senes in tali somnio nihil somniant, nisi Deum, ut dicit Chrysostomus.

« *Et juvenes vestri,* » qui adhuc scilicet non habent perfectum sensum et intellectum, « *visiones videbunt* : » visiones visas a senioribus, videbunt per intellectum sibi expositas. Isa. xxxii, 3 et 4 : *Non caligabunt oculi videntium, et aures audientium diligenter auscultabunt. Et cor stultorum intelliget scientiam, et lingua balborum velociter loquetur et plane.* Hæc (ut dicit Hieronymus) expositio litteralis est. Quidam tamen dicunt, quod juvenes visiones videbunt, quia etiam juvenes Spiritu Dei illuminabuntur. Daniel. xiii, 45 : *Suscitavit Dominus spiritum sanctum pueri junioris.* Et Jerem. i, 6 : *Ecce nescio loqui, quia puer ego sum.* Secundum primam expositionem tangitur ordinatio Ecclesiæ, qua juvenes pacifice audiunt senes. Prov. i, 4 : *Ut detur parvulis astutia, adolescenti scientia, et intellectus.* Et tollitur confusio prioris populi, de qua Isa. iii, 5 : *Tumultuabitur puer contra senem, et ignobilis contra nobilem.* Osee, iv, 4 : *Populus tuus sicut hi, qui contradicunt sacerdoti.* Quare, Job, xvi, 9 : *Suscitatur falsiloquus adversus faciem meam, contradicens mihi ?*

Juvenes pacifice audiant senes.

« *Sed et super servos meos.* » Servi 29
sunt humiles, præcepta Dei custodientes. Psal. cxv, 16 : *O Domine, quia ego servus tuus.* « *Et ancillas,* » quæ significant animas infirmas et humiles in obsequiis Dei circumferentes se et in alio servire nescientes, nisi quod in humilitate serviant Domino. Luc. i, 38 : *Ecce ancilla Domini, fiat mihi secundum verbum tuum.* I Reg. xxv, 41 : *Ecce famula tua sit in ancillam, ut lavet pedes servorum domini mei.* Et super tales effundit Dominus Spiritum suum. « *In*

[1] Cf. Act. xi, 28.

[2] Cf. Genes. xxviii, 12 et seq.

[3] Cf. Daniel. viii, 2 et seq.

diebus illis, » lucentis scilicet gratiæ, « *effundam spiritum meum.* » Jacob. IV, 6 : *Deus superbis resistit, humilibus autem dat gratiam.*

30 Et subdit de signis talis distributionis Spiritus :

« *Et dabo prodigia in cœlo.* » In cœlo dedit prodigia in Novo Testamento. Luc. XXII, 45 : *Obscuratus est sol.* Isa. XIII, 10 : *Obtenebratus est sol in ortu suo, et luna non splendebit in lumine suo.* Ista enim sunt prodigia in cœlo. « *Et in terra* » dabo prodigia, quæ quidem facta sunt in Veteri Testamento, quando Elias mortuum suscitavit[1], et Eliseus alium[2]. « *Sanguinem, et ignem, et vaporem fumi.* » In Veteri Testamento sanguinem in holocaustis et victimis pacificis, et sanguine vitulæ rufæ : ignem autem in incendio sacrificiorum : vaporem fumi in odoramento thymiamatis : in Novo autem Testamento sanguinem qui fluxit de latere Salvatoris[3], ignem, quo Spiritus sanctus insedit super Apostolos[4], vaporem fumi, qui est in devotione cordium fumantium in oratione : de quo III Reg. XVIII, 39 : *Dominus,* qui exaudit per ignem, *ipse est Deus.* II Machab. I, 22 : *Tempus affuit, quo sol refulsit, qui prius erat in nubilo, accensus est ignis magnus, ita ut omnes mirarentur.* Act. II, 3 : *Apparuerunt Apostolis dispertitæ linguæ tamquam ignis, seditque super singulos eorum,* Spiritus sanctus scilicet. Luc. XII, 49 : *Ignem veni mittere in terram, et quid volo nisi ut accendatur ?* De tertio, Cant. III, 6 : *Quæ est ista, quæ ascendit per desertum, sicut virgula fumi ex aromatibus myrrhæ, et thuris ?*

Qualiter autem hoc fiat, subdit : 31

« *Sol convertetur in tenebras,* » quod in Veteri Testamento non legitur esse factum, sed in Novo Testamento. Luc. XXIII, 44 : *Tenebræ factæ sunt in universam terram :* cum scilicet Christus sol justitiæ exanimis et exsanguis pependit in cruce. Apoc. VI, 12 : *Sol factus est niger tamquam saccus cilicinus : et luna tota facta est sicut sanguis.* « *Et luna in sanguinem.* » Luna, qui mutuat lumen a sole, Ecclesiam signat sanguine Christi rubricatam ; sol enim vestit lunam lumine suo, et quando lumen solis sanguineum est, necesse est lunam sanguineam esse, ita et advenit Christo (qui sol est justitiæ) in passione rubricato. Isa. LXIII, 2 : *Quare ergo rubrum est indumentum tuum ?* Ecclesia etiam rubricata est ut sanguis, quæ et usque hodie tota clamat pro sanguine Christi innocenter effuso. Job, XVI, 19 : *Terra, ne operias sanguinem meum, neque inveniat in te locum latendi clamor meus.* Apoc. VI, 10 : *Usquequo non vindicas sanguinem nostrum de iis, qui habitant in terra ?* Psal. LXXVIII, 10 : *Innotescat... ultio sanguinis servorum tuorum, qui effusus est.* « *Antequam veniat dies Domini,* » judicii scilicet. Isa. LXIII, 4 : *Dies ultionis in corde meo.* « *Magnus,* » potestate scilicet, quia miram tunc magnitudinem potentiæ Deus in condemnatione impiorum, et in remuneratione justorum ostendet. Sophoniæ, I, 15 : *Dies iræ, dies illa,* etc. Idem dicitur, Amos, V, 18[5]. « *Et horribilis,* » peccatoribus scilicet. Sap. VI, 6 : *Horrende et cito apparebit vobis.* Ad Hebr. X, 31 : *Horrendum est incidere in manus Dei viventis.*

Luna Ecclesia significat.

« *Et erit* » certitudo est prophetiæ. 32
Matth. XXIV, 35 : *Cœlum, et terra transibunt, verba autem mea non præter-*

[1] Cf. III Reg. XVII, 21 et 22.
[2] Cf. IV Reg. IV, 32 et seq.
[3] Cf. Joan. XIX, 34.
[4] Cf. Act. II, 4.
[5] Amos, V, 18 : *Dies Domini ista, tenebræ, et non lux.*

ibunt. « *Omnis qui invocaverit,* » hoc est, in se vocaverit, ut experimentum in se accipiat. Jonæ, II, 3 : *Clamavi de tribulatione mea ad Dominum, et exaudivit me.* Psal. IV, 2 : *Cum invocarem, exaudivit me Deus justitiæ meæ.* « *Nomen Domini,* » hoc est, notam divinitatis ejus per effectum. Jerem. XIV, 9 : *Tu autem in nobis es, Domine, et nomen sanctum tuum invocatum est super nos, ne derelinquas nos.* « *Salvus erit,* » a periculo scilicet diei illius. Habac. III, 18 : *Exsultabo in Deo Jesu meo,* id est, Salvatore meo.

Et subjungit rationem :

« *Quia in monte Sion,* » in eminentia speculativæ vitæ, « *et in Jerusalem,* » in pace activæ vitæ, « *erit salvatio.* » Isa. XLVI, 13 : *Dabo in Sion salutem, et in Israel gloriam meam.* Psal. LXXV, 3 : *Factus est in pace locus ejus : et habitatio ejus in Sion.* « *Sicut dixit Dominus,* » qui mentiri non potest. Ad Tit. I, 2 : *Quam promisit qui non mentitur, Deus.* « *Et in residuis,* » qui scilicet reducti sunt per pœnitentiam, et supersunt gladio diaboli vel hostis. « *Quos Dominus vocaverit,* » vel adduxerit, ita scilicet quod revocaverit eos a gladio hostis. Isa. IV, 3 : *Omnis qui relictus fuerit in Sion, et residuus in Jerusalem, sanctus vocabitur.*

CAPUT III.

Minatur Dominus afflictionem magnam gentibus, quæ populum suum afflixerunt, seque omnes in valle Josaphat judicaturum : fons de domo Domini egredietur, et Judæa in æternum inhabitabitur, sanguine ipsius emundato.

1. Quia ecce in diebus illis, et in tempore illo, cum convertero captivitatem Juda et Jerusalem,
2. Congregabo omnes gentes, et deducam eas in vallem Josaphat : et disceptabo cum eis ibi super populo meo, et hæreditate mea Israel, quos disperserunt in nationibus, et terram meam diviserunt.
3. Et super populum meum miserunt sortem : et posuerunt puerum in prostibulo, et puellam vendiderunt pro vino ut biberent.
4. Verum quid mihi et vobis, Tyrus et Sidon, et omnis terminus Palæstinorum ? numquid ultionem vos reddetis mihi ? et si ulciscimini vos contra me, cito velociter reddam vicissitudinem vobis super caput vestrum.
5. Argentum enim meum et aurum tulistis : et desiderabilia mea et pulcherrima intulistis in delubra vestra.
6. Et filios Juda et filios Jerusalem vendidistis filiis Græcorum, ut longe faceretis eos de finibus suis.
7. Ecce ego suscitabo eos de loco in quo vendidistis eos, et convertam retributionem vestram in caput vestrum.
8. Et vendam filios vestros et filias vestras in manibus filiorum Juda, et venumdabunt eos Sabæis, genti longinquæ, quia Dominus locutus est.
9. Clamate hoc in gentibus, sanctificate bellum, suscitate robustos : accedant, ascendant omnes viri bellatores.

10. Concidite aratra vestra in gladios, et ligones vestros in lanceas. Infirmus dicat : Quia fortis ego sum.
11. Erumpite, et venite, omnes gentes de circuitu, et congregamini : ibi occumbere faciet Dominus robustos tuos.
12. Consurgant, et ascendant gentes in vallem Josaphat : quia ibi sedebo ut judicem omnes gentes in circuitu.
13. Mittite falces, quoniam maturavit messis [1] : venite, et descendite, quia plenum est torcular, exuberant torcularia, quia multiplicata est malitia eorum.
14. Populi, populi, in valle concisionis, quia juxta est dies Domini in valle concisionis.
15. Sol et luna obtenebrati sunt, et stellæ retraxerunt splendorem sum [2].
16. Et Dominus de Sion rugiet, et de Jerusalem dabit vocem suam [3], et movebuntur cœli, et terra : et Dominus spes populi sui, et fortitudo filiorum Israel.
17. Et scietis quia ego Dominus Deus vester, habitans in Sion monte sancto meo : et erit Jerusalem sancta, et alieni non transibunt per eam amplius.
18. Et erit in die illa : Stillabunt montes dulcedinem, et colles fluent lacte [4], et per omnes rivos Juda ibunt aquæ : et fons de domo Domini egredietur, et irrigabit torrentem spinarum.
19. Ægyptus in desolationem erit, et Idumæa in desertum perditionis, pro eo quod inique egerint in filios Juda, et effuderint sanguinem innocentem in terra sua.
20. Et Judæa in æternum habitabitur, et Jerusalem in generationem et generationem.
21. Et mundabo sanguinem eorum, quem non mundaveram : et Dominus commorabitur in Sion.

IN CAPUT III JOEL

ENARRATIO.

« *Quia ecce in diebus illis.* » Tangit hic de judicio et retributione meritorum, et habet partes duas. Primo enim dicit de retributione malorum, et postea de retributione bonorum, ibi, ỹ. 17 in medio : « *Et erit Jerusalem sancta.* »

Prima in duas dividitur. Primo ostendit qualiter ad judicium congregabuntur : secundo, qualiter condemnatio eorum perficietur, ibi ỹ. 9 : « *Clamate hoc in gentibus.* »

Adhuc in prima duo sunt, scilicet judicium generaliter contra omnes, et specialiter contra finitimos, ibi, ỹ. 4 : « *Verum quid mihi et vobis.* »

In primo quatuor sunt. Dicit enim primo redemptionem Sanctorum, secundo congregationem malorum, tertio disceptationem judicis contra peccata eorum, quarto propalat turpitudines eorum.

« *Quia ecce :* » jam enim demonstrabile est in mea ordinatione. Simile, Jerem. XXIII, 15 : *Ecce dies veniunt.* « *In diebus illis.* » *Dies* dicuntur (sicut sæpe dictum est) propter justitiæ splendorem quæ tunc splendebit. Matth. XIII, 43 : *Tunc*

[1] Apoc. XIV, 15.
[2] Supra, II, 10 et 31.
[3] Jerem. XXV, 30 ; Amos, I, 2.
[4] Amos, IX, 13.

justi fulgebunt sicut sol in regno Patris eorum. « *Et in tempore illo,* » quod ad retributionem pertinet. Psal. LXXIV, 3 : *Cum accepero tempus, ego justitias judicabo.* Act. XVIII, 31 : *Statuit diem, in quo judicaturus est orbem in æquitate.* « *Cum convertero captivitatem Juda.* » Formale pro materiali ponitur, hoc est, captivos. Et *Judam* dicit, propter regnum, « *et Jerusalem,* » propter populum. Convertitur autem captivitas per reditum ad patriam, quia ille est debitus ordo : avertitur autem per pulsionem in exsilium. Juda autem *confitens Deum,* Jerusalem *visio pacis* interpretatur. Confitens Deum fide, et videns in pace et tranquillitate conscientiæ, servientes Deo significant, quorum captivitas convertitur, quando a diabolo et ab oppressione malorum liberantur. Psal. CXXV, 1 : *In convertendo Dominus captivitatem Sion : facti sumus sicut consolati.* Jerem. XXX, 3 : *Convertam conversionem populi mei Israel et Juda, ait Dominus : et convertam eos ad terram, quam dedi patribus eorum : et possidebunt eam.*

2 Et subjungit de congregatione peccatorum ad judicium :

« *Congregabo,* » corporali scilicet congregatione, non in unum cor et in unam animam, « *omnes gentes,* » gentiliter viventes scilicet. Matth. XXV, 31 et 32 : *Sedebit super sedem majestatis suæ : et congregabuntur ante eum omnes gentes.* Isa. XXIV, 22 : *Congregabuntur in congregatione unius fascis in lacum, et claudentur in carcere.* « *Et deducam eas,* » id est, de statu pristino divitiarum, deliciarum, et honorum deponam. Job, XL, 6 : *Disperge superbos in furore tuo, et respiciens omnem arrogantem humilia.* « *In vallem Josaphat,* » quod *judicium Domini* interpretatur : vallis autem depressionem signat, qua etiam coacti humiliabuntur sub judicio Domini. Isa. II, 11 : *A facie Domini, et a gloria majestatis ejus. Oculi sublimes hominis humiliati sunt, et incurvabitur altitudo virorum.*

Et disceptabo cum eis ibi. » Septuaginta : « Et judicabo eos. » Disceptatio autem ista quantum ad omissionem describitur, Matth. XXV, 42 : *Esurivi enim, et non dedistis mihi manducare,* etc. Quantum autem ad injuriam illatam proximo, describitur, Isa. III, 13 : *Stat ad judicandum Dominus, et stat ad judicandos populos.* Et ibidem, ℣. 14 : *Vos depasti estis vineam meam, et rapina pauperis in domo vestra.* « *Super populo meo,* » oppresso scilicet et spoliato, vel malo exemplo et mala doctrina subverso. Isa. III, 12 : *Populum meum exactores sui spoliaverunt.* Isa. LII, 5 : *Ablatus est populus meos gratis.* « *Et hæreditate mea Israel.* » Israel *rectissimus* vel *videns Deum* interpretatur, et Sanctorum congregationem significat qui adhærent Deo. Isa. XIX, 25 : *Hæreditas mea Israel.* Psal. XV, 6 : *Hæreditas mea præclara est mihi.* « *Quos,* » populum scilicet et hæreditatem, « *disperserunt,* » hoc est, malo exemplo et tyrannide dispergi fecerunt, « *in nationibus,* » hoc est, ad ritus nationum. Psal. CV, 35 et 36 : *Commisti sunt inter gentes, et didicerunt opera eorum : et servierunt sculptilibus eorum.* « *Et terram meam* » a sanctis scilicet possessam, « *diviserunt,* » supple, inter se. Exod. XV, 9 : *Dixit inimicus : Persequar et comprehendam, dividam spolia, implebitur anima mea.*

Judicium extremum in valle Josaphat peragetur.

« *Et super populum meum,* » captivum, « *miserunt sortem* : » quis scilicet quem captivum haberet in servum et ancillam. Prov. I, 14 : *Sortem mitte nobiscum, marsupium unum sit omnium nostrum.* Sic videmus quod quasi sortiuntur dæmones de hominibus, quis quem ad fornicationem vel avaritiam vel ad superbiam possideat, quod signatur, Joan. XIX, 23 et 24, milites diviserunt sibi vestimenta Jesu, sortem mittentes, 3

quis quid tolleret [1]. Psal. xxi, 19 : *Diviserunt sibi vestimenta mea, et super vestem meam miserunt sortem.* Hoc Judæi referunt ad Gog et Magog et alios inimicos eorum, quos dicunt congregandos esse in vallem Josaphat, quæ juxta Jerusalem est, et ibi a Domino judicandos. Nostri autem quidam dicunt, in ultimo judicio, Dominum in aere contra vallem Josaphat cum Sanctis sessurum, et peccatores in terra versus vallem Josaphat congregandos, ut terræ scilicet adhæreant quam dilexerunt, et sic peccatores in depressione esse quadam respectu Sanctorum quæ vallis vocatur. I ad Thess. iv, 17 : *Nos, qui vivimus, qui relinquimur, simul rapiemur cum illis,* sanctis scilicet qui dormierunt, *in nubibus, obviam Christo in aera, et sic semper cum Domino erimus.* Et dicunt quod ibi erit disceptatio et forma judicii in quatuor ordinibus, scilicet judicantium et judicandorum.

Et objicit turpitudinem :

« *Et posuerunt puerum,* » masculum scilicet captivum, « *in prostibulo,* » lupanari epheborum, de ignominioso concubitu quæstum facientes. II Machab. iv, 9 et seq. : Jason... *promittebat centum quinquaginta argenti talenta, si potestati ejus concederetur gymnasium et ephebiam sibi constituere... Etenim ausus est sub ipsa arce gymnasium constituere, et optimos quosque epheborum in lupanaribus ponere.* Ad Rom. i, 27 : *Exarserunt in desideriis suis in invicem, masculi in masculos turpitudinem operantes.* « *Et puellam vendiderunt,* » prostituendo scilicet, « *pro vino ut biberent,* » hoc est, pretio scorti vinum emerent quo se inebriarent, Isa. l, 1 : *Ecce in iniquitatibus vestris venditi estis.* Terribile verbum dicit Hieronymus : « Hic « Prælatus puerum in lupanari ponit et « puellam vendit pro vino, qui videt im-

Prælatoris exsecranda dissimulatio lucri causa.

« plicitos luxuria et aliis, et non arguit « turpis lucri gratia. » Isa. v, 23 : *Væ qui justificatis, impium pro muneribus, et justitiam justi aufertis ab eo!* II Petr. ii, 18 : *Superba vanitatis loquentes, pelliciunt in desideriis carnis luxuriæ eos, qui paululum effugiunt.*

Et subdit de judicio contra finitimos : 4

« *Verum quid mihi et vobis,* » hoc est, quid causæ habetis ad me et ad meos, « *Tyrus et Sidon,* » vocativi casus, « *et omnis terminus Palæstinorum,* » hoc est, Philisthinorum ? Istæ enim terræ conjunctæ erant Judæis, et cum omnibus affligentibus eos confœderatæ, semper adjuverunt in malum. Zachar. i, 15 : *Ira magna ego irascor super gentes opulentas : quia ego iratus sum parum, ipsi vero adjuverunt in malum.* Tyrus autem interpretatur *angustia*, et significat superbos et tyrannos proximos angustiantes. Sap. v, 1 : *Stabunt justi in magna constantia adversus eos, qui se angustiaverunt.* Sidon interpretatur *venatio*, et signat avaros qui injustis lucris animas pauperum venantur. Thren. iii, 52 : *Venatione ceperunt me quasi avem.* Palæstini *potione cadentes*, gulosos, et luxuriosos signant, qui rebus pauperum ad suas concupiscentias abutuntur. Sap. ii, 7 : *Vino pretioso, et unguentis optimis nos impleamus.* Amos, vi, 6 : *Bibentes vinum in phialis, et optimo unguento delibuti : et nihil compatiebantur super contritione Joseph.* Hi cum Deo nihil habent commune. II ad Corinth. vi, 15 : *Quæ autem conventio Christi ad Belial ?*

Deus infert vindictam cito et velociter.

« *Numquid ultionem vos reddetis mihi ?* » hoc est, estne aliquid injuriæ quod fecerim, quam ulciscendo semper contra me pugnabitis ? Ad hanc quæstionem respondet Pilatus, Joan. xix, 6 : Ego *non invenio in eo causam.* Mich. vi, 3 :

[1] Joan. xix, 23 et 24 : *Milites... acceperunt vestimenta ejus (et fecerunt quatuor partes : unicuique militi partem) et tunicam... Dixerunt ergo ad invicem : non scindamus eam, sed sortiamur de illa cujus sit,* etc.

Popule meus, quid feci tibi, aut quid molestus fui tibi ? responde mihi. « *Et si ulciscimini vos contra me,* » supple, injuste, sicut facitis : multi enim impugnant Deum. Psal. LV, 2 : *Tota die impugnans tribulavit me.* « *Cito velociter.* » *Cito* dicit, quia breve tempus erit : *velociter*, quia hoc ipsum breve continuo succedit. Isa. V, 26 : *Ecce festinus velociter veniet.* « *Reddam vicissitudinem vobis,* » pœnæ scilicet contra culpam, « *super caput vestrum,* » hoc est, in pœnam capitis, quæ est mors. Isa. III, 11 : *Væ impio in malum ! retributio enim manuum ejus fiet ei.* Deuter. XXXIII, 41 : *Si arripuerit judicium manus mea, reddam ultionem hostibus meis, et his qui oderunt me retribuam.* Psal. XCIII, 2 : *Exaltare qui judicas terram : redde retributionem superbis.* II Reg. I, 16 : *Sanguis tuus super caput tuum : os enim tuum locutum est adversum te.* Habac. III, 13 : *Percussisti caput de domo impii.*

5 Et objicit spolium, subdens :

« *Argentum enim meum, et aurum tulistis,* » scilicet exspoliando populum et templum, « *et desiderabilia mea,* » vasa scilicet concupiscibilia, « *et pulcherrima mea,* » ad ornatum scilicet populi et templi pertinentia, « *intulistis in delubra vestra.* » Thren. I, 10 : *Manum suam misit hostis ad omnia desiderabilia ejus. Delubrum* dicitur a diluendo, templum scilicet in quo fons est de quo diluuntur intrantes. Diis enim suis consecrabant quæ a populo Dei et templo spoliabant. Daniel. V, 23 : *Vasa domus Dei allata sunt coram te : et tu, et optimates tui, et uxores tuæ, et concubinæ tuæ vinum bibistis in eis : deos quoque argenteos,* etc. *qui non vident, neque audiunt, neque sentiunt, laudasti.* Hoc potest dici Prælatis et tyrannis nostris, qui (sicut dicitur Baruch, III, 18[1]) aurum et argentum sibi thesaurizant, in quo confidunt homines, de spolio subditorum et quæque desiderabilia a pauperibus abstrahunt, et Deo ventri vel Veneri sacrificant, vel etiam Jovi in ambitione, sicut miser populus conqueritur, Jerem. LI, 34 : *Absorbuit me quasi draco, replevit ventrem suum teneritudine mea.*

Tyrannis Prælatorum in subjectos damnanda.

« *Et filios Juda,* » confitentes scilicet Christum, « *et filios Jerusalem,* » in pace conscientiæ Deo servientes, simplices scilicet, « *vendidistis filiis Græcorum.* » 6
Cum immineret captivitas, quidam hostes volentes fugere, fugerunt ad finitimos populos, sicut etiam Isa. XVI, 3, dicitur : *Absconde fugientes et vagos ne prodas :* quos illi captivantes Græcis vendiderunt. Et subdit malam intentionem hujus sceleris : « *Ut longe faceretis eos,* » hoc est, removeretis, « *de finibus suis,* » hoc est, de possessionibus patriis, vobis eas usurpantes. Jerem. XLIX, 1 : *Numquid non filii sunt Israel ? aut hæres non est ei ? Cur igitur hæreditate possedit Melchom, Gad,* supple, populum Dei. Melchom *rex eorum* interpretatur, et significat eos qui spoliati populi Dei possessiones sibi usurpant. Græcis autem vendunt filios Juda, qui simplices et spirituales viros sapientiæ sæculari implicant, quæ in negotiationibus est et lucris : Græci enim talem sapientiam quærunt. II Machab. IV, 15 et 16 : *Patrios quidem honores nihil habentes, Græcas glorias optimas arbitrabantur : quarum gratia periculosa eos contentio habebat.* Jacob. III, 15 : *Non est ista sapientia desursum descendens, sed terrena, animalis, diabolica :*

Et subdit de consolatione afflictorum 7
et retributione malorum :

[1] Baruch, III, 16 et seq. : *Ubi sunt principes gentium... qui argentum thesaurizant, et aurum, in quo confidunt homines ?* etc.

« *Ecce ego suscitabo eos.* » Loquitur de captivis tamquam sopitis, ligatos sensus habentibus, sicut dicitur de Petro, Act. XII, 6 et 7 : *Erat Petrus dormiens inter duos milites, vinctus catenis duabus... Et ecce Angelus Domini adstitit,.. percussoque latere Petri, excitavit eum, dicens : Surge velociter.* « *De loco, in quo vendidistis eos,* » captivitatis scilicet vel peccati. Isa. XXVI, 19 : *Expergiscimini, et laudate qui habitatis in pulvere.* Isa. LII, 3 : *Gratis venumdati estis, et sine argento redimemini.* « *Et convertam,* » per pœnam scilicet, « *retributionem vestram,* » hoc est, peccatis vestris dignam, « *in caput vestrum,* » hoc est, supplicium capitis. Apoc. XVIII, 6 : *Reddite illi sicut et ipsa reddidit vobis : et duplicate duplicia secundum opera ejus : in poculo, quo miscuit, miscete illi duplum.*

8 « *Et,* » supple, tunc, « *vendam filios vestros et filias vestras,* » orphanos scilicet a vobis, « *in manibus filiorum Juda,* » hoc est, per manus filiorum Juda qui capient eos. « *Et venumdabunt eos,* » levi scilicet pretio, « *Sabæis,* » quasi diceret illud Satyrici : Ultra Sauromatas. » Sabæa enim regio est ultra Indiam, unde thus et aromata veniunt, quod sequitur : « *Genti longinquæ.* » Unde III Reg. x, 1 et seq., Regina Saba quæ venit audire sapientiam Salomonis, de finibus terræ dicitur venisse[1]. Spiritualiter autem hæc venditio in bono intelligitur, qua scilicet filii peccatorum ad bonam vitam venduntur. Genes. XLVII, 19 : *Eme nos in servitutem regiam.* I ad Cor. VI, 20 : *Empti estis pretio magno.* I Petr. I, 18 et 19 : *Non corruptibilibus auro, vel argento redempti estis a vana vestra conversatione paternæ traditionis : sed pretioso sanguine quasi agni immaculati Christi.* Hi venduntur Sabæis.

Redimitur peccator ad vitam per Christum.

Sabæa enim *clamor* vel *conversio* interpretatur, et regio thuris est : viri enim boni clamant in oratione et laude, quique conversi sunt in ordinem vitæ, thus offerunt in devotione. Isa. LX, 6 : *Omnes de Saba venient, aurum et thus deferentes, et laudem Domino annuntiantes.* Hæc gens longinqua est, a congregatione peccatorum elongata. Prov. XXXI, 10 : *Procul, et de ultimis finibus pretium ejus.* « *Quia Dominus locutus est :* » confirmatio est dictorum. Tob. XIV, 6 : *Non enim excidit verbum Dei.* Ad Tit. I, 2 : *Quam promisit qui non mentitur, Deus.*

« *Clamate.* » Tangit hic qualiter ista perficientur, et duo dicit : primo judicium, secundo judicii terrorem, ibi, « *Sol et luna.* » 9

In prima tria dicit, scilicet, judicandorum congregationem, loci in quo judicabuntur determinationem, et sententiæ promulgationem.

« *Clamate hæc in gentibus.* » Versus, et est quasi titulus sequentium, et injunctio officii Prophetis et Prædicatoribus ut annuntient judicium Domini. Isa. XL, 6 : *Vox dicentis : Clama.* Isa. LII, 8 : *Vox speculatorum tuorum : levaverunt vocem.* Isa. LVIII, 1 : *Clama, ne cesses.* Quid autem clament, subdit : « *Sanctificate bellum.* » *Sanctificare* confortare est, et hoc fit quando congregantur duces et cohortatores ad prœlium magnum Domini contra malos. Sap. V, 21 : *Pugnabit cum illo orbis terrarum contra insensatos.* Zach. XIV, 3 : *Egredietur Dominus, et prœliabitur contra gentes illas, sicut prœliatus est in die certaminis.* Sic enim prœliatus est in Passione vincens mortem et peccatum. Sic prœliabitur in die judicii, vincens dæmones et peccatores. Judic. V, 8 : *Nova bella elegit Dominus.* Isa. XXX,

[1] Matth. XII, 42 : *Regina Austri surget in judicio cum generatione ista, et condemnabit eam : quia venit a finibus terræ audire sapientiam Salomonis,* etc.

32 : *In tympanis et citharis, et in bellis præcipuis expugnabit eos.* Citharæ sunt consonæ voces Sanctorum : tympanum autem resonantia eorum qui pellem mortalitatis hujus jejuniis et abstinentiis arefecerunt. « *Suscitate robustos.* » Robusti sunt robore virtutis divinæ confortati. Isa. xxv, 4 : *Spiritus robustorum quasi turbo impellens parietem.* Propter hoc (Numer. ii, iii et iv) robusta ætas a viginti annis et supra eligitur ad prœlium Domini. Propter hoc etiam in Ecclesia in confirmatione, Spiritus datur ad robur pugilibus fidei. Josue, i, 6 : *Confortare, et esto robustus.* « *Accedant, ascendant omnes,* » de virtute scilicet in virtutem. Isa. xl, 31 : *Qui sperant in Domino, mutabunt fortitudinem.* Psal. lxxxiii, 8 : *Ibunt de virtute in virtutem.* « *Viri bellatores,* » hoc est, viriles ex arte scientes bellum, experientiam scilicet rei militaris habentes, quales sunt Sancti qui semper Deo militaverunt. Job, vii, 1 : *Militia est vita hominis super terram.* Tales viri significantur, II Reg. xvii, 8 : *Tu nosti patrem tuum, et viros, qui cum eo sunt esse robustissimos et amaro animo, veluti si ursa raptis catulis in saltu sæviat : sed et pater tuus vir bellator est.* Isti sunt (sicut dicit Beatus Gregorius) viri bellatores, de quibus dicitur, Job, iii, 8 : *Maledicant ei qui maledicunt diei, qui parati sunt suscitare Leviathan.*

10 Et subdit de instructione armorum ad bellum :

« *Concidite aratra vestra.* » Glossa : « Perfecti omne studium quo animas « suas excolebant ad pugnandum pro « aliis præparent. » Secundum hoc, *aratrum* est studium verbi Dei, per quod cor excolitur : illud conciditur quando ad impugnandos peccatores aptatur. Et hoc est quod sequitur : « *In gladios.* » Ad Ephes. vi, 17 : *Et gladium spiritus (quod est verbum Dei).* II Mach. xv, 16 : *Accipe sanctum gladium munus a Deo, in quo dejicies adversarios populi mei Israel.* Psal. xliv, 4 : *Accingere gladio tuo super femur tuum, potentissime.* « *Et ligones vestros in lanceas,* » supple, aptate. *Ligones* rastra sunt quibus vineæ fodiuntur. *Lanceæ* autem armatura feriendi longe et pugnandi, unde ligones sententias comminatorias significant quæ corda terrena confodiunt per timorem, quæ tunc in lanceas aptantur, quando de ultimo judicio, quod longe est, peccatores expugnant, et corda eorum compungunt per timorem. Job, xvi, 14 : *Circumdedit me lanceis suis, convulneravit lumbos meos.* Sap. v, 21 : *Acuet diram iram in lanceam.* Dira enim ira est, quæ in die judicii ostendetur. II Machab. xi, 8 : *Cumque pariter prompto animo Jerosolymis procederent,* ad bellandum scilicet, *apparuit præcedens eos eques in veste candida, armis aureis hastam vibrans.*

Studium verbi Dei aratrum est cordis.

Et subdit de confortatione omnium Sanctorum ad bellum illud :

« *Infirmus dicat : Quia fortis ego sum,* » id est, ad bellandum convalescat : et infirmus (ut dicit Glossa) est humilis, mitis, et pauper. II ad Corinth. xii, 10 : *Cum enim infirmor, tunc potens sum.* Esther, xi, 11 : *Lux et sol ortus est, et humiles exaltati sunt, et devoraverunt inclytos.*

Et subjungit de vocatione mortuorum ad bellum : **11**

« *Erumpite,* » de sepulcris scilicet, divina virtute resurgentes. Ezech. xxxvii, 12 : *Ecce ego aperiam tumulos vestros, et educam vos de sepulcris vestris, populus meus.* Judas autem in epistola, ỳỳ. 14 et 15 : *Prophetavit autem et de his septimus ab Adam Enoch, dicens : Ecce venit Dominus in Sanctis millibus suis :* scilicet, *facere judicium contra omnes, et arguere omnes impios de omnibus operibus impietatis eorum, quibus impie egerunt, et de omnibus duris, quæ locuti sunt contra Deum peccatores impii.*

Et hoc est quod sequitur :

« *Et venite, omnes gentes de circuitu,* » ad judicium scilicet, et bene dicit, *Gentes,* quia super corruptam generationem nihil habuerunt de lege ordinante vitam, vel de virtute ordinante passiones et opera. Et dicit, *de circuitu,* quia numquam recta via ambulaverunt. Psal. XI, 9 : *In circuitu impii ambulant.* Job, I, 7 et II, 2 : *Circuivi terram, et perambulavi eam.* « *Et congregamini,* » sicut condemnandi congregantur ut simul intereant. Isa. XXIV, 22 : *Congregabuntur in congregatione unius fascis.* « *Ibi,* » hoc est, in illo judicio, « *occumbere faciet Dominus,* » per mortem scilicet æternam, « *robustos tuos,* » peccatores scilicet. Amos. II, 14 : *Fortis non obtinebit virtutem suam, et robustus non salvabit animam suam.*

12 Et determinat locum quo congregentur, subdens :

« *Consurgant,* » hoc est, simul surgant boni scilicet. I ad Corinth. XV, 51 : *Canet enim tuba, et mortui resurgent incorrupti : et nos immutabimur.* « *Et ascendant gentes,* » mali scilicet : superbi enim corde semper ascendunt, et ascensio illa est ut profundius cadant. « *In vallem Josaphat,* » hoc est, in judicii divini depressionem. Ibi enim judicio divino in vallem voraginis æternæ deprimentur. Psal. LXXII, 18 : *Dejecisti eos dum allevarentur.*

Et subjungit dispositionem judicis : « *Quia ibi sedebo,* » tranquillus scilicet, et justus, « *ut judicem omnes gentes in circuitu.* » Isa. XVI, 5 : *Sedebit super solium in veritate, in tabernaculo David, judicans et quærens judicium, et velociter reddens quod justum est.*

13 Et subdit de sententiæ promulgatione et loquitur ad Sanctos qui secum judicabunt :

« *Mittite falces,* » extremas scilicet sententias præcisionis, « *quoniam maturavit messis,* » antiqua grammatica. Dicitur autem *matura messis,* quando iniquitas germinavit, et increvit ita ut ulterius sustineri non potuerit. Ezech. VII, 10 et 11 : *Floruit virga, germinavit superbia : iniquitas surrexit in virga impietatis.* Apoc. XIV, 15 : *Mitte falcem tuam, et mete, quia venit hora ut metatur.* Ad quod faciendum adhuc ulterius invitat sanctos, subdens : « *Venite,* » o sancti, scilicet consensu animi. Psal. LVII, 11 : *Lætabitur justus cum viderit vindictam.* « *Et descendite,* » peccatorum scilicet consideratione et discussione quid meruerint. Genes. XVIII, 21 : *Descendam, et videbo utrum clamorem qui venit ad me, opere compleverint.* « *Quia plenum est torcular,* » quo impii scilicet premi et calcari debent : non enim amplius locum habebit iniquitas. Apoc. XIX, 19 : *Misit Angelus falcem suam acutam in terram, et vindemiavit vineam terræ, et misit in lacum iræ Dei magnum.* « *Exuberant torcularia.* » Exuberare enim torcularia, est exuberare peccata, ut necesse sit quod per sententiam comprimantur. Jerem. VI, 9 : *Converte manum tuam, quasi vindemiator ad cartallum. Cartallum* est calathus sive vas, in quo reponuntur uvæ præcisæ, et signat infernum, in quo præcisi reponentur. Isa. LXIII, 3 : *Torcular calcavi solus, et de gentibus non est vir mecum : calcavi eos in furore meo, et conculcavi eos in ira mea.* Et hunc intellectum innuit, cum subdit : « *Quia multiplicata est malitia eorum,* » hoc est, in tantum increvit, quod præcisione opus sit. Genes. VI, 5 et 6 : *Videns autem Deus quod multa malitia hominum esset in terra, et cuncta cogitatio cordis intenta esset ad malum omni tempore, pœnituit eum quod hominem fecisset.*

Sancti simul cum Deo impios judicabunt.

Et propter hoc citatione peremptoria, 14
subdit :

« *Populi, populi,* » hoc est, o populi,

populi : et propter geminationem *populi* notat diversitatem judicandorum. « *In valle concisionis* » congregamini, ubi concidemini gladiis sententiarum, et concidetis in infernum : « *quia juxta est dies Domini,* » vindictæ scilicet, « *in valle concisionis :* » omne enim tempus respectu æternitatis parvum est. Ezech. VII, 3 : *Nunc finis super te, et immittam furorem meum in te : et judicabo te juxta vias tuas.*

15 Et subdit de judicii terrore :

« *Sol et luna obtenebrati sunt.* » Solem vocat splendorem sæculi in dignitatibus, divitiis, et deliciis sæculi ; lunam vero splendorem fortunæ. Job, XXXI, 26 et 27 : *Si vidi solem cum fulgeret, et lunam incedentem clare : et lætatum est in abscondito cor meum.* Quasi diceret, Male mihi accidat. Isa. XIII, 10 : *Stellæ cœli, et splendor earum non expandent lumen suum : obtenebratus est sol in ortu suo, et luna non splendebit in lumine suo.* Non enim volunt videre luminaria cœli iniquitates impiorum : « *et stellæ retraxerunt splendorem suum,* » quia etiam inferiores dignitates deficient. Apoc. VI, 13 : *Stellæ de cœlo ceciderunt super terram.* Splendor enim nullus erit, nisi splendor Dei.

16 Et subdit terrorem ex parte sententiæ divinæ :

« *Et Dominus de Sion rugiet.* » *De* præpositio notat causam, hoc est, pro Sion, quia pro injuria fidelibus facta rugiet in speculatione constitutus. Amos, III, 8 : *Leo rugiet, quis non timebit ?* Prov. XX, 2 : *Sicut rugitus leonis, ita et terror regis : qui provocat eum, peccat in animam suam.* « *Et de Jerusalem dabit vocem suam,* » hoc est, pro Jerusalem, simplicibus scilicet qui in pace Deo serviunt, qui a tyrannis afflicti sunt. Osee, XI, 10 : *Quasi leo rugiet : quia ipse rugiet, et formidabunt filii maris,* hoc est, filii amaritudinis sæculi. Amos, I, 2 : *Dominus de Sion rugiet, et de Jerusalem dabit vocem suam.* « *Et movebuntur cœli, et terra,* « hoc est, cœlestes et terreni. In condemnatione enim impiorum (ut dicit Hieronymus) etiam sancti contremiscent. Job, XLI, 16 : *Cum sublatus fuerit, timebunt Angeli.* Per terram autem terrestres intelliguntur, qui merito contremiscent. Psal. LXXV, 9 et 10 : *Terra tremuit et quievit, cum exsurgeret in judicium Deus.*

Judicium extremum semper timendum

Quare autem Sancti non contremiscant in desperationem, subdit :

« *Et Dominus spes populi sui.* » Ad Roman. V, 5 : *Spes non confundit.* « *Et fortitudo,* » supple, contra adversarios deprimendos, « *filiorum Israel,* » videntium scilicet Deum per fidei devotionem. Psal. XXVII, 8 : *Dominus fortitudo plebis suæ, et protector salvationum Christi sui est.*

« *Et scietis* » tunc, supple, o electi, « *quia ego Dominus Deus vester,* » experimento scilicet gratiæ et gloriæ. Joan. XX, 28 : *Dominus meus, et Deus meus.* « *Habitans in Sion,* » hoc est in eminentia contemplationis speculativæ, « *monte sancto meo,* » hoc est, in eminentia virtutis activæ. Psal. LXXV, 3 : *Habitatio ejus in Sion.* Mons autem eminentia est sanctitatis activæ. Psal. LXVII, 17 : *Mons, in quo beneplacitum est Deo habitare in eo.* Jerem. XXXI, 23 : *Benedicat tibi Dominus pulchritudo justitiæ, mons sanctus.* Hæc omnia Judæi et nostri judaizantes exponunt de aurea Jerusalem, contra quam Gog et Magog, et aliæ gentes venient tamquam a Deo concitatæ, et congregatæ contra pugnam Sanctorum Domini, ut corruant coram aurea Jerusalem in valle Josaphat, quæ parum distat a Jerusalem : quæ expositio quam falsa est et probari non potest per Scripturam, a nobis refutatur.

« *Et erit Jerusalem sancta.* » Tangit consolationem Sanctorum, primo quidem

in separatione bonorum a malis, secundo in consolatione bonorum, tertio in depressione inimicorum, quarto in perpetuitate consolationis Sanctorum.

« *Et erit Jerusalem sancta,* » emundatis scilicet peccatoribus. Isa. I, 26 : *Post hæc vocaberis civitas justi, urbs fidelis.* « *Et,* » id est, « *alieni,* » supple, a Deo peccatores, « *non transibunt per eam amplius.* » Transitus peccatorum est ubi relinquuntur vestigia peccatorum, testante Domino, qui de diabolo ad beatum Job, XLI, 23, loquitur dicens : *Post eum lucebit semita* [1]. Et quia tunc non habebit locum peccatum, propter hoc dicitur, quod peccator non transibit. Isa. LII, 1 : *Non adjiciet ultra ut pertranseat per te incircumcisus et immundus.* Bernardus : « Felix anima in qua non resultat vesti- « gium peccatoris. »

18 Et subdit de consolatione in bono :

Illuminatio Spiritus sancti melle est dulcior.

« *Et erit* : » pro certitudine prophetali dictum est. « *In die illa,* » claritatis scilicet, et gloriæ sempiternæ, « *stillabunt montes dulcedinem.* » *Montes* dicuntur vertices trium personarum in sancta Trinitate, vel etiam vertices Apostolorum in gratia. Psal. LXXV, 5 : *Illuminans tu mirabiliter a montibus æternis.* Hæc enim illuminatio dulcior est melle. Eccli. XXIV, 27 : *Spiritus meus super mel dulcis.* « *Et colles,* » hoc est, vertices Angelorum et Sanctorum ad Angelos assumptorum, « *fluent lacte,* » in veritate candidæ, et puritate dulcissimæ doctrinæ humanitatis Christi, quam per illuminationem omnium ingerunt. Cantic. V, 1 : *Comedi favum cum melle meo, bibi vinum meum cum lacte meo.*

Quid autem in planis campis efficiat, subdit, primo quantum ad innocentes, secundo quantum ad pœnitentes.

« *Et per omnes rivos Juda,* » hoc est, confitentium Deum corde, ore, et opere, sicut innocentes faciunt. Rivi autem Juda sunt omnia receptacula animæ et corporis. « *Ibunt aquæ,* » quibus influuntur aquæ vitæ æternæ. Ezech. XLVII, 9 : *Omnis anima vivens, quæ serpit, quocumque venerit torrens, vivet.* « *Et fons de domo Domini egredietur,* » hoc est, de thesauris omnipotentis Dei. Psal. XXXV, 9 : *Inebriabuntur ab ubertate domus tuæ : et torrente voluptatis tuæ potabis eos.* « *Et irrigabit,* » irrigatione scilicet voluptatis, et felicitatis. Eccli. XXIV, 42 : *Dixi : Rigabo hortum meum plantationum, et inebriabo prati mei fructum.* « *Torrentem spinarum,* » hoc est, pœnitentium qui compuncti sunt spina peccatorum. Psal. XXXI, 4 : *Conversus sum in ærumna mea, dum configitur spina.* Ærumna enim configitur spina, quando compunctione peccati, ærumna, hoc est, pœnitentia peccator configitur. Non tantum enim innocentes, sed etiam pœnitentes salvabuntur. Iste est fons, de quo dicitur, Genes. II, 6 : *Fons ascendebat e terra, irrigans universam superficiem terræ.* Istæ sunt aquæ egredientes de templo a latere dextro [2]. Parum enim esset si irrigaret tantum lilium innocentium, et non spinas pœnitentium.

Et ut elucescat magis damnatio impiorum ex comparatione bonorum, subdit : 19

« *Ægyptus in desolationem erit.* » Ægyptus *mœror* vel *tenebræ* interpretatur, et spiritualia peccata signat, superbiam scilicet, invidiam, inanem gloriam, iram et etiam avaritiam, quæ tunc erunt in desolationem condemnationis perpetuæ. Isa. I, 7 : *Desolabitur sicut in vastitate hostili.* Sap. V, 24 : *Ad eremum perducet omnem terram iniquitas illorum, et malignitas evertet sedes potentium.* « *Et Idumæa,* » quæ *sanguinea* interpretatur, et carnalia peccata significat, « *in desertum perditionis,* » sup-

[1] Job, XLI, 23.

[2] Cf. Ezech. XLVII, 1.

ple, erit, ubi scilicet nec Deus nec Sancti de cætero habitabunt. Matth. xxiii, 38 : *Ecce relinquetur vobis domus vestra deserta.* « Et subjungit causam : « *Pro eo quod inique egerint in filios,* » hoc est, contra filios « *Juda,* » confitentes scilicet, et glorificantes Deum. Isa. xxvi, 10: *In terra sanctorum iniqua gessit, et non videbit gloriam Domini.* « *Et effuderint sanguinem innocentem in terra sua,* » martyrum scilicet, quos vel malo exemplo, vel gladio, vel subtractione necessariorum interimunt. Psal. lxxviii, 3 : *Effuderunt sanguinem sanctorum tuorum, tamquam aquam in circuitu Jerusalem.* Eccli. xxxiv, 25 : *Panis egentium vita pauperum est: qui defraudat illum, homo sanguinis est.*

20 Et subjungit per contrarium de consolatione bonorum :

« *Et Judæa in æternum habitabitur.* » Judæa *confessio Domini* interpretatur, et significat Ecclesiam. Psal. cxiii, 2 : *Facta est Judæa sanctificatio ejus*, hoc est, habitabitur ab Angelis, et Deo, et Sanctis. Isa. lxii, 4 : *Quia complacuit Domino in te, et terra tua inhabitabitur.* « *Et Jerusalem,* » supple, habitabitur « *in generationem* » innocentium, « *et generationem* » pœnitentium. Psal. xxiii, 6 : *Hæc est generatio quærentium Dominum.* Item, Psal. lxxxvi, 7 : *Sicut lætantium omnium habitatio est in te.*

« *Et mundabo,* » hoc est, vindicabo 21
« *sanguinem eorum,* » Sanctorum scilicet, « *quem non mundaveram,* » hoc est, vindicaveram usque ad diem judicii scilicet. Apocal. vi, 10 : *Usquequo, Domine, (sanctus et verus) non judicas, et non vindicas sanguinem nostrum de iis qui habitant in terra ?* Psal. lxxviii, 10 : *Innotescat in nationibus... ultio sanguinis servorum tuorum, qui effusus est.* « *Et Dominus commorabitur in Sion,* » inter sanctos scilicet, influens eis semper beatitudinis dulcedinem in speculatione felicitatis æternæ. Ezech. xlviii, 35 : *Nomen civitatis ex illa die, Dominus ibidem.* Psal. cxxiv, 2 : *Dominus in circuitu populi sui, ex hoc nunc et usque in sæculum.*

INDEX

IN JOEL PROPHETAM

D. ALBERTI MAGNI,

RATISBONENSIS EPISCOPI, DOCTRINA TOTO ORBE CELEBERRIMI, ORDINIS PRÆDICATORUM,

IN AMOS PROPHETAM ENARRATIO.

PROLOGUS.

Sicut in præhabita divisione dictum est, Amos contra vitia communia prophetat, et onera gentium circa se positarum describit : propter quod congrue *onustus* interpretatur. II Paralip. x, 11 : *Pater meus imposuit vobis grave jugum, et ego majus pondus apponam.* Job, xvi, 2 : *Consolatores onerosi omnes vos estis.*

Tres autem prologos præmittit Hieronymus, in quorum primo causam suscepti operis insinuat : secundo, modum quem a principio observat, demonstrat, ibi, « Et quia idem Propheta. »

In primo horum tria dicit, scilicet quando, quibus, et quorum regum temporibus prophetavit.

Prologus Divi Hieronymi in Amos prophetam.

Ozias rex, cum Dei religionem sollicite æmularetur, nimio religionis amore provocatus, contra legem Moysi arrepto thuribulo, (ut in Historia secundi libri Paralipomenon ostenditur [1],) sacerdotale officium præsumere conatus est. Ob eam rem, terræmotum in templo Dei exortum constat, cujus etiam Zacharias propheta meminit [2]. Ante hunc itaque terræmotum, Amos propheta, temporibus prædicti regis et temporibus Jeroboam, filii Joas, regis Israel, in eas gentes quæ lectione comprehensæ sunt, iram Dei ob eas causas quas memoravit, affuturam denuntiat.

Et quia idem propheta in sequentibus ait : *Super tribus impietatibus et super quatuor non convertam eum* [3], tertio peccatorum indulgentiam Deum dare posse significat : quem [4] quarto eadem peccata admittentibus, nec pœnitentiam nec indulgentiam daturum annuntiat. Nam per ignis similitudinem, quem in prædictas gentes immittendum prædixit, gravem atque irrevocabilem Dei iram ad eversionem earumdem civitatum processuram voluit demonstrare.

PROLOGI DIVI HIERONYMI IN AMOS PROPHETAM EXPLANATIO.

« Ozias rex, » de quo legitur IV Reg. xiv et II Paralip. xvi, « cum Dei religionem, » hoc est, sacerdotium ad Dei religionem constitutum, sollicite, » non discrete tamen, « æmularetur, » hoc est, æmulando sacerdotes diligeret. Ad Galat. iv, 17 : *Æmulantur vos non bene.* « Nimio religionis amore provocatus. » Omne quod est nimium, vertitur in vitium. Nimis enim fuit, quando sacerdotale officium ita ampliare voluit, ut dignitatem regalem et sacerdotalem simul habere contenderet. « Contra præceptum legis Moysi, » hoc est, datæ per Moysen. Eccli. xxiv, 33 : *Legem mandavit vobis Moyses in præceptis justitiarum.* Maxime, Numer. i, 50, et xvi, 1 et seq., ubi virga frondente et florente demonstratum est, quod non nisi ad summum Sacerdotem pertinet sacerdotale officium. « Arrepto thuribulo, » aureo scilicet, « ut in historia secundi libri Paralipomenon ostenditur [5], sacerdotale officium, » incensum scilicet ponendo, « præsumere conatus est, » hoc est, usurpare.

Et posito facto, quod peccatum fuit, ostendit signum per quod Deus demonstravit peccati enormitatem.

« Ob eam rem, » hoc est, propter tale peccatum, « terræmotum in templo Dei exortum constat. » Hoc enim narrat Josephus, quod propter peccatum illud ante civitatem scissa est media pars montis per quatuor stadia ad Occidentem, ita ut vias clauderet et urbes regias destrueret, sicut ex Josepho narrat Hieronymus. « Cujus etiam, » scilicet terræmotus,

Ozias lepra percussus ob usurpationem sacerdotii.

[1] Cf. II Paralip. xxvi, 16 et seq.

[2] Zach. xiv, 4 et 5.

[3] Vulg. habet, Amos, i, 3, 6, 9, 11, 13 et ii, 14, et 6 : *Super tribus sceleribus ... et super quatuor non convertam eum.*

[4] Bibl. Rob. Steph. *quam.*

[5] Cf. II Paralip. xxvi, 16 et seq.

Zacharias Propheta meminit, » sic dicens: *Scindetur mons Olivarum ex media parte sui ad Orientem, et ad Occidentem, prærupta grandi valle* [1]. Et post pauca, ỳ. 5 : *Et fugietis, sicut et fugistis a facie terræmotus in die Oziæ regis Juda.* Quare autem hoc dixerit, subdit : « Ante hunc itaque terræmotum, » qui fuit scilicet temporibus Oziæ, « Amos Propheta, » iste scilicet, « temporibus prædicti regis, » Oziæ scilicet, regis Juda, « et temporibus Jeroboam, » qui tempore Oziæ regnavit in decem tribubus, « filii Joas, regis Israel, » de quibus IV Regum, XIV et XV, et II Paral. XV.

Quid autem prophetavit, et propter quod, subdit : « In eas gentes, » hoc est, contra eas gentes, « quæ lectione, » hoc est, textu hujus prophetiæ, primo et secundo capitulo, « comprehensæ sunt, » hoc est, continentur, « iram Dei : » et antequam subjungat, qualiter ira Dei processerit, parenthesim facit de causa : « Ob eas causas quas memoravit, » hoc est, in prophetia expressit, « affuturam denuntiat iram Dei. » Psal. XXIX, 6 : *Ira in indignatione ejus.*

Et subjungit secundam partem, quæ est de modo principii Prophetiæ.

« Et quia idem Propheta in sequentibus, » scilicet prophetiæ capitulis, « ait, » primo scilicet et secundo capitulo, « super tribus impietatibus, » Septuaginta translatio, « et super quatuor non convertam eum, » hoc enim octies dicit. « Tertio peccatorum indulgentiam Deum dare posse significat, » hoc est, super peccato consensus, operis, et consuetudinis : hoc enim per pœnitentiam remittit Deus. Ezech. XVIII, 21 et 22 : *Si peccator egerit pœnitentiam ab omnibus peccatis suis, quæ operatus est,.... omnium iniquitatum ejus, quas operatus est, non recordabor.* « Quem, » Deum scilicet, « quarto eadem peccata admittentibus, » hoc est, per desperationem adjungentibus, et finali impœnitentia sic decedentibus, « nec pœnitentiam, » hoc est, gratiam pœnitendi, « nec indulgentiam, » in remissionem scilicet peccatorum, « daturum annuntiat. » Ita oportet quod exponatur, vel contrarium erit ei quod dicitur, Matth. XVIII, 22 : *Non dico tibi*, Petre, dimitte *usque septies, sed usque septuagies septies.* Ad Tit. III, 10 et 11 : *Hæreticum hominem, post primam et secundam correptionem devita : sciens quia subversus est, qui ejusmodi est, et delinquit, cum sit proprio judicio condemnatus.*

Quod autem hoc verum sit, probat, subdens : « Nam, » id est, quia « per ignis similitudinem, » hoc est, metaphoram, « quem, » scilicet ignem, « in prædictas gentes, » octo scilicet, « immittendum prædixit, » octies scilicet dicendo : *Mittam ignem*, « gravem, » scilicet in afflictione, « atque irrevocabilem, » humana scilicet protestatione, « Dei iram. » Thren. II, 4 : *Effudit quasi ignem indignationem suam.* « Ad eversionem earumdem civitatum, » quas scilicet nominat in primo et secundo capitulo, « processuram voluit demonstrare. » Deuter. XXXII, 22 : *Ignis succensus est in furore meo, et ardebit usque ad inferni novissima.*

[1] Zachar. XIV, 4.

Argumentum Divi Hieronymi in Amos prophetam

(EX PROLOGO GALEATO)

Amos pastor et rusticus, et ruborum mora distringens, paucis verbis explicari non potest. Quis enim digne exponat tria aut quatuor scelera Damasci, et Gazæ, et Tyri, et Idumeæ, et filiorum Ammon et Moab, et in septimo et octavo gradu Judæ et Israel? Hic loquitur ad vaccas pingues, quæ sunt in Samariæ monte, et ruituram domum majorem minoremque testatur. Ipse cernit fictorem locustæ, et stantem Dominum super murum litum vel adamantinum, et uncinum pomorum, attrahentem supplicia peccatoribus, et famem in terram; non famem panis, nec sitim aquæ, sed audiendi verbum Dei.

ARGUMENTI DIVI HIERONYMI IN AMOS PROPHETAM EXPLANATIO.

Post hunc præmittitur secundus prologus, in quo velut argumento mentem aperit de contentis in prophetia, et accipitur de *Proœmio galeato :* additur vero aliquid ex Glossa ibi, « Non dixit verbum, sed verba. »

De octo itaque mentem arguit, quorum primum excitat attentionem ex difficultate operis, reliqua septem mentem arguunt de his quæ in littera continentur.

« Amos propheta et rusticus. » In *proœmio galeato* continetur : « Amos pastor et rusticus, » et hoc convenit, quia pastoris est prophetare. Prophetare enim docere est, quod officium pastorum est. *Rusticus* autem dicitur quasi rus colens, et commendatur in hoc simplicitas ejus, quia scilicet astutiis et dolis civitatum non erat inquinatus. Psal. LIV, 10 : *Quoniam vidi iniquitatem, et contradictionem in civitate.* « Et ruborum moros distringens. » In proœmio est *mora*, et commendatur in hoc a simplicitate victus et parcimonia. Contentus enim fuit his quæ sponte gignit desertum, sicut moris in rubis deserti natis, quæ distrinxit ut succum in potum et panis condimentum acciperet. Eccli. VII, 16 : *Non oderis laboriosa opera, et rusticationem creatam ab Altissimo.* Per hoc enim ostenditur Prophetæ auctoritas, quod scilicet tam simplex fingere non potuit, nec altissima sapientiæ Dei scire, nisi per Spiritum Dei. Eccli. XXVII, 7 : *Sicut rusticatio de ligno ostendit fructum illius, sic verbum ex cogitatu cordis hominis,* supple, ostendit.

Prophetare pastoribus convenit.

Et subdit difficultatem :

« Paucis verbis explicari non potest, » quoad mysteria contenta. Ad Hebr. V, 11 : *De quo grandis nobis sermo, et interpretabilis ad dicendum.* Et hoc probat subdens : « Quis enim digne exprimat, » hoc est, exprimere possit, et *quis* notat difficultatem, sicut Isa. LIII, 7 : *Generationem ejus quis enarrabit*[1]. Et quod dicit *digne*, intelligit quantum ad mysterium, quod nullus sufficienter enarrare poterit, « tria et quatuor scelera Damasci, et Gazæ, » supple, tria et quatuor scelera, « et Tyri, »

[1] Cf. Act. VIII, 33.

supple, tria et quatuor scelera, « et Idumeæ, » supple, tria et quatuor scelera, « et filiorum Ammon, » supple, tria et quatuor scelera, « et Moab, » supple, tria et quatuor scelera. Et hæc dicit in primo capitulo. « Et septimo et octavo gradu Judæ, » scilicet tria et quatuor scelera, « et Israel, » supple, tria et quatuor scelera, quæ in secundo dicit capitulo? Job, xxxvii, 23 : *Digne eum invenire non possumus : magnus fortitudine, et judicio, et justitia, et enarrari non potest.*

« Hic, » scilicet Amos, « loquitur ad vaccas pingues. » *Vaccæ* dicuntur propter lasciviam, *pingues* propter ingluviem : « quæ sunt in montibus Samariæ, » hoc est, in decem tribuum dignitatibus, et hoc facit capitulo quarto. « Et ruituram domum majorem, » hoc est, familiam regis et principum, « minoremque, » hoc est, familiam civium et popularium, « testatur, » scilicet per captivitatis eversionem, scilicet capitulo sexto. « Ipse, » scilicet Amos, « cernit » in visu prophetali « fictorem locustæ, » capitulo septimo, hoc est, Deum fingentem locustas ad terræ vastitatem : de quibus locustis in Joele satis dictum est : « et stantem Dominum, » supple, cernit, « super litum murum. » Sic habet nostra translatio. Litus murus per syncopen dicitur, murus linitus cæmento. « Vel adamantinum. » Sic habent Septuaginta, et hoc est etiam capitulo septimo : « et uncinum pomorum, » supple, cernit, « attrahentem supplicia peccatoribus, » et hoc facit capitulo octavo : « et famen in terra, » supple, cernit, « non famem panis, nec sitim aquæ, » quæ materialis fames est, « sed audiendi verbum Domini, » capitulo octavo.

Quod nunc sequitur, de Glossa additur. « Non dixit verbum, sed verba. » Osee enim et Joel dixerunt verbum, et non verba : sed iste dicit verba, et non verbum, eo quod iste ea quæ dixit, retulit ad audientes; illi autem ea quæ dixerunt, retulerunt ad verbum increatum, quod forma est omnium verborum.

« Amos vero interpretatur onustus : » onera enim imponenda octo gentibus prophetavit. Psal. xxxvii, 5 : *Sicut onus grave gravatæ sunt super me.* Et subdit de sanctitate : « Hic Amos spirituali gratia plenus, » usque scilicet ad redundantiam, sicut de Stephano, Act. vi, 8, dicitur : *Stephanus plenus gratia et fortitudine*[1]. « Prophetavit inter cæteros Prophetas. » Hoc dicit, quia patrem vel avum Prophetam non habuit, sed novæ gratiæ appositione Prophetis conjunctus est. I Reg. x, 5 et 6 : *Obvium habebis gregem Prophetarum descendentium de excelso, et ante eos psalterium, et tympanum, et tibiam, et citharam, ipsosque prophetantes. Et insiliet in te Spiritus Domini, et prophetabis cum eis.* Et hoc est quod sequitur : « Non enim ipse solus erat Prophetes, sed etiam alii, » sicut dicitur, III Reg. xviii, 4, quod Abdias tulit centum Prophetas, et abscondit eos quinquagenos in speluncis, et pavit eos pane et aqua, ne eos interficeret Jezabel. « Esse quippe non potuit, » id est, non debuit, « Prophetes, nisi pastor ante fuisset. » Diximus enim paulo ante, quod pastorum officium est docere sive prophetare. I ad Corinth. xiv, 31 : *Potestis omnes per singulos prophetare.* « Qui etiam tuba sua clangit. » Intelligit de tuba spirituali, quæ est sonus doctrinæ et prædicationis. Osee, viii, 1 : *In gutture tuo sit tuba.* « Per singulos dies, » hoc est, per singulas illuminationes, « erudiens, » extra ruditatem nos ponens, « et docens, » supple, mysteria, « in Ecclesia. » Ad Roman. xv, 4 : *Quæcumque scripta sunt, ad nostram doctrinam scripta sunt.*

[1] Cf. Act. vii, 55 : *Cum autem* Stephanus *esset plenus Spiritu sancto, intendens in cælum,* etc.

Vox Prophetarum tubæ est similis.

Et explanat qualiter hoc est, subdens :

« In veritate enim, » hoc est, vera significatione, « vox omnium Prophetarum, » Spiritu Dei scilicet loquentium, « tamquam tuba spiritualis est. » Isa. LVIII, 1 : *Quasi tuba exalta vocem tuam.* « Prædicans in Ecclesia. » Chrysostomus dicit, quod « prædicatio est de his quæ « sunt fidei : doctrina autem de his quæ « sunt rationis. » Marc. XVI, 15 : *Prædicate Evangelium omni creaturæ.* « Secundum quod scriptum est, » Isa. XL, 9 : « *Super montem excelsum ascende,* » hoc est, vitæ eminentiam, « *tu qui evangelizas Sion,* » hoc est, speculator Ecclesiæ : « *Exalta in fortitudine vocem tuam, qui prædicas Jerusalem,* » ut scilicet ad corda peccatorum penetret. Isa. LII, 8 : *Vox speculatorum tuorum: levaverunt vocem, simul laudabunt,* etc.

Tertius Prologus Divi Hieronymi in Amos prophetam [1]

Hic Amos Propheta et pastor qui sequitur Joelem, et est tertius duodecim prophetarum, non fuit pater Isaiæ Prophetæ, quamquam et ille propheta exstiterit. Nam aliis litteris ille, et aliis iste apud Hebræos scribitur : quæ differentia litterarum apud Latinos non habetur ; et ille *fortis* et *robustus*, hic vero *avulsus* interpretatur, quia locutus est [2] contra decem tribus, quæ per idololatriam a cultura [3] Dei, et a regno David erant avulsæ.

Fuit autem cognatio ejus ex oppido Thecuæ, quod sex milliaribus distat a Bethlehem, curam gerens pecorum in latitudine camporum qui sunt proximi oppido Thecuæ, in quibus humi aridæ atque arenosæ [4] nihil omnino frugum gignitur, sed uberrimis pascuis abundant : et ideo cuncta sunt plena pastoribus, et sterilitas terræ compensatur pecorum multitudine. Ex hoc numero pastorum fuit Amos, imperitus sermone, sed plenus [5] scientia.

Prophetavit autem iisdem temporibus quibus Joel, Nahum, Jonas, Osee, Isaias : sed aliquantulum exorsus est prophetare duobus annis antequam Isaias. Maxime autem contra decem tribus locutus est, pauca de duabus tribubus interserens. Hunc ablatum de numero pastorum misit Dominus, ut in Samaria prophetaret. Quem Amasias sacerdos frequenter plagis afflixit : tandem filius ejus Ozias vecte per tempora transfixit. Post hæc semivivus in terram suam evectus, post aliquot dies dolore vulneris exspiravit, sepultusque est cum patribus suis [6].

[1] Ex principio Comment. Hieronymi in Amos prophetam.
[2] Bibl. Rob. Steph. *loquitur*.
[3] Ibid. *cultu*.
[4] Ibid. *humo arida atque arenosa*.
[5] Ibid. Loco verbi *plenus*, habetur *non*.
[6] Confer hunc Prologum cum illo qui invenitur in tribus libris Commentariorum S. Eusebii Hieronymi in Amos prophetam (Migne, Opp. S. Hieronymi, tom. VI, p. 990).

PROLOGI DIVI HIERONYMI IN AMOS PROPHETAM EXPLANATIO.

Hic in hoc tertio prologo tanguntur dispositiones Prophetæ in octo, in persona scilicet, in nomine, in patria, in habitu interiori, in temporibus quibus prophetavit, et contra quos, in auctoritate, et in passione. Et hæc per ordinem dicuntur in littera.

« Hic Amos Propheta, » scilicet qui hanc enuntiavit prophetiam, « non fuit pater Isaiæ Prophetæ, » de quo dicitur Isa. I, 1 : *Visio Isaiæ, filii Amos.* « Quamquam, » hoc est, quamvis « et ille, » scilicet pater Isaiæ, « Propheta exstiterit, » secundum illam regulam Hebræorum, quod pater qui ponitur in titulo Prophetæ, Propheta fuerit. Eccli. XLIV, 8 : *Qui de illis nati sunt, reliquerunt nomen narrandi laudes eorum.*

Et subdit de nomine :

« Nam aliis litteris ille, » pater scilicet Isaiæ, אמוץ, « et aliis iste, » עמוס , scilicet qui edidit hanc prophetiam, « apud Hebræos scribitur. » Sæpe enim voce conveniunt quæ significatione differunt. « Quæ differentia litterarum, » scribendi scilicet litteras diversas per eumdem sonum, « apud Latinos non habetur, » quia Latini non utuntur appunctationibus litterarum, per quas idem sonus elementi in diversas inflectitur significationes ; sicut etiam Apostoli (ut quidam dicunt) eodem sono locuti sunt, sed diversis significationibus auditi. Et hoc probat per nominum interpretationes : « Et ille *fortis* vel *robustus,* » scilicet pater Isaiæ, « hic vero, » hoc est, cui ista prophetia inscribitur, « *avulsus* interpretatur [1]. » Et subdit rationem nominis : « Quia locutus est contra decem tribus, » contra quas etiam Osee locutus est, « quæ per idololatriam, » vitulorum scilicet, et aliorum idolorum, « a cultura Dei, » II ad Corinth. VI, 15 : *Quæ conventio Christi ad Belial?* vel etiam « a regno David, » a quo scilicet in Jeroboam recesserunt [2], « erant avulsæ. » Psal. LI, 7 : *Propterea Deus... evellet te, et emigrabit te de tabernaculo tuo : et radicem tuam de terra viventium.*

Isaiæ pater Amo dictus.

Et subdit de patria :

« Fuit autem cognatio ejus, » ex patribus et avis scilicet, « ex oppido Thecuæ, » quod ad rusticana et pastoralia deputatum fuit, sicut et David assumptus fuit. Psal. LXXVII, 70 : *De post fœtantes accepit eum.* « Quod, » scilicet oppidum, « sex milliaribus distat a Bethlehem, » in tribu Juda. Decuit enim quod Propheta Domini secundum patriam vicinus esset patriæ Domini. Et subdit qualis erat artificio : « Curam gerens pecorum, » quod (sicut dictum est) competebat officio prophetiæ. Genes. XLVI, 34 : *Viri pastores sumus servi tui,... et nos et patres nostri.* « In latitudine camporum. » Campi dicuntur inculta prata. « Qui sunt proximi oppido Thecuæ : » tota enim adjacens regio quasi inculta est, et alendis gregibus apta. Isa. VII, 25 : *Erit in pascua bovis, et in conculcationem pecoris.* Et subjungit rationem : « In quibus, » scilicet campis, « humi, » nominativus scilicet pluralis, « aridæ. » Unde autem aridæ sint, subdit : « Atque

[1] Amos propheta, qui sequitur Joelem et est tertius duodecim prophetarum, non est ipse, quem patrem Isaiæ prophetæ legimus. Ille enim scribitur per primam et ultimam nominis sui litteram ALEPH et SADE, et interpretatur *fortis* atque *robustus.* Hic vero per AIN et SAMECH, et interpretatur *populus avulsus* : mediæ litteræ MEM et VAU utrique communes sunt. Apud nos autem qui tantam (*Al.* tantum) vocalium litterarum, et S (*Al.* Si) litteræ, quæ apud Hebræos triplex est, differentiam non habemus, hæc et alia nomina videntur esse communia, quæ apud Hebræos elementorum diversitate, et suis proprietatibus distinguuntur. (S. HIERONYMUS, Lib. trium Comment. in Amos prophetam prologus, Opp. Migne, tom. VI, p. 990.)

[2] Cf. III Regum, XIV.

arenosæ, » hoc est, quia arenosæ ; arena enim ex siccato luto glutinoso arida efficitur ; et ideo quia humor exsiccatus est, nihil ex eo generatur. Et hoc est quod sequitur : « Nihil omnino frugum gignitur. » Fruges dicuntur a fruendo ; talia enim non gignuntur quibus homo frui possit. « Sed uberrimis pascuis abundant : » gramina enim quæ ex putrefactione herbarum generantur, in superficie nascuntur : et quia terra aratro ibi non evertitur, ideo gramina abundant ; fossa enim terra usque ad arenam et pascua tolleret, et fruges non gigneret. Ezech. XXXIV, 14 : *In pascuis uberrimis pascam eas*, scilicet oves. « Et ideo cuncta, » campestria scilicet Thecuæ, « sunt plena pastoribus : » pastores enim in locis pascualibus habitant : pastorum enim est pascua perquirere. Ezech. XXXIV, 14 : *Requiescent in herbis virentibus, et in pascuis pinguibus pascentur super montes Israel.* « Et sterilitas terræ. » Fruges enim abundanter locus arenosus non gignit : « compensatur pecorum multitudine . » Dicit enim Philosophus in libro de *Animalibus*, quod « omne animal abundat ibi, ubi « abundat suus cibus. » Et pecora utiliora sunt quam fruges, quia paucis pecoribus multæ fruges emuntur.

Et subdit qualis fuit habitu animi :

« Ex hoc numero pastorum, » juxta Thecuam scilicet habitantium, « fuit Amos, » sicut ipse dicit capite septimo, ℣. 14 : *Non sum Propheta, et non sum filius Prophetæ, sed armentarius ego sum vellicans sycomoros.* « Imperitus sermone, » hoc est, arte rhetorica, « sed plenus scientia, » spirituali scilicet, et divinorum. Et alludit ei quod dicitur, II ad Corinth. XI, 6 : *Et si imperitus* sum *sermone, sed non scientia.* Eccli. XV, 5 : *Adimplebit illum* Dominus *spiritu sapientiæ et intellectus.*

Et subdit de temporibus prophetiæ :

« Prophetavit autem eisdem temporibus, » hoc est, eorumdem regum temporibus, « quibus Joel, » qui ante habitus est, « Nahum, Jonas, Osee, Isaias. » Joel enim temporibus Osee prophetavit, secundum regulam Hebræorum, quæ sæpe dicta est. Osee autem eosdem reges habet in titulo quos habet iste. Abdias autem et Jonas ad istum referuntur, quia sequuntur eum immediate, sicut et Nahum ad Michæam (cujus titulus eosdem cum Osee reges habet) est referendus. Isaias autem eosdem cum isto reges habet in titulo. « Sed aliquantulum exorsus est prophetare, » hoc est, incepit prophetare « duobus annis antequam Isaias. » Isaias enim prophetare incepit temporibus Oziæ, quando regnum reliquit filio Joathan : iste autem antequam lepra percuteretur et ante terræmotum.

Amos prophetavit biennio ante Isaiam.

Et subdit contra quos prophetavit :

« Maxime autem contra decem tribus locutus est, » sicut scilicet Osee et Joel, unde etiam hi tres simul junguntur. « Pauca de duabus tribubus interserens, » maxime in capite secundo, ℣. 4, ubi dicit : *Super tribus sceleribus Juda,* etc.

Et subdit de auctoritate, dicens :

« Hunc ablatum, » hoc est, electum, « de numero pastorum. » *Sustulit eum de gregibus ovium : de post fœtantes accepit eum*[1]. « Misit dominus, » auctoritatem scilicet dans. Ezech. II, 3 : *Mitto ego te ad gentes apostatrices, quæ recesserunt a me.* « Ut in Samaria, » hoc est, in decem tribubus quæ a Samaria denominantur, « prophetaret. » Jerem. I, 5 : *Prophetam in Gentibus dedi te.*

Et subdit de passione et sepultura ejus :

« Quem Amasias sacerdos, » idolorum scilicet in Dan et in Bethel positorum, « frequenter plagis afflixit, » ut scilicet a prophetando cessaret, sicut legitur Amos, VII, 10 et seq. Sed quia verbum

[1] Psal. LXXVII, 70.

Amos vecte transfigitur per tempora ab Ozia.

Dei alligari non potest, non propter hoc cessavit, sed potius instantius prædicavit. « Tandem filius ejus, » Amasiæ scilicet, « Ozias » nomine, « vecte per tempora transfixit, » supple, Prophetam. Vectem vocat sudem, ut scilicet sude magis quam ferro læderetur. Eccli. IV, 33 : *Pro justitia agonizare pro anima tua, et usque ad mortem certa pro justitia.* « Post hæc, » scilicet vulneratus, « semivivus, » ex vulnere enim non statim est mortuus, sed adhuc vivus, « in terram suam, » Thecuam scilicet, « evectus, post aliquot dies dolore vulneris exspiravit. » Isa. LVII, 1 : *Justus perit, et non est qui recogitet in corde suo.* « Sepultusque est cum patribus suis, » Patriarchis scilicet, Prophetis, et amicis, ut dicit Hieronymus. Isa, XI, 10 : *Erit sepulcrum ejus gloriosum.*

CAPUT I.

Tempora prophetiæ Amos : ultio Domini in Damascum, Philisthæos, Tyrum, Idumæam, et filios Ammon, quos super quatuor sceleribus non convertet.

1. Verba Amos, qui fuit in pastoribus de Thecue : quæ vidit super Israel in diebus Oziæ, regis Juda, et in diebus Jeroboam, filii Joas, regis Israel, ante duos annos terræmotus [1].
2. Et dixit : Dominus de Sion rugiet, et de Jerusalem dabit vocem suam [2] : et luxerunt speciosa pastorum, et exsiccatus est vertex Carmeli.
3. Hæc dicit Dominus : Super tribus sceleribus Damasci, et super quatuor non convertam eum, eo quod trituraverint in plaustris ferreis Galaad.
4. Et mittam ignem in domum Azael, et devorabit domos Benadad.
5. Et conteram vectem Damasci, et disperdam habitatorem de campo idoli, et tenentem sceptrum de domo voluptatis : et transferetur populus Syriæ Cyrenen, dicit Dominus.
6. Hæc dicit Dominus : Super tribus sceleribus Gazæ, et super quatuor non convertam eum, eo quod transtulerint captivitatem perfectam, ut concluderent eam in Idumæa.
7. Et mittam ignem in murum Gazæ, et devorabit ædes ejus.
8. Et disperdam habitatorem de Azoto, et tenentem sceptrum de Ascalone : et convertam manum meam super Accaron, et peribunt reliqui Philisthinorum, dicit Dominus Deus.
9. Hæc dicit Dominus : Super tribus sceleribus Tyri, et super quatuor non convertam eum, eo quod concluserint captivitatem perfectam in Idumæa, et non sint recordati fœderis fratrum.
10. Et mittam ignem in murum Tyri, et devorabit ædes ejus.
11. Hæc dicit Dominus : Super tribus sceleribus Edom, et super quatuor non convertam eum, eo quod persecutus sit in gladio

[1] Zachar. XIV, 5.

[2] Jerem. XXV, 30 ; Joel, III, 16.

fratrem suum, et violaverit misericordiam ejus, et tenuerit ultra furorem suum, et indignationem suam servaverit usque in finem.

12. Mittam ignem in Theman, et devorabit ædes Bosræ.

13. Hæc dicit Dominus : Super tribus sceleribus filiorum Ammon, et super quatuor non convertam eum, eo quod dissecuerit prægnantes Galaad ad dilatandum terminum suum.

14. Et succendam ignem in muro Rabba, et devorabit ædes ejus in ululatu in die belli, et in turbine in die commotionis.

15. Et ibit Melchom in captivitatem, ipse, et principes ejus simul, dicit Dominus.

IN CAPUT I AMOS

ENARRATIO.

« *Verba Amos.* » Hic incipit prophetia, quæ dividitur in partes duas. Primo enim comminando prædicit pœnam decem tribubus, secundo promittit consolationem, infra, IX, 11, ibi « *In die illa suscitabo*, vel reædificabo *tabernaculum David.* »

Prior dividitur in duas, in titulum scilicet, et prophetiam, ibi, ℣. 2 : « *Et dixit : Dominus de Sion rugiet.* »

In titulo auctor describitur a nomine, ab officio, et a patria, a modo inspirationis, et ab enuntiatione.

1 Dicit ergo : « *Verba,* » cujus ratio in expositione prologi assignata est : multis enim loquitur, et de multis, et ideo pluraliter dicit : *Verba.* Ezech. II, 7 : *Loqueris verba mea ad eos, si forte audiant, et quiescant.* « *Amos.* » Nomen auctoris est, et interpretatur *onustus* vel *avulsus* : onustus, quia ex charitate onus aliorum suscepit. Ad Galat. VI, 2 : *Alter alterius onera portare, et sic adimplebitis legem Christi.* Avulsus autem, quia a peccatoribus segregatus : non enim bene reprehenderet peccatores, nisi segregatus esset. Ad Hebr. VII, 26 : *Talis decebat ut nobis esset pontifex, sanctus, innocens, impollutus segregatus a peccatoribus, et excelsior cœlis factus.*

Et subjungit de officio :

« *Qui fuit in pastoribus,* » ut cura pastoralis signum esset curæ seu pasturæ spiritualis. Joan. X, 11 : *Bonus pastor animam suam dat pro ovibus suis.* Joan. XXI, 17 : *Pasce oves meas.* Psal. LXXVII, 70 : *Sustulit eum de gregibus ovium*, etc.

Et subdit de patria :

« *De Thecue.* » Quod etiam prophetiæ congruit, quia Thecua *clangens tuba* interpretatur. Apocal. VIII, 2 : *Datæ sunt Angelis septem tubæ* : septem enim prædicanda sunt, scilicet quatuor sensus Scripturæ, primus adventus Salvatoris, et duo in secundo, retributio scilicet bonorum, et pœna malorum. Psal. LXXX, 4 : *Buccinate in Neomenia tuba,* hoc est, in singulis illuminationibus quas a Deo accipitis.

Et subdit de inspiratione :

« *Quæ vidit,* » hoc est, intellectuali visu per inspirationem accepit ; aliter enim verba videri non possunt, sed audiri. Exod. XX, 18 : *Cunctus populus videbat voces.* Sic dicitur, Isa. I, 1 : *Visio Isaiæ, quam vidit.* Glossa inducit illud I Reg. IX, 9 : *Qui Propheta dicitur hodie, vocabatur olim Videns.* Daniel. X, 1 : *Intelligentia est opus in visione.* « *Super Israel.* » *Super* notat oppressionem, *Israel* autem decem tribus. Thren. I, 14 : *Vigilavit jugum iniquitatum mearum : in manu Domini convolutæ sunt, et impositæ collo meo.* Psal. XXXVII, 5 : *Sicut onus grave gravatæ sunt super me.* Job, XVI, 8 : *Nunc autem oppressit me dolor meus, et in nihilum redacti sunt omnes artus mei.*

Et subdit de tempore et de regibus : « *In diebus Oziæ,* » de quo IV Regum, xvi, « *regis Juda,* » hoc est, duarum tribuum : « *et in diebus Jeroboam,* » de quo IV Regum, xiv, « *filii Joas,* » de quo ibidem, « *regis Israel,* » hoc est, decem tribuum. Iste Joas nepos fuit Jehu, et Jeroboam filius ejus pronepos. Promiserat enim Dominus, IV Reg. xv, 12 [1], quod usque ad quartam generationem ex semine Jehu essent reges futuri super Israel. Et hoc completum fuit in Jeroboam : filius enim Jehu fuit Joathan [2], filius vero Joathan fuit Joas, et filius Joas Jeroboam [3], qui quartus fuit, in quo regnum Jehu defecit.

Litteralis autem quæstio est, cum isti iidem reges ponantnr in titulo Osee, qui primus est inter duodecim, et titulo istius, qui est tertius, quare in medio, hoc est, in Joel non ponuntur. Et respondet quidam, quod cum iste non sit filius Prophetæ, sed in prophetia a Domino segregatus, sicut et Paulus ad Roman. I, 1, dicitur, *Segregatus in Evangelium Dei,* non esset prophetia ista authentica, nisi a regibus authenticaretur. Quæ responsio hæresim sonat : mali enim reges de Scripturis nihil authenticant ; quamvis enim per tempora regum certificatur historia, tamen non certificatur ut prophetia.

Mali reges nullam auctoritatem conferunt prophetis.

Adhuc, Idem posset dicere de Osee, et de Isaia, et de aliis. Quamvis enim genealogia patrum et avorum ad commendationem faciat Prophetæ, tamen nihil faciunt ad inspirationis auctoritatem. In Joel autem non ponuntur reges, quia non ad reges, sed ad communem populum prophetavit.

Et de tempore prophetiæ subjungit : « *Ante duos annos terræmotus,* » de quo terræmotu in præcedentibus satis dictum est. Dicit tamen Hieronymus, quod « terræmotus per metonymiam « est motus terrenorum in captivitatem [4], « quos ante per duos annos commo- « nuit per Prophetam, ut si vellent, pœ- « nitentiam agerent, et sic de cætero « terræmotum non sentirent. » Psal. xcv, 9 : *Commoveatur a facie ejus universa terra.* Job, xxiv, 29 : *Dedit ei Deus locum pœnitentiæ, et ille abutitur eo in superbiam.*

Iste est ergo titulus.

« *Et dixit.* » Hic incipit prophetia, 2
quæ in duas partes dividitur, in quarum prima describit terrorem judicis : in secunda pœnam judicandorum et causam, ibi, ℣. 6 : « *Hæc dicit Dominus : Super tribus sceleribus.* »

Terror judicis describitur in signo et effectu.

De terrore judicis dicit : *Dominus de Sion rugiet.* » Rugitus proprie leonis est, ut leo significaret fortitudinem, rugitus autem comminationem terroris. Prov. xx, 2 : *Sicut rugitus leonis, ita et terror regis : qui provocat eum, peccat in animam suam.* Amos, III, 8 : *Leo rugiet, quis non timebit ? Dominus Deus locutus est, quis non prophetabit ?* Dicitur autem *de Sion rugire,* quia in Sion est, et non in Dan vel Bethel, ubi est habitatio idoli. Isa. II, 3 : *De Sion exibit lex, et verbum Domini de Jerusalem.* « *Et de Jerusalem dabit vocem suam,* » quia etiam in Jerusalem habitat. Psal. LXXV, 3 : *Factus est in pace locus ejus.*

[1] IV Reg. xv, 12 : *Iste est sermo Domini quam locutus est ad Jehu, dicens : Filii tui usque ad quartam generationem sedebunt super thronum Israel. Factumque est ita.* Cf. etiam IV Reg. x, 30, et IX, 6 et seq.

[2] Vulg. habet, IV Reg. XI, 35 : *Et dormivit Jehu cum patribus suis,... et regnavit Joachaz filius ejus pro eo.*

[3] Jeroboam scilicet secundum.

[4] Cf. IV Reg. XVI, 7 et seq.

Alia translatio, « In Jerusalem, et habitatio ejus in Sion. » Propter quod Sion speculativos significat, Jerusalem autem perfectos in actione. Jerem. xxv, 30 : *Dominus de excelso rugiet, et de habitaculo sancto suo dabit vocem suam : rugiens rugiet super decorem suum.*

Et subdit de effectu :

« *Et luxerunt speciosa pastorum.* » Tangit hic effectum terroris per metaphoram loquens, per *speciosa pastorum* intelligens speciositatem terræ in habitatione hominum et cultura, per *luctum* autem tristitiam. Dicit enim Hieronymus, « naturale esse, quod omnes qui « volunt rem rei comparare, ex eis re« bus sumant comparationem quas sunt « experti et in quibus sunt nutriti. Sic « iste qui fuit pastor pecorum, timorem « suum rugitui leonis assimilat, inimi« cos autem ursos vocat. Speciosa ergo « pastorum sunt, planities camporum, « viriditas pratorum, loca diversis her« bis abundantia. » Isa. xxxii, 12 et 13 : *Super ubera plangite, super regione desiderabili, super vinea fertili. Super humum populi mei spinæ et vepres ascendent.* Isa. xv, 6 : *Aruit herba, defecit germen, viror omnis interiit.* Spiritualiter autem, *speciosa pastorum* sunt populus in spiritualibus speciose dispositus, qui luget quando talis deficit speciositas. Thren. iv, 7 et 8 : *Candidiores Nazaræi ejus nive, nitidiores lacte, rubicundiores ebore antiquo, sapphiro pulchriores. Denigrata est super carbones facies eorum.* I Machab. ii, 11 et 12 : *Omnis compositio ejus ablata est. Quæ erat libera, facta est ancilla. Et ecce sancta nostra, et pulchritudo nostra, et claritas nostra desolata est, et coinquinaverunt ea gentes*, hoc est, gentiliter viventes per malum exemplum. « *Et exsiccatus est vertex Carmeli.* » Hieronymus : « Mons « qui in Hebræo dicitur כרמל, et græce et « latine *Carmelus* dicitur, et est duplex, « unus de quo fuit Nabal Carmelus [1] : « alius, in quo Elias oravit [2]. Uterque au« tem pascuis uberrimus est, et ideo *ex« siccatus* hic perhibetur. » Significat autem Prælatos pabulo verbi, et exempli abundantes. Sed talis gradus modo in Ecclesia luget, quia tali speciositate destitutus est. In Prælatis enim nec est verbum doctrinæ, nec exemplum virtutis. Isa. xxix, 17 : *Nonne adhuc in modico et in brevi convertetur Libanus in charmel, et charmel in saltum reputabitur* ? hoc est, altitudo sæculi convertetur ad Ecclesiam, et ex hoc etiam convertetur in silvestreitatem, et sic exsiccabitur quod viride est in ea. Cant. viii, 5 : *Caput tuum ut Carmelus.* Carmelus autem *scientia circumcisionis* interpretatur, quam Prælati maxime scire deberent, quid scilicet in se et quid in aliis circumcidere deberent. Jerem. iv, 4 : *Circumcidimini Domino, et auferte præputia cordium vestrorum, viri Juda.* Ad Rom. ii, 28 et 29 : *Non quæ in manifesto, in carne, est circumcisio : sed circumcisio cordis in spiritu, non littera : cujus laus non ex hominibus, sed ex Deo est.*

Comparatio fit per res usu quotidiano cognitas et familiares.

Carmelus duplex.

Contra malos prophetas.

3

« *Hæc dicit Dominus.* » Tangit hic onera in speciali, et dividitur in duas partes. Primo enim tangit onera aliarum gentium. Secundo, quare magis ulciscitur in Judam et in decem tribus, quam in alios, infra, iii, 1, ibi, « *Audite verbum, quod locutus est Dominus.* »

Adhuc prima in duas. Primo enim describit sex onera vicinarum gentium. Secundo, describit duo, Judæ scilicet, et Israel, ibi, ii, 4 : « *Hæc dicit Dominus : Super tribus sceleribus Juda.* »

Prima in sex, onus scilicet Damasci sive Syriæ, onus Philisthiim, onus Tyri, onus Edom, onus Ammon, et onus Moab, quæ per ordinem dicuntur in littera.

In omnibus his unus modus divisionis

[1] Cf. I Reg. xxv, 2 et seq.

[2] Cf. III Reg. xviii, 42.

est. Primo enim auctoritatem innuit sermonis : secundo, circumstantiam sceleris : tertio, actum criminis : et quarto, pœnam.

Onera autem aliarum gentium præmittit tribus de causis, scilicet ut patientius audiatur a suis quando onera hostium præmittit. Quædam enim consolatio est afflictio inimici. Secundo, ut minus mirentur Judæi, si ipsi affliguntur qui legem acceperunt et transgressi sunt ; quando etiam qui exleges reputantur, pro peccatis affliguntur. Tertio, ut videntes alias gentes torqueri secundum prophetiam, magis timeant quod et ea quæ dicta sunt, ipsis eveniant. De primo dicitur, Mich. VII, 10 : *Adspiciet me inimica mea, et operietur confusione.* Et post pauca : *Nunc erit in conculcationem ut lutum platearum.* Sap. XII, 22 : *Cum ergo das nobis disciplinam, inimicos nostros multipliciter flagellas.* De secundo dicitur, Jerem. XLV, 4 et 5 : *Ecce quos ædificavi, ego destruo : et quos plantavi, ego evello, et universam terram hanc. Et tu quæris tibi grandia ? noli quærere.* Ad Hebr. II, 2 et 3 : *Si omnis prævaricatio,* et inobedientia *accepit justam mercedis retributionem : quomodo nos effugiemus, si tantam neglexerimus salutem ?* De tertio dicitur, Ezech. IX, 6 : *A sanctuario meo incipite.* Amos, III, 2 : *Tantummodo vos cognovi ex omnibus cognationibus terræ, idcirco visitabo super vos omnes iniquitates vestras.*

Fides peccatorem a supplicio non liberat.

« *Hæc dicit Dominus.* » Auctoritas verbi sequentis est. Jerem. I, 9 : *Ecce dedi verba mea in ore tuo.* « *Super tribus sceleribus.* » Scelus est crimen accusatione dignum : id est, ac si dicat : Si semel vel bis vel ter Damascus populum afflixisset, hoc est, rapina, mulcta, et gladio, dare veniam possem : sed quia quartum addidit, obstinatam scilicet voluntatem semper affligendi populum meum, parcere non possum. « *Damasci.* » Damascum ponit, quia caput Syriæ est et metropolis. Isa. VII, 8 : *Caput Syriæ Damascus.* « *Et super quatuor,* » ut quarto deformitas peccato addita intelligatur. Iste est quadrans, de quo dicitur, Matth. v, 26 : *Non exies inde, donec reddas usque ad novissimum quadrantem.* « *Non convertam eum,* » ut scilicet peccatum dimittat, et per pœnitentiam resipiscat, sed potius peccatum peccato addendo, peccatum impleat usque ad condemnationem. Unde Septuaginta habent : « Non aversabor eum, » hoc est non impediam eum quin de peccato in peccatum ruat. I ad Thessal. II, 16 : *Ut impleant peccata sua semper.* Apocal. XXII, 11 : *Qui in sordibus est, sordescat adhuc.* Hæc est impletio, de qua Genes. XV, 16 : *Necdum enim completæ sunt iniquitates Amorrhæorum usque ad præsens tempus.*

Quadrans evangelicus nulla umquam pœna solvendus.

Et subdit actum :

« *Eo quod trituraverint,* » semel et iterum et tertio obstinata voluntate, « *in plaustris ferreis.* » Plaustrum a *plodendo* dicitur, eo quod non ad vehendum, sed ad complodendum factum sit, et est rota in campis, exterius clavis ferreis dentata et cuspidibus, quam victores super inimicos in circulo prostratos circumduxerunt, sicut et apud nos circumduci solet super gaudam et sandicem, quibus panni colorantur, ut cuspidibus viscera eorum perfoderentur : et pondere rotæ circumductæ, ossa eorum confringerentur. Hoc etiam modo dicit Glossa : « In terris ubi fœnum non « abundat, arida palea in pabulum con- « fringitur jumentorum. » Et hac crudelitate Syri populum Dei vexaverunt. « *Galaad,* » quæ civitas trans Jordanem est in sorte Manasses, ubi Laban comprehendit patriarcham Jacob [1]. Et quia metropolis erat illius tribus, propter hoc per eam tota sors illius tribus intelligitur quæ versus Syriam erat. Isa. XLI, 15 :

[1] Cf. Genes. XXXI, 23 et seq.

Ego posui te quasi plaustrum triturans novum, habens rostra serrantia : trituràbis montes, et comminues : et colles quasi pulverem pones.

4 Et subdit de pœna huic peccato debita :

« *Et mittam ignem in domum Azael,* » qui rex Syriæ erat, sicut dicitur, IV Reg. VIII, X et XII. *Ignis* autem iram Dei significat, ut præhabitum est, *domus* vero significat familiam et genus. Et hoc est quod sequitur : « *Et devorabit domos Benadad,* » hoc est, familias. Benadad enim fuit filius Azael, sicut dicitur, IV Reg. XIII, 24, et Isa. XXVI, 11 : *Ignis hostes tuos devoret.* Thren. II, 4 : *Effudit quasi ignem indignationem suam.* Et ibidem parum ante, ℣. 3 : *Succendit in Jacob quasi ignem flammæ devorantis in gyro.*

5 Et subdit de processu istius iræ in terram :

« *Et conteram vectem Damasci.* » *Vectes* dicuntur urbes et munitiones in extremis terrarum positæ, per similitudinem ad vectes quæ ponuntur in loriculis civitatum : quia sicut vectes ante civitatem sustinent impetus hostium, ita munitiones positæ in extremitate terrarum, ne hostes possint irrumpere in regnum. Et litteraliter tangit hoc quod dicitur, IV Reg. XIII, 25, quod Joas, filius Joachaz, tulit urbes de manu Benadad, filii Azael, quas tulerat de manu Joachaz, patris sui, jure prœlii : tribus vicibus percussit eum Joas, et reddidit civitates Israeli. Sic accipiuntur vectes, Isa. XV, 5, ubi de Moab dicitur : *Vectes ejus usque ad Segor, vitulam consternantem.*

Et hoc quasi exponens, subdit :

« *Et disperdam habitatorem,* » omnem scilicet universaliter, « *de campo idoli.* » *Campus* dicitur, quia plana terra est Syria : et *idoli,* quia plena idolis. Isa. VI, 11 : *Desolatæ sunt civitates absque habitatore, et domus sine homine.* Isa. II, 8 : *Repleta est terra ejus idolis.* « *Et tenentem sceptrum,* » disperdam scilicet regalem tribum, « *de domo voluptatis.* » Reges enim Syriæ voluptati vacabant sicut Sardanapalus, ut dicit Hieronymus. Voluptas enim causa luxuriæ est et fomentum. Job, XXVIII, 13 : *Non invenitur in terra suaviter viventium.*

Et subjungit de populo : « *Et transferetur populus Syriæ,* » per captivitatem scilicet, « *Cyrenen,* » quæ est regio ultra Ægyptum, quod factum est a Theglatphalasar [1]. « *Dicit Dominus :* » confirmatio præcedentium est. Isa. XXXI, 2 : *Ipse sapiens adduxit malum, et verba sua non abstulit.*

Septuaginta, ubi nos habemus, « *In plaustris ferreis Galaad* [2], » habent : « Eo quod trituraverunt in serris ferreis « prægnantes Galaad. » Spiritualiter autem tria scelera sunt, peccatum cogitationis, locutionis, et operis, quibus aliquando parcitur, sed si addatur peccatum desperationis per finalem impœnitentiam non parcitur. De primo dicitur, Isa. I, 16 : *Auferte malum cogitationum vestrarum ab oculis meis.* De secundo, Matth. XII, 37 : *Ex verbis tuis justificaberis, et ex verbis tuis condemnaberis.* De tertio, Isa. I, 16 et seq. : *Quiescite agere perverse, discite benefacere,* etc. *Si fuerint peccata vestra ut coccinum, quasi nix dealbabuntur.* De quarto, I Joan. V, 16 : *Est peccatum ad mortem : non pro illo dico ut roget quis.* Damascus autem interpretatur *potus sanguinis,* et significat eos qui delectabiliter bibunt corruptionem peccati a sanguine procedentem. Apoc. XVI, 6 : *Sanguinem dedisti eis bibere. Plaustrum* autem *ferreum* rota est volubilitatis humanæ et fortunæ, et maxime potestatis qua mali triturant et serrant bonos. Jacob. II, 6 :

Peccatum omne dimittitur poscenti citra desperationem.

[1] Cf. IV Reg. XVI, 7 et seq.

[2] Cf. enarrationem superius factam, in ℣. 3.

Nonne divites per potentiam opprimunt vos, et ipsi pertrahunt vos ad judicia? Boni enim significantur per *Galaad*, quod *acervus testimonii* interpretatur, quia coacervant testimonia Scripturarum, et secundum ea dirigunt vitam. I Paralip. xx, 3 : *Fecit super eos tribulas, et trahas, et ferrata carpenta transire.* Azael autem interpretatur *desertio*, Benadad vero *filius spontaneus*, et significant desertos a gratia et spontaneos ad malum. Prov. I, 16 : *Pedes illorum ad malum currunt. Vectes* fortitudinem sæculi significant, quam conterit Dominus. Isa. VIII, 4 : *Auferetur fortitudo Damasci.* Psal. CVI, 16 : *Contrivit portas æreas, et vectes ferreos confregit. Campus* autem *idoli* latitudinem significat simulacrorum mundi, in quo alius ventrem adorat, ad Philip. III, 19 : *Quorum Deus venter est :* alius libidinem venereorum, Psal. CV, 28 : *Initiati sunt Beelphegor :* alius vero mammona, hoc est, divitias, ad Ephes. V, 5 : *Avarus, quod est idolorum servitus.* Hoc disperdit Dominus, Psal. C, 8 : *In matutino interficiebam omnes peccatores terræ : ut disperderem de civitate Domini omnes operantes iniquitatem.* Sceptrum autem tenens in domo voluptatis, gula est, Isa. IX, 4 : *Sceptrum exactoris ejus superasti.* « Exactor enim venter est, » ut dicit Gregorius. Habac. III, 14 : *Maledixisti sceptris ejus. Populus* autem *Syriæ*, qui *sublimis* interpretatur, superbos significat, qui in *Cyrenen* transfertur, quia dæmonibus datur in hæreditatem. Cyrenen enim *hæres* interpretatur. Numer. XXIV, 18 : *Hæreditas Seir cedet inimicis suis.* Isa. XVII, 3 : *Et cessabit adjutorium ab Epraim, et regnum a Damasco : et reliquiæ Syriæ sicut gloria filiorum Israel erunt,* scilicet cessabunt.

6 « *Hæc dicit Dominus.* » Post onus Syriæ, quæ plus afflixit populum Dei, subjungit onus Philisthiim, quia Philisthiim propinqui inimici fuerunt, et omnes juverunt qui populum Dei persecuti sunt.

Dividitur autem sicut præcedens :

Primo, itaque inducit sermonis auctoritatem : « *Hæc dicit Dominus.* » Ad Rom. IV, 21 : *Quæcumque promisit Deus, potens est et facere.* « *Super tribus sceleribus Gazæ.* » Gaza metropolis est Philisthinorum, unde per Gazam et alias quas inducit Philisthinorum civitates, quæ semel et iterum et tertio, hoc est, mulcta, fame per terræ vastitatem, et gladio populum Dei persecuti sunt. « *Et super quatuor,* » hoc est, quarto, obstinatam voluntatem addiderunt, « *non convertam eum,* » ut scilicet conversus ulterius non peccet, sed potius peccata impleat. Job, XV, 20 : *Cunctis diebus suis impius superbit.*

Et subdit actum peccati : « *Eo quod transtulerint captivitatem perfectam.* » Captivitatem materialiter intelligit, et est sensus quod captivitatem perfectam translatione fecit : fugientes enim filios Israel ad eos, Idumæis vendiderunt, et puniendos dederunt, et propter hoc irrevocabilis facta est captivitas eorum. Et hoc est quod sequitur : « *Ut concluderent eam,* » scilicet captivitatem, « *in Idumæa.* » Idumæi enim semper fuerunt infesti filiis Israel et inimici. Unde pater eorum dixit, Genes. XXVII, 41 : *Venient dies luctus patris mei, et occidam Jacob fratrem meum.*

Idumæi semper fu runt Judæ infesti.

Significant autem hæc tria scelera, peccatum in voluntate et in consensu et in opere, quibus quartum additur, scilicet peccatum obdurationis, quod etiam peccatum est in Spiritum sanctum. De tribus dicitur, Job, XXXIII, 29 : *Hæc omnia operatur Deus tribus vicibus per singulos*, hoc est, puniendo in singulis tria peccata. De quarto autem, quod est obduratio, Eccli. III, 27 : *Cor durum male habebit in novissimo : et qui amat periculum, in illo peribit.* Unde et de quibusdam sic per obstinationem converti nolentibus dictum est, Numer. XVI, 15 : *Ne respicias sacrificia eorum.* De-

Desperati sola est irremissibilis.

speratorum quippe sacrificiis Deus non placatur. Obduratio enim peccatum est quo aliquis obfirmat cor, ne vel beneficiis per charitatem mollescat, vel timore pœnarum frangatur, vel compunctione scindatur ad pœnitentiam. Psal. xciv, 8 : *Nolite obdurare corda vestra :* talibus enim juravit, ut non introirent in requiem. Ad Hebr. iii, 18 et 19 : *Quibus autem juravit non introire in requiem ipsius, nisi illis, qui increduli fuerunt? Et videmus, quia non potuerunt introire propter incredulitatem.* Gaza vero *fortitudo* vel *imperium* interpretatur, et significat Prælatos qui dicunt, Sap. ii, 11 : *Sit fortitudo nostra lex justitiæ.* Hi captivant in peccatis subditos. II ad Timoth. iii, 6 : *Captivas ducunt mulierculas,* hoc est, molles animas, *oneratas peccatis.* Et concludunt perfectam captivitatem in Idumæam, quæ *terrena* vel *sanguinea* interpretatur, quia faciunt eos amare carnem in libidine, et terram in avaritia, ex quo amore perficitur captivitas eorum, ita quod desperata fiat. Isa. xix, 4 : *Rex fortis dominabitur eorum.* Abdiæ, ℣℣. 10 et seq. : *Propter interfectionem, et propter iniquitatem in fratrem tuum Jacob, operiet te confusio, et peribis in æternum. In die cum stares adversus eum, quando capiebant alieni exercitum ejus,* etc. Hieronymus : « *Alieni* specialiter Philisthæi dicuntur. »

Obduratio cordis, quid?

7 « *Et mittam ignem in murum Gazæ.* » Murus Gazæ ardere non potest, et ideo murus munitionem significat, et maxime homines qui muniunt terram, sicut sapientes et potentes quos Deus dissipat. Threm. ii, 8 : *Cogitavit Dominus dissipare murum filiæ Sion.* Et ibidem : *Murus pariter dissipatus est.* « *Et devorabit ædes ejus,* » hoc est, ædificia : ædificia enim munitionum sæculi deficient. Matth. xxiv, 2 : *Non relinquetur hic lapis super lapidem, qui non destruatur.*

Munitiones potentium Deus evertit.

8 « *Et disperdam habitatorem de Azoto,* » quæ est secunda civitas seu metropolis Philisthinorum. Quinque enim sunt civitates Philisthiim, de quibus dicitur I Reg. v, 1 et seq. [1]. Azotus autem interpretatur *ignis uberum,* et significat libidinis ardorem. Osee, ii, 2 : *Auferat fornicationes suas a facie sua, et aldulteria sua de medio uberum suorum.* « *Et tenentem sceptrum de Ascalone.* » Glossa : « Ascalon antiquitus « vocabatur Philisthiim, unde et regio « postea vocata est Philisthæa, eo quod « Ascalon principalis civitas est in ea, « et est ista tertia civitas Philisthino« rum : interpretatur autem *ignis infa*« *mis,* in qua sceptrum tenent Sodomitæ. » Ad Rom. i, 26 : *Propterea tradidit illos Deus in passiones ignominiæ.* Gen. xiii, 13 : *Homines Sodomitæ pessimi erant.* « *Et convertam manum meam,* » percutientem scilicet, « *super Accaron,* » quæ quarta civitas est inter civitates Philisthinorum. Accaron interpretatur *sterilitas,* et significat otiosos vel pigros, qui steriles sunt ad omnem bonum fructum. Prov. xxiv, 30, 31 : *Per agrum hominis pigri transivi, et per vineam viri stulti : et ecce totum repleverant urticæ, et operuerant superficiem ejus spinæ.* Ager ab agendo dicitur, et perfectionem in actione virtutum significat, loco cujus in pigro crescunt urticæ concupiscentiarum carnalium. Urtica enim ab urendo dicitur, tales vero libidine utuntur. Ad Galat. v, 17 : *Caro concupiscit adversus spiritum.* Dimittit autem hic quintam civitatem, quæ *Geth* vocabatur, quia ista minima fuit, et parvus respectus habebatur ad ipsam : interpretatur autem *torcular,* et significat tyrannos hujus sæculi, qui alios torquent et comprimunt. Isa. xvi, 10 : *Vinum in torculari non calcabit, qui calcare consueverat.* Post omnes autem civitates subjungit de terræ destructione : « *Et peribunt reliqui Philisthinorum.* » Philisthiim *potioneca dentes*

[1] Scilicet Gaza, Azotus, Ascalon, Geth et Accaron, uti videre est, Josue, xiii, 3.

interpretantur, et significant eos qui bibunt velut aquam subsannationem. Job, XXXIV, 7 : *Qui bibit subsannationem quasi aquam.* Jerem. XXV, 27 : *Bibite, et inebriamini, et vomite : et cadite, neque surgatis a facie gladii, quem ego mittam inter vos.* « *Dicit Dominus Deus.* » Confirmatio est prædictorum. Matth. XXIV, 35 : *Cœlum et terra transibunt, verba autem mea non præteribunt.*

9 « *Hæc dicit Dominus.* » Post onus Philisthinorum ponit onus Tyri et Sidonis, qui in alia parte terræ conjuncti erant Judæis, et multis afflictionibus affligebant populum.

« *Super tribus sceleribus Tyri,* » qui obsidione, fame et gladio persecutus est populum, « *et super quatuor.* » Quartum peccatum est, cordis induratio. Induratio enim est pertinacia permanendi in peccato, a quo homo non recedit per verecundiam, nec flectitur per aliquem boni affectum. Ezech. III, 7 : *Omnis quippe domus Israel attrita fronte est, et duro corde.* Jerem. III, 3 : *Frons mulieris meretricis facta est tibi, noluisti erubescere.* Hæc autem induratio est peccatum in Spiritum sanctum, et ob hoc sequitur : « *Non convertam eum.* » Matth. XII, 37 : *Qui dixerit contra Spiritum sanctum, non remittetur ei, neque in hoc sæculo, neque in futuro* [1].

Induratio cordis, quid?

Et subjungit causam :

« *Eo quod concluserint captivitatem perfectam,* » hoc est, perfecte, « *in Idumæa.* » Sicut enim Philisthiim, ita et isti populum ad se fugientem vendiderunt Idumæis. Isa. V, 13 : *Propterea captivus ductus est populus meus, quia non habuit scientiam.* In Idumæa autem concluditur, quæ *sanguinea* interpretatur, qui vitiis sanguinis et carnis addicitur. Ad Roman. VII, 25 : *Infelix ego homo, quis me liberabit de corpore mortis hujus.* « *Et non sint recordati fœderis fratrum.* » *Fœdus fratrum* dicitur fœdus quod habuit Hiram, rex Tyri, cum David et Salomone [2]. Et dicuntur *fratres* amicitia, eo quod amici ut fratres se diligunt. Joan. VIII, 41 : *Unum patrem habemus Deum.* Isa. XXIV, 5 : *Dissipaverunt fœdus sempiternum.* Matth. XXIII, 8 : *Omnes vos fratres estis.* Job, XIX, 13 : *Fratres meos longe fecit a me.*

« *Et mittam ignem,* » iræ meæ scilicet. Ad Hebr. IX, 27 : *Terribilis quædam exspectatio judicii, et ignis æmulatio, quæ consumptura est adversarios.* « *In murum Tyri.* » Tyrus *angustia* interpretatur, et significat sollicitudinem sæculi : murus autem munitionem significat divitiarum. Ezech. XIII, 11 : *Dic ad eos, qui liniunt murum absque temperatura, quod casurus sit.* Absque temperatura enim linitur, quod sine charitate conjungitur. « *Et devorabit ædes ejus.* » Quidquid enim sollicitudine nimia ædificatur, ignis iræ Dei consumit. Job, XV, 34 : *Ignis devorabit tabernacula eorum, qui munera libenter accipiunt.* 10

Nimia sollicitudo dissipatur a Deo.

« *Hæc dicit Dominus.* » Quarto hic subjicit de onere Idumæorum, qui semper filios Israel, patrueles suos, ex invidia persequebantur, et ideo post finitimas gentes statim ponitur onus eorum. 11

Et sicut in aliis, ita et hic præmittit auctoritatem sermonis dicens : « *Hæc dicit Dominus.* » II Reg. XXIII, 2 : *Spiritus Domini locutus est per me, et sermo ejus per linguam meam.* Et subdit de circumstantia peccati : « *Super tribus sceleribus Edom,* » hoc est, Idumæorum, quod scilicet semel et iterum et tertio populum Dei cum aliis terram vastando, mulctam imponendo, homines interficiendo, persecuti sunt. « *Et super quatuor,* » quod est pertinacia voluntanisi, invidentia scilicet fraternæ gratiæ

[1] Cf. Luc. XII, 10 et Marc. III, 29.

[2] Cf. III Reg. I et seq.

obstinata. Æmulus enim erat fratris sui. Sap. II, 24 et 25 : *Invidia diaboli mors introivit in orbem terrarum : imitantur autem illum qui sunt ex parte illius.*

« *Non convertam eum : eo,* » hoc est, ideo « *quod persecutus sit in gladio,* » hoc est, ad occidendum, « *fratrem suum,* » Jacob scilicet et filios ejus. Unde Genes. XXVII, 41, dixit Esau : *Venient dies luctus patris mei, et occidam Jacob fratrem meum.* Et hoc odium in posteris suis perseveravit. Et hoc est quod sequitur : « *Et violaverit misericordiam ejus,* » qua scilicet naturali vinculo adstrictus ei fuerat. Jacob. II, 13 : *Judicium sine misericordia illi, qui non fecit misericordiam.* Job, XXIV, 20 : *Obliviscatur ejus misericordia.*

In quo autem hoc fecerit, subdit :

« *Et indignationem suam,* » quam scilicet concepit in utero contra eum pro ablatione primogenituræ. Indignatio est proprie aversio vultus et respectus ex odio, ita quod benignum respectum ad eum habere non potest. Genes. XXVII, 41 : *Oderat ergo semper Esau Jacob pro benedictione qua benedixerat ei pater.* Isa. XXX, 27 : *Labia ejus repleta sunt indignatione.* « *Servaverit usque in finem,* » contra illud quod dicitur, ad Ephes. IV, 26 : *Sol non occidat super iracundiam vestram :* « *et tenuerit ultra,* » supple, quam debuisset, « *furorem suum,* » contra illud quod dicitur, ad Rom. XII, 21 : *Noli vinci a malo, sed vince in bono malum.* Levit. XIX, 18 : *Non quæras ultionem, nec memor eris injuriæ civium tuorum.* Psal. XXXVI, 8 : *Desine ab ira, et derelinqne furorem : noli æmulari ut maligneris.* Hoc autem quod dicitur, « *usque in finem,* » notat quod in peccato usque ad mortem perseveraverit, vel quod peccatum peccato cumulaverit usque in finem condemnationis. Contra quod dicitur, Psal. CII, 9 : *Non in perpetuum irascetur,* scilicet Dominus : *neque in æternum comminabitur.*

Indignatio, quid ?

Ira non est diu in animo retinenda.

Et subdit pœnam : 12

« *Mittam ignem in Theman,* » quæ est metropolis Idumæorum, et *auster* interpretatur. Et de igne iræ divinæ intelligitur, Isa. XXX, 27 : *Ardens furor ejus, et gravis ad portandum.* « *Et devorabit ædes Bosræ,* » quæ est alia metropolis ejusdem regni, et interpretatur *munita.* Et intendit quod munitiones et civitates omnes Idumææ destruentur. Isa. XXXIV, 8 : *Victima Domini in Bosra, et interfectio magna in terra Edom.* Abdiæ, ℣. 18 : *Et erit domus Jacob ignis, et domus Joseph flamma, et domus Esau stipula : et succendentur eis, et devorabunt eos : et non erunt reliquiæ domus Esau.*

Ista pars spiritualiter exponitur de invidis, quorum tria et quatuor scelera sunt. Primum quidem parvitas cordis : omnia enim parva reputat quæ habet, quamdiu alium videt in prosperis. Job, V, 2 : *Parvulum occidit invidia.* Unde Esther, III, 1 et 2, Aman (qui *iniquus* interpretatur) cum omnia haberet, nihil reputavit, quia vidit Mardochæum sedentem ante fores palatii. Secundum est tristitia de bono alterius : torquetur enim invidus in bonis proximi. Unde Poeta :

Invidus quatuor peccatis obnoxius.

> Invidia Siculi non invenere tyranni
> Majus tormentum.

Sap. II, 14 et 15 : *Factus est nobis in traductionem cogitationum nostrarum. Gravis est nobis etiam ad videndum.* Tertium est machinatio continua ad nocendum. Prov. VI, 14 : *Pravo corde machinatur malum, et omni tempore jurgia seminat.* Isti sunt tres spiritus, de quibus dicitur, Apoc. XVI, 13 et 14 : *Vidi de ore draconis, et de ore bestiæ, et de ore pseudoprophetæ spiritus tres immundos in modum ranarum. Sunt enim spiritus dæmoniorum.* Quartum est pertinax fratris impugnatio, qua scilicet sine fœdere fratres impugnant. Cantic. I, 5 : *Filii matris meæ pugnaverunt contra me.* Et hæc facile est referre ad ea quæ sequuntur. Quod enim dicit, *non con-*

vertam, glossandum est pro vix convertam. Isa. vi, 10 : *Ne convertatur, et sanem eum.* Quod dicit, *quod persecutus sit in gladio fratrem suum*, de linguæ gladio intelligitur. Prov. xxx, 14 : *Generatio, quæ pro dentibus habet gladios, et commandit molaribus, ut comedat inopes de terra.* Job, v, 15 : *Salvum faciet egenum a gladio oris eorum.* Quod autem *violat misericordiam et tenet furorem et indignationem*, commune est utrique expositioni. *Ignis* autem *qui mittitur in Themam*, iram Dei significat in prospera invidi, pro quibus invidet alienæ felicitati. Psal. cxxxix, 11 : *In ignem dejicies eos : in miseriis non subsistent.* Quod dicit *de Bosra*, significat munitiones quibus se munit ad nocendum proximo, quæ igne iræ Dei succendentur. Psal. lxvii, 3 : *Sicut fluit cera a facie ignis, sic pereant peccatores a facie Dei.*

13 « *Hæc dicit Dominus.* » Tangit hic onus Ammon, qui fuit unus de filiis Lot, a quo populus Ammonitarum disseminatus est, et ordinem tenet consuetum, scilicet primo, sermonis ponens auctoritatem : secundo, sceleris circumstantiam : tertio, actum : quarto, pœnam.

« *Hæc dicit Dominus.* » Numer. xxiii, 19 : *Dixit ergo, et non faciet ? locutus est, et non implebit?* Quasi dicat, non. « *Super tribus sceleribus filiorum Ammon.* » Tria scelera in littera numeravit, scilicet crudelitatem, avaritiam, in quibus tertium intelligitur, quod est persecutio. Quartum autem, obstinata pertinacia est semper hæc faciendi, et hoc onus prolixe describitur[1]. Interpretatur autem Ammon *populus inutilis* vel *populus mœroris*, et significat avaros, qui non tantum inutiles, sed etiam nocivi sunt, et mœroris populus sunt, propter sollicitudines acquirendi, et timorem perdendi divitias. Eccle. v, 15 et 16 : *Quid prodest ei quod laboravit in ventum ? Cunctis diebus vitæ suæ comedit in tenebris et in curis multis, et in ærumna atque tristitia.* Tria vero scelera sunt, aliena concupiscere, non sua illicite acquirere, acquisita duritia cordis retinere, quæ significantur per fuscinulam tridentem, I Reg. ii, 14 : *Omne, quod levabat fuscinula, tollebat sacerdos sibi.* « *Et super quatuor.* » Quartum enim est, insatiabilitas avari. Eccle. v, 9 : *Avarus non implebitur pecunia.* Prov. xxx, 16 : *Ignis numquam dicit : Sufficit.* Ab hoc peccato plusquam ab aliis homo difficulter convertitur, ut dicit Hieronymus. Senescente enim homine, avaritia in eo juvenescit. Eccli. x, 10 : *Nihil est iniquius quam amare pecuniam : hic enim et animam suam venalem habet : quoniam in vita sua projecit intima sua.* Et ideo addit : « *Non convertam eum.* » Jerem. xv, 1 : *Non est anima mea ad populum istum : ejice illos a facie mea.* Difficile enim est a lucris recedere. Matth. xix, 23 et 24 : *Jesus dixit discipulis suis : Amen dico vobis : quia dives difficile intrabit in regnum cœlorum. Et iterum dico vobis : Facilius est camelum per foramen acus transire, quam divitem intrare in regnum cœlorum*[2].

Avaritiam excutere difficile est.

Et subdit peccati actum :

« *Eo quod dissecuerit prægnantes Galaad.* » Hieronymus dicit hoc factum esse tempore Saulis regis, quando Naas Ammonitarum princeps (ut habetur I Reg. xi, 1 et seq.) vastaverat Jabes Galaad, et dissecuerat prægnantes ejus, ut dilataret terminos suos, et omnem Galaad suo imperio subjugaret. Quæ impietas ob hoc gravior censetur, quod cognati fuerint ac propinqui Ammonitis filii Israel ac Galaaditæ. Nam filii Ammon de stirpe Lot sunt generati, qui

[1] Cf. Jerem. xlix, 1 et seq.

[2] Cf. Luc. xviii, 24 et 25 : *Quam difficile, qui pecunias habent, in regnum Dei intrabunt. Facilius est enim camelum*, etc.

filius erat fratris Abraham a quo descenderunt Judæi[1]. II Reg. xiv, 7 : *Quærunt exstinguere scintillam meam, quæ relicta est, ut non supersit viro meo nomen, et reliquiæ super terram.* IV Reg. viii, 12 : *Civitates eorum igne succendes, et juvenes interficies gladio, et parvulos eorum elides, et prægnantes divides.* « *Ad dilatandum terminum suum,* » hoc est, ut terram sortis Manassæ terræ suæ conjungerent, et imperio suo subjicerent. Et hoc expressius tangitur, Jerem. xlix, 1 : *Numquid non filii sunt Israel? aut hæres non est ei? Cur igitur hæreditate possedit Melchom Gad, et populus ejus in urbibus ejus habitavit?*

Avarus viscera discerpit hominum.

Hoc etiam avaris competit qui prægnantes in conceptu boni propositi secant, extrahendo viscera eorum per lucra illicita : quod significatur, IV Reg. iv, 1, ubi vidua clamavit ad Eliseum : *Ecce creditor venit ut tollat duos filios meos ad serviendum sibi.* Prægnans enim dividitur, quando filii torquentur. Hoc isti faciunt ad dilatandum terminum suum. Isa. v, 8 : *Væ qui conjungitis domum ad domum, et agrum agro copulatis usque ad terminum loci!*

Et subdit de pœna :

14 « *Et succendam ignem in muro Rabba.* » Rabba metropolis est filiorum Ammon, per quam tota terra intelligitur. Rabba autem *grande peccatum* interpretatur. Exod. xxxii, 30 : *Peccastis peccatum maximum.* I Reg. ii, 17 : *Erat ergo peccatum puerorum grande.* Eccli. x, 9 : *Avaro nihil est scelestius.* Murus autem qui succenditur, congeries est divitiarum, qua se munit avarus, Ezech. xiii, 14 : *Destruam parietem, quem linistis absque temperamento : et adæquabo eum terræ.* Job, xv, 34 : *Ignis devorabit tabernacula eorum, qui munera libenter accipiunt.* Jacob. v, 3 : *Aurum, et argentum vestrum æruginavit : et ærugo eorum in testimonium vobis erit, et manducabit carnes vestras sicut ignis.*

Et hoc est quod sequitur : « *Et devorabit ædes ejus,* » hoc est, quæcumque laboribus ædificavit et acquisivit. I ad Corinth. iii, 13 : *Uniuscujusque opus quale sit, ignis probabit.* Isa. i, 31 : *Erit fortitudo vestra, ut favilla stuppæ, et opus vestrum quasi scintilla : et succendetur utrumque simul, et non erit qui exstinguat.* « *In ululatu in die belli,* » ululatu scilicet vincentis exercitus, planctuque victorum : quod fit per dæmones in avaris, et per Chaldæos in Ammonitis. « *Et in turbine,* » hoc est, involvente captivitate, « *in die commotionis,* » hoc est, transmigrationis, quando scilicet transmigrabunt de hoc sæculo vel de terra sua. Jerem. xlix, 2 : *Auditum faciam super Rabbath filiorum Ammon fremitum prœlii, et erit in tumulum dissipata, filiæque ejus igni succendentur.*

« *Et ibit Melchom in captivitatem.* » 15
Melchom interpretatur *rex eorum,* quo nomine et idolum eorum et rex vocabatur. Sap. vi, 7 : *Potentes potenter tormenta patientur.* « *Ipse, et principes ejus simul,* » supple, ibunt in captivitatem. Psal. cxlix, 8 et 9 : *Ad alligandos reges eorum in compedibus, et nobiles eorum in manicis ferreis. Ut faciant in eis judicium conscriptum.* Justum est enim quod illi qui fuerunt causa subversionis populi, primi captiventur. Isa. i, 23 : *Principes tui infideles, socii furum.* « *Dicit Dominus.* » Confirmatio est præteritorum, dictum enim Domini stabit. Isa. xl, 8 : *Verbum Domini nostri manet in æternum.*

[1] Cf. Genes. xix, 38.

CAPUT II.

Ultio Domini in Moab, Judam et Israelem, hisque minatur interitum, quem effugere non poterunt : quia acceptis beneficiis semper fuerunt ingrati, Deique legem abjecerunt.

1. Hæc dicit Dominus : Super tribus sceleribus Moab, et super quatuor non convertam eum, eo quod incenderit ossa regis Idumææ usque ad cinerem.
2. Et mittam ignem in Moab, et devorabit ædes Carioth : et morietur in sonitu Moab, in clangore tubæ.
3. Et disperdam judicem de medio ejus, et omnes principes ejus interficiam cum eo, dicit Dominus.
4. Hæc dicit Dominus : Super tribus sceleribus Juda, et super quatuor non convertam eum, eo quod abjecerit legem Domini et mandata ejus non custodierit : deceperunt enim eos idola sua, post quæ abierant patres eorum.
5. Et mittam ignem in Juda, et devorabit ædes Jerusalem.
6. Hæc dicit Dominus : Super tribus sceleribus Israel, et super quatuor non convertam eum, pro eo quod vendiderit pro argento justum, et pauperem pro calceamentis:
7. Qui conterunt super pulverem terræ capita pauperum, et viam humilium declinant : et filius ac pater ejus ierunt ad puellam, ut violarent nomen sanctum meum.
8. Et super vestimentis pignoratis accubuerunt juxta omne altare, et vinum damnatorum bibebant in domo Dei sui.
9. Ego autem exterminavi Amorrhæum a facie eorum [1], cujus altitudo, cedrorum altitudo ejus, et fortis ipse quasi quercus : et contrivi fructum ejus desuper, et radices ejus subter.
10. Ego sum qui ascendere vos feci de terra Ægypti, et duxi vos in deserto quadraginta annis, ut possideretis terram Amorrhæi [2].
11. Et suscitavi de filiis vestris in prophetas, et de juvenibus vestris Nazaræos. Numquid non ita est, filii Israel? dicit Dominus.
12. Et propinabitis Nazaræis vinum, et prophetis mandabitis, dicentes : Ne prophetetis.
13. Ecce ego stridebo subter vos, sicut stridet plaustrum onustum fœno.
14. Et peribit fuga a veloce, et fortis non obtinebit virtutem suam, et robustus non salvabit animam suam :
15. Et tenens arcum non stabit, et velox pedibus suis non salvabitur, et ascensor equi non salvabit animam suam :
16. Et robustus corde inter fortes nudus fugiet in illa die, dicit Dominus.

[1] Numer. xxi, 24 ; Deuter. ii, 24.

[2] Exod. xiv, 21 ; Deuter. viii, 2.

IN CAPUT II AMOS

ENARRATIO.

« *Hæc dicit Dominus.* » Sexto loco hic ponit onus Moab, qui etiam fuit filius Lot de incestu filiæ natus [1], et eumdem quem in aliis tenet ordinem.

1 Primo ergo auctoritatem ostendit sermonis, etc. « *Hæc dicit Dominus.* » Exod. xxiv, 3 : *Omnia verba Domini, quæ locutus est, faciemus.* Hoc onus prolixius describitur Isa. xv, 1 et seq., xlviii, 1 et seq.

De circumstantia autem delicti, subdit : « *Super tribus sceleribus Moab.* » Moabitæ frequenter infesti fuerunt filiis Israel : nam pergentibus ad destinatam terram promissionis, proterve nimis obstiterunt, ne liceret illis per terminos eorum transire. Quod quia armata manu perficere non præsumebant, exemplo territi Chananæorum ac Amorrhæorum, quos superaverant filii Israel, ut habetur Num. xxii, pretio conduxit Balac filius Sephor rex Moab, Balaam filium Beor ariolum, qui populo Israel malediceret. Id vero cum prohibente Deo facere non auderet, victus tandem iniqui principis largitione, consilium dedit de submittendis ad castra filiorum Israel mulieribus, quarum illecebris ad fornicationem ac idololatriam protracti, irato Deo a Moabitis cæderentur [2]. In quo duplex peccatum commiserunt, alterum quod citra alicujus incommodum transitum petentibus cognatis negabant, alterum quod ad fornicationes ac idololatriam populum Dei induxerunt. Quibus a successoribus conjunctum est tertium, ruptio videlicet fœderis quod fuit Moabitis cum rege Israel, ut habetur, IV Reg. iii. « *Et super quatuor.* » Quartum scelus est, quod etiam debacchati sunt in mortuum, quod nimiæ crudelitatis est argumentum. Dicit enim Hieronymus, quod « mortuum « effoderunt, et ossa ejus igne combus- « serunt, ut facerent mortuo quod non « poterant facere vivo, et ut nec mortem « paterentur esse finem malorum om- « nium. » Et ideo subdit : « *Non convertam eum,* » quia conversione indignus est. Isa. ii, 9 : *Ne ergo dimittas eis.*

Et subdit peccati actum :

« *Eo quod incenderit ossa regis Idumææ,* » jam mortui scilicet, « *usque ad cinerem,* » debacchantes etiam in ossa mortui, et partes partium ossium, ut nihil ejus integrum remaneret. Mich. iii, 3 : *Ossa eorum confregerunt, et conciderunt sicut in lebete.* Ezech. xxiv, 10 : *Congere ossa, quæ igne succendam.* Hieronymus : « Quod si Deus ita ulciscitur « eos, qui eum non cognoverunt, quid « faciet pro his qui eum colunt ? »

Contra mortuos non pugnandum.

« *Et,* » supple, ideo « *mittam ignem* » iræ meæ « *in Moab,* » hoc est, in populum, et in terram Moab. Deuter. iv, 24 : *Dominus Deus tuus ignis consumens est :* « *et devorabit ædes Carioth,* » quæ fuit civitas metropolis Moabitarum, per cujus destructionem destructio regni significatur. Et hoc factum est per Nabuchodonosor regem. Jerem. xlviii, 24 et 25 : *Super Carioth, et super Bosra : et super omnes civitates Moab, quæ longe, et quæ prope sunt. Abscissum est cornu Moab, et brachium ejus contritum est.* Ezech. xxviii, 18 : *Producam ignem de medio tui, qui comedat te : et dabo te in cinerem super terram in conspectu omnium videntium te.* « *Et morietur in sonitu Moab,* » hoc est, in sonitu quem dabunt hostes clamando contra eos : Moab enim est nominativi casus. Psal. ix, 7 : *Periit memoria eorum cum sonitu.* Job, xxxix, 25 : *Procul odoratur bellum, exhortationem ducum, et ululatum exercitus.* 2

[1] Cf. Genes. xix, 37.

[2] Cf. Numer. xxiii et xxiv.

« *In clangore tubæ,* » supple, erit sonitus. Victores enim tuba clanxerunt super eos, et hoc *sonitum* vocat. Unde, Jerem. XLII, 14 : *Ad terram Ægypti pergemus : ubi non videbimus bellum, et clangorem tubæ non audiemus.* Job, XV, 21 : *Sonitus terroris semper in auribus illius.*

3 « *Et disperdam judicem,* » hoc est, regem, « *de medio ejus.* » Psal. II, 9 : *Reges eos in virga ferrea, et tamquam vas figuli confringes eos.* « *Et omnes principes ejus interficiam cum eo,* » ut auctores criminis, primi sint in pœnis. Malach. II, 12 : *Disperdet Dominus virum qui fecerit hoc, magistrum et discipulum de tabernaculis Jacob.* « *Dicit Dominus.* » Confirmatio est eorum quæ dicta sunt.

Impugnator veritatis pullus est dæmonis.

Spiritualiter autem Moab *ex patre* interpretatur, et significat eos qui veritatem impugnant : hi enim ex patre diabolo sunt. Joan. VIII, 44 : *In veritate non stetit.* Et post pauca : *Mendax est, et pater ejus.* Horum tria scelera sunt : sermonis compositio, contra quod dicitur, I ad Corinth. II, 1 : *Veni ad vos non in sublimitate sermonis, aut sapientiæ, annuntians vobis testimonium Christi.* Secundum, sublimitatis divinæ nimia perscrutatio, Sap. IX, 14 : *Cogitationes mortalium timidæ, et incertæ providentiæ nostræ.* Et post pauca, ℣℣. 16 et 17 : *Difficile æstimamus quæ in terra sunt : et quæ in prospectu sunt, invenimus cum labore. Quæ autem in cœlis sunt quis investigabit ? Sensum autem tuum quis sciet ?* Prov. XXV, 27 : *Qui scrutator est majestatis, opprimetur a gloria.* Tertium est per philosophicas rationes syllogismorum complexio contra veritatem : de quo dicitur, Job, XXXVIII, 2 : *Quis est iste involvens sententias sermonibus imperitis ?* Quartum autem est peccatum in Spiritum sanctum, ex odio scilicet impugnatio veritatis agnitæ, quod faciunt hæretici : propter quod dicit Augustinus, quod « contra veritatem sine fœdere bel« lant. » Contra quos dicitur, Joan. VIII, 46 : *Si veritatem dico vobis, quare non creditis mihi ?* II ad Timoth. III, 8 : *Quemadmodum Jamnes et Mambres resisterunt Moysi : ita et hi resistunt veritati, homines corrupti mente, reprobi circa fidem.* Hi incendunt ossa regis Idumææ, hoc est, Christi. Ossa enim ejus sunt solidæ veritates de subtilitate divinitatis, quæ isti incendunt zelo hæreticæ pravitatis. Contra quod dicitur, Joan. XIX, 36. *Os non comminuetis ex eo*[1]. Et « *usque ad cinerem* » deducunt, quando in conspectu populi veritatem vilem reddunt et conculcandam præbent ut cinis. Propter quod dicitur, Matth. VII, 6 : *Nolite sanctum dare canibus : neque mittatis margaritas vestras ante porcos, ne forte conculcent eas pedibus.* Propter quod ignis iræ Dei procedit in tales. Judith, XVI, 21 : *Dabit ignem, et vermes in carnes eorum, ut utantur, et sentiant in sempiternum.* Iste ignis « *devorabit ædes Carioth,* » quæ *occursus ignis* interpretatur, quia igne diaboli inflammati, veritati se opponunt. Sophon. III, 8 et 9 : *In igne zeli mei devorabitur omnis terra. Quia tunc reddam populis labium electum, ut invocent omnes in nomine Domini, et serviant ei humero uno.* Consumpto enim terreno intellectu, veritatis labium redditur. Hoc modo « *in sonitu* » moritur iste Moab. Sacri enim Doctores sonant contra eum, de quibus dicitur in Psal. XVIII, 6 : *In omnem terram exivit sonus eorum.* « *Judex dispergitur,* » quia hæresiarcha qui hæresim invenit, vincitur et confunditur, ut Arius, Sabellius, et hujusmodi. II ad Timoth. III, 9 : *Ultra non proficient : insipientia enim eorum manifesta erit omnibus.* « *Principes* » eorum, potentes sæculi sunt eis credentes, qui gladio verbi Dei interficiuntur. Isa. XI, 4 : *Spiritu labiorum suorum interficiet impium.*

Hæreticorum oppressio et interitus.

[1] Exod. XII, 46 : *Nec os illius,* scilicet agni paschalis, *confringetis.*

4 « *Hæc dicit Dominus.* » Post onera Gentium transit ad onus Juda, hoc est, duarum tribuum, quæ in hoc plusquam decem tribus peccaverunt, quia Sacerdotes et Prophetas habuerunt, quorum monita contempserunt.

« *Hæc dicit Dominus.* » Modum enim tenet quem in aliis tenuit in divisione. Unde quod dicit, « *Hæc dicit Dominus,* » auctoritas sermonis est. IV Reg. x, 10 : *Videte ergo nunc quoniam non cecidit de sermonibus Domini in terram.* « *Super tribus sceleribus Juda, et super quatuor.* » Tria scelera sunt quæ in littera commemorat, scilicet legis abjectio, quia scire eam noluerunt. Job, xxi, 14 : *Scientiam viarum tuarum nolumus.* Secundum, mandatorum et præceptorum non observatio, quod corruptionem fecit in opere. Jerem. vi, 19 : *Verba mea non audierunt, et legem meam projecerunt.* Psal. cxviii, 21 : *Maledicti, qui declinant a mandatis tuis.* Tertium, ad idola conversio. Jerem. ii, 5 : *Ambulaverunt post vanitatem, et vani facti sunt.* Istæ sunt tres turmæ, de quibus dicitur, Job, i, 17 : *Chaldæi fecerunt tres turmas, et invaserunt camelos, et tulerunt eos, necnon et pueros percusserunt gladio.* Hæc in una expositione communi exponuntur etiam de clericis qui legem non curant, mandata non servant, et simulacra in delectabilibus mundi venerantur. Quartum autem est, sacrati loci profanatio : sicut enim illi idolis templum, ita isti turpitudinibus Ecclesias profanant. Jerem. ii, 7 : *Ingressi contaminastis terram meam, et hæreditatem meam posuistis in abominationem.* Et ideo dicit : « *Non convertam eum,* » non quin Deus paratus sit dare pœnitentiam, sed quia fructum conversionis demerentur pertinacia voluntatis. Jerem. xiii, 23 : *Si mutare potest Æthiops pellem suam, aut pardus varietates suas : et vos poteritis benefacere, cum didiceritis malum.*

Clericorum peculiaria peccata.

De primo peccato subdit :

« *Eo quod abjecerit legem Domini,* » contra quod dicitur in Psal. xxxvi, 31 : *Lex Dei ejus in corde ipsius.* De secundo : « *Et mandata ejus non custodierit,* » moralia scilicet, quæ de lege naturæ sunt. Isa. xxiv, 5 : *Transgressi sunt leges, mutaverunt jus, dissipaverunt fœdus sempiternum.* De tertio subdit : « *Deceperunt enim eos idola sua.* » Bene dicit, « *idola,* » quia *nihil est idolum in mundo*[1], sed apparentia quædam est : apparens autem et non existens causa deceptionis est. III Reg. xxii, 22 : *Decipies et prævalebis*, dixit Dominus spiritui mendacii. « *Post quæ,* » scilicet idola, « *abierant patres eorum,* » et filios illius transgressionis hæredes constituerunt. Nehem. ix, 26 : *Projecerunt legem tuam post terga sua.* Et infra post pauca, ℣. 33 : *Nos autem impie egimus*, supple, qui sumus filii eorum. Thren. v, 7 : *Patres nostri peccaverunt, et non sunt : et nos iniquitates eorum portavimus.*

Et subdit de pœna :

« *Et mittam ignem in Juda,* » vindictam scilicet iræ meæ. Daniel. vii, 10 : 5
Fluvius igneus, rapidusque egrediebatur a facie ejus. « *Et devorabit ædes Jerusalem.* » Jerusalem enim metropolis est duarum tribuum, et Ecclesiam significat, cujus ædes tali vitio consumptæ sunt. Isa. lxiv, 11 : *Domus sanctificationis nostræ, et gloriæ nostræ, ubi laudaverunt te patres nostri, facta est in exustionem ignis*, libidinis scilicet. Job, xxxi, 12 : *Ignis est usque ad perditionem devorans, et omnia eradicans genimina.*

« *Hæc dicit Dominus.* » Ultimo ponit 6
onus Israel, quia illic diutius vult immorari. Eumdem autem modum tenet divisionis quem et in aliis.

Dividitur autem in partes duas. Primo enim ponit onus per quatuor differentias

[1] I ad Corinth. viii, 4.

sicut in aliis : secundo, peccatum propter quod onus inducit, exaggerat, ibi, ℣. 9 : « *Ego autem exterminavi.* »

Primo ergo more suo auctoritatem inducit sermonis, dicens : « *Hæc dicit Dominus.* » Matth. v, 18 : *Iota unum, aut unus apex non præteribit a lege.* « *Super tribus sceleribus Israel,* » hoc est, decem tribuum, « *et super quatuor,* » quæ per ordinem ponit in littera, scilicet justi venditionem, pauperum contritionem, viæ humilium declinationem, et quartum, matrimonii violationem. « *Non convertam eum.* » Impetus enim concupiscentiæ quasi equus effrænis a Deo abducit. Jerem. ii, 24 : *Omnes, qui quærunt eam, non deficient: in menstruis ejus invenient eam,* hoc est, in defectibus.

Et subjungit de peccato primo :

Injustitia abducit a Deo.

« *Pro eo quod vendiderit pro argento justum,* » masculine scilicet vel neutraliter, hoc enim faciunt expresse judices Ecclesiæ. Isa. v, 23 : *Væ qui justificatis impium pro muneribus, et justitiam justi aufertis ab eo !* Deut. xvi, 19-20 : *Non accipies personam, nec munera : quia munera excæcant oculos sapientium, et mutant verba justorum. Juste quod justum est persequeris.*

Et exaggerat hoc peccatum ulterius : « *Et pauperem pro calceamentis,* » supple, vendiderunt. Septuaginta : « Et pauperem propter calceamenta, quæ calcant super pulverem terræ. » Hieronymus : « Primum ergo eorum scelus est, sive « impietas in tribus vel quatuor crimi- « nibus enumerata, quod propter pecu- « niam hominem vendiderunt, et homi- « nem justum, qui in eo admirabilior est, « quod nec paupertate superatus est, ut « iniquum aliquid faceret, nunc autem « pro re vilissima, calceamentis scilicet « quibus pulverem calcant et fimum, pre- « tiosam animam pauperis justi vendide- « runt. » Hoc calceamentum, nimiam curam significat hujus mortiferæ pellis. Exod. iii, 5 : *Solve calceamentum de pedibus tuis : locus enim, in quo stas, terra sancta est.* Job, xxiv, 9 : *Vim fecerunt deprædantes pupillos, et vulgum pauperem spoliaverunt,* hoc est, pauperem publicum, qui etiam apud vulgum pauper reputabatur.

Et subjungit de secundo :

« *Qui conterunt,* » angaria scilicet cor- 7
poris, « *super pulverem terræ,* » hoc est, ut plus comminuti sint quam pulvis, « *capita pauperum.* » Septuaginta : « Qui percutiunt in capite pauperem. » Isa. iii, 15 : *Quare atteritis populum meum, et facies pauperum commolitis ?* Psal. cix, 6 : *Conquassabit capita in terra multorum.*

Et subjungit de tertio :

« *Et viam humilium declinant.* » *Humiles* sunt simplices de populo, quorum viam declinant a mandatis Dei per scandalum. Malach. ii, 8 : *Vos recessistis de via, et scandalizastis plurimos in lege.* Isa. iii, 12 : *Popule meus, qui te beatum dicunt, ipsi te decipiunt, et viam gressuum tuorum dissipant.*

Et subdit de quarto :

Rivalis patris filius non erit.

« *Et filius ac pater ejus ierunt ad puellam.* » Septuaginta : « Ad eamdem puellam, » ut scilicet uni et eidem pater et filius commiscerentur, sicut Ruben, Genes. xlix, 4 : *Ascendisti cubile patris tui, et maculasti stratum ejus.* Contra quod dicitur, Levit. xviii, 8 : *Turpitudinem uxoris patris tui non discooperies.* I ad Corinth. v, 1 : *Omnino auditur inter vos fornicatio, et talis fornicatio, qualis nec inter gentes, ita ut uxorem patris suis aliquis habeat.* Hæc puella, ut dicit quædam Glossa, pulchritudinem vanitatis mundi significat, ad quam et pater et filius vadunt, Prælatus scilicet, et subditus. De quo, Poeta Virgilius :

Malo me Galatea petit lasciva puella :
Et fugit ad salices, et se cupit ante videri. [1]

[1] Bucol. Eclog. iii, ℣℣. 64 et 65.

Galatea ista pulchritudinem mundi significans, interpretatur *magnifica*, quæ multos invitat malo, hoc est, pomo, cum tamen fugiat ad salices, hoc est, ad sterilitatem, et nolit videri nisi ante et non post. « *Ut violarent nomen sanctum meum.* » *Ut* non notat causam, sed terminum operis. Ex hoc enim accidit, quod multi malo opere blasphemant nomen Domini. Ezech. xxxvi, 22 : *Propter nomen sanctum meum, quod polluistis in gentibus.*

Et hoc peccatum ulterius exaggerat :

8 « *Et super vestimentis pignoratis,* » hoc est, pignoris loco acceptis, « *accubuerunt,* » talibus scilicet mulieribus. Contra quod dicitur, Exod. xxii, 26 et 27 : *Si pignus a proximo tuo acceperis vestimentum, ante solis occasum reddes ei : ipsum enim est solum, quo operitur, indumentum carnis ejus, nec habet aliud in quo dormiat.* Hieronymus tamen in originali dicit propter litteram Septuaginta, quæ sic habet : « Et vestimenta « sua alligantes funibus, faciebant um- « bracula juxta altare, quod super vesti- « mentis eorum qui ad idola ire nole- « bant, sed ad templum Domini quæ vi « extorserant in idolo epulantes accum- « bebant, et tantus erat contemptus in « Deum, ut ex illis παραπετάσματα, id est, « velamina vel tentoria facerent, quibus « obumbratos fornicantes nullus posset « adspicere : sicut legimus fecisse Absa- « lom ad consilium Achitophel[1], quan- « do polluit concubinas patris sui. » « *Juxta omne altare,* » idolorum scilicet. Multa erant altaria idolorum, altare autem Domini non nisi unum. Osee, x, 1 : *Secundum multitudinem fructus sui multiplicavit altaria, juxta ubertatem terræ suæ exuberavit simulacris.* Hoc apud nos expositione non indiget, quia in Ecclesia et juxta altare concumbunt Sacerdotes cum mulieribus etiam sine velaminibus. « *Et vinum damnatorum,* » hoc est, quos propter hoc damnabant ex calumnia, quod in Jerusalem ad templum Dei pergebant, « *bibebant,* » in luxuria scilicet, et ebrietate, « *in domo Dei sui,* » vituli scilicet, in Bethel, et in Dan : quod nostri Sacerdotes faciunt et judices, qui omne judicium per calumniam in lucrum convertunt, et illo lucro in domo Dei sui, mammona scilicet, ventris vel veneris abutuntur in lascivias. Job, xxiv, 5 et 6 : *Vigilantes ad prædam, præparant panem liberis. Agrum non suum demetunt : et vineam ejus, quem vi oppresserint, vindemiant.*

Deploranda inverecundia.

[1] Cf. II Reg. xvi, 22.

« *Ego autem exterminavi Amorrhæum a facie eorum.* » In hac parte per ingratitudinem exaggerat peccatum decem tribuum, primo ostendens beneficia præstita : secundo, ingratitudinem, ibi, ℣. 12 : « *Et propinabitis.* » Tertio, ingratorum pœnam, ibi, ℣. 13 : « *Ecce ego stridebo.* » 9

Beneficia vero ponendo, primo tangit quatuor beneficia, duo corporalia, et duo spiritualia. Secundo, convincit de veritate beneficiorum, ibi, ℣. 11 : « *Numquid non ita est ?*

Duo corporalia beneficia sunt, primum quidem factum per Josue et judices et reges Israel, hoc est, exterminatio inimici impedientis. Secundum autem eductio de Ægypto, quæ facta est per Moysen, Aaron, Mariam, et Hur.

De priori itaque beneficio corporali dicit :

« *Ego autem exterminavi Amorrhæum a facie eorum,* » hoc est, a præsentia eorum ut liberam invenirent possessionem. Deut. vii, 1 : *Cum introduxerit te Dominus Deus in terram, quam possessurus ingrederis, et deleverit gentes multas coram te, Hethæum, et Gergesæum, et Amorrhæum, et Chananæum, et Pherezæum, et Hevæum, et Jebusæum, septem gentes multo majoris numeri quam tu*

es, et robustiores te. Et cum septem sint, tantum Amorrhæum nominavit, quia ille fortior fuit. Hic dicitur *exterminatus*, quia fuit extra terminos vitæ, et extra terminos terræ promissionis ejectus, ne aliquod scilicet posset procurare impedimentum, quin Israel liberam consequeretur possessionem.

Et subdit de fortitudine illius : « *Cujus altitudo,* » in sublimitate scilicet dignitatis, potestatis, et divitiarum, et corporis proceritate, « *cedrorum altitudo ejus,* » hic est pleonasmus et hyperbole. Pleonasmus, quia superfluit alterum relativorum, sicut ibi, *Cujus participatio ejus in idipsum*[1]. Hyperbole autem, quia excessum facit in comparatione plus ponens et minus significans, sicut Numer. XIII, 34 : *Ibi vidimus monstra quædam filiorum Enac, de genere giganteo : quibus comparati, quasi locustæ videbamur*. « *Et fortis ipse,* » Amorrhæus scilicet, « *quasi quercus.* » Quercus enim arbor durissima et fortissima est, unde et *robur* communi nomine vocatur. Ex cujus vocabulo Philo putat Esau vocari *quercinum* vel *roboreum*.

Esau dictus est quercinus.

Qualiter autem contriverit, subdit : « *Et contrivi fructum ejus desuper.* » *Fructus* dicuntur divitiæ, ædificia, cultura, etc., quæ ille populus perfecerat in terra ad fructificandum sibi. « *Et radices ejus subter,* » supple, contrivi. *Radices* dicuntur tribus familiæ, et successio filiorum et nepotum, sicut Psal. LI, 7 : *Evellet te, et emigrabit te de tabernaculo tuo : et radicem tuam de terra viventium*.

Mystice autem Amorrhæus interpretatur *amaricans*, et peccatores significat, diabolum scilicet et diabolicos homines, qui ad amaritudinem provocant Deum. Osee, XII, 14 : *Ad iracundiam me provocavit Ephraim in amaritudinibus suis*. Habacuc, II, 15 : *Væ qui potum dat amico suo mittens fel suum, et inebrians ut adspiciat nuditatem ejus !* Act. VIII, 23, dixit Petrus ad Simonem : *In felle amaritudinis, et obligatione iniquitatis video te esse*. Hunc Deus exterminat, hoc est, extra terminos rationis et gratiæ et vitæ ponit. Job, XL, 6 et seq. : *Disperge superbos in furore tuo, et respiciens omnem arrogantem humilia. Respice cunctos superbos, et confunde eos, et contere impios in loco suo. Absconde eos in pulvere simul, et facies eorum demerge in foveam*. Hujus altitudo comparatur cedro in superbia cordis. Psal. XXXVI, 35 et 36 : *Vidi impium superexaltatum, et elevatum sicut cedros Libani. Et transivi, et ecce non erat*. Isti adhærent diabolo, sicut cauda corpori. Job, XL, 12 : *Stringit caudam quasi cedrum*. Psal. XXVIII, 5 : *Vox Domini confringentis cedros*. Fortitudo autem comparatur quercui : quercus enim fortis arbor est, fructus non ferens, nisi glandium, quas porci manducant, et significat gulosos et luxuriosos, qui sunt fortitudo diaboli, qua fere totum mundum vicit. Job, XL, 11 : *Fortitudo ejus in lumbis ejus, et virtus illius in umbilico ventris ejus :* ubi dicit Gregorius, quod « luxuria virorum in lumbis est, fœminarum autem in umbilico. » Hæc est quercus, in qua mortuus est Absalom, II Reg. XVIII, 9 : *Cumque ingressus fuisset mulus,* cui insedebat Absalom, *subter condensam quercum et magnam, adhæsit caput ejus quercui : et illo suspenso inter cœlum et terram, mulus, cui insederat, pertransiit*. Multi enim capite, hoc est, mente ad hanc quercum suspensi sunt, et maxime qui insident mulis, hoc est, irrationabilibus concupiscentiis. Psal. XXXI, 9 : *Nolite fieri sicut equus et mulus*. De exterminatione horum simul, Isa. II, 12 et 13 : *Dies Domini exercituum super omnem superbum, et excelsum, et super omnem arrogantem, et humiliabitur : et super omnes cedros Libani sublimes, et erectas, et super omnes quercus Basan*. Fructus harum arborum

Superbi a Deo deprimuntur.

[1] Psal. CXXI, 3.

sunt opera et delectationes ; radices autem, error in intellectu, et libido in affectu, quorum utrumque conterendum est. Sap. iv, 5 : *Confringentur rami inconsummati, et fructus illorum inutiles, et acerbi ad manducandum, et ad nihilum apti.* Daniel. iv, 11 : *Excutite folia ejus, et dispergite fructus ejus.* Isa. xiv, 22 : *Consurgam super eos, dicit Dominus exercituum : et perdam Babylonis nomen, et reliquias, et germen, et progeniem.*

Et subdit de secundo beneficio corporali :

« *Ego sum, qui ascendere vos feci de*
10 *terra Ægypti.* » *Ascendere* dicit, quia
Ægyptus plana terra est, et terra promissionis montuosa. Et ista ascensio ascensionem significat de vitiis ad virtutes, hoc est, de tenebris ad lumen intellectualium virtutum, et de mœrore ad gaudium virtutum moralium et heroicarum. Exod. xx, 2 : *Ego sum Dominus Deus tuus, qui eduxi te de terra Ægypti.* Mich. vi, 4 : *Memento... quia eduxi te de terra Ægypti, et de domo servientium liberavi te : et misi ante faciem tuam Moysen, et Aaron, et Mariam,* Moysen in exemplum virtutis, Aaron ad exemplum devotionis, Mariam ut esset forma pœnitentiæ et compunctionis. « *Et duxi vos in deserto,* » de mansione in mansionem, « *quadraginta annis* : » qui numerus quia partibus suis ad quinquaginta surgit, pœnitentiam significat, quæ ad remissionis annum terminatur. Psal. xciv, 10 : *Quadraginta annis proximus fui generationi illi.* Osee, xi, 1 : *Ex Ægypto vocavi filium meum.* « *Ut possideretis terram Amorrhæi,* » quam Moyses divisit Ruben et Gad, et dimidiæ tribui Manasse [1]. Hæc autem terra spiritualiter possidetur, quando in locum cadentium Angelorum, qui per Amorrhæum intelliguntur, felices animæ restituuntur. Eccli. x, 18 : *Radices gentium superbarum arefecit Deus, et plantavit humiles ex ipsis gentibus.* Luc. i, 52 : *Deposuit potentes de sede, et exaltavit humiles.*

Et subdit de beneficiis spiritualibus, quorum primum est ad informationem intellectus in veritate :

« *Et suscitavi de filiis vestris in Pro-*
phetas, » quorum vicem tenent Doctores **11**
in Ecclesia. Joel, ii, 28 : *Effundam spiritum meum super omnem carnem : et prophetabunt filii vestri, et filiæ vestræ.* Sap. vii, 27 : *Per nationes in animas sanctas se transfert, amicos Dei et Prophetas constituit.* Joel, ii, 23 : *Exsultate, et lætamini in Domino Deo vestro, quia dedit vobis doctorem justitiæ.*

Et subdit de secundo, quod est ad exemplum virtutis :

« *Et de juvenibus vestris Nazaræos,* » supple, suscitavi. Nazaræus *sanctus* vel *floridus* interpretatur, de quorum lege Numer. vi, 18 et seq. continetur. Fuerunt enim qui votum habebant, et pilos capitis non radebant, et vinum non bibebant, nec aliquid quod inebriare potuit. Thren. iv, 7 : *Candidiores Nazaræi ejus nive, nitidiores lacte, rubicundiores ebore antiquo, sapphiro pulchriores.* Candidi enim fuerunt castitate, nitidi virtutis honestate, rubicundi Dei charitate, sapphiro pulchriores cœlesti conversatione, quorum vicem religiosi deberent tenere in Ecclesia.

Quæ lex fuerit Nazaræorum ?

Et convincit eos de dictorum veritate :

« *Numquid non ita est, filii Israel, dicit Dominus ?* » Veritas enim semper vincit et invalescit, sicut dicitur in libris apocryphis [2].

Et subdit de ingratitudine :

« *Et propinabitis Nazaræis vinum,* » **12**
ut scilicet calore vini provocati, voti

Ebrietas non est secreti tenax.

[1] Cf. Numer. xxxii, 33.

[2] III Esdr. iii, 12 : « Super omnia vincit veritas. »

sanctitatem macularent. Prov. xxxi, 4 : *Noli regibus, o Lamuel, noli regibus dare vinum : quia nullum secretum ubi regnat ebrietas.* Hoc vinum, temporalis jucunditatis est gaudium. Isa. v, 22 : *Væ qui potentes estis ad bibendum vinum, et viri fortes ad miscendam ebrietatem,* ut vino æstuetis ! Contra hoc tamen videtur esse quod dicitur (Jerem. xxxv, 2) ubi Dominus præcepit, quod Jeremias propinaret Rechabitis vinum, qui Nazaræi erant [1]. Sed ad hoc respondetur, quod non propinabatur ut biberent, sed ut eorum comparatione cum non biberent, alii condemnarentur. « *Et Prophetis mandabatis, dicentes* : *Ne prophetetis.* » Hoc factum est, Amos vii, 12 et seq., ubi Amasias sacerdos prohibuit Amos ne prophetaret. Jerem. xxvi, 11 : *Judicium mortis est viro huic : quia prophetavit adversus civitatem istam.* Jerem. xxxvi, 23, Joakim, rex Juda, librum Jeremiæ incidit et combussit. Isa. xxx, 10 et 11 : *Dicunt videntibus : Nolite videre : et adspicientibus : Nolite adspicere ea, quæ recta sunt : loquimini nobis placentia, videte nobis errores. Auferte a me viam, declinate a me semitam, cesset a facie nostra sanctus Israel.* Sic adhuc Doctoribus veritatis silentium indicitur. Psal. xxxviii, 3 : *Obmutui, et humiliatus sum, et silui a bonis.* Et præmisit, ℣. 2 : *Cum consisteret peccator adversum me.* Act. iv, 18 : *Vocantes eos,* Apostolos scilicet, *denuntiaverunt ne omnino loquerentur, nec docerent in nomine Jesu.*

Rechabitarum religiosa constantia.

13 « *Ecce ego stridebo.* » Tangit hic pœnam ingratorum, quam nec effugere poterunt nec resistere, quod per septem differentias ostendit.

« *Ecce ego stridebo.* » Hieronymus habet, « stridebam, » Septuaginta, « ego volvam subter vos, » sicut volvitur plaustrum plenum stipulæ. Et hoc est quod additur hic : « *Subter vos, sicut stridet plaustrum onustum fœno.* » Primo enim quando boni erant, gestavit eos Dominus in sinu suo, sicut nutrix infantem : postea autem cum mali erant, cum labore portavit eos, sicut plaustrum onustum, quatuor rotis, quatuor inductis beneficiis subvectum. Jerem, xxiii, 33 : *Si interrogaverit te populus iste, vel Propheta, aut Sacerdos, dicens : Quod est onus Domini? dices ad eos : Vos estis onus, projiciam quippe vos, dicit Dominus.* Stridor significat comminationem, onus gravitatem. Isa. i, 14 : *Facta sunt mihi molesta, laboravi sustinens.* Fœnum autem sive stipula significat, quod ut materia incendii portentur. Matth. vi, 30 : *Fœnum agri quod hodie est, et cras in clibanum mittitur.* Est ergo sensus, quod graviter Deus eos sustineat, et ad ignem continuo portet.

« *Et peribit fuga a veloce,* » ita scilicet, quod effugere non poterit. Prov. xix, 2 : *Qui festinus est pedibus, offendet.* Isa. xxx, 16 : *Velociores erunt, qui persequentur vos.* Veloces autem isti subtiles ingenio significant, qui tunc argumenta quibus effugiant non invenerunt. « *Et fortis non obtinebit virtutem suam.* » *Fortis* hic dicitur non a fortitudine virtutis, sed a fortitudine quæ est per exercitium et rei militaris experimentum, qui tunc resistere non poterit. Eccle. ix, 11 : *Vidi sub sole nec velocium esse cursum, nec fortium bellum.* « *Et robustus non salvabit animam suam.* » *Robustus* dicitur a robore corporis, qui tunc conculcabitur. *Anima* dicitur animalis vita. Judic. v, 21 : *Conculca, anima mea, robustos.* Psal. xxxii, 16 : *Gigas non salvabitur in multitudine virtutis suæ.* 14

« *Et tenens arcum non stabit,* » hoc est, instructus armis bellicis, qui tunc ad impugnandum hostem stare non poterit. 15

[1] Jerem. xxxvi, 2 : *Vade ad domum Rechabitarum,... et dabis eis bibere vinum,* etc.

Ezech. xxxix, 3 : *Percutiam arcum in manu sinistra tua, et sagittas tuas de manu dextera tua dejiciam.* Isti significant Doctores tenentes Scripturam, et vitam non conformantes ei quod docent. « *Et velox pedibus suis non salvabitur,* » qui scilicet cursu non equo velox est : in hoc enim differt a primo : significat autem instabiles, nunc huc nunc illuc velociter discurrentes. II Reg. ii, 18 : *Porro Asael cursor velocissimus fuit, quasi unus ex capreis, quæ morantur in silvis.* Jerem. xiv, 10 : *Populus hic dilexit movere pedes suos, et non quievit, et Domino non placuit.* « *Et ascensor equi non salvabit animam suam.* » *Ascensor equi* significat superbum. Psal. xxxii, 17 : *Fallax equus ad salutem.* Exod. xv, 19 : *Ingressus est enim eques Pharao cum curribus et equitibus ejus in mare : et reduxit super eos Dominus aquas maris,* hoc est, æternæ amaritudinis.

16 « *Et robustus corde inter fortes,* » hoc est, magnanimus qui sibi cæteris fortior videtur. Jerem. ix, 3 : *Non glorietur fortis in fortitudine sua.* Isa. i, 31 : *Erit fortitudo vestra ut favilla stuppæ.* « *Nudus fugiet,* » hoc est, omnibus bonis et patria denudatus. Job, i, 21 : *Nudus egressus sum ex utero matris meæ, et nudus revertar illuc.* « *In die illa.* » judicii mei scilicet, et claræ justitiæ, « *dicit Dominus.* » Confirmatio est omnium prædictorum.

Hieronymus hæc adaptat secundum Hebræos ad septem reges. Jeroboam enim velox fuit, qui fugit in Ægyptum et statim rediit [1]. Baasa autem qui multa fortitudinis opera fecit, virtutem suam non obtinuit [2]. Amri quoque qui erat robustus et Zambri interfecit, animam vero suam non salvavit. Jehu etiam qui sagitta Ochoziam interfecit, tenens arcum non stetit [3]. Quamvis vero hi quatuor tempore istius prophetiæ mortui fuerint, tamen posteri eorum, hæc quæ dicta sunt, passi sunt. Manahem vero qui velox pedibus fuit, et modo ad regem Assyriorum, modo ad regem Ægyptiorum convolavit, salvatus non est [4]. Phacee quoque, filius Romeliæ, qui cum Syris ascensor equorum fuit, animam suam non salvavit [5]. Osee autem qui primo robustus corde fuit, ut populum ad Deum revocaret, non perseveravit, et ideo denudatus regno et honore, nudus profugit, omnibus fortibus suis destitutus [6].

CAPUT III.

Domum Israel populum olim unice electum arguit variorum scelerum : ex quibus paucos dicit servandos in superventura afflictione, quam ipsis comminatur.

1. Audite verbum quod locutus est Dominus super vos, filii Israel, super omnem cognationem quam eduxi de terra Ægypti, dicens :

2. Tantummodo vos cognovi ex omnibus cognationibus terræ : idcirco visitabo super vos omnes iniquitates vestras.

[1] Cf. III Reg. xv et xvi.
[2] Ibidem.
[3] Cf. IV Reg. ix.
[4] Cf. IV Reg. xv.
[5] Ibidem.
[6] Ibidem.

3. Numquid ambulabunt duo pariter, nisi convenerit eis?
4. Numquid rugiet leo in saltu, nisi habuerit prædam? Numquid dabit catulus leonis vocem de cubili suo, nisi aliquid apprehenderit?
5. Numquid cadet avis in laqueum terræ absque aucupe? Numquid auferetur laqueus de terra antequam quid ceperit?
6. Si clanget tuba in civitate, et populus non expavescet? Si erit malum in civitate, quod Dominus non fecerit?
7. Quia non facit Dominus Deus verbum, nisi revelaverit secretum suum ad servos suos prophetas.
8. Leo rugiet, quis non timebit? Dominus Deus locutus est, quis non prophetabit?
9. Auditum facite in ædibus Azoti, et in ædibus terræ Ægypti, et dicite : Congregamini super montes Samariæ, et videte insanias multas in medio ejus, et calumniam patientes in penetralibus ejus.
10. Et nescierunt facere rectum, dicit Dominus, thesaurizantes iniquitatem et rapinas in ædibus suis.
11. Propterea hæc dicit Dominus Deus : Tribulabitur et circuietur terra : et detrahetur ex te fortitudo tua, et diripientur ædes tuæ.
12. Hæc dicit Dominus : Quomodo si eruat pastor de ore leonis duo crura, aut extremum auriculæ, sic eruentur filii Israel, qui habitant in Samaria in plaga lectuli, et in Damasci grabato.
13. Audite, et contestamini in domo Jacob, dicit Dominus Deus exercituum :
14. Quia in die cum visitare cœpero prævaricationes Israel, super eum visitabo, et super altaria Bethel : et amputabuntur cornua altaris, et cadent in terram.
15. Et percutiam domum hiemalem cum domo æstiva : et peribunt domus eburneæ, et dissipabuntur ædes multæ, dicit Dominus.

IN CAPUT III AMOS

ENARRATIO.

« *Audite verbum quod locutus est Dominus.* » Ista pars est de comminatione visitationis, et in duas dividitur partes, in quarum prima rationem ostendit, quare specialiter inter alias gentes visitandi sunt. In secunda visitatoris ostendit exprobrationem in culpa, et comminationem in pœna, infra, IV, 1, ibi, « *Audite verbum hoc, vaccæ pingues.* »

Prima pars in tres dividitur. Primo enim ex ratione ostendit, quod visitandi sunt. In secunda, ex judicio humano et inimicorum, ibi ℣. 9 : « *Auditum facite in ædibus Azoti.* » In tertia concludit propositum, et indicit diem ad visitandum, ibi, ℣. 11 : « *Propterea hæc dicit Dominus Deus : Tribulabitur.* »

Prima adhuc in duas dividitur In prima convincit per rationem. In secunda, ostendit quod indicenda est per propheticam enuntiationem, ibi, ℣. 6 : *Si erit malum in civitate.* »

Adhuc prima in duas. Primo enim ostendit per rationem, quod visitare debet. Secundo, confirmat hoc per sextuplicem similitudinem, ibi, ℣. 3 : *Numquid ambulabunt duo pariter ?* »

In prima adhuc duo facit, excitat scilicet ad auditum, et proponit quid audiant.

1

« *Audite,* » interiori scilicet auditu. Matth. xv, 10 : *Audite, et intelligite.* « *Verbum,* » scilicet quod voce significatur, et in corde remanet etiam voce transeunte. Ezech. iii, 17 : *Audies de ore meo verbum, et annuntiabis eis.* « *Quod locutus est Dominus.* » Hoc enim habet auctoritatem. Dicit namque Hieronymus super Jeremiam, quod « servi est demis« so vultu, aure patula, prompta volun« tate ad obediendum audire vocem Do« mini. » I Reg. iii, 10 : *Loquere, Domine, quia audit servus tuus.* « *Super vos.* » Notat oppressionem, quia de comminatione et terrore est, vel quia de divinis est quæ super nos sunt. Psal. xvii, 14 : *Intonuit de cœlo Dominus, et Altissimus dedit vocem suam.* Ad Hebr. xii, 25 : *Si illi non effugerunt, recusantes eum, qui super terram loquebatur : multo magis nos, qui de cœlo loquentem nobis avertimus,* hoc est, recusamus audire : o « *filii Israel,* » hoc est, decem tribus. Genes. xlix, 2 : *Congregamini : et audite, filii Jacob, audite Israel patrem vestrum.*

Et ne duæ tribus putent se ad hoc non pertinere, subdit : « *Super omnem cognationem,* » tribuum scilicet et familiarum, « *quam eduxi,* » in patribus scilicet, « *de terra Ægypti,* » supple, locutus est. Sap. vi, 8 : *Pusillum et magnum ipse fecit, et æqualiter est illi cura de omnibus.* Marc. xiii, 37 : *Quod vobis dico, omnibus dico.* Et quod dicit *de terra Ægypti,* beneficium speciale commemorat, redemptionis scilicet, et liberationis. In quo speciali benevolentia patres cognovit. Mich. vi, 4 : *Eduxi te de terra Ægypti, et de domo servientium liberavi te.* Et post pauca subdit, ℣. 5 : *Populo meus, memento, quæso.* Sicut et nobis memorandum est, quod sanguine Christi de peccato educti sumus. Thren. iii, 19 : *Recordare paupertatis et transgressionis meæ, absynthii, et fellis.* « *Dicens.* » Ad hoc refertur quod locutus est.

eneficia semper nt recoenda.

2

Et proponit quid audiant.

« *Tantummodo vos cognovi,* » per beneplacitum scilicet, quia me vobis revelavi, legem vobis posui, promissiones adhibui, præmiis remuneravi, prophetiis illuminavi. Psal. cxlvii, 20 : *Non fecit taliter omni nationi : et judicia sua non manifestavit eis.* Deuter. iv, 36 et 37 : *De cœlo te fecit audire vocem suam, ut doceret te, et in terra ostendit tibi ignem suum maximum : et audisti verba illius de medio ignis, quia dilexit patres tuos, et elegit semen eorum post eos.* Exod. xxxiii, 17 : *Invenisti gratiam coram me, et teipsum novi ex nomine.* « *Ex omnibus cognationibus terræ,* » Gentilium scilicet, vel peccatorum, de quibus dicit Christus, Matth. vii, 23 : *Et tunc confitebor illis : Quia numquam novi vos,* eo quod ostendit eis incorruptum legis lumen, necnon benevolentiæ suæ vultum. Propter quod, Isa. xlv, 15 : *Vere tu es Deus absconditus.* Propter quod, Act. xvii, 23, Athenienses altare inscripserunt : *Ignoto Deo,* et Apostolus subjunxit : *Quod ergo ignorantes colitis, hoc ego annuntio vobis.*

Ex hac ratione infert propositum.

« *Idcirco visitabo,* » hoc est, officio visitare debeo, « *super vos,* » comprimendos scilicet, « *omnes iniquitates vestras.* » Glossa, « ut sit nihil impunitum. » Justum enim est etiam inter homines, ut qui redemit et legem ponit, visitet secundum legem subjectos. Psal. lviii, 6 : *Intende ad visitandas omnes gentes : non miserearis omnibus, qui operantur iniquitatem.* Isa. xxvi, 21 : *Ecce Dominus egredietur de loco suo, ut visitet iniquitatem habitatoris terræ contra eum.* I ad Corinth. v, 12 : *Quid ad me de iis, qui foris sunt, judicare?* Ad Roman. ii, 12 : *Quicumque sine lege peccaverunt, sine lege peribunt : et quicumque in lege peccaverunt, per legem judicabuntur.*

Hanc rationem sex probat similitudinibus, subdens :

3 « *Numquid ambulabunt duo pariter*, » hoc est, per unum iter, « *nisi convenerit eis*, » hoc est, nisi una convenientia voluntatum et amicitiæ sit inter eos? sicut scilicet ambulavi vobiscum per desertum. Unde Exod. xxxiii, 15, dixit Moyses : *Si non tu ipse præcedas, ne educas nos de loco isto.* Sic Angelus Raphael ambulavit cum Tobia [1]. Talis consensus ad Deum movit Jacob, quando dixit : *Si fuerit Deus mecum, et custodierit me in via, per quam ego ambulo*, etc. [2]. Sic Dominus dicit suis, Apoc. iii, 4 : *Ambulabunt mecum in albis, quia digni sunt.* Per contrarium autem vult ex hoc intelligi, quod si non convenerit eis, sed dissentiant in voluntate, quod simul non ambulabunt. Numer. xiv, 42 : *Nolite ascendere : non enim est Dominus vobiscum.* Ezech. iii, 12 : *Benedicta gloria Domini de loco suo*, supple, recessit. Sic recessit a Saul, *et* statim *exagitabat eum spiritus nequam, a Domino* [3].

Deus consentientibus sibi præsto est.

Secundam inducit similitudinem, subdens :

4 « *Numquid rugiet leo :* » et inducitur ad separatos a Domino, qui statim incidunt in periculum. « *Numquid rugiet leo*, » comminando et frendendo. Leo autem dicitur, vel Deus comminans, vel melius, inimicus invadens, vel homo, vel diabolus. « *In saltu.* » In saltu enim moratur leo, ut dicit Glossa, et non in agris cultis vel vineis. « *Nisi habuerit prædam ?* » supple, sibi paratam. Sic recedens à Deo præda datur leoni. Jerem. iv, 7 : *Ascendit leo de cubili suo, et prædo gentium se levavit : egressus est de loco suo ut ponat terram tuam in solitudinem.* I Petr. v, 8 : *Adversarius vester diabolus tamquam leo rugiens circuit, quærens quem devoret.* Et est sensus : Si rugitum et fremitum hostium auditis, non est mirum, quia non ambulantes cum Deo, dati estis hostibus in prædam. Job, xv, 21 : *Sonitus terroris semper in auribus illius.* Sap. xvii, 10 : *Semper præsumit sæva perturbata conscientia.*

Et subdit tertiam :

« *Numquid dabit catulus leonis,* » esuriens scilicet, « *vocem,* » in rugitu scilicet, « *de cubili suo,* » antro scilicet in quo cubat, « *nisi aliquid apprehenderit,* » per se, vel patrem vel matrem, ut dicit Glossa. Et sensus est, quod catuli leonis subditi sunt magni leonis, regis Assyriorum vel diaboli, quos incitat in eos qui sibi in prædam propter peccatum dati sunt. Isa. v, 9 : *Rugitus ejus ut leonis, rugiet ut catuli leonum : et frendet, et tenebit prædam.* Ezech. xix, 6 et 7 : *Factus est leo, et didicit prædam capere, et homines devorare : didicit viduas facere, et civitates in desertum adducere : et desolata est terra, et plenitudo ejus a voce rugitus illius.*

Et subdit quartam :

« *Numquid cadet avis in laqueum terræ,* » hoc est, in terra absconditum, 5
« *absque aucupe ?* » Et est sensus, quod quamdiu aves in aere alte volant, laqueum in terra positum et insidias aucupis non timent. Tunc enim verum est quod dicitur, Prover. i, 17 : *Frustra jacitur rete ante oculos pennatorum.* Ita et vos, quoniam pennis virtutum exaltabimini in cœlum, non timuistis laqueos, hoc est, captivitates hostium nec deceptiones aucupum, hoc est, falsas consolationes pseudoprophetarum et regum et sacerdotum vos ad idololatriam inducentium. Quoniam autem cecidistis in terram per terrenum affectum, et in idololatriam decepti sibilo aucupum, dæmonum vel malorum doctorum, captivitatis laqueus vos apprehendit. Etenim,

Fistula dulce canit, volucrem dum decipit auceps.

[1] Cf. Tob. v, 5 et seq.
[2] Genes. xxviii, 20.
[3] I Reg. xvi, 14.

Thren. III, 52 : *Venatione ceperunt me quasi avem inimici mei gratis.* Hoc nimis expresse dicitur, Job, XVIII, 8 et seq. : *Immisit in rete pedes suos, et in maculis ejus ambulat. Tenebitur planta illius laqueo, et exardescet contra eum sitis. Abscondita est in terra pedica ejus, et decipula illius super semitam. Undique terrebunt eum formidines, et involvent pedes ejus.*

Et subdit quintam :

« *Numquid auferetur laqueus de terra,* » supple, ab aucupe, « *antequam quid,* » hoc est, aliquid « *ceperit?* » Et est sensus, quod insidiæ aucupum, hoc est, hostium, non cessabunt ab eis, quamdiu in terra, hoc est, in terrenis viderint eos ambulare. Isaiæ, XXIV, 17 et 18 : *Formido, et fovea, et laqueus super te, qui habitator es terræ. Et erit : Qui fugerit a facie formidinis, cadet in foveam : et qui se explicuerit de fovea, tenebitur laqueo*, vel dæmonum scilicet, vel hominum insidiantium. Jerem. XLVIII, 44 : *Pavor, et fovea, et laqueus super te, o habitator Moab, dicit Dominus. Qui fugerit a facie pavoris, cadet in foveam : et qui conscendit de fovea, capietur laqueo.* Formido est in comminatione, laqueus in peccati obligatione, fovea in carceris condemnatione.

Et subdit sextam, quæ de præsenti malo est :

6 « *Si clanget tuba,* » hostium scilicet victorum, « *in civitate,* » capta scilicet jam, « *et populus non expavescet ?* » Capta enim civitate, tota terra capta est, quia munitio terræ est civitas. Et est sensus : Jam auditur tuba, quia aliæ gentes destructæ sunt, et quod contra vos procedit hostis : et ideo mirum est quod per pœnitentiam non expavescitis. Osee, VIII, 1 : *In gutture tuo sit tuba quasi aquila super domum Domini.* Isa. V, 30 : *Sonabit super eum in die illa sicut sonitus maris : adspiciemus in terram, et ecce tenebræ tribulationis, et lux obtenebrata est in caligine ejus.* Ezech. III, 12 : *Audivi post me vocem commotionis magnæ.* Et talem terrorem indicit tuba vocans ad judicium. I ad Corinth. XV, 52 : *In momento, in ictu oculi, in novissima tuba.*

Et post omnia subdit pii Patris et Domini clementiam, qui suos præmunit ut per pœnitentiam resipiscant. Et tria dicit. Primum, quod mali futuri habet potestatem vel inducendi vel avertendi. Secundum, quod per Prophetas facit admonitionem. Tertio, Prophetarum ponit excusationem, quia quod ipse injungit, dimittere non audent.

« *Si,* » hoc est, an « *erit,* » in futuro scilicet, « *malum,* » pœnæ non culpæ, « *in civitate,* » hoc est, populi communitate, « *quod Dominus non fecerit,* » hoc est, induxerit? Isa. XLV, 6 et 7 : *Ego Dominus, et non est alter, formans lucem, et creans tenebras, faciens pacem, et creans malum.* Sapient. XVI, 13 : *Tu es, Domine, qui vitæ et mortis habes potestatem.* Isa. XXXI, 2 : *Ipse autem sapiens adduxit malum, et verba sua non abstulit.* Isa. L, 11 : *De manu mea factum est hoc vobis: in doloribus dormietis.*

Pœna omnis, non nisi Deo volente infligitur.

Et subdit de revelatione, ut per pœnitentiam resipiscant :

« *Quia non facit Dominus Deus verbum,* » scilicet de malo inducendo, pœ- 7
næ scilicet temporalis vel æternæ, « *nisi revelaverit,* » supple, prius, « *secretum suum,* » hoc est, præordinationis suæ absconditam voluntatem, « *ad servos suos Prophetas,* » qui scilicet præmuniant populum de pœnitentia. Iste sensus innuitur in translatione Septuaginta, qui sic dicunt : « Quia non faciet Dominus « aliquid, nisi revelaverit eruditionem « suam ad servos Prophetas. » Ideo, Ezech. III, 17, dicitur : *Fili hominis, speculatorem dedi te domui Israel.* Et subdit, ℣. 21 : *Si tu annuntiaveris justo ut non peccet justus, et ille non peccaverit, vivens*

vivet, quia annuntiasti ei, et tu animam tuam liberasti. Si autem non annuntiaveris, *sanguinem ejus de manu tua requiram* [1]. Isa. xxi, 6 : *Pone speculatorem : et quodcumque viderit, annuntiet.* Secretum enim est quamdiu in Deo est dispositum, et tunc haberi non potest. Isa. xxiv, 16 : *Secretum meum mihi, secretum meum mihi.* Joan. xv, 22 : *Si non venissem, et locutus fuissem eis, peccatum non haberent : nunc autem excusationem non habent de peccato suo.*

Et subdit de necessitate prophetandi, quando Dominus injungit. Et præmittit similitudinem pastoribus consuetam :

8 « *Leo rugiet, quis non timebit ?* » Glossa, « Cum Dominus revelet Prophe- « tis, quis audeat tacere quod Dominus « revelat? sicut rugitum leonis nulla ani- « malia audent contemnere. » Joel, iii, 16, et Amos, i, 2 : *Dominus de Sion rugiet, et de Jerusalem dabit vocem suam.* Et hoc est quod explanando subdit : « *Dominus Deus locutus est,* » supple, ad Prophetas. Psal. lxxxiv, 9 : *Audiam quid loquatur in me Dominus Deus.* « *Quis non prophetabit ?* » Glossa, « Pauci viri sunt qui audeant, Domino « Deo jubente, non prophetare. » Moysi enim excusationem non recepit, propter hoc quod impediti labii fuit [2] : Isaiam audire noluit, quia polluti labii fuit [3] : Jeremias non evasit, quia puer erat [4] : Ezechiel propter timorem mortis et duritiam populi evadere non potuit [5] : Amos pastor et rusticus doctrinæ non aptus, coactus est ad prophetandum [6].

Prophetandi munus Deo jubente non fugiendum.

9 « *Auditum facite.* » Vocat hic ad judicium etiam ignotos et inimicos, ut judicio humano convincantur. Deuter. xxxii, 31 : *Inimici nostri sunt judices.*

Tria autem facit : judices vocat, ad considerandum quid rectum sit monet, et de quo judicent proponit.

« *Auditum facite,* » o vos Prophetæ, « *in ædibus Azoti,* » hoc est, in terra Philisthiim, vel sæcularium : quia Azotus interpretatur *ignis uberum,* et significat eos qui igniculo rationis tantum judicant, et cognitionem legis divinæ non habent : « *et in ædibus terræ Ægypti* » hoc est, in civitatibus et villis, ubi etiam rudes habitant. *Ægypti* autem dicit, quia etiam ignorantia Dei circumdati hoc non judicarent, quod talibus esset parcendum. Hoc significatur, Matth. xxi, 41, ubi mali agricolæ sententiam contra se dederunt, dicentes : *Malos male perdet.* « *Et dicite,* » o Prophetæ, « *Congregamini,* » ut scilicet simul consilium de judicio habeatis, « *super montes Samariæ :* » terra enim montuosa est : qui montes superbiam habitantium significant. Isa. v, 3 : *Nunc ergo, habitatores Jerusalem, et viri Juda, judicate inter me et vineam meam.* « *Et videte,* » rationis intuitu scilicet, « *insanias multas in medio ejus,* » Samariæ scilicet. Glossa : « Pro Deo vitulos adorant, et filios « suos immolant et necant ac si sint in- « sani. » Sap. xiv, 23 et 24 : *Aut filios suos sacrificantes, aut obscura sacrificia facientes, aut insaniæ plenas vigilias habentes, neque vitam, neque nuptias mundas jam custodiunt.* Unde in Psal. xxxix, 5, de viro sancto dicitur : *Non respexit in vanitates et insanias falsas.* Isa. xxxvii, 28 et 29 : *Ego cognovi insaniam tuam contra me. Cum fureres adversum me, superbia tua ascendit in aures meas.* Osee, ix, 8 : *Laqueus ruinæ factus est super omnes vias ejus, insania in domo Dei ejus.* « *Et calumniam patientes.* » Septuaginta sic habent : « Videte « mirabilia multa in medio et oppressio- « nem in ea. » Quod autem dicit, « *In pe-*

Idololatria species est insaniæ.

[1] Ezech. iii, 20.
[2] Cf. Exod. iv, 10 et seq.
[3] Isa. vi, 5.
[4] Jerem. i, 6.
[5] Ezech. iii, 25 et seq.
[6] Amos, vii, 14 et seq.

netrabilibus ejus, » significare videtur, quod in abscondito simplices interfecerunt et oppresserunt. Psal. x secund. Hebr. 9 : *Insidiatur in abscondito, quasi leo in spelunca sua. Insidiatur ut rapiat pauperem : rapere pauperem dum attrahit eum.* In occultis enim machinabantur contra innocentes. Psal. xxxvi, 14 : *Ut dejiciant pauperem et inopem : ut trucident rectos corde.*

10 « *Et nescierunt,* » hoc est, scire noluerunt, « *facere rectum, dicit Dominus.* » Psal. xxxv, 4 : *Noluit intelligere ut bene ageret.* Jerem. iv, 22 : *Sapientes sunt ut faciant mala, bene autem facere nescierunt.* « *Thesaurizantes iniquitatem,* » hoc est, peccatum peccato sicut thesaurum cumulantes. Ad Roman. ii, 5 : *Thesaurizas tibi iram in die iræ, et revelationis justi judicii Dei.* Proverb. x, 2 : *Nil proderunt thesauri impietatis, justitia vero liberabit a morte.* « *Et rapinas,* » de bonis pauperum scilicet, « *in ædibus suis.* » Proverb. i, 13 : *Implebimus domos nostras spoliis.* Sicut enim leo ad antrum portat prædam, ita isti ad ædes suas pauperum bona. Exod. xv, 9 : *Dixit inimicus : Persequar et comprehendam, dividam spolia, im plebitur anima mea.*

11 « *Propterea hæc dicit Dominus Deus.* » Positis rationibus, quare de officio suo visitandi sunt, ponit hic comminationem pœnæ infligendæ per visitationem. Et hanc in primo paragraho comminatur. In secundo autem prædicari præcipit, ut per pœnitentiam caveatur, ibi, ỳ. 13 : *Audite, et contestamini.* »

In prima duo dicit, scilicet pœnæ involutionem, et paucorum bonorum liberationem.

« *Propterea,* » quia scilicet visitare debeo, « *hæc dicit Dominus Deus,* » qui summus visitator est. Isaiæ, xiii, 11 : *Visitabo super orbis mala.* Exod. xx, 5 : *Visitans iniquitatem patrum in filios, in tertiam et quartam generationem.* « *Tribulabitur,* » peccator scilicet. Sophon. i, 14 : *Tribulabitur ibi fortis.* Psal. lxxxviii, 33 : *Visitabo in virga iniquitates eorum.* Apocal. ii, 22 : *Qui mæchantur cum ea,* Jezabel scilicet, quæ *fluxus sterquilinii* interpretatur, *in tribulatione maxima erunt.* « *Et circuietur terra,* » ut nullus scilicet tribulationem evadat. Isa. xxviii, 18 : *Flagellum inundans cum transierit, eritis ei in conculcationem.* « *Et detrahetur ex te fortitudo tua.* » *Fortitudo* dicitur in quo sicut in fortificatione confidebat, sicut substantiæ divitiarum, munitiones locorum, multitudo militum, et adjutorum copia. Isa. i, 31 : *Erit fortitudo vestra ut favilla stuppæ, et opus vestrum quasi scintilla : et succendetur utrumque simul, et non erit qui exstinguat.* Non enim est fortitudo contra Dominum. Amos, ii, 14 : *Fortis non obtinebit virtutem suam.* « *Et diripientur ædes tuæ.* » Per metonymiam intelliguntur etiam in ædibus congregata et possessiones ad ædes pertinentes. Eccli. x, 13 : *Cum morietur homo, hæreditabit serpentes, et bestias, et vermes :* ut scilicet bestiæ, hoc est, dæmones diripiant animam, serpentes astuti et dolosi amici diripiant possessiones, vermes autem corpus. Jerem. l, 14 : *Debellate eam, non parcatis jaculis : quia Domino peccavit.* Psal. lxxv, 6 : *Dormierunt somnum suum : et nihil invenerunt omnes viri divitiarum in manibus suis.*

Ultioni divinæ nulla obsistere potest fortitudo.

Et subdit de liberatione paucorum :

« *Hæc dicit Dominus,* » faciens omne quod dicit. Psal. cxlviii, 5 : *Dixit, et facta sunt.* Matth. vii, 28 : *Erat docens eos sicut potestatem habens.* « *Quomodo si eruat pastor,* » dirigens et custodiens gregem. I Reg. xvii, 34 et 35 : *Pascebat servus tuus patris sui gregem, et veniebat leo, vel ursus, et tollebat arietem de medio gregis : et persequebar eos, et percutiebam, eruebamque de ore eorum.* 12

« *De ore leonis.* » Leo vel rex Babylonis est, vel diabolus. Os tyranni violentia est, os diaboli peccatum. Psal. xxi, 22 : *Salva me ex ore leonis.* « *Duo crura,* » vel masticata vel mortificata, scilicet per spolium, famem, obsidionem, et captivitatem : quæ duo crura significant proficientes in veritate. et virtute. « *Aut extremum auriculæ,* » comesto scilicet jam capite : et *extremum auriculæ* significat extremos pauperes, verbum Dei cum devotione audientes. « *Sic eruentur filii Israel,* » supple, cæteris consumptis, gradientes in veritate et virtute et obedientia sermonis Dei liberabuntur. Hoc significatum est, Exod. xii, 29, ubi percussis Ægyptiis, Hebræi liberati sunt. Ezech. ix, 6 : *Super quem videritis thau, ne occidatis.* Job, xix, 17 : *Conterebam molas iniqui, et de dentibus illius auferebam prædam.* Job, xx, 15 : *Divitias, quas devoravit, evomet, et de ventre illius extrahet eas Deus.* Divitiæ Sanctorum, merita sunt sanctitatis. « *Qui,* » scilicet filii Israel, « *habitant in Samaria,* » terra scilicet decem tribuum, « *in plaga lectuli.* » Unum substantivorum resolvendum est in adjectivum, hoc est, in lectulo plagato, sicut ibi, « Arma virumque cano [1], » hoc est, armatum virum. « *Et in Damasci grabato.* » Intransitive debet construi, id est, in grabato quod est Damascus, sicut Genes xix, 26, de uxore Lot dicitur, quod versa sit in statuam salis [2]. Et dicitur *plaga lectuli* Syria, in cujus adjutorio quiescebant decem tribus, eo quod (sicut dicitur IV Reg. xv et xvi) regem Syriæ conduxerunt in adjutorem, et modicum quietis in confidentia illius habebant, sicut plagatus parvam quietem habet in lectulo.

Deo irato, inane est omne auxilium.

Derelicto enim auxilio divino, modicum auxilium est quod potest ferre homo. Isaiæ, xxx, 5 : *Omnes confusi sunt super populo, qui eis prodesse non potuit.* Nec enim fuit in auxilium nec in aliquam utilitatem, sed in confusionem et in opprobrium : propter quod dicitur *baculus arundineus,* cui cum aliquis innititur, confringitur et perforabit manum ejus [3]. Job, vii, 13 et 14 : *Si dixero : Consolabitur me lectulus meus, et relevabor loquens mecum in strato meo : terrebis me per somnia, et per visiones horrore concuties.*

Et hoc exponens, subdit : « *Et,* » id est, « *in Damasci grabato.* » Grabatum est lectulus in quo præter caput nihil quiescit : et talis quies fuit Damascus, metropolis Syriæ, filiis Israel. Solum enim caput eorum mentis falsa spe quiescebat in eis, et veritatem quietis et securitatem non habebant. Isa. xvii, 1 : *Ecce Damascus desinet esse civitas, et erit sicut acervus lapidum in ruina.* De quiete autem qua sic quiescebant in eis, dicitur, Isaiæ, vii, 2 : *Requievit Syria super Ephraim,* quia per Ephraim decem tribus intelliguntur.

Hoc autem quod dictum est, facile adaptare est, per easdem auctoritates ad quiescentes in mundi deliciis tamquam in lectulo plagato multis curis, et in peccati delectamentis tamquam in Damasci grabato. Damascus enim *potus sanguinis* interpretatur : potus autem sanguinis delectamentum peccati significat. Osee, iv, 2 : *Sanguis sanguinem tetigit.* Psal. l, 16 : *Libera me de sanguinibus, Deus, Deus salutis meæ.*

« *Audite.* » Præcipit hic prædicari 13
comminationem, ut per pœnitentiam caveatur vindicta divina. O Prophetæ, « *audite,* » ut ex ore meo proponatis, « *et contestamini,* » opere scilicet quod ore dicitis. Psal. xcii, 5 : *Testimonia tua credibilia facta sunt nimis.* Job, x, 17 : *Instauras testes tuos contra me.* « *In do-*

[1] Virgilius, Æneid, i, 5.

[2] Genes. xix, 26 : *Respiciensque uxor ejus,* scilicet Lot, *post se, versa est in statuam salis.*

[3] Isa. xxxvi, 6 : *Ecce confidis super baculum arundineum confractum istum, super Ægyptum : cui si innixus fuerit homo, intrabit in manum ejus, et perforabit eam.*

mo Jacob, » hoc est, in familia decem tribuum, vel in communitate populorum peccatorum : ut scilicet vel pœniteant, vel inexcusabiles sint si non pœniteant. Ad Roman. II, 1 : *Propter quod inexcusabilis es, o homo.* « *Dicit Deus exercituum.* » Ab illo enim inchoandum est. Ezech. III, 11 : *Et vade, ingredere ad transmigrationem, ad filios populi tui, et loqueris ad eos, et dices eis : Hæc dicit Dominus : si forte audiant et quiescant.*

14 « *Quia in die,* » claritate scilicet justitiæ lucescente. Isa. XVIII, 4 : *Considerabo in loco meo, sicut meridiana lux clara est.* « *Cum visitare cœpero.* » Isa. XXVII, 1 : *Visitabit Dominus in gladio suo duro, et grandi, et forti.* « *Prævaricationes Israel,* » quia scilicet legem naturalem et legem scriptam prævaricati sunt. Isa. XXIV, 5 : *Transgressi sunt leges, mutaverunt jus, dissipaverunt fœdus sempiternum.* « *Super eum.* » Oppressionem notat et conculcationem. Psal. LV, 3 : *Conculcaverunt me inimici mei tota die.* « *Visitabo.* » Septuaginta, « Ulciscar. » Psal. XCIII, 1 : *Deus ultionum Dominus.* « *Et,* » id est, etiam, « *super altaria Bethel :* » ut sit verum quod dicitur, Eccli. XXVII, 3 : *Conteretur cum delinquente delictum.* Sap. XIV, 9 : *Odio sunt Deo impius et impietas ejus.* Attende quod pluraliter dicit, *altaria ;* quia quilibet peccator adorat quod vult, et in unum non tendunt. Altare autem Dei unum solum est : quia licet in multis locis sit, tamen tendit in unum. Ad Hebr. XIII, 10 : *Habemus altare, de quo edere non habent potestatem, qui tabernaculo deserviunt.* Bethel autem dicit, quia in Bethel vitulus adorabatur, ubi (sicut dicit Hieronymus) dum offerret Jeroboam, venit Propheta de Juda, qui diceret : *Altare, altare, hæc dicit Dominus.* Et tunc scissum est altare in duas partes, et manus offerentis regis exaruit[1]. Altaria autem ista significant altaria Veneris, ventris, et avaritiæ, in Bethel, hoc est, in Ecclesia ædificata. Quod figuratum est, Ezech. VIII, 9, ubi dicitur : *Vidi abominationes pessimas, quas isti fecerunt hic,* hoc est, in templo. Jerem. XI, 15 : *Quid est, quod dilectus meus in domo mea facit scelera multa ?*

Altare Dei unum est.

« *Et,* » supple, ideo, « *amputabuntur cornua altaris :* » quæ potestatem ministrorum altaris significant. Psal. LXXIV, 11 : *Omnia cornua peccatorum confringam.* Hoc enim justum est. Exod. XXI, 29 et seq., præcipitur, ut bos cornupeta recludatur. Bos enim cornupeta est Prælatus lascivus impingens in innocentes cornu potestatis. « *Et cadent in terram,* » ut scilicet ab aliis conculcentur. Ezech. XXVIII, 17 : *In terram projeci te : ante faciem regum dedi te, ut cernerent te,* supple, et emendentur in casu tuo.

Prælatus cornupeta est coercendus.

« *Et percutiam domum hiemalem.* » 15
« Ita delicati erant, ut dicit Hieronymus, « quod duas domos habebant : hiemalem, « versam ad Austrum propter temperamentum frigoris, et æstivam, propter « temperamentum caloris versam ad « Aquilonem. » Et hoc est quod additur : « *Cum domo æstiva.* » Hiemalis significat ædes avarorum in quibus refriguit charitas. Jerem. XXXVI, 22 : *Rex autem sedebat in domo hiemali in mense nono : et posita erat arula coram eo plena prunis.* Necesse quippe erat, ut se ad carbones temporalis consolationis calefaceret, in quo refriguerat igniculus charitatis. Matth. XXIV, 12 : *Quoniam abundavit iniquitas, refrigescet charitas multorum.* Æstiva vero domus significat in concupiscentia carnali quiescentes. Unde, Judic. III, 21, Eglon, qui *vitulus mœroris* vel *juvencæ* interpretatur, interfectus est ab Aod in æstivo cœnaculo. Aod enim interpretatur *devorans gloriosum.*

[1] Cf. III Reg. XIII, 1 et seq.

« *Et peribunt domus eburneæ.* » III Reg. vii, 8 et seq., legitur Salomon ædificasse filiæ Pharaonis domum de lapidibus pretiosis. Et ibidem, x, 18 et seq., et II Paral. ix, 17 et seq., quod ædificaverit thronum eburneum. Significant autem istæ domus habitationes clericorum et religiosorum qui in voto castitatis existentes, quod ebur significat, contra votum lasciviunt. Amos, vi, 4 : *Dormitis in lectis eburneis, et lascivitis in stratis vestris.* « *Et dissipabuntur ædes multæ,* » hoc est, multitudinis. Isa. xxv, 2 : *Posuisti civitatem in tumulum, urbem fortem in ruinam, domum alienorum : ut non sit civitas, et in sempiternum non ædificetur.* Istæ ædes multæ significant clericos in multis Ecclesiis beneficiatos, et divites in multis locis ædificantes, ut nunc hic nunc ibi gratia delectationis habitent. Jerem. xxii, 14 : *Væ qui dicit : Ædificabo mihi domum latam, et cœnacula spatiosa : qui aperit sibi fenestras, et facit laquearia cedrina, pingitque sinopide!* Habacuc, ii, 9 : *Væ qui congregat avaritiam malam domui suæ, ut sit in excelso nidus ejus!* « *Dicit Dominus.* » Confirmatio est prædictorum.

Clericorum damnanda lascivia.

CAPUT IV.

Invehitur sub typo vaccarum pinguium in iniquos primates Samariæ, ipsorum subsannans idololatriam : et quia filii Israel variis flagellis a peccatis suis revocari non potuerunt, minatur eis Dominus similia his quæ prius passi fuerant : hortando ut ad Deum omnipotentem convertantur.

1. Audite verbum hoc, vaccæ pingues, quæ estis in montes Samariæ, quæ calumniam facitis egenis et confringitis pauperes, quæ dicitis dominis vestris : Afferte, et bibemus.
2. Juravit Dominus Deus in sancto suo, quia ecce dies venient super vos, et levabunt vos in contis, et reliquias vestras in ollis ferventibus.
3. Et per aperturas exibitis altera contra alteram, et projiciemini in Armon, dicit Dominus.
4. Venite ad Bethel, et impie agite : ad Galgalam, et multiplicate prævaricationem : et afferte mane victimas vestras, tribus diebus decimas vestras.
5. Et sacrificate de fermentato laudem, et vocate voluntarias oblationes, et annuntiate : sic enim voluistis, filii Israel, dicit Dominus Deus.
6. Unde et ego dedi vobis stuporem dentium in cunctis urbibus vestris, et indigentiam panum in omnibus locis vestris : et non estis reversi ad me, dicit Dominus.
7. Ego quoque prohibui a vobis imbrem, cum adhuc tres menses superessent usque ad messem : et plui super unam civitatem, et super alteram civitatem non plui : pars una compluta est, et pars super quam non plui, aruit.
8. Et venerunt duæ et tres civitates ad unam civitatem ut biberent aquam, et non sunt satiatæ : et non redistis ad me, dicit Dominus.

9. Percussi vos in vento urente [1], et in aurugine : multitudinem hortorum vestrorum, et vinearum vestrarum, oliveta vestra, et ficeta vestra comedit eruca : et non redistis ad me, dicit Dominus.

10. Misi in vos mortem in via Ægypti : percussi in gladio juvenes vestros, usque ad captivitatem equorum vestrorum : et ascendere feci putredinem castrorum, vestrorum in nares vestras : et non redistis ad me, dicit Dominus.

11. Subverti vos, sicut subvertit Deus Sodomam et Gomorrham [2], et facti estis quasi torris raptus ab incendio : et non redistis ad me, dicit Dominus.

12. Quapropter hæc faciam tibi, Israel : postquam autem hæc fecero tibi, præparare in occursum Dei tui, Israel.

13. Quia ecce formans montes, et creans ventum, et annuntians homini eloquium suum, faciens matutinam nebulam, et gradiens super excelsa terræ : Dominus Deus exercituum nomen ejus.

IN CAPUT IV AMOS

ENARRATIO.

« *Audite verbum hoc, vaccæ pingues.* » Ostensa ratione visitationis, aggreditur visitationis modum : et habet partes duas, in quarum prima dicit, quod visitabitur culpa per pœnam. In secunda describit per similitudines qualiter inducetur pœna, infra, VII, 1, ibi, « *Hæc ostendit mihi Dominus Deus.* »

Prima pars dividitur in tres, in quarum prima exaggerat peccatum in Deum in comparatione ad pœnam. In secunda, quantitatem mali describit per planctum, infra, V, 1, ibi, « *Audite verbum istud.* » In tertia, peccata describit carnalia, et peccata in proximum, ibi, ℣. 6 : « *Unde et ego dedi vobis stuporem.* »

Prima adhuc in duas : in quarum prima expresse describit peccatum, in secunda autem sub ironia, ibi, ℣. 4 : « *Venite ad Bethel.* »

Adhuc prima in duas, in quarum prima exaggerat peccatum. In secunda confirmat pœnam, ibi, « *Juravit Dominus.* »

In prima innuit peccata, scilicet lasciviæ, calumniæ, tyrannidis, oppressionis sive rapinæ, et ebrietatis sive ingluviei.

« *Audite verbum hoc;* » Excitatio est ad auditum. Psal. CXL, 6 : *Audient verba mea, quoniam potuerunt.* « *Vaccæ pingues* : » *vaccæ* propter lasciviam, *pingues* propter ingluviem. Osee, X, 5 : *Vaccas Bethaven coluerunt habitatores Samariæ,* » hoc est, lascivias inutiles : quia Bethaven *domus inutilis* interpretatur. Hieronymus : « Derisorie *vaccas pingues* « vocat, quia residentes domi, gulæ et ven« tri serviebant. » Ad Rom. XVI, 18 : *Hujusmodi Christo Domino non serviunt, sed suo ventri : et per dulces sermones, et benedictiones seducunt corda innocentium.* Psal. LXXVII, 30 et 31 : *Adhuc escæ eorum erant in ore ipsorum : et ira Dei ascendit super eos. Et occidit pingues eorum.* « *Quæ estis in monte Samariæ,* » hoc est, in Samaria, quæ est terra montuosa. Et notatur in hoc superbia : esse enim in monte, est habitare in sublimitate. Zach. IV, 7 : *Quis tu, mons magne, coram Zorobabel ? in planum.* Elevatio enim mentis in planum redigenda est.

[1] Aggæi, II, 18.

[2] Genes. XIX, 24.

Et subdit de peccato calumniæ :

« *Quæ calumniam facitis egenis,* » imponendo scilicet falsa crimina ut condemnentur. Osee, v, 11 : *Calumniam patiens est Ephraim, fractus judicio : quoniam cœpit abire post sordes.* Genes. XLIII, 18 : *Introducti sumus, ut devolvat in nos calumniam, et violenter subjiciat servituti.* Et nota quod calumnia in se peccatum est. Egenis autem facere calumniam, gravissimum est peccatum. Eccle. IV, 1 : *Vidi calumnias quæ sub sole geruntur et lacrymas innocentium, et neminem consolatorem.* Prov. XXVIII, 17 : *Hominem, qui calumniatur animæ sanguinem, si usque ad lacum fugerit, nemo sustinet.*

Calumniam struere egenis, peccatum est gravissimum.

Et subdit de peccato tyrannidis :

« *Et confringitis pauperes,* » sustentamenta scilicet virium eorum auferendo, et ad labores corporales compellendo. Isa. III, 15 : *Quare atteritis populum meum, et facies pauperum commolitis ?* Hoc peccato peccant Prælati Ecclesiæ, omnia judicia sua convertentes ad lucrum.

Et subdit de peccato oppressionis et rapinæ :

« *Quæ dicitis dominis vestris : Afferte.* Officiati enim et ministri sub majoribus constituti, superioribus dicebant quod afferrent, ut sic ad quæque illicita ministrarent. Prov. XXX, 15 : *Sanguisugæ duæ sunt filiæ, dicentes : Affer, Affer :* una scilicet in dominis per malos ministros populum prædantibus, alia in ministris stipendia pro tali obsequio a Dominis accipientibus. Utrisque autem dicitur, Isa. III, 14 : *Rapina pauperis in domo vestra.* Et ibidem, ℣. 12 : *Populum meum exactores sui spoliaverunt.*

« *Et bibemus :* » Innuit ebrietatem et ingluviem, quod scilicet spoliata a pauperibus, in ebrietates expenderunt. Isa. V, 11 : *Væ qui consurgitis mane ad ebrietatem sectandam, et potandum usque ad vesperam, ut vino æstuetis !* Prov. XXXIII, 29 et 30 : *Cui væ ? cujus patri væ ? cui rixæ , cui foveæ ? cui sine causa vulnera ? cui suffossio oculorum ? Nonne his qui commorantur in vino, et student calicibus epotandis ?*

Et subdit de pœnæ confirmatione :

« *Juravit Dominus Deus,* » hoc est, 2
per veritatis sententiam confirmavit, « *in sancto suo,* » id est, in fortitudine sua. Quidam tamen dicunt, « in templo, » et quidam, « *in sancto,* » pro sanctis : sed Dominus jurans in templo vel in sanctis, jurat in seipso. Ad Hebr. VI, 13 : *Quoniam neminem habuit, per quem juraret, majorem, juravit per semetipsum.* Psal. LXXXVIII, 36 : *Semel juravi in sancto meo.* « *Quia ecce dies venient.* » Per adverbium *ecce*, demonstrandi notatur evidentia culpæ in pœna. Tobiæ, XIV, 3 : *Video enim quia iniquitas ejus finem dabit ei.* Per hoc autem quod dicit Dominus, *venient,* notatur temporis propinquitas. Isa. XIV, 1 : *Prope est ut veniat tempus ejus.* « *Super vos.* » Per hoc notat quod pœna erit opprimens. Job, XXX, 16 : *Nunc in memetipso marcescit anima mea, et possident me dies afflictionis.* « *Et levabunt vos in contis.* » Servat metaphorum vaccarum, quæ postquam interfectæ sunt et excoriatæ, vecte levantur infixo per nervos posteriorum crurum, et sic suspensæ vaccæ deportantur conto. Vel *contus* est proprie instrumentum piscatorum quo anguillæ et cæteri pisces de limosis et lapidosis antris expelluntur in retia, et ita vult dicere, quod isti excoriati per exspoliationem, ligati per captivitatem deportabuntur in exsilium. Simile, Isa. XXII, 17 : *Ecce Dominus asportari te faciet, sicut asportatur gallus gallinaceus.* Gallus enim gallinaceus similiter ligatis pedibus vecte portatur. « *Et reliquias vestras in ollis ferventibus.* » *Reliquias* vocat inferiora vitalia, hepar scilicet, et intestina. *Ollæ* autem *ferventes* sunt obsessæ civitates et munitiones, in quibus efferbuerunt vitalia eorum antequam caperentur. Et hæc similitudo describitur, Ezech. XXIV, 9 et 10 : *Væ civitati sanguinum, cujus ego grandem fa-*

ciam pyram! Congere ossa quæ igne succendam: consumentur carnes, et coquetur universa compositio, hoc est, intestina et vitalia. Jerem. I, 13: *Ollam succensam ego video, et faciem ejus a facie aquilonis.*

3 « *Et per aperturas exibitis.* » *Aperturas* vocat fracturas parietum, quia per ostia, hoste obsidente, exire non audebant. Ezech. XII, 12: *In caligine egredietur: parietem perfodient ut educant eum.* Jerem. XXXIX, 2 et 4: *Aperta est civitas.... Et omnes viri bellatores fugerunt: et egressi sunt nocte de civitate per viam horti regis, et per portam quæ erat inter duos muros,* Chaldæis obsidentibus urbem in gyro. « *Altera,* » scilicet vacca, « *contra alteram,* » scilicet vaccam. Et in hoc notat, quod ita arctati erant ab hostibus, quod unus alterum comprimebat in exiendo. Isa. XXII, 3: *Fugerunt simul, dureque ligati sunt.* « *Et projiciemini in Armon.* » Armon montes sunt Armeniæ protensi ad fines Medorum et Persarum: quia illic decem tribus captivatæ, sicut res viles projectæ sunt. Thren. V, 22: *Projiciens repulisti nos, iratus es contra nos vehementer.*

Armon montes sunt Armeniæ.

Hæc melius exponuntur de damnatis in judicio, quos dæmones in contis levabunt, hoc est, rigiditate et inflexibilitate sententiæ divinæ: et reliquias, conscientiarum scilicet, in ollis ferventibus succendent, hoc est, receptaculis inferni, in quæ secundum exigentiam meritorum projicientur. Ezech. XXIV, 11: *Pone ollam super prunas vacuam, ut incalescat, et liquefiat æs ejus: et confletur in medio ejus inquinamentum ejus, et consumatur rubigo ejus.* Et quod dicit, « *per aperturas exibitis,* » intendit quod anima per aperturam inferni, et corpus per aperturam sepulcri egredientur, et sic altera pars venit ad alteram, anima scilicet ad corpus, ut simul puniantur. Ezech. XXXVII, 12: *Ecce ego aperiam tumulos vestros, et educam vos de sepulcris vestris.* Et quod addit: « *Projiciemini in Armon,* » intendit de projectione in infernum. Armon enim *exemplum tristitiæ* vel *anathema mœroris* interpretatur. Matth. XXII, 13: *Ligatis manibus, et pedibus ejus, mittite eum in tenebras exteriores: ibi erit fletus et stridor dentium.* Isa. XXIV, 22: *Congregabuntur in congregatione unius fascis in lacum, et claudentur ibi in carcere.* « *Dicit Dominus.* » Confirmatio præteritorum est.

« *Venite ad Bethel.* » Per ironiam exaggerat peccatum hoc in Deum. Hoc autem facit quinque modis, sicut patebit per ordinem in littera. 4

Primo itaque tangit impietatem in adoratione idoli: « *Venite ad Bethel,* » ad aureum scilicet vitulum, « *et impie agite.* » Adoratio enim idoli impietas est in Deum. Job, XXXI, 28: *Quæ est iniquitas maxima, et negatio contra Deum altissimum.* « *Ad Galgalam,* » supple, etiam venite, « *et multiplicate prævaricationem,* » id est, ex hoc multiplicabitis: in diversis enim locis idola coletis, quod est multiplicare prævaricationem. Galgal vel Galgala enim locus erat, in quo facta est secunda circumcisio. Osee, IX, 15: *Omnes nequitiæ eorum in Galgal.* Locus enim famosus erat, et confluxit illuc populus, propter quod ibi idola ponebant.

« *Et afferte mane victimas vestras.* » Et intendit *mane* crastinæ diei. Et tangit quædam sacrificia, ut sunt hostiæ pacificæ, de quibus præceptum est, quod usque mane non remaneant: quod præceptum violabant, victimas scilicet et hostias usque in mane reservantes. Levit. VII, 15: *Cujus carnes,* scilicet hostiæ pacificæ, *eadem comedentur die, nec remanebit eis quiddam usque mane.* « *Tribus diebus decimas vestras,* » supple, afferte. Et tangit quædam sacrificia quæ in tertium diem differri non debebant, sicut voto vel sponte oblata. Levit. VII, 17 et 18:

Victima pacificorum in diem tertiam reservari non debuit.

Quidquid tertius invenerit dies, ignis absumet. Si quis de carnibus victimæ pacificorum in die tertio comederit, irrita fiet ejus oblatio, nec proderit offerenti : quin potius quæcunque anima tali se edulio contaminaverit, prævaricationis rea erit. Has oblationes *decimas* vocat, quia cum decimis offerebantur tribus vicibus per annum. Hoc præceptum isti non curantes in diem tertium oblata servaverunt.

5 « *Et sacrificate de fermentato laudem.* » Septuaginta, « Eucharistiam. » Eucharistia enim gratiarum actio est. Unde sensus est : Sacrificate de fermantato laudem, hoc est, laudabilem oblationem. Et est ironia. Levit. II, 11 : *Omnis oblatio, quæ offertur Domino, absque fermento fiet, nec quidquam fermenti ac mellis adolebitur in sacrificio Domino.* Contra hoc tamen videtur esse quod dicitur, Levit. VII, 13 : *Panes quoque fermentatos*, offeres scilicet, *cum hostia gratiarum, quæ immolatur pro pacificis.* Sed dicendum, quod fermentati panes quidam offerebantur Sacerdoti, sed super altare non ponebantur.

Fermentum in sacrificio non admittendum.

Quod autem ironice locutus sit, innuit subdens :

« *Et vocate,* » supple hoc, « *voluntarias oblationes,* » quæ sic scilicet contra legem oblatæ sunt, de quibus dicitur, Malachiæ, I, 10 : *Non est mihi voluntas in vobis, dicit Dominus exercituum : et munus non suscipiam de manu vestra.* « *Et annuntiate,* » aliis scilicet peccata, ut complices habeatis. Isa. III, 9 : *Peccatum suum quasi Sodoma prædicaverunt, nec absconderunt.* « *Sic enim voluistis.* » Ac si dicat : Non ex me dixi quæ dicta sunt, sed ex voluntate vestra, quia sic voluistis, o « *filii Israel, dicit Dominus Deus.* »

Hoc spiritualiter exponitur de clericis et religiosis, qui veniunt ad Bethel, hoc est, ad domum Dei. Genes. XXVIII, 17 : *Non est hic aliud nisi domus Dei, et porta cœli*, et impie agunt ibi. Jerem. XI, 15 : *Quid est, quod dilectus meus in domo mea fecit scelera multa ?* Hi veniunt ad Galgalam, hoc est, *revelationem* (quod Galgala interpretatur) hoc est, ad scientiam litterarum, et multiplicant prævaricationem : quia quo plus intelligunt, eo pejus agunt. Jerem. IV, 22 : *Sapientes sunt ut faciant malum, bene autem facere nescierunt.* Hi mane offerunt victimas, quia in crastinum, hoc est, in futurum oblata Sanctis, sibi thesaurizant, et sic ab Ecclesiis recedunt. Proverb. VII, 19 et 20 : *Non est vir in domo sua, abiit via longissima. Sacculum pecuniæ secum tulit.* Hi tribus diebus offerunt decimas, hoc est, oblata colligunt, De tribus enim decimæ offeruntur, agris scilicet, vineis, et animalibus : de decimis enim colligendis maxima cura est eis, de animabus vero nihil. Tales vocantur mercenarii. Joan. X, 13 : *Mercenarius fugit, quia mercenarius est, et non pertinet ad eum de ovibus* : supple, quamvis pertineat ad eum de utilitate ovium. Ezech. XXXIV, 3 : *Lac comedebatis, et lana operiebamini, et quod crassum erat occidebatis : gregem autem meum non pascebatis.* Hi sacrificant de fermentato laudem, quia psalmodiam ore resonant, et vitæ corruptionem immiscent. I ad Corinth. V, 7 : *Expurgate vetus fermentum, ut sitis nova conspersio.* Marc. VIII, 15 : *Videte, et cavete a fermento Pharisæorum, et fermento Herodis* [1]. Exod. XIII, 7 : *Non apparebit apud te aliquid fermentatum, nec in cunctis finibus tuis.* Hi aliis nuntiant peccata sua per malum exemplum. Malach, II, 8 : *Vos recessistis de via, et scandalizastis plurimos in lege.* Hi obsequia divina quæ faciunt, voluntarias vocant oblationes, cum tamem spe mercedis temporalis conducti sint. Malach. I, 10 : *Quis est in vobis, qui claudat ostia, et incendat altare meum gratuito?*

O perversitatem !

[1] Cf. Matth. XVI, 6 et 11 ; Luc. XII, 1.

6 « *Unde et ego.* » Tangit peccati incorrigibilitatem, et dicit duo : Pœnas per quas non correcti sunt, et si non corrigantur, parent se ad similes vel majores, ibi, ℣. 12 : *Postquam autem hæc fecero tibi.* »

Prima habet quinque pœnas hic inductas, quæ patent in littera. Prima est fames, secunda siccitas, tertia ventus urens, quarta gladius interficiens, quinta subversio. Quælibet istarum dividitur in duas.

Dicit enim ictum pœnæ ferientis, et duritiam populi non revertentis :

« *Unde et ego,* » volens scilicet vos avertere a via iniquitatis, « *dedi vobis stuporem dentium.* » Sensus est : Afflixi vos ut stuperent dentes, quod ex nimia siccitate famis consuevit accidere. Subtracto enim nutrimento, dentes arescunt : quia de humido nutrimentali crescunt, et confirmantur de radicali. Et tunc quod subditur : « *In cunctis urbibus vestris,* » generalitatem famis significat, et quod sequitur expositivum est præcedentis : « *Et indigentiam panum in omnibus locis vestris.* » Hæc fames facta est, III Reg. xvii, 1 et seq., sub Elia, et IV Reg. vi, 25 et seq., sub Eliseo, quam deplorat Jeremias, Thren. v, 10 : *Pellis nostra, quasi clibanus exusta est a facie tempestatum famis.*

Moraliter autem, dentes quibus masticatur cibus Scripturæ, intellectus sunt et affectus, memoria, meditatio, et rationis collatio, et hujusmodi, de quibus dicitur, Thren. iii, 16 : *Fregit ad numerum dentes meos.* Hi stupescunt per peccatum quando dulcedinem cibi masticati non sentiunt, eo quod acerba in consolationibus mundanis masticaverunt. Ezech. xviii, 2 : *Patres comederunt uvam acerbam, et dentes filiorum obstupescunt.* In cunctis urbibus est defectus iste, quia magis stupescunt dentes eorum qui sunt in præsidiis Ecclesiæ. Jerem. v, 5 : *Optimates magis simul confregerunt jugum, ruperunt vincula.* I Esdræ, ix, 2 : *Manus principum et magistratuum fuit in transgressione hac prima.* Hi patiuntur indigentiam panis, verbi scilicet, Eucharistiæ, et gratiæ. Psal. civ, 16 : *Vocavit famem super terram, et omne firmamentum panis contrivit.* Isa. iii, 7 : *In domo mea non est panis, neque vestimentum.* « *Et non estis reversi ad me, dicit Dominus.* » Isa. ix, 13 : *Populus non est reversus ad percutientem se.*

Et subdit pœnam secundam : 7

« *Ego quoque prohibui a vobis imbrem,* » serotinum scilicet, « *cum adhuc tres menses superessent usque ad messem* : » quod dicit Hieronymus a fine Aprilis esse usque ad principium Augusti, quando messis est. Propter quod etiam Dominus ante Passionem loquens Discipulis ait, Joan. iv, 35 : *Nonne vos dicitis, quod adhuc quatuor menses sunt, et messis venit?* Hoc enim cum ante Pascha dixerit, in Martio dixit, et ideo tribus hic dictis unum apposuit. Imber autem ille ad maturitatem fructuum est ex quo grana formantur, ut quantitatem debitam accipiant, et digerantur ad maturitatem. Jerem. iii, 3 : *Prohibitæ sunt stillæ pluviarum, et serotinus imber non fuit.*

Et qualiter hoc malum per partes induxerit, subdit : « *Et plui super unam civitatem,* » supple, et illa fructus habuit. Psal. lxiv, 11 : *In stillicidiis ejus lætabitur germinans.* « *Et super civitatem alteram non plui,* » ut scilicet exemplo illius corrigeretur altera. Sap. xii, 2 : *Eos, qui exerrant, partibus corripis : et de quibus peccant, admones et alloqueris : ut relicta malitia, credant in te, Domine.* « *Pars una compluta est,* » civitatis scilicet, vel terræ, « *et pars altera super quam non plui, aruit.* » Hoc ad litteram intelligitur, et factum est, III Reg. xviii, 1 et seq., sub Elia, quando non pluit annos tres et menses sex.

8 Cujus siccitatis signum ponit ulterius :

» *Et venerunt duæ et tres civitates,* » hoc est, plures et pauciores non complutæ scilicet, « *ad unam civitatem,* » complutam scilicet, « *ut biberent aquam,* » hoc est, ut sitim saltem refocillarent. Et hoc est quod sequitur : « *Et non sunt satiatæ.* » Jerem xiv, 3 : *Majores miserunt minores suos ad aquam : venerunt ad hauriendum, non invenerunt aquam, reportaverunt vasa sua vacua.* Et subdit de incorrigibilitate : « *Et non redistis ad me, dicit Dominus,* » per pœnitentiam scilicet. Isa. xlv, 22 : *Convertimini ad me, et salvi eritis.*

Ista siccitas ablationem doctrinæ significat. Isa. v, 6 : *Nubibus mandabo ne pluant super eam imbrem.* Tres menses usque ad messem, defectum significant trium illuminationum, scilicet fidei, spei, et charitatis. Osee, v, 7 : *Nunc devorabit eos mensis cum partibus suis.* Quod subdit, distinctionem significat. Super civitatem enim Sanctorum pluit et doctrinam et gratiam. Et iste est ros in concha, vellere, et area Gedeonis [1]. Concha significat Virginis uterum, vellus hominem assumptum, area totius Ecclesiæ infusionem. Et quod additur, quod pars una compluta est et alia aruit, distinctionem significat inter homines, ex quibus unus pluviam recipit, alter vero non. Ad Hebr. vi, 7 et 8 : *Terra sæpe venientem super se bibens imbrem, et generans herbam opportunam illis, a quibus colitur, accipit benedictionem a Deo : proferens autem spinas, ac tribulos, reproba est, et maledictioni proxima : cujus consummatio in combustionem,* scilicet ignis est. Et quod additur, quod tres et duo miserunt ad unam, desiderium populi sitientis doctrinam significat, quamvis non inveniat. Joan. iv, 15 : *Domine, da mihi hanc aquam.* Et ibidem, ℣. 10 : *Si scires donum Dei, et quis est, qui dicit tibi : Da mihi bibere : tu forsitan petisses ab eo, et dedisset tibi aquam vivam.* Id autem quod de incorrigibilitate subditur, commune est utrique expositioni. Job, xxiv, 29 et 30 : *Hæc omnia operatur Deus tribus vicibus per singulos. Ut revocet animas eorum a corruptione, et illuminet in luce viventium.*

« *Percussi vos in vento urente,* » quia 9
ab Austro scilicet venit, et calore resolvit corpora, et humores laxat : et quia turbulentus est, venenosas materias per poros corporibus ingerit : propter quod pernecabilis est, ut dicunt medici. Et hoc est quod dicit, « *percussi vos,* » hoc est, occidi. « *Et in aurigine,* » hoc est, auræ rubigine, supple, percussi « *multitudinem hortorum vestrorum,* » ut scilicet quod residuum fuit siccitati, consumeretur aurigine. Hortus autem ab oriendo dicitur, et significat omnia quæ in terra oriuntur. Et propter hoc sequitur : « *Et vinearum vestrarum,* » supple, percussi multitudinem, ut scilicet de terrænascentibus nihil remaneret ad esculentum, vel ad poculentum pertinens. Et subdit de pertinentibus ad condimentum : « *Oliveta vestra,* » scilicet oleum perunctionis portantia, « *et ficeta vestra,* » dulcedinis fructum portantia, « *comedit eruca,* » hoc scilicet quod superfuit ariditati et aurigini.

Hæc plaga spiritualiter significat superbiam : quæ (sicut dicit Augustinus) etiam bonis operibus insidiatur ut pereant, et semper quasi vento inflata tumescit. Job, xxvii, 21 : *Tollet eum ventus urens, et auferet, et velut turbo rapiet eum de loco suo.* Job, i, 19 : *Repente ventus vehemens irruit a regione deserti,* hoc est, a diabolo, *et concussit quatuor angulos domus, quæ corruens oppressit liberos tuos.* Aurigo autem significat invidiam, superbiæ (ut dicit Augustinus) pedissequam. Sap. ii, 24 : *Invidia au-*

Invidia omnem v[igorem] boni oper[is] absumit

[1] Cf. Judic. vi, 36 et seq.

tem diaboli mors introivit in orbem terrarum. Hæc consumit hortos et vineas : quia quidquid viroris est in opere, et quidquid gaudii spiritualis in sancti Spiritus consolatione, arescere facit per detractionem. Joel, I, 4 : *Residuum bruchi comedit rubigo.* Eruca vero significat libidinem, quæ maculat omne quod tangit, et comedit oliveta, pinguedinem scilicet devotionis quam aufert, et ficeta, dulcedinem scilicet virtutum. Joel, I, 4 : *Residuum erucæ comedit locusta.* « *Et non redistis ad me, dicit Dominus.* » Jerem. III, 1 : *Revertere ad me, dicit Dominus, et ego suscipiam te.*

10 Et subdit pœnam quartam :

« *Misi in vos mortem in via Ægypti.* » Narrat Hieronymus, quod « cum so-« lemnes nuntios mitterent in Ægyptum « ad petendum auxilium contra Assy-« rios, Assyrii insidiantes in via cepe-« runt nuntios, quibus occisis, equos in « spolium duxerunt, » et hoc tangit hic. Et sequitur : « *Percussi gladio juvenes vestros,* » illos scilicet qui in Ægyptum missi fuerant. Psal. LXXVII, 63 et 64 : *Juvenes eorum comedit ignis, et virgines eorum non sunt lamentatæ. Sacerdotes eorum in gladio ceciderunt,* etc. « *Usque ad captivitatem equorum vestrorum,* » quia sicut dictum est, equos abstulerunt. Et quia fugientes hostibus resistere non poterant, multis interfectis ad portas eorum, corpora sepelire non audebant, et sic prostrati fœtores ad nares eorum spargebant. Et hoc est : « *Et ascendere feci putredinem castrorum vestrorum,* » hoc est, occisorum in castris, « *in nares vestras.* » Isa. I, 6 : *Vulnus, et livor, et plaga tumens, non est circumligata, nec curata medicamine, neque fota oleo.* « *Et non redistis ad me, dicit Dominus.* » Jerem. II, 24 : *Nullus avertet eam : omnes, qui quærunt eam, non deficient.*

Hæc plaga spiritualiter significat gaudium mortalis peccati, quo multi in via Ægypti percussi sunt. Psal. XXXVI, 14 : *Gladium evaginaverunt peccatores : intenderunt arcum suum.* Equi illorum, effrænes concupiscentiæ sunt in captivitatem diaboli redactæ. Psal. XXXI, 9 : *Nolite fieri sicut equus et mulus.* Fœtor cadaverum, infamia est carnalium peccatorum. Joel, I, 17 : *Computruerunt jumenta in stercore suo.* Joan. XI, 39 : *Jam fœtet, quatriduanus est enim.*

Et subdit de pœna quinta: 11

« *Subverti vos, sicut subvertit Dominus Sodomam, et Gomorrham.* » Similitudinem notat in parte et non in toto, quia sicut in Sodoma subversa liberati sunt pauci, Lot scilicet et filiæ et uxor, ita pauci ex istis liberati, et alii consumpti sunt. Et hoc legitur, IV Reg. XVI et XVII, ubi decem tribubus captivatis, pauci fugerunt ad duas tribus, et salvati sunt, revocati scilicet per Ezechiam[1]. Sodomam et Gomorrham nominat, quamvis quinque fuerint, quia istæ fuerunt principales. « *Et facti estis quasi torris,* » hoc est, titio « *raptus ab incendio,* » qui scilicet partim consumptus est et partim adhuc manet, sicut Lot qui exivit de Sodomis parte sui corporis, hoc est, uxore perempta, ita et vos magna parte consumpta facultatum et sociorum, paucissimi salvati estis. Zachar. III, 2 : *Numquid non iste torris est erutus de igne.* « *Et non redistis ad me, dicit Dominus,* » obstinati scilicet in peccatis. Osee, II, 5 : *Vadam post amatores meos, qui dant panes mihi.*

Hæc plaga spiritualiter desperationem significat, quæ totum subvertit ædificium spirituale. Psal. CXXXVI, 7 : *Dixerunt : Exinanite, exinanite usque ad fundamentum in ea.* Thren. IV, 6 : *Major effecta est iniquitas filiæ populi mei peccato Sodomorum, quæ subversa est in momento, et non ceperunt in ea manus.*

[3] Cf. IV Reg. XVIII, 1 et seq.

Aliquando tamen isti facti sunt, sicut torris raptus de incendio diaboli. I ad Corinth. III, 15 : *Ipse salvus erit, sic tamen quasi per ignem.* Consumptis enim jam viribus et ætate multi convertuntur. Hoc Hieronymus dicit significari, Ezech. XVI, 55 : *Soror tua Sodoma, et filiæ ejus revertentur ad antiquitatem suam.* Hieronymus : « Ut qui suo vitio Sodo- « mites est, postquam in eo Sodomiæ « opera arserint, in antiquum restituatur « statum. »

12 Et subdit generaliter :

« *Quapropter,* » scilicet quia plagis non corrigeris, « *hæc faciam tibi,* » hoc est, alias curas ingeram tibi, « *o Israel.* » Hieronymus : « Quid facturus sit tacet, « ut dum ad singula genera pœnarum « pendet Israel incertus, quæque terri- « biliora sunt inferenda suspicetur, et « saltem hoc terrore agat pœnitentiam. » Osee, VI, 1 : *In tribulatione sua mane consurgent ad me.*

« *Postquam autem hæc.* » Secundum translationem Hieronymi et Septuaginta, exponuntur de consolatione. Secundum translationem Symmachi autem et quintæ editionis, exponuntur de plagis majoribus. Dicit autem duo : occursum populi, et magnificentiam Dei.

« *Postquam autem hæc fecero tibi,* » plagando te multis, Prov. XXVIII, 35 : *Verberaverunt me, sed non dolui : traxerunt me, et ego non sensi.* Jerem. V, 3 : *Attrivisti eos, et renuerunt accipere disciplinam.* « *Præparare in occursum Dei tui, Israel.* » Symmachus et quinta editio : « Præparare ut adverseris Deo tuo. » Deus enim ex tunc impugnavit te. Sap. V, 21 : *Pugnabit cum illo orbis terrarum contra insensatos.* Deut. XXVIII, 63 : *Lætabitur Dominus disperdens vos atque subvertens.* Psal. XCIII, 16 : *Quis consurget mihi adversus malignantes?*

Et ne præsumat resistere, potentiam Dei subinfert : 13

« *Quia ecce formans montes.* » Exod. XV, 3 : *Dominus quasi vir pugnator, omnipotens nomen ejus.* Septuaginta sic habent : « Verumtamen quia sic faciam « tibi, præparare ut invoces Deum tuum « Israel : » et secundum hoc hic promittit beneficia, et tunc ita exponitur : Postquam plagis veniam accepisti peccati, præparare pura conscientia et fidei devotione in occursum Dei tui, o Israel, qui jam scilicet venit per incarnationem et naturæ sanctificationem. Isa. LXIV, 5 : *Occurristi lætanti, et facienti justitiam.* Sic occurrit Tobias pater Tobiæ juniori, et osculatus est eum[1].

« *Quia ecce formans montes,* » hoc est, vertices Sanctorum in gloria et gratia. Cant. II, 8 : *Ecce iste venit saliens in montibus.* Jerem. XXXI, 23 : *Benedicat tibi Dominus pulchritudo justitiæ, mons sanctus.* Psal. CXXIV, 2 : *Montes in circuitu ejus : et Dominus in circuitu populi sui.* « *Et creans ventum,* » refrigerantem scilicet spiritum. Daniel. III, 50 : *Fecit medium fornacis quasi ventum roris flantem.* Ezech. XXXVII, 9 : *A quatuor ventis veni, spiritus, et insuffla super interfectos istos, et reviviscant.* Primum horum facit Deus potestate, secundum bonitate, et subdit tertium quod facit sapientia.

« *Et annuntians homini eloquium suum,* » per inspirationem scilicet prophetalem. Amos, III, 7 : *Non facit Dominus Deus verbum, nisi revelaverit secretum suum ad servos suos Prophetas.* Joel, II, 28: *Effundam spiritum meum super omnem carnem : et prophetabunt filii vestri.*

Et subdit quartum, quod procedit de largitate : « *Faciens matutinam nebulam.* » Glossa : « Nebula pinguedo aeris « est, et significat pinguedinem quam « omnibus dat devotionis et gratiæ, qui « mane vigilant ad illum. » III Reg. VIII,

[1] Cf. Tob. XI, 10 et 11.

12 : *Dominus dixit ut habitaret in nebula.* Eccli. XLIII, 24 : *Medicina omnium in festinatione nebulæ.*

Et subdit de quinto, quod est opus fortitudinis et justitiæ : « *Et gradiens super excelsa terræ,* » hoc est, sublimia mundi conculcans. Eccli. XXIV, 11 : *Omnium excellentium et humilium corda virtute calcavi.* Quædam Glossa *excelsa* exponit de celsitudine Sanctorum, in quibus Deus graditur per profectum virtutis. Isa. LVII, 15 : *Hæc dicit Excelsus, et sublimis habitans æternitatem : et sanctum nomen ejus in excelso, et in sancto habitans.* Glossa inducit illud. Apostoli, ad Philip. III, 20 : *Nostra conversatio in cœlis est.* « *Dominus,* » possessione, « *Deus,* » providentia, « *exercituum,* » quia semper tres habet exercitus, scilicet Angelorum disponentium, dæmonum instigantium, et hominum exsequentium suam voluntatem. Isa. VI, 3 : *Sanctus, sanctus, sanctus, Dominus Deus exercituum.* III Reg. XXII, 19 : *Vidi Dominum sedentem super solium suum, et omnem exercitum cœli assistentem ei a dextris et a sinistris.* « *Nomen ejus,* » quia per notitiam talis potestatis nominatur. Exod. XV, 3 : *Omnipotens nomen ejus.*

Deus habet tres exercitus.

CAPUT V.

Luget casum Israelis propheta, revocans eos ad quærendum Dominum, ut ita possint evadere afflictiones suis peccatis debitas, propter quas ubique planctus erit : odit Dominus festivitates ac sacrificia eorum, quibus propter idololatriam minatur captivitatem.

1\. Audite verbum istud, quod ego levo super vos planctum : Domus Israel cecidit, et non adjiciet ut resurgat.

2\. Virgo Israel projecta est in terram suam, non est qui suscitet eam.

3\. Quia hæc dicit Dominus Deus : Urbs de qua egrediebantur mille, relinquentur in ea centum : et de qua egrediebantur centum, relinquentur in ea decem in domo Israel.

4\. Quia hæc dicit Dominus domui Israel : Quærite me, et vivetis.

5\. Et nolite quærere Bethel, et in Galgalam nolite intrare, et in Bersabee non transibitis, quia Galgala captiva ducetur, et Bethel erit inutilis.

6\. Quærite Dominum, et vivite : ne forte comburatur ut ignis domus Joseph, et devorabit, et non erit qui exstinguat Bethel.

7\. Qui convertitis in absinthium judicium, et justitiam in terra relinquitis.

8\. Facientem Arcturum et Orionem, et convertentem in mane tenebras, et diem in noctem mutantem : qui vocat aquas maris, et effundit eas super faciem terræ[1] : Dominus nomen est ejus.

9\. Qui subridet vastitatem super robustum, et depopulationem super potentem affert.

[1] Infra, IX, 6.

10. Odio habuerunt corripientem in porta, et loquentem perfecte abominati sunt.

11. Idcirco, pro eo quod diripiebatis pauperem, et prædam electam tollebatis ab eo, domos quadro lapide ædificabitis, et non habitabitis in eis : vineas plantabitis amantissimas, et non bibetis vinum earum [1].

12. Quia cognovi multa scelera vestra, et fortia peccata vestra : hostes justi, accipientes munus, et pauperes deprimentes in porta.

13. Ideo prudens in tempore illo tacebit, quia tempus malum est.

14. Quærite bonum, et non malum, ut vivatis : et erit Dominus Deus exercituum vobiscum, sicut dixistis.

15. Odite malum, et diligite bonum [2], et constituite in porta judicium : si forte misereatur Dominus Deus exercituum reliquiis Joseph.

16. Propterea hæc dicit Dominus Deus exercituum, dominator : In omnibus plateis planctus : et in cunctis quæ foris sunt, dicetur : Væ, væ! et vocabunt agricolam ad luctum, et ad planctum eos qui sciunt plangere.

17. Et in omnibus vineis erit planctus, quia pertransibo in medio tui, dicit Dominus.

18. Væ desiderantibus diem Domini [3]! ad quid eam vobis? dies Domini ista, tenebræ, et non lux.

19. Quomodo si fugiat vir a facie leonis, et occurrat ei ursus : et ingrediatur domum, et innitatur manu sua super parietem, et mordeat eum coluber.

20. Numquid non tenebræ dies Domini, et non lux : et caligo, et non spendor in ea?

21. Odi, et projeci festivitates vestras [4], et non capiam odorem cœtuum vestrorum.

22. Quod si obtuleritis mihi holocautomata, et munera vestra, non suscipiam : et vota pinguium vestrorum non respiciam.

23. Aufer a me tumultum carminum tuorum : et cantica lyræ tuæ non audiam.

24. Et revelabitur quasi aqua judicium, et justitia quasi torrens fortis.

25. Numquid hostias et sacrificium obtulistis mihi in deserto quadraginta annis, domus Israel [5]?

26. Et portastis tabernaculum Moloch vestro, et imaginem idolorum vestrorum, sidus Dei vestri, quæ fecistis vobis.

27. Et migrare vos faciam trans Damascum, dicit Dominus, Deus exercituum nomen ejus.

IN CAPUT V AMOS

ENARRATIO.

« *Audite verbum istud.* » Exaggerat hic magnitudinem mali per planctum.

[illegible] autem in duas partes. Primo enim ostendit, quod sit plangendum, et quid plangendo quærendum. Secundo, removet malum modum quærendi Dominum, ibi, ℣. 21 : « *Odi, et projeci festivitates vestras.* »

Prior adhuc in duas dividitur. In prima plangit pœnam damni : in secunda

[1] Sophon. I, 13.
[2] Psal. XCVI, 10 ; ad Roman. XII, 9.
[3] Jerem XXX 7 ; Joel II, 11 ; Sophon. I, 15.
[4] Isa. I, 11 ; Jerem. VI, 20 ; Malach. I, 12.
[5] Act. VII, 42.

pœnam sensus, ibi, ℣. 18 : « *Væ desiderantibus diem Domini !* »

Adhuc prior istarum in tres dividitur. In prima enim ostendit, quid plangendo quærendum sit. Secundo, comminatur non quærentibus, ibi, ℣. 6 : « *Quærite Dominum, et vivite : ne forte.* » Tertio, docet qualiter quærendum, ibi, ℣. 14 : « *Quærite bonum, et non malum.* »

Prior istarum in tres dividitur. Dicit enim quia, et quid plangendum est, et quid quærendum, ibi, ℣. 4 : « *Quærite me.* » Et quid non quærendum, ibi, ℣. 5 : « *Et nolite quærere Bethel.* »

In primo tria sunt, scilicet quia plangendum, et quid plangendum in culpis, et quid plangendum in pœnis.

1 « *Audite,* » interiori auditu. Prov. xx, 12 : *Aurem audientem, et oculum videntem, Dominus fecit utrumque.* « *Verbum istud :* » hoc enim solum salvare vos potest. Jacob, ii, 21 : *In mansuetudine suscipite insitum verbum, quod potest salvare animas vestras.* Eccli. xlv, 2 : *In verbis suis monstra placavit.* « *Quod ego,* » in figuram et exemplum vestri. Ezech. xxiv, 24 : *Erit Ezechiel vobis in portentum.* « *Levo super vos,* » oppressionem scilicet vestram significando. Psal. xxxvii, 5 : *Sicut onus grave gravatæ sunt super me.* « *Planctum.* » Planctus est vox querula causas doloris ingeminans. Jerem. vi, 26 : *Luctum unigeniti fac tibi, planctum amarum.* Planctus levatur, quando usque ad cœlum et Deum tollitur. Simile, Isa. xxxvii, 4 : *Leva ergo orationem pro reliquiis, quæ repertæ sunt.* Genes. xxix, 11 : *Elevata voce flevit.* Jerem. xxxi, 15 : *Vox in excelso audita est lamentationis, luctus et fletus Rachel plorantis filios suos, et nolentis consolari, quia non sunt*[1]. « *Domus Israel.* » Hoc enim ad præcedens refertur, quia vocativi casus est. Si autem legitur in nominativo, tunc ad sequens refertur.

Et subdit quid plangat in culpis : « *Cecidit,* » casu scilicet culpæ, et maxime per idololatriam. Isa. xiv, 12 : *Quomodo cecidisti de cœlo, lucifer, qui mane oriebaris? corruisti in terram?* Psal. xxxv, 13 : *Ibi ceciderunt qui operantur iniquitatem.* « *Et non adjiciet ut resurgat.* » Hieronymus : « Per seipsum : per « se enim cadit, sed per Deum resurgit, « si resurgit. « Vel, « *non adjiciet ut resurgat* » ad pristinæ statum dignitatis : statum enim immunitatis peccati non potest recuperare.

Innocentia semel amissa non recuperatur.

Et hoc videtur notare quando addit : 2
« *Virgo Israel.* » Hieronymus : « Non « negat posse resurgere, sed non resurget virgo : quia semel aberrans a grege, et si reportetur humeris pii pastoris, non habet eamdem gloriam cum « eo qui numquam aberravit. » Quod intelligitur de gloria quæ est de dignitate, et non de gloria quæ est remuneratio beatitudinis æternæ. Dignior enim et purior et felicior status est numquam peccasse, quam peccasse et pœnituisse. Jerem. viii, 4 : *Numquid qui cadit, non resurget?* Litteraliter dicere vult, quod populus sicut meretrix per idololatriam cecidit, et sicut meretrix propter inexplebilem sitim fornicandi non surgit : ita nec populus. Ezech. xvi, 25 : *Divisisti pedes tuos omni transeunti.* « *Projecta est in terram suam.* » Loquitur ad modum fornicariæ, quæ in pulverem et sordes dejicitur. Eccli. ix, 10 : *Omnis mulier, quæ est fornicaria, quasi stercus in via conculcabitur.* Isaiæ, li, 23 : *Dixerunt animæ tuæ : Incurvare, ut transeamus : et posuisti ut terram corpus tuum, et quasi viam transeuntibus.* « *Non est qui suscitet eam,* » a morte scilicet peccati. Psal. lxxxvii, 11 : *Num-*

[1] Cf. Matth. ii, 18 : *Vox in Rama audita est, ploratus et ululatus multus : Rachel plorans filios suos, et noluit consolari, quia non sunt.*

quid medici suscitabunt, et confitebuntur tibi? Solus enim Deus vitam gratiæ reparare potest : suscitant tamen Sancti per intercessionem, sicut Moyses populum mortuum per idololatriam suscitavit [1]. Sed tales suscitatores modo defecerunt. Isa. LXIV, 7 : *Non est qui invocet nomen tuum : qui consurgat, et teneat te.*

Sanctorum intercessio quid prosit peccatori?

3 Et bene dico quod cecidit,

Quia hæc dicit Dominus Deus, » qui non nisi verum dicit. Ad Roman. III, 4 : *Est autem Deus verax : omnis autem homo mendax.* « *Urbs, de qua egrediebantur mille,* » viri scilicet, vel familiæ, « *relinquentur in ea centum,* » hoc est, decima pars tantum. Si autem in urbe, quæ præsidium fortitudinis est, hoc fit, in villis et in campis nullus remanebit. Jerem. XLII, 2 : *Derelicti sumus pauci de pluribus.* « *Et de qua,* » scilicet urbe, « *egrediebantur centum,* » viri scilicet, vel familiæ, « *relinquentur in ea decem,* » quod iterum est decimatio, « *in domo Israel,* » hoc est, in familia decem tribuum. Isa. VI, 13 : *Adhuc in ea decimatio : et convertetur, et erit in ostensionem sicut terebinthus.* Et ex hoc videtur quod decima relicta sit. Cui contrarium videtur esse quod dicitur, Ezech. V, 2 et 3, ubi dicitur : *Tertiam partem igni combures in medio civitatis, juxta completionem dierum obsidionis : et assumes tertiam partem, et concides gladio in circuitu ejus : tertiam vero aliam disperges in ventum, et gladium nudabo post eos. Et sumes inde parvum numerum, et ligabis eos in summitate pallii tui.*

Videtur autem secundum hanc supputationem, quod non remanserit ibi nisi pars tertia, qua rursus in partes æquales divisa, altera quidem in summitate ligata pallii, altera vero vel in ignem abjecta, vel in omnem ventum dispersa (ut ibidem Propheta inquit) remanet pars sexta totius. Nam partis tertiæ pars dimidia, sexta est. Videtur ergo quod sexta relinquitur et non decima.

Ad hoc dicendum, quod in Ezechiele reliquiæ non numerantur nisi secundum plagas, obsidionis scilicet, gladii, et captivitatis ; et pars captiva non tota rediit, propter quod pars partis illius reservari dicitur. Hic autem per decimationem intelligitur paucitas relictorum ad perfectionem denarii secundum aliquem modum pertinentium. Hieronymus hic in Glossa dicit et in originali, quod « unitas quæ indivisibilis est, significat unitatem innocentium semper Deo adhærentium mente virginea et integra. » Inducit hoc Apostoli II, ad Corinth. XI, 2 : *Despondi vos uni viro virginem castam exhibere Christo.* Et Cant. VI, 8 : *Una est columba mea.* Et his attribuit millenarium, qui perfectus in cubum, numerus est decalogi et virtutis, deducens perfectionem ad felicitatis perfectissimum statum. Opus enim inducit in virtutem, et virtus perducit ad beatitudinem : sicut denarius ductus in se crescit in centenarium, et perductus in centenarium, augetur in millenarium. Isa. LX, 22 : *Minimus erit in mille.* Minimus enim unus et indivisus est. Et intendit dicere, quod qui cadit a millenario, perfectæ scilicet felicitatis, si resurgat, vix resurget ad centenarium et non ad millenarium. Et hoc intelligitur, quia jam amisit felicitatem quantum ad id quod condecorat eam, quod est dignitas indivisionis a Deo : stat tamen in centenario, hoc est, in perfectione virtutis, quam centenarius significat qui quadratus numerus est et perfectus. In virtutibus enim cardinalibus perfectio dicitur ad virtutem : quæ quidem quatuor sunt, fortitudo, temperantia, justitia, et prudentia. Cadens ergo a centenario virtutis, licet non statim resurgat ad perfectionem eamdem, sed primo quidem ad perfectionem decalogi, quæ est perfectio operis : per opus ta-

[1] Cf. Exod. XXXIV, 5 et seq.

men paulatim ascendit ad virtutem, et per virtutem ad felicitatis perfectionem.

4 « *Quia hæc dicit Dominus domui Israel.* » Tangit hic quid in planctu quærendum sit. « *Quærite me, et vivetis,* » quia ego sum fons vitæ, per gratiam scilicet, et gloriam, et etiam per naturam. Act. XVII, 28 : *In ipso enim vivimus, et movemur, et sumus* :

5 Et subdit quid non quærendum :

Sacerdotia lucri gratia non ambienda.

« *Et nolite quærere Bethel,* » ubi scilicet idolum posuit Jeroboam[1]. Mystice autem Bethel quærit, qui stipendia vel præbendam in domo Dei quærit, et non domum Dei. Joan. VI, 26 : *Amen, amen, dico vobis : quæritis me, non quia vidistis signa, sed quia manducastis ex panibus, et saturati estis.* Bethel etiam quærit, qui prætextu domus Dei omnia credit sibi licere, sicut mali religiosi. Jerem. VII, 4 : *Nolite confidere in verbis mendacii, dicentes : Templum Domini, templum Domini, templum Domini est.* « *Et in Galgalam nolite intrare.* » Ibi enim idola etiam posita fuerunt, sicut sæpe dictum est. Galgala autem interpretatur *revelatio*, ad quam intrant qui bona quæ faciunt, ostentant. Matth. VI, 5 : *Non eritis, sicut hypocritæ*, qui omnia opera sua faciunt, *ut videantur ab hominibus.* « *Et in Bersabee non transibitis.* » Bersabee *puteus septem* interpretatur, propter septem agnas quibus confirmatus est puteus. Interpretatur etiam *puteus juramenti,* quia ibi inter Isaac et Abimelech firmatum est fœdus pacis[2]. Et propter hoc etiam venerabilis fuit locus, et posita ibi idola. Spiritualiter autem significatur, quod ad abundantiam non est intrandum. Psal. LXI, 11 : *Divitiæ si affluant, nolite cor apponere.*

Et subjungit causam :

« *Quia Galgala captiva ducetur,* » in infernum scilicet, vel in Assyrios. Isa. V, 13 : *Captivus ductus est populus meus, quia non habuit scientiam.* « *Et Bethel inutilis erit,* » profanata scilicet, per idololatriam et malam vitam. Jerem. VII, 11 : *Numquid ergo spelunca latronum facta est domus ista, in qua invocatum est nomen meum in oculis vestris?*

Ex hoc concludit : 6

« *Quærite Dominum, et vivite.* » Joan. I, 4 : *In ipso vita erat, et vita erat lux hominum.* Deuter. IV, 4 : *Vos qui adhæretis Domino Deo vestro, vivitis universi.* « *Ne forte comburatur ut ignis,* » hoc est, ut materia ignis, « *domus Joseph,* » hoc est, regnum decem tribuum, quod vocat *Joseph*, quia Jeroboam, primus rex Israel, erat de genere Joseph, id est, de Ephraim, qui fuit filius Joseph. *Ignis* vero vocat consumptivam tribulationem. Psal. CXXXIX, 11 : *In ignem dejicies eos : in miseriis non subsistent.* « *Et devorabit,* » supple, ignis, « *et non erit qui exstinguat Bethel,* » accusativi casus. Judith, XVI, 21 : *Dabit ignem, et vermes in carnes eorum, ut urantur, et sentiant usque in sempiternum.* Maxime enim punientur qui in domo Dei pereunt.

Quod autem digni sunt comminatione, subdit : 7

Judicium tripliciter pervertitur.

« *Qui convertitis in absinthium judicium.* » Tripliciter : vel causam scilicet protelando per calumniam, vel in pretio judicando, vel innocentem opprimendo per sententiam iniquam. Thren. III, 15 : *Replevit me amaritudinibus, inebriavit me absinthio.* « *Et justitiam in terra relinquitis.* » Isa. V, 23 : *Væ qui justificatis impium pro muneribus, et justitiam justi aufertis ab eo!* Isa. LIX, 14 : *Conversum est retrorsum judicium, et justitia longe stetit.*

[1] Cf. III Reg. I et seq.

[2] Cf. Genes. XXVI, 32 et 33.

8 Et ne hoc parum sit, subdit :

« *Facientem Arcturum,* » supple, relinquitis omnium Creatorem Deum. *Arcturus* enim sunt septem stellæ micantes in minori ursa, quæ super nos semper volvuntur et numquam occidunt, et significant universitatem Sanctorum, qui non occidunt per peccatum. « *Et Orionem.* » Alia translatio, « astra fulgentia. » Est autem *Orion* constellatio meridiana lucidis valde stellis, æstate tecta, radiis solis hieme orta ἡλιακως, hoc est, de sub radiis solis, et significat martyres in persecutionis hieme ortos, et mundi tenebras illuminantes. Significat etiam patientes in tribulatione, lucem suæ claritatis expandentes Litteraliter tamen sensus est : Qui stellas facit in diversa claritate a polo arctico, hoc est, aquilonari, usque ad polum antarcticum, hoc est, meridionalem. Job, IX, 9 : *Qui facit Arcturum, et Oriona, et Hyadas, et interiora austri.* Psal. CXLVI, 4 : *Qui numerat multitudinem stellarum, et omnibus eis nomina vocat.* « *Et convertentem in mane tenebras,* » hoc est, noctem in diem, « *et diem in noctem mutantem,* » hoc est, vicissitudinem noctis et diei facientem. Genes. VIII, 22 : *Nox et dies non requiescent.* Spiritualiter autem tenebræ mutantur in mane, quando tristitia præsentis vitæ in auroram mutatur felicitatis æternæ. Joan. XVI, 20 : *Tristitia vestra vertetur in gaudium.* Psal. XXIX, 6 : *Ad vesperum demorabitur fletus, et ad matutinum lætitia.* Diem autem mutat in noctem, quando claritatem præsentis sæculi in tenebras commutat inferni. Job, III, 4 : *Dies ille vertatur in tenebras : non requirat eam Deus desuper, et non illustretur lumine.*

« *Qui vocat aquas maris,* » in altum scilicet, per nebulas et nubes, « *et effundit eas super faciem terræ,* » in pluviis scilicet. Job, XXXVIII, 28 : *Quis est pluviæ pater? vel quis genuit stillas roris?* Spiritualiter Deus vocat aquas maris, quando profundum sapientiæ suæ ponit in cor hominis : effundit autem super faciem terræ, quando per doctrinam compluit et rigat corda simplicium. Psal. CXLVI, 8 : *Qui operit cœlum nubibus, et parat terræ pluviam.* Job, XXXVIII, 34 : *Numquid elevabis in nebula vocem tuam, et impetus aquarum operiet te?* « *Dominus est nomen ejus.* » Psal. LXVII, 5 : *Dominus nomen illi*, supple, est. Esther, XIII, 11 : *Dominus omnium es.* Dominus enim est qui omnium habet potestatem.

« *Qui subridet vastitatem,* » hoc est, 9
qui subridendo infert pœnam vastitatis, « *super robustum,* » hoc est, super eum qui in robore alios oppressit. Isa. XXXIII, 1 : *Væ qui prædaris, nonne et ipse prædaberis?* Robur enim hominis irridet fortitudo divina. Psal. XXXVI, 13 : *Dominus autem irridebit eum, quoniam prospicit quod veniet dies ejus.* « *Et depopulationem super potentem affert.* » *Depopulatio* dicitur præda populi, qua nihil relinquitur : quia quod non placet uni, placet alteri. Isa. XXI, 2 : *Qui depopulator est, vastat.* Similiter fit de peccatore, quia bona diripiunt parentes et amici, corpus vermes, et animam dæmones. Psal. LXXV, 6 : *Dormierunt somnum suum : et nihil invenerunt omnes viri divitiarum in manibus suis.* Hanc pœnam affert super potentem : ut quod aliis fecit, ipse patiatur. Apoc. XVIII, 6 : *Reddite illi sicut et ipsa reddidit vobis, et duplicitate duplicia secundum opera ejus.*

Quomodo autem hoc fecerint, subdit, et suppletur quia

« *Odio habuerunt corripientem in* 10
porta. » Judicium enim exercebatur in portis publice, et corripiens in porta est corripiens publice, de perversa sententia. Prov. XXIX, 1 : *Viro, qui corripientem dura cervice contemnit, repentinus ei superveniet interitus.* « *Et loquentem perfecte abominati sunt.* » Glossa : « Perfecte loquitur qui non odio, sed sicut

« Deus præcipit, ex dilectione corripit. » III Reg. XXII, 8 : *Ego odi eum, quia non prophetat mihi bonum, sed malum.* Sapient. II, 12 : *Contrarius est operibus nostris, et improperat nobis peccata legis, et diffamat in nos peccata disciplinæ nostræ.* Et post modicum, ℣. 15 : *Gravis est nobis etiam ad videndum.*

11 « *Idcirco, pro eo.* » Tangit pœnam per iniqua judicia deprimentium pauperes : et est pœna damni, ut hoc amittant quod illicite rapuerunt. « *Pro eo quod diripiebatis pauperem.* » Pauper diripitur, quando substantia pauperis diripitur. Sap. II, 12 : *Circumveniamus justum, quoniam inutilis est nobis, et contrarius est operibus nostris.* Isa. III, 14 : *Rapina pauperis in domo vestra.* « *Et prædam electam tollebatis ab eo.* » *Electam* dicit, quia pretiosa quæque abstulerunt, vilia quædam vix relinquentes. Prov. I, 13 : *Omnem pretiosam substantiam reperiemus, implebimus domos nostras spoliis.* Thren. I, 10 : *Manum suam misit hostis ad omnia desiderabilia ejus.* Jerem. LI, 34 : *Replevit ventrem suum teneritudine mea.* « *Domos quadro lapide ædificabitis.* » Septuaginta : « Polito, » « *et non habitabitis in eis.* » Hæc enim pœna justa est. Deuter. XXVIII, 30 : *Domum ædifices, et non habites in ea.* Avari domos ædificant, qui divitias colligunt per rapinam. Ditare enim domum ædificare est. Habacuc, II, 9 : *Væ qui congregat avaritiam malam domui suæ, ut sit in excelso nidus ejus !* Propter hoc, Isa. V, 8 et 9 : *Væ qui conjungitis domum ad domum, et agrum agro copulatis usque ad terminum loci ! numquid habitabitis vos soli in medio terræ? In auribus meis sunt hæc, dicit Dominus exercituum. Nisi domus multæ desertæ fuerint, grandes et pulchræ, absque habitatore.* Quadrum in lapide dicitur firmum et solidum et politum.

« *Vineas plantabitis amantissimas,* » quæ scilicet vobis continuo gaudia mundi germinent. Deuter. XXVIII, 39 : *Vineam plantabis, et fodies : et vinum non bibes, nec colliges ex ea quippiam : quoniam vastabitur vermibus.* Isa. XVI, 10 : *In vineis non exsultabit neque jubilabit : vinum in torculari non calcabit qui calcare consueverat.* Cujus causa dicitur, Prov. XIV, 13 : *Risus dolore miscebitur, et extrema gaudii luctus occupat.* Et hoc est quod sequitur : « *Et non bibetis vinum earum.* »

Et subdit causam, ut justior sit condemnatio : 12

« *Quia cognovi multa scelera vestra.* » *Scelus* est crimen accusatione dignum. Et non solum *multa*, sed « *et fortia peccata vestra.* » Et dicuntur *fortia* secundum Glossam, ad provocandam iram Dei. Isa. I, 4 : *Væ genti peccatrici, populo gravi iniquitate, semini nequam, filiis sceleratis !* I Reg. XVII, 28 : *Ego novi superbiam tuam, et nequitiam cordis tui.*

« *Hostes justi.* » Neutrius generis, hoc est, justitiæ. Michææ, III, 9 : *Qui abominamini judicium, et omnia recta pervertitis.* Psal. XXXV, 5 : *Adstitit omni viæ non bonæ : malitiam autem non odivit.* « *Accipientes munus,* » vendentes scilicet sententias et judicia. Deuter. XVI, 19 : *Non accipies personam, nec munus : quia munera excæcant oculos sapientum, et mutant verba justorum.* Isa. I, 23 : *Omnes diligunt munera, sequuntur retributiones.* « *Et pauperes,* » supple, qui munera non habent, « *deprimentes in porta.* » Hoc enim in judicio, quia in portis judicium exercebatur. Deuter. XVI, 18 et 19 : *Judices et magistros constitues in omnibus portis tuis, quas Dominus Deus tuus dederit tibi, per singulas tribus tuas : ut judicent populum justo judicio, nec in alteram partem declinent.* Isa. I, 23 : « *Pupillo non judicant, et causa viduæ non ingreditur ad eos.*

13 Et subinfert de obstinatione :

Correctis fraterna quandoque est intermittenda.

« *Ideo*, » supple, quia obstinati estis in talibus malitiis, « *prudens*, » propheta scilicet intelligens, « *in tempore illo*, » scilicet obstinatæ malitiæ, « *tacebit*, » a redargutione scilicet peccatorum, videns quod non emendat, sed potius ad deteriora provocat. Psal. xxxviii, 2 et 3 : *Posui ori meo custodiam, cum consisteret peccator adversum me. Obmutui, et humiliatus sum, et silvi a bonis.* Et hoc est quod subdit : « *Quia tempus malum est.* » Glossa : « Quia nullus est qui velit « audire recte judicantem. » II ad Timoth. iv, 4 : *A veritate quidem auditum avertent, ad fabulas autem convertentur.* Ad Ephes. v, 16 : *Redimentes tempus, quoniam dies mali sunt.*

14 « *Quærite bonum.* » Tangit hic qualiter quærendum est, et dividitur in duo. Primo docet quærere, secundo plangere.

« *Quærite bonum* : » neutrius generis, vel bonum Deum. Luc. xviii, 19 : *Nemo bonus nisi solus Deus.* Isa. lv, 6 : *Quærite Dominum, dum inveniri potest.* Ad Galat. iv, 18 : *Bonum æmulamini in bono semper.* « *Et non malum*, » supple, quærite, neutrius generis : vel mundum, ut dicit Glossa, qui *in maligno positus est*[1]. Eccli. vii, 1 et 2 : *Noli facere mala, et te non apprehendent. Discede ab iniquo, et deficient mala abs te.* Isa. i, 16 et 17 : *Quiescite agere perverse, discite benefacere.* « *Ut vivatis.* » Ipse enim fons et principium vitæ est. Joan. x, 10 : *Ego veni ut vitam habeant, et abundantius habeant.* « *Et erit Dominus Deus exercituum vobiscum*, » in consensu scilicet voluntatis, et in adjutorio operis. Isa. vii, 14 : *Vocabitur nomen ejus Emmanuel*, hoc est, *Nobiscum Deus*[2]. Ruth, ii, 14 : *Dominus vobiscum.* « *Sicut dixistis*, » hoc est, sicut olim in patribus promisistis. Exod. xix, 8 : *Cuncta quæ locutus est Dominus, faciemus*, scilicet erimus obedientes.

« *Odite malum.* » Psal. cxviii, 113 : 15
Iniquos odio habui, et legem tuam dilexi. « *Et diligite bonum.* » Bonum enim solum diligibile est. Eccli. xxiv, 24 : *Ego mater pulchræ dilectionis.* Pulchra enim dilectio est, quæ non diligit nisi bonum. Sap. vi, 22 et 23 : *Diligite sapientiam, ut in perpetuum regnetis : diligite lumen sapientiæ omnes qui præestis populis.* « *Et constituite in porta judicium*, » rectum scilicet. Isa. xvi, 5 : *Sedebit super illud in veritate in tabernaculo David, judicans et quærens judicium, et velociter reddens quod justum est.* Job, vi, 29 : *Loquentes id quod justum est, judicate.* « *Si forte misereatur Dominus Deus exercituum.* » *Forte* dicit, non quia dubium sit, sed quia proprio libero arbitrio poterant nolle converti, vel quia Deus forte misericordia liberante non miserebitur, quamvis certum sit quod semper miseretur misericordia relaxante. Thren. iii, 22 : *Misericordiæ Domini, quia non sumus consumpti : quia non defecerunt miserationes ejus.* « *Reliquiis*, » quæ superfuerunt gladiis Assyriorum vel dæmonum. Isa. xxxvii, 4 : *Leva orationem pro reliquiis, quæ repertæ sunt.* « *Joseph*, » hoc est, decem tribuum, quarum primus rex fuit de Joseph[3].

« *Propterea hæc dicit Dominus Deus* 16
exercituum dominator, » hoc est, præpositus omnibus, dives in omnes et omnia continens. Isa. xvi, 1 : *Emitte Agnum, Domine, dominatorem terræ.* Esther,

[1] I Joan. v, 19.

[2] Matth. i, 23 : *Et vocabunt nomen ejus Emmanuel : quod est interpretatum, Nobiscum Deus.*

[3] Cf. superius enarrationem in ℣. 7 hujus capitis, ubi dicit D. Albertus Jeroboam, primum regem Israel fuisse de genere Joseph, quia erat de tribu Ephraim, qui fuit filius Joseph.

XIII, 9 : *Domine, Domine, rex omnipotens, in ditione tua cuncta sunt posita.* « *In omnibus plateis planctus,* » supple, erit. *Platea* dicitur a græco πλατὺ quod est *latum :* et plateæ sunt loca, in quæ multi conveniunt ad plangendum, et significant latas vias peccatorum quæ plangendæ sunt. Matth. VII, 13 : *Lata porta, et spatiosa via est, quæ ducit ad perditionem : et multi sunt qui intrant per eam.* « *Et in cunctis quæ foris sunt,* » hoc est, villis et campis, « *dicetur væ, væ !* » bis scilicet, propter mortem corporis et animæ. Ezech. II, 9 : *Scriptæ erant in eo lamentationes, et carmen, et væ. Lamentationes* pœnitentibus, *carmen* innocentibus, et *væ* peccatoribus obstinatis. Ezech. XVI, 23 : *Væ, væ tibi !* Apoc. VIII, 13 : *Væ, væ, væ habitantibus in terra !* « *Et vocabunt agricolam ad luctum,* » propter hoc scilicet, quia periit fructus laboris ejus. Jerem. XIV, 4 : *Propter terræ vastitatem, quia non venit pluvia in terram, confusi sunt agricolæ, operuerunt capita sua.* Joel, I, 11 : *Confusi sunt agricolæ, ululaverunt vinitores super frumento, et hordeo, quia periit messis agri.* Hoc spiritualiter interpretatur de Prælatis et prædicatoribus, qui agrum cordis sine fructu excolunt. « *Et ad planctum,* » supple, vocabunt « *eos qui sciunt plangere.* » Hieronymus, id est, « qui sciunt pertinentia ad concitan« das lacrymas. » Jerem. IX, 17 : *Vocate lamentatrices, et veniant,* etc. Tales autem sunt sancti Prædicatores. Matth. V, 5 : *Beati, qui lugent : quoniam ipsi consolabuntur.* Isa. XXII, 12 : *Vocabit Dominus Deus exercituum in die illa ad fletum, et ad planctum, et ad calvitium, et ad cingulum sacci.* Bernardus : « Ta« lem diligo Prædicatorem, qui mihi « planctum, non sibi plausum excitet. »

17 « *Et in omnibus vineis erit planctus.* » *Vineæ* significant cogitationes et opera, in quibus necesse est plangere peccatores. Thren. I, 2 : *Lacrymæ ejus in maxillis ejus : non est qui consoletur eam.* Et subdit causam : « *Quia pertransibo in medio tui,* » undique scilicet interficiens, « *dicit Dominus,* » sicut scilicet pertransivi per Ægyptum percutiens primogenita Ægyptiorum[1]. Ezech. IX, 5 et 6 : *Transite per civitatem sequentes eum, et percutite : non parcat oculus vester, neque misereamini. Senem, adolescentulum, et virginem, parvulum, et mulieres interficite.*

« *Væ desiderantibus !* » Tangit hic causam tanti planctus. « *Diem Domini,* » judicii scilicet particularis vel universalis, temporalis vel æterni. Et loquitur de duabus tribubus desiderantibus captivitatem decem tribuum, ut dilatarent terminos suos. Loquitur etiam de præsumentibus de propria justitia, qui securos se fore putant in judicio. Loquitur etiam de desiderantibus judicium ut vindicentur de inimicis, quibus compati deberent et orare pro ipsis. Contra quod dicitur, Job, III, 24 et 25 : *Antequam comedam, suspiro : et tamquam inundantes aquæ, sic rugitus meus : quia timor, quem timebam, evenit mihi.* Job, XXXI, 14 : *Quid faciam cum surrexerit ad judicandum Deus ? et cum quæsierit, quid respondebo illi ?* « *Ad quid eam vobis,* » supple, desideratis : in districto enim judicio, nemo securus est. Unde et Isa. LXIV, 9, tremens petit : *Ne irascaris, Domine, satis.* I Petr. IV, 18 : *Si justus vix salvabitur, impius et peccator ubi parebunt.* « *Dies Domini ista,* » judicii scilicet. « *Tenebræ,* » angustiæ scilicet, et tribulationis. Isa. XXXVII, 3 : *Dies tribulationis, et correptionis, et blasphemiæ dies hæc.* Sophon. I, 15 et 16 : *Dies iræ dies illa, dies tribulationis et angustiæ, dies calamitatis et miseriæ, dies tenebrarum et caliginis, dies nebulæ et turbinis,* 18

Judicium extremum erit omnibus formidabile.

[1] Cf. Exod. XII, 27.

dies tubæ et clangoris. « *Et non lux,* » lætitiæ scilicet alicujus. Thren. III, 2 : *Me minavit, et adduxit in tenebras, et non in lucem.*

19 Et hujus ponit similitudinem :

« *Quomodo si fugiat vir a facie leonis.* » Nabuchodonosor regem Chaldæorum, leonem vocat. Jeremiæ, IV, 7 : *Ascendit leo de cubili suo, et prædo gentium se levavit.* Quem cum effugerunt Judæi, fit quod sequitur : « *Et occurrat ei ursus,* » qui significat Assuerum regem Persarum et Medorum, qui sicut legitur Esther, III, 8 et seq., edictum dedit ut omnes Judæi simul interficerentur. Prov. XXVIII, 15 : *Leo rugiens, et ursus esuriens, princeps impius super populum pauperem.* « *Et,* » supple, ursum effugiens, « *ingrediatur domum,* » supple, suam, de captivitate revertens, « *et innitatur,* » hoc est, velit requiescere, « *manu sua,* » lassa scilicet, et fracta per captivitatem, « *super parietem,* » domus suæ scilicet, de ruinis ædificatum, « *et mordeat eum coluber.* » *Coluber* dicitur colens umbras, quia in occultis et in antris habitat, et significat coluber Antiochum Epiphanem, qui Judæis, postquam de captivitate redierunt, plurima mala intulit. Genes. XLIX, 17 : *Fiat Dan,* hoc est, judicium, *coluber in via, cerastes in semita, mordens ungulas equi, ut cadat ascensor ejus retro.* Hæc tria significant sententiam leonis, Dei scilicet judicis, ursus infernum magno rictu gluttientem peccatores, serpens dæmones de pœna in pœnam trahentes. De leone, Amos, III, 8 : *Leo rugiet, quis non timebit?* De urso, Osee, XIII, 8 : *Occurram eis quasi ursa raptis catulis.* De serpente, Eccli. x, 13 : *Cum morietur homo, hæreditabit serpentes, et bestias, et vermes.*

20 Et hoc quod dixit, convincit per propriam confessionem :

« *Numquid non tenebræ, dies Domini, et non lux?* » Isa. L, 10 : *Qui ambulavit in tenebris, et non est lumen ei.* « *Et caligo,* » quæ vaporibus et fumis inspissantibus aerem fit, et significat mentis cæcitatem. Exod. x, 21 : *Sint tenebræ super terram Ægypti tam densæ, ut palpari queant.* « *Et non splendor in ea,* » justitiæ scilicet, et gratiæ vel cognitionis. Sap. v, 6 : *Justitiæ lumen non luxit nobis, et sol intelligentiæ non est ortus nobis.*

« *Odi, et projeci.* » Odi corde, et pro- 21
jeci opere, « *festivitates vestras,* » in Quas festivitates
quibus scilicet non ad me laudandum, Deus odiat?
sed ad concupiscentias explendas convenitis. I ad Corinth. XI, 17 : *Hoc autem præcipio, non laudans quod non in melius, sed in deterius convenitis.* Isa. I, 14 : *Calendas vestras, et solemnitates vestras odivit anima mea.* Malach. II, 3 : *Dispergam super vultum vestrum stercus solemnitatum vestrarum,* dum scilicet cor fœtet et lingua laudat. « *Et non capiam odorem cœtuum vestrorum.* » Isa. I, 13 : *Iniqui sunt cœtus vestri.* Odor autem est thus et thymiama quod offerebant corde fœtente. Isaiæ, LXVI, 3 : *Qui recordatur thuris, quasi qui benedicat idolo.*

« *Quod si obtuleritis mihi holocautomata,* » quæ scilicet tota incenduntur, et 22
fuerunt de agnis pro mansuetudine innocentium, de vitulis pro labore activorum, de hircis pro gemitu pœnitentium. « *Et munera vestra,* » quæ non necessitate præcepti legis, sed libera voluntate offerebantur. I Paral. XXIX, 17 et 18 : *Populum tuum qui hic repertus est, vidi cum ingenti gaudio, tibi offerre donaria. Domine, Deus Abraham, et Isaac, et Israel, patrum nostrorum, custodi in æternum hanc voluntatem.* Isa. I, 11 : *Quo mihi multitudinem victimarum vestrarum, dicit Dominus? plenus sum : holocausta arietum, et adipem pinguium,*

et sanguinem vitulorum, et agnorum, et hircorum nolui. « *Non suscipiam.* » Malach. I, 10 : *Non est mihi voluntas in vobis, dicit Dominus exercituum : et munus non suscipiam de manu vestra.* A tempore enim quo Christus obtulit se in cruce, facta sunt hæc mortua, et a tempore prædicationis Apostolorum facta sunt mortifera. « *Et vota pinguium vestrorum,* » hoc est, quæ sponte vovetis ad offerendum, « *non respiciam,* » quia scilicet de rapina pauperum offertis. Genes. IV, 5 : *Ad Cain, et ad munera illius non respexit.* Eccli. XXXIV, 24 : *Qui offert sacrificium ex substantia pauperum, quasi qui victimat filium in conspectu patris sui.*

Cœrimoniæ veteres officinæ sunt mortiferæ.

23 Et quia possent confidere in laudibus psalmorum, propter hoc subdit :

« *Aufer a me tumultum carminum tuorum.* » *Tumultus* sonus confusus est, qualis solet audiri in foro, ut dicit Glossa, et significat eos qui distincte voces non proferunt, nec resonantias notarum in cantibus Ecclesiæ. Matth. XV, 8 : *Populus hic me labiis honorat, cor autem eorum longe est a me* Isa. XXIX, 13 : *Appropinquat populus iste ore suo, et labiis suis glorificat me, cor autem ejus longe est a me.* Jerem. XII, 2 : *Prope es tu ori eorum, et longe a renibus eorum.* « *Et cantica lyræ tuæ non audiam.* » Lyram ponit pro omnibus instrumentis musicalibus, quibus scilicet laus Dei et cantica Ecclesiæ ad lasciviam protrahuntur. Isa. XXIII, 15 : *Erit Tyro quasi canticum meretricis.* Meretricio enim modo quidam cantant in Ecclesia. Unde sequitur, ibidem, ℣. 16 : *Sume citharam, circui civitatem, meretrix oblivioni tradita : bene cane, frequenta canticum, ut memoria tui sit.*

Contra abusum organorum.

24 Et subdit de condemnationis judicio :

Et revelabitur, » in oculis scilicet omnium, « *quasi aqua,* » scilicet ubique omnia operiens, « *judicium,* » scilicet quo redditur unicuique secundum sua merita. Isa. X, 22 : *Consummatio abbreviata inundabit justitiam.* Eccli. XXIV, 43 : *Factus est mihi trames abundans, et fluvius meus appropinquavit ad mare.* « *Et justitia,* » qua quilibet est dignus pœna vel præmio, supple, revelabitur, « *quasi torrens fortis,* » supple, qui cuncta rapit, et cui nihil resistit. Psal. CIX, 7 : *De torrente in via bibet.* Isa. LXVI, 12 : *Ecce ego declinabo super eam sicut fluvium pacis, et quasi torrentem inundantem gloriam gentium, quam sugetis.*

Probationem autem eorum quæ dixit, 25
subdit :

« *Numquid hostias,* » de animalibus scilicet, « *et sacrificium,* » de aridis scilicet et liquidis, « *obtulistis mihi in deserto,* » per quod scilicet eduxi vos de Ægypto, « *quadraginta annis ?* » Psal. XCIV, 10 : *Quadraginta annis offensus fui generationi illi.* « *Domus Israel,* » hoc est, familia decem tribuum. Quasi dicat : Non. Et dicit Hieronymus, quod « ex quo sacrificaverunt vitulo in deserto[1], « numquam sponte obtulerunt Domino, « sed pœnis potius coacti, et ideo dicit « non obtulisse, quia invite fecerunt. » Hujus etiam alia causa est : Dominus enim hoc ex intentione numquam voluit, sed potius voluit sibi offerri quam idolis. Hoc dicitur eis qui in angaria portant crucem in claustris vel Ecclesiis, et Dominum ex devotione non invocant, nec laudant. Isa. XLIII, 22 et 23 : *Non me revocasti, Jacob, nec laborasti in me, Israel. Non obtulisti mihi arietem holocausti tui, et victimis tuis non glorificasti me.*

Sacrificia coacta sunt Deo ingrata.

« *Et portastis tabernaculum Moloch.* » 26
Moloch interpretatur *rex eorum* : et

[1] Cf. Exod. XXXII, 1 et seq.

tabernaculum Moloch portat qui per superbiam, habitationem dæmonis se facit. Job, xli, 25 : *Omnes sublime videt : ipse est rex super universos filios superbiæ.* Et hoc est quod sequitur : « *Vestro,* » id est, regi vestro, « *et imaginem idolorum vestrorum,* » supple, portastis vobiscum per desertum, ut occulte illis offerretis. Contra quod dicit, Genes. xxxv, 2 : *Abjicite deos alienos qui in medio vestri sunt, et mundamini.* Peccatores enim vix ab imaginibus peccatorum separantur. « *Sidus Dei vestri,* » supple, portastis vobiscum. Et hoc dicit Hieronymus « sidus esse luciferi, vel hesperi, quod « adorabant.» Propter quod, Jerem. xix, 13, dicitur quod sacrificabant militiæ cœli [1]. Septuaginta sic habent : « Assumpsistis tabernaculum Moloch, et sidus dei vestri Rempham. » Et hanc translationem inducit Stephanus [2]. Rempham autem interpretatur *requies,* quia in illo sidere requieverunt : propter fulgorem enim sideris numen putabant inesse divinitatis, unde in necromantia libri sunt inscripti de *Sigillis planetarum,* et *Liber imaginum et speculorum et annulorum Venerisque,* omnia fiunt ad cœli imagines. Osee, xii, 8 : *Dixit Ephraim : Verumtamen dives effectus sum, inveni idolum mihi.* « *Quæ fecistis vobis,* » fiduciam scilicet ponentes in eis.

Et subdit pœnam : 27

« *Et,* » supple, ideo « *migrare vos faciam,* » per captivitatem, « *trans Damascum,* » ubi scilicet sunt montes Medorum et Persarum in regno Assyriorum. Ezech. xii, 11 : *In transmigrationem, et in captivitatem ibunt.* Vel, *trans Damascum,* hoc est, ultra potantem sanguinem, usque ad dæmones in infernum. In Actibus tamen Apostolorum, vii, 43, dicit Stephanus in Babylonem [3], et intelligit de duabus tribubus. « *Dicit Dominus.* » Confirmatio præteritorum est. IV Reg. x, 10 : *Non cecidit de sermonibus Domini in terram, quos locutus est.* « *Deus exercituum nomen ejus.* » Daniel. vii, 10 : *Millia millium ministrabant ei, et decies millies centena millia assistebant ei.*

CAPUT VI.

Comminatur Dominus superbis, et in deliciis agentibus exitium ac transmigrationem, una cum reliquo populo Israel : cujus detestatur superbiam.

1. Væ qui opulenti estis in Sion, et confiditis in monte Samariæ [4] : optimates capita populorum, ingredientes pompatice domum Israel !

2. Transite in Chalane, et videte, et ite inde in Emath magnam, et descendite in Geth Palæstinorum, et ad optima quæque regna horum : si latior terminus eorum termino vestro est.

3. Qui separati estis in diem malum, et appropinquatis solio iniquitatis :

[1] Jerem. xix, 13 : *Sacrificaverunt omni militiæ cœli, et libaverunt libamina diis alienis.*

[2] Act. vii, 43 : *Et suscepistis tabernaculum Moloch, et sidus dei vestri Rempham, figuras quas fecistis, adorare eas.*

[3] Act. vii, 43 : *Et transferam vos trans Babylonem.*

[4] Luc. vi, 24.

4. Qui dormitis in lectis eburneis, et lascivitis in stratis vestris : qui comeditis agnum de grege, et vitulos de medio armenti :
5. Qui canitis ad vocem psalterii, sicut David putaverunt se habere vasa cantici :
6. Bibentes vinum in phialis, et optimo unguento delibuti, et nihil patiebantur super contritione Joseph.
7. Quapropter nunc migrabunt in capite transmigrantium, et auferetur factio lascivientium.
8. Juravit Dominus Deus in anima sua [1], dicit Dominus Deus exercitum. Detestor ego superbiam Jacob, et domos ejus odi, et tradam civitatem cum habitatoribus suis.
9. Quod si reliqui fuerint decem viri in domo una, et ipsi morientur.
10. Et tollet eum propinquus suus, et comburet eum, ut efferat ossa de domo : et dicet ei, qui in penetralibus domus est : Numquid adhuc est penes te?
11. Et respondebit : Finis est. Et dicet ei : Tace, et non recorderis nominis Domini.
12. Quia ecce Dominus mandabit, et percutiet domum majorem ruinis, et domum minorem scissionibus.
13. Numquid currere queunt in petris equi, aut arari potest in bubalis, quoniam convertistis in amaritudinem judicium, et fructum justitiæ in absinthium?
14. Qui lætamini in nihilo, qui dicitis : Numquid non in fortitudine nostra assumpsimus nobis cornua?
15. Ecce enim suscitabo super vos, domus Israel, dicit Dominus Deus exercituum, gentem, et conteret vos ab introitu Emath usque ad torrentem deserti.

IN CAPUT VI AMOS

ENARRATIO.

« *Væ qui opulenti estis !* » Tangit hic comminationem captivitatis sub exprobatione peccati Prælatorum, et decem, et duarum tribuum. Et habet partes duas. Primo enim improperat peccata lasciviæ cum comminatione captivitatis. Secundo, peccata superbiæ et oppressionis, ibi, ℣. 13 : *Numquid currere queunt ?*

Prima in duas. Primo enim exaggerat peccatum. Secundo, comminatur pœnam, ibi, ℣. 7 : « *Quapropter nunc migrabunt.* »

Prima istarum dividitur in tres. Primo, improperat divitias, quæ sunt peccati causa. Secundo, injurias quas intulerunt in malitia et injustitia, ibi, « *Qui separati estis.* » Tertio, lascivias in carnali concupiscentia, ibi, « *Qui dormitis in lectis.* »

In divitiis, primo improperat abusum. Secundo, multiplicationem.

« *Væ !* » supple, vobis divitibus, « *qui opulenti estis,* » hoc est, turgidi ac tardi I
præ opibus, eo quod cor totum opibus hæret. Contra hoc dicitur in Psal. LXI, 11 : *Divitiæ si affluant, nolite cor apponere.* Lucæ, VI, 24 : *Væ vobis divitibus, qui habetis hic consolationem vestram !* Et hoc est quod sequitur : « *In Sion,* » hoc est, in Ecclesia. Habacuc, II, 6 : *Væ ei, qui multiplicat non sua !* Hoc enim in Sion vituperabile est, quia

Divitiis utendum est, non corde inhærendum.

[1] Jerem. LI, 14.

ibi speculari deberent æterna. II ad Corinth. iv, 18 : *Non contemplantibus nobis quæ videntur, sed quæ non videntur. Quæ enim videntur, temporalia sunt : quæ autem non videntur, æterna sunt.*

Et quia Sion est in duabus tribubus, propter hoc transit ad decem tribus, subdens : « *Et confiditis in monte Samariæ,* » hoc est, in præsidiis terræ montuosæ. Vel, montem ponit pro dignitatibus, in quibus positi fuerunt. Et reprehenduntur in hoc superbi. Samaria enim *custodia* interpretatur, quia pro custodibus positi potestate inflantur et extolluntur ut montes, et alios opprimunt, ut moles montium. Isaiæ, xiv, 13 et 14 : *Sedebo in monte testamenti :... similis ero Altissimo.* Job, xxviii, 9 : *Subvertit a radicibus montes.* Psal. xlv, 3 : *Transferentur montes in cor maris,* hoc est, æternæ amaritudinis.

Et hoc explanans adhuc subdit :

« *Optimates,* » non quod optimi essent, sed quod optima ambitiose usurpabant, « *capita populorum,* » principes scilicet. Jeremiæ, v, 5 : *Ibo igitur ad optimates, et loquar eis : ipsi enim cognoverunt viam Domini, simul judicium Dei sui : et ecce magis hi confregerunt jugum, ruperunt vincula.* I Esdræ, ix, 2 : *Manus principum et magistratuum fuit in trangressione hac prima.* Isaiæ, i, 5 : *Omne caput languidum.*

Et improperat abusum, subdens : « *Ingredientes pompatice,* » pretiosis scilicet vestibus et apparatu magno et comitiva, « *domum Israel,* » hoc est, familiam Israel. Alios enim despiciebant et opprimebant, ac si conculcare deberent eos. Et nota duplicem eventum in pompa vestium gloriantium. Luc. xvi, 19, dicitur, quod dives *induebatur purpura et bysso : et epulabatur quotidie splendide.* Et post modicum sequitur, ℣. 22 : *Et sepultus est in inferno.* Act. xii, 21 et seq., dicitur, quod statuto die, Herodes vestitus veste regali, sedit pro tribunali, et post modicum, percussit eum Angelus Domini : et consumptus vermibus exspiravit.

Vestium luxus damnatur.

Eccli. xi, 4 : *In vestitu ne glorieris umquam, nec in die honoris tui extollaris.* Eccli. xix, 27 : *Amictus corporis, et risus dentium, et ingressus hominis, enuntiant de illo.*

Et subdit de multiplicatione divitiarum :

« *Transite in Chalane,* » quæ est me- 2
tropolis Persidis ditissima : unde etiam *consummatio futura* interpretatur, eo quod omnium rerum ibi fuit copia. « *Et videte,* » hoc est, considerate divitias et possessiones, « *et ite inde in Emath magnam,* » quæ est metropolis Syriæ, et dicitur Antiochia. *Magna* autem dicitur ad differentiam cujusdam parvæ, quæ alio nomine Epiphania dicitur, ubi Nabuchodonosor interfecit Sedeciam, sicut legitur Jeremiæ, lii, 27. Et interpretatur *indignatio eorum,* propter factum scilicet quo aliis indignabatur. « *Et descendite in Geth Palæstinorum,* » sive Philisthinorum : quæ etiam civitas optima erat ibi, et interpretatur *torcular.* Et quia longum esset inducere per singula, universaliter subdit : « *Et ad optima quæque regna horum,* » in divitiis scilicet, ite et considerate.

Et quid considerent, subdit : « *Si latior terminus eorum,* » hoc est, possessionis eorum, « *termino vestro,* » hoc est, possessione vestra, « *est.* » Quasi dicat : Non est, in divitiis scilicet quod notatur in Chalane, et dignitate quod notatur in Emath Syriæ, et potestate quod notatur in Geth. Hoc potest dici prælatis Ecclesiæ, qui dilatati in divitiis, dignitate, et potestate, nulli genti sunt secundi. Jerem. ii, 10 : *Transite ad insulas Cethim, et videte : et in Cedar mittite, et considerate vehementer : et videte si factum est hujusmodi.* Deuteron. xxxii, 13 : *Constituit eum super excelsam terram, ut comederet fructus agrorum, ut sugeret mel de petra, oleumque de saxo durissimo.* Et post pauca, ℣. 15 : *Incrassatus est dilectus, et recalcitravit.* Hoc enim

promissum fuit Ecclesiæ, Isa. LX, 15 et 16 : *Ponam te in superbiam sæculorum, gaudium in generationem et generationem : et suges lac gentium, et mamilla regum lactaberis.*

3 Et sequitur de ingratitudine :

« *Qui separati estis in diem malum,* » propter peccata scilicet. Et *dies malus* dicitur dies imminentis captivitatis temporalis, vel æternæ. Separatio autem fit quando a malis separantur. Job, XXI, 30 : *In diem perditionis servatur malus, et ad diem furoris ducetur.* Matth. XXV, 32 : *Separabit eos ab invicem, sicut pastor segregat oves ab hædis.* « *Et appropinquatis solio iniquitatis,* » hoc est, amisso regno subjecti eritis iniquo solio Assyriorum, sicut et videmus prælatos Ecclesiæ a tyrannis modo subdi et vexari. Daniel. III, 32 : *Tradidisti nos in manibus inimicorum nostrorum iniquorum, et pessimorum, prævaricatorumque, et regi injusto, et pessimo ultra omnem terram.* Isaiæ, XIX, 4 : *Tradam Ægyptum in manu dominorum crudelium, et rex fortis dominabitur eorum.*

Et subdit, improperans peccata carnalis
4 concupiscentiæ :

uæ sint entiva libidinis ?

« *Qui dormitis in lectis eburneis,* » ut dormitio resolutionem, lectus mollitiem, ebur vanitatem curiositatis significet. Simile, Proverb. VII, 16 et 17 : *Intexui funibus lectulum meum, stravi tapetibus pictis ex Ægypto. Aspersi cubile meum myrrha.* His enim fit incitamentum libidinis. Et hoc est quod sequitur : « *Et lascivitis in stratis vestris.* » Glossa : « Ut « somnum libidini copuletis. » Hoc potest dici clericis et religiosis, qui in voto castitatis (quod ebur significat) luxuriantur. II Paralip. XVI, 14 : *Posuerunt eum super lectum suum plenum aromatibus et unguentis meretriciis.* Apocalypsis, II, 20 : *Permittis mulierem Jezabel, quæ se dicit prophetem, docere, et seducere servos meos, fornicari, et manducare de idolothytis.* Judas in epistola, ℣. 4 : *Subintroierunt... impii Dei nostri gratiam transferentes in luxuriam.*

Contra votifragos.

Et subdit de gula :

« *Qui comeditis agnum de grege,* » hoc est, de toto grege vix invenitur unus agnus quem comedere velitis. « *Et vitulos,* » supple, non quoscumque occurrentes, sed » *de medio armenti* » quæsitos per vestram electionem, qui vocantur *vituli saginati.* Deuteronom. XXXII, 14 : *Cum adipe agnorum, et arietum filiorum Basan.* Genes. XVIII, 7 : *Ipse ad armentum cucurrit, et tulit inde vitulum tenerrimum et optimum.* Isa. XXII, 13 : *Ecce gaudium et lætitia, occidere vitulos, et jugulare arietes... Comedamus et bibamus.*

Et subdit de vanitate auditus : 5

« *Qui canitis ad vocem psalterii,* » ut in convivio, delectationi in gustu misceatur delectatio cantus in auditu. Et explanat ulterius : « *Sicut David putaverunt se habere vasa cantici,* » et hoc ipsum præsumptio fuit, quod inferior scilicet, splendorem velit habere superioris. Isaiæ, V, 12 : *Cithara, et lyra, et tympanum, et tibia, et vinum in conviviis vestris.* Sed in hoc dissimile est : quia David ea habebat in obsequium Dei, his enim lusit ante arcam Domini [1], isti autem ad provocationem libidinis.

Unde sequitur : 6

« *Bibentes vinum in phialis.* » *Phialæ* sunt vasa vitrea subtus stricta, et superius lata, ut scilicet tam in visu quam in gustu delectarentur. Prov. XXIII, 31 et 32 : *Ne intuearis vinum quando flavescit, cum splenduerit in vitro color ejus : ingreditur blande, sed in novissimo morde-*

Vinum incentivum est libidinis.

[1] Cf. II Reg. VI, 14.

bit ut coluber. Hieronymus : « Venter « mero æstuans, facile spumat in libidi- « nem. Non Ætnæi montes, non Vulcanei « ignes ita æstuant, sicut juveniles me- « dullæ vino et dapidus inflammatæ. »

Et subdit de peccato tactus :

« *Et optimo unguento delibuti.* » Glossa : « Non ad refrigerandos dolores cor- « poris oleo puro, sed caris unguentis : « unctiones enim quædam proficiunt ad « libidinis delectationem. » Proverb. VII, 17 et 18 : *Aspersi cubile meum myrrha, et aloe, et cinnamomo. Veni, inebriemur uberibus, et fruamur cupitis amplexibus.*

Et subdit de peccato cordis, quod est duritia in pauperes :

« *Et nihil patiebantur super contritione Joseph,* » hoc est, pauperum de decem tribubus. Et hoc idem dicitur, Isaiæ, v, 11 : *Væ qui consurgitis mane ad ebrietatem sectandam!* Et post pauca, ℣. 12 : *Opus Domini non respicitis, nec opera manuum ejus consideratis,* in afflictione scilicet pauperum : quæ enim a pauperibus rapiunt, consumunt in deliciis.

7 « *Quapropter.* » Post aggravationem culpæ ponit comminationem pœnæ, primo captivitatis, secundo pestilentiæ et mortis. »

« *Quapropter nunc,* » in instante scilicet captivitate vel æterna, « *migrabunt,* » optimates scilicet, et capita populorum, « *in capite transmigrantium,* » in Babylonem scilicet, vel in infernum : ut sicut fuerunt potiores in culpa, sic sint potiores in pœna. Sap. VI, 6 : *Apparebit vobis, quoniam judicium durissimum his, qui præsunt, fiet.* « *Et,* » supple, tunc « *auferetur factio lascivientium,* » quia tunc scilicet lascivias exercere non poterunt. Psal. CXLV, 4 : *In illa die peribunt omnes cogitationes eorum.* I Machab. II, 63 : *Hodie extollitur, et cras non invenietur.*

Hoc autem ut magis timeatur, confirmat subdens : 8

« *Juravit Dominus Deus.* » Hoc est firma sententia : statuit enim « *in anima sua,* » non quod animam habeat, sed quod ex intimo affectu hoc vult, et hic est antropospatos. Daniel. IV, 14 : *In sententia vigilum decretum est.* « *Dicit Dominus Deus exercituum,* » qui scilicet ista ad actum potest reducere. Isa. XXXI, 2 : *Ipse sapiens adduxit malum, et verba sua non abstulit.* « *Detestor ego superbiam Jacob,* » hoc est, duarum et decem tribuum : quia scilicet nec Deo præcipienti, nec præcepto ejus subdi volunt. *Detestari* autem est, cum juramento abominari. Jacob. IV, 6 : *Deus superbis resistit.* Job, XV, 13 : *Quid tumet contra Deum spiritus tuus?* « *Et domos ejus odi,* » hoc est, familias per peccatum lasciviæ corruptas. Ezech. III, 27 : *Domus exasperans est.* Michææ, VI, 10 : *Adhuc ignis in domo impii.* « *Et,* » supple, ideo « *tradam civitatem cum habitatoribus suis,* » in captivitatem scilicet. Hæc enim civitas conventum peccatorum significat, de qua in Psal. LIV, 10 et seq., dicitur : *Vidi iniquitatem et contradictionem in civitate. Die ac nocte circumdabit eam super muros ejus iniquitas : et labor in medio ejus, et injustitia.* Nahum, III, 1 : *Væ civitas sanguinum, universa mendacii dilaceratione plena!* Isa. I, 21 : *Quomodo facta est meretrix civitas fidelis, plena judicii? Justitia habitavit in ea, nunc autem homicidæ.*

Superbi est Deo exosa.

Et subdit de peste eorum qui non captivabuntur, sed in obsidione peribunt :

« *Quod si reliqui fuerint,* » a gladio scilicet hostis, vel captivitate, « *decem viri in domo una,* » hoc est, in familia vel tribu una. Decem nominat ideo, quia supra, v, 3, mille deduxit ad centum, et centum ad decem : et ne credatur quod illis decem parcere velit, ideo hic dicit quod et illi consumendi sunt. « *Et ipsi* 9

morientur, » fame scilicet, et peste. Psal. CIII, 35 : *Deficiant peccatores a terra, et iniqui ita ut non sint.*

10 Et subdit de numero mortuorum :

« *Et tollet eum propinquus suus,* » scilicet mortuum, « *et comburet eum,* » quia hostibus obsidentibus per portas efferre non audet ad sepeliendum, et ideo in domo timens corruptionem comburit, ne fœtore putrefacti corporis corrumpatur. « *Ut efferat ossa de domo,* » sine fœtore corruptionis. Et hæc combustio signum est incendii æterni. Isa. IX, 18 : *Succensa est quasi ignis impietas, veprem et spinam vorabit.* « *Et dicet,* » supple, ille propinquus qui vocatus est ad comburendum, « *ei, qui in penetralibus domus est,* » supple, custodiens eos qui tabe famis et pestilentiæ moriuntur : « *Numquid adhuc est penes te,* » supple, mortuus quem comburam ? Ezech. XXXIX, 14 : *Constituent lustrantes terram, qui sepeliant, et requirant eos qui remanserant super faciem terræ, ut emundent eam.*

11 « *Et respondebit,* » supple, ille qui de intus est : « *Finis est,* » hoc est, omnes consumpti sunt. Ezech. VII, 3 : *Nunc finis super te, et immittam furorem meum in te.* Thren. IV, 9 : *Melius fuit occisis gladio, quam interfectis fame : quoniam isti extabuerunt consumpti a sterilitate terræ.* « *Et dicet ei,* » exterior scilicet interiori : « *Tace,* » hoc est, ad Dominum non clama, « *et non recorderis nominis Domini.* » In tanta enim pertinacia fuerunt (ut dicit Hieronymus) quod nec maximis malis pressi Dominum invocare voluerint. Et significant eos qui in infirmitate mortis non convertuntur ad Dominum. Apocal. XVI, 9 : *Æstuaverunt homines æstu magno, et blasphemaverunt nomen Dei habentis potestatem super has plagas, neque egerunt pœnitentiam, ut darent illi gloriam.* II Paralip. XVI, 12 : *Ægrotavit Asa anno trigesimo nono regni sui dolore pedum vehementissimo, et nec in infirmitate quæsivit Dominum, sed magis in medicorum arte confisus est.*

« *Quia ecce Dominus mandabit,* » 12
supple in proximo, Assyriis scilicet, vel dæmonibus, « *et percutiet domum majorem ruinis,* » divitum scilicet familiam, vel decem tribuum. Matth. VII, 27 : *Venerunt flumina, et flaverunt venti, et irruerunt in domum illam, et cecidit, et facta est ruina illius magna.* « *Et domum minorem,* » supple, percutiet « *scissionibus.* » *Domum minorem* vocat vel domum plebeiorum, vel domum duarum tribuum, quæ scissa est, quia multis cadentibus, pauci remanserunt, sicut parietinæ manent scissis et ruentibus domibus. Isa. V, 9 : *Nisi domus multæ desertæ fuerint, grandes, et pulchræ absque habitatore.* Isa. XXV, 2 : *Posuisti civitatem in tumulum, urbem fortem in ruinam, domum alienorum : ut non sit civitas, et in sempiternum non ædificetur.*

Et quia aliquis posset quærere, quare 13
tam crudeliter vindicaret in eos, cum per naturam sit bonus et dulcis, etc., respondet :

« *Numquid currere queunt in petris equi ?* » Quasi diceret. Non : quia pes durus equi, et non fissus duro lapidi non infigitur ad standum, nec ad se tenendum. « *Aut arari potest in bubalis ?* » Glossa : « Silvestris bos non potest domari, ut suscipiat aratra. » Et cum animalia naturam suam non mutent, vos malitia me mutastis de dulci in amarum. Osee, XIV, 1 : *Pereat Samaria, quoniam ad amaritudinem concitavit Deum suum.* Et hoc est quod sequitur : « *Quoniam convertistis in amaritudinem judicium,* » justi scilicet judicis Dei, qui dulcis est per naturam : ut scilicet judi-

cium amarum de vobis faceret. Osee, XII, 14 : *Ad iracundiam me provocavit Ephraim in amaritudinibus suis.* « *Et fructum,* » supple, dulcissimum, « *justitiæ,* » quem scilicet justus judex pro justitia reddidit patribus, « *in absinthium,* » supple, convertistis : oportet enim quod fructibus vestris amaris amaritudo absinthii in pœna respondeat. Deut. XXXII, 32 : *Uva eorum uva fellis, et botri amarissimi.* Sap. IV, 5 : *Fructus illorum inutiles, et acerbi ad manducandum.*

14 Qualiter autem converterint, subdit :

« *Qui lætamini in nihilo,* » in idolo scilicet, vel in peccato. Ezech. XXVIII, 19 : *Nihil factus es, et non eris in perpetuum.* « *Qui dicitis,* » ex præsumptione scilicet superbiæ. Tob. IV, 14 : *Superbiam numquam in tuo sensu, aut in tuo verbo dominari permittas.* « *Numquid non in fortitudine nostra,* » non Dei scilicet, « *assumpsimus nobis cornua,* » regni scilicet et potestatis in Jeroboam et successoribus suis ? Et *fortitudinem* appellant potentiam sæcularem in parentibus, divitiis, potentatu, et industria. Simile, Daniel. IV, 27 : *Nonne hæc est Babylon magna, quam ego ædificavi in domum regni, in robore fortitudinis meæ, et in gloria decoris mei ?* Contra hos dicitur in Psal. LXXIV, 6 : *Nolite extollere in altum cornu vestrum.* De bonis autem dicitur in Psal. LXXXVIII, 25 : *In nomine meo exaltabitur cornu ejus.*

« *Ecce enim suscitabo super vos,* » scilicet opprimendos, « *domus Israel,* » decem et duæ tribus, « *gentem,* » Assyriorum scilicet, Chaldæorum, vel dæmonum, qui *gens* dicuntur, quia gentili ferocitate debacchantur. Habacuc, I, 6 : *Ecce ego suscitabo Chaldæos, gentem amaram.* Isa. XIII, 17 et 18 : *Ecce ego suscitabo super eos Medos, qui argentum non quærant, nec aurum velint, sed sagittis parvulos interficient.* « *Dicit Dominus Deus exercituum,* » cui scilicet, sicut dicit Gregorius, « militat etiam id « quod per malitiam voluntatis obstat. » « *Et conteret vos,* » in personis scilicet, et rebus. Isa. X, 7 : *Ad conterendum erit cor ejus, et ad internecionem gentium non paucarum.* 15

« *Ab introitu Emath,* » quæ est Antiochia, et est principium terræ promissionis ex parte Aquilonis, « *usque ad torrentem deserti,* » hoc est, rivum, qui *Rivorucula* dicitur, et inter Pelusium montem et desertum Ægypti cadit in mare, ubi est finis terræ promissionis ad Meridiem, hoc est, vastabit a fine usque in finem. Matth. XXII, 7 : *Missis exercitibus suis, perdidit homicidas illos, et civitatem illorum succendit.*

CAPUT VII.

Deprecatur propheta pœnas quas videt imminere : et Dominus comminatur captivitatem, quam Amos sub parabola trullæ cæmentarii vaticinatur, adversante licet Amasia sacerdote Bethel : qui coram rege Israel accusat Amos, suadens ipsi Amos ut eat prophetatum in terram Juda : sed ostendit se factum a Domino prophetam ut super Israel prophetaret, qui et Amasiæ et Israeli vaticinatur afflictiones.

1. Hæc ostendit mihi Dominus Deus : et ecce fictor locustæ in principio germinantium serotini imbris, et ecce serotinus post tonsionem regis.
2. Et factum est, cum consummasset comedere herbam terræ, dixi : Domine Deus, propitius esto, obsecro : quis suscitabit Jacob, quia parvulus est?
3. Misertus est Dominus super hoc : Non erit, dixit Dominus.
4. Hæc ostendit mihi Dominus Deus : et ecce vocabat judicium ad ignem Dominus Deus : et devoravit abyssum multam, et comedit simul partem.
5. Et dixi : Domine Deus, quiesce, obsecro : quis suscitabit Jacob, quia parvulus est?
6. Misertus est Dominus super hoc : Sed et istud non erit, dixit Dominus Deus.
7. Hæc ostendit mihi Dominus : et ecce Dominus stans super murum litum, et in manu ejus trulla cæmentarii.
8. Et dixit Dominus ad me : Quid tu vides, Amos? Et dixi : Trullam cæmentarii. Et dixit Dominus Ecce ego ponam trullam in medio populi mei Israel : non adjiciam ultra superinducere eum.
9. Et demolientur excelsa idoli, et sanctificationes Israel desolabuntur, et consurgam super domum Jeroboam in gladio.
10. Et misit Amasias, sacerdos Bethel, ad Jeroboam, regem Israel, dicens : Rebellavit contra te Amos in medio domus Israel : non poterit terra sustinere universos sermones ejus.
11. Hæc enim dicit Amos : In gladio morietur Jeroboam, et Israel captivus migrabit de terra sua.
12. Et dixit Amasias ad Amos : Qui vides, gradere : fuge in terram Juda, et comede ibi panem, et prophetabis ibi.
13. Et in Bethel non adjicies ultra ut prophetes, quia sanctificatio regis est, et domus regni est.
14. Responditque Amos, et dixit ad Amasiam : Non sum propheta, et non sum filius prophetæ : sed armentarius ego sum, vellicans sycomoros.
15. Et tulit me Dominus cum sequerer gregem, et dixit Dominus ad me : Vade propheta ad populum meum Israel.
16. Et nunc audi verbum Domini : Tu dicis : Non prophetabis super Israel, et non stillabis super domum idoli.

17. Propter hoc hæc dicit Dominus : Uxor tua in civitate fornicabitur, et filii tui et filiæ tuæ in gladio cadent, et humus tua funiculo metietur : et tu in terra polluta morieris, et Israel captivus migrabit de terra sua.

IN CAPUT VII AMOS

ENARRATIO.

« *Hæc ostendit mihi Dominus Deus.* » Hic incipit ostendere per similitudines malum captivitatis futuræ. Et dividitur in partes duas. Primo enim inducit similitudines. Secundo, quasi explanando eas comminatur pœnam, infra, VIII, 4, ibi, « *Audite hoc, qui conteritis pauperem.* »

Prima dividitur in duas, in quarum prima sub tribus similitudinibus inducit pœnam. In secunda, sub quarta similitudine attractionem pœnæ in civitatem, infra, VIII, 1, ibi, « *Hæc ostendit mihi Dominus Deus : et ecce uncinus pomorum.* »

Adhuc prior dividitur in duo. Primo enim metaphorice pœnam describit futuram. Secundo, in prophetando ostendit prophetæ constantiam, ibi, ℣. 10 : « *Et misit Amasias.* »

Prior harum in tres dividitur. Primo enim ostendit pœnam ex parte vastatoris : secundo, ex parte vastati : tertio, ex parte remotionis auxilii divini.

In prima tria sunt, scilicet pœnæ comminatio, Sanctorum intercessio, pœnæ suspensio.

1 « *Hæc ostendit mihi Dominus Deus,* » qui solus novit futurorum dispositionem. Psal. L, 8 : *Incerta et occulta sapientiæ tuæ manifestasti mihi.* « *Et ecce fictor locustæ.* » Fictor locustæ Deus est creator omnium, qui in specie formantis locustas apparuit Prophetæ. Locustam vero vocat regem Assyriorum Sennacherib, qui longo saltu de Assyria exsilivit in Judæam, et vastavit eam. Psal. CIV, 34 : *Venit locusta, et bruchus, cujus non erat numerus.* « *In principio germinantium serotini imbris.* » Alius est serotinus imber simpliciter, qui super maturandos fructus descendit, et alius est serotinus imber in principio germinantium, qui fit postquam semina jam verno tempore pullulare incipiunt, et virere, et ad illum virorem venit locusta, ut scilicet recentia devoret. Unde, in Psal. CIV, 35 : *Comedit omne fœnum in terra eorum.* De imbre autem dicitur, Osee, VI, 3 : *Veniet quasi imber nobis temporaneus, et serotinus terræ.* « *Et ecce serotinus,* » hoc est, ecce apparuit serotinus in virore et herba, « *post tonsionem regis,* » sive tonsuram regis, hoc est, postquam apparuit serotinum viride quod relictum fuerat a locustis, scilicet ab Assyriis, statim apparuit Nabuchodonosor, tonsor sive tonsura regis, qui sicut falce quadam omnia præcidit, sicut dixerat, Isa. VII, 20 : *Radet Dominus in novacula conducta, in his qui trans flumen sunt, in rege Assyriorum, caput et pilos pedum, et barbam universam.*

Et subdit de supplicatione Sanctorum : 2

Sanctorum intercessio non est abjicienda.

« *Et factum est, cum consummasset comedere herbam terræ,* » locusta scilicet, et tonsor, hoc est, tollere omne quod viroris erat in populo, « *dixi,* » ego scilicet, et alii Sancti intercedendo. Jacob. V, 16 : *Orate pro invicem ut salvemini : multum enim valet deprecatio justi assidua.* « *Domine Deus, propitius esto, obsecro,* » scilicet populo. II Machab. II, 17 et 18 : *Deus qui liberavit populum suum, et reddidit hæreditatem omnibus, et regnum, et sacerdotium, et*

sanctificationem, sicut promisit in lege, speramus quod cito nostri miserebitur. « *Quis suscitabit Jacob,* » hoc est, suscitare poterit? duodecim tribus scilicet, « *Quia parvulus est,* » viribus scilicet, et opibus, et numero. Abdiæ, ỳ. 2 : *Ecce parvulum dedi te in gentibus : contemptibilis tu es valde.*

Et quia Deus audit desideria Sanctorum, propter hoc tunc temporis liberati sunt, et comminatio suspensa est.

3 « *Misertus est Dominus super hoc.* » Psal. LXXVI, 10 : *Aut obliviscetur misereri Deus!* « *Non erit,* » supple, hoc tempore malum istud, « *dixit Dominus.* » III Reg. XXI, 29 : *Quia igitur humiliatus est mei causa, non inducam malum in diebus ejus.* Hæc locusta significat adulatorem qui super viride cadit, quia in apertis bonis blanditur, et mala tegit, et excusat. Exod. x, 4 et 5 : *Ecce ego inducam cras locustam in fines tuos, quæ operiat superficiem terræ, ne quidquam ejus appareat.* Isa. XV, 6 : « *Viror omnis interiit.* » Hæc locusta venit in principio germinantium, quia cum homo florere incipit et germinare, tunc apparet adulator et blanditor. Prov. I, 10 : *Fili mi, si te lactaverint peccatores, ne acquiescas eis.* Venit etiam tempore serotini imbris, quia quem Deus compluit gratia ad augmentum virtutis vel boni alicujus, illi statim insident adulatores. Osee, XII, 1 : *Oleum in Ægyptum ferebat Ephraim.* Tonsor autem qui serotinum tondet et abradit, diabolum significat, qui per mortale peccatum omne tollit quod speciem habet virtutis. Psal. CXXXVI, 7 : *Dicunt : Exinanite, exinanite usque ad fundamentum in ea.* Sed intercessione Sanctorum aliquando tales convertuntur. II Machab. III, 33, Onias summus sacerdos salutem impetravit Heliodoro, et propter hoc ibi dicitur : *Oniæ sacerdoti gratias age : nam propter eum tibi Dominus vitam donavit.*

Adulator blanditiis vitia tegit, et virtutes perimit.

« *Hæc ostendit mihi Dominus Deus.* » 4
Describit hic pœnam ex parte vastati, et dicit tria sicut in præcedenti. « *Et ecce vocabat judicium,* » damnationis scilicet, « *ad ignem,* » ut scilicet mœnia Judææ incendantur. « *Dominus Deus,* » qui potens scilicet est, et prudens ad judicandum ubi debet. Thren. II, 3 : *Succendit in Jacob quasi ignem flammæ devorantis in gyro.* « *Et devorabit abyssum multam,* » ignis scilicet. *Abyssum* vocat multitudinem et profunditatem peccatorum. Jerem. XVII, 9 : *Pravum est cor omnium, et inscrutabile.* Isa. X, 17 et 18 : *Succendetur, et devorabitur spina ejus, et vepres in die una : et gloria saltus ejus,* hoc est, multitudo populi ejus. « *Et comedit,* » supple, ignis, « *simul,* » supple, cum populo, « *partem,* » in Dei cultum, scilicet templum et Jerusalem. Isa. LXIV, 11 : *Domus sanctificationis nostræ, et gloriæ nostræ, ubi laudaverunt te patres nostri, facta est in exustionem ignis.*

Et subdit de supplicatione : 5

« *Et dixi,* » orando scilicet pro populo. II Machab. XV, 14 : *Hic est, qui multum orat pro populo, et universa sancta civitate,* scilicet Jerusalem. « *Domine Deus, quiesce, obsecro,* » a vindicta scilicet, quam exercere cœpisti. Isa. LXIV, 9 : *Ne irascaris, Domine, satis, et ne ultra memineris iniquitatis nostræ.* « *Quis suscitabit Jacob,* » hoc est, suscitare poterit? supple, nisi tu : « *quia parvulus est,* » amissa scilicet gratia, et vulnerato bono naturali. I ad Cor. XIII, 2 : *Si charitatem non habuero, nihil sum.* Matth. XIV, 31 : *Modicæ fidei, quare dubitasti?*

« *Misertus est Dominus super hoc,* » 6
supple, malo. Sap. XII, 8 : *Sed et his tamquam hominibus pepercisti.* Et hoc est quod sequitur : « *Sed et istud,* » scilicet malum, « *non erit, dixit Dominus Deus.* » Et hoc factum est, quando

Jechonia transmigrato, suspensa est captivitas usque ad Sedeciam. Hic ignis tribulationem significat, ut populum convertat per tribulationem : quia ignis peccatoribus adhibetur ad pœnitentiam, Sanctis vero ad probationem ac meritum. Thren. I, 13 : *De excelso misit ignem in ossibus meis, et erudivit me.* Et oratione Sanctorum aliquando aufertur tribulatio, sicut Aaron per incensum deprecationem allegans, restitit iræ, et finem necessitati imposuit [1].

Oratio sanctorum iræ Dei resistit, eamque placat.

7 » *Hæc ostendit mihi Dominus.* » Describit hic auxilii divini destitutionem, et duo dicit : auxilium quod quondam exhibuit, et ejusdem subtractionem. « *Et ecce Dominus stans,* » ut scilicet paratus sit juvare. Habacuc, II, 1 : *Super custodiam meam stabo, et figam gradum super munitionem.* « *Super murum litum,* » hoc est, linitum per syncopen. *Murus* dicitur populus ex vivis lapidibus coadunatus, quem semper cæmento observationis legis, et glutino charitatis, et temperamento virtutis linivit Dominus, ne caderet. Genes. VI, 14 : *Bitumine linies intrinsecus et extrinsecus.* Isa. XXVI, 1 : *Salvator ponetur in ea murus et antemurale.* « *Et in manu ejus,* » Domini scilicet, « *trulla cæmentarii.* » Significatur auxilium gratiæ, quo semper complanavit quidquid asperitatis ortum fuerit, sicut cæmentarius cum trulla planat murum et componit. Genes. XV, 1 : *Noli timere, Abram, ego protector tuus sum, et merces tua magna nimis.*

8 « *Et dixit Dominus ad me,* » ut scilicet intus instrueret me. Isa. L, 4 : *Dominus... erigit mane, mane erigit mihi aurem, ut audiam quasi magistrum.* « *Quid tu vides, Amos ?* » Non quærit ex ignorantia, sed ut ex responsione occasionem accipiat instruendi. Simile, Jerem. I, 11 : *Quid tu vides, Jeremia ?* « *Et dixi,* » respondens scilicet, « *Trullam cæmentarii,* » supple, video, 1 ad Corinth. III, 9 : *Dei ædificatio estis.* « *Et dixit Dominus,* » instruens scilicet intus, « *Ecce ego ponam,* » hoc est, deponam et auferam « *trullam,* » hoc est, auxilium meum, « *in medio populi mei Israel,* » hoc est, quæ est in medio populi, hoc est, abstraham auxilium, et exponam eos tribulationibus, ut saltem per tribulationes ad me redeant. Osee, VI, 1 : *In tribulatione sua mane consurgent ad me.* « *Non adjiciam ultra,* » supple, sicut feci antiquitus, « *superinducere eum,* » murum scilicet, qui trullam superinducendo complanatur et politur. Dicit enim se non præstiturum auxilium populo. Psal. LXII, 11 : *Tradendur in manus gladii, partes vulpium erunt.* Item, Psal. LXX, 11 : *Deus dereliquit eum, persequimini, et comprehendite eum.*

« *Et* » supple, tunc « *demolientur,* » Assyrii scilicet, vel dæmones, « *excelsa idoli,* » hoc est, excelsa loca, in quibus stant idola, sicut Bethel, et Dan, et Galgal, et Bersabee. Vel, *excelsa idoli* dicuntur montes superbiæ, in quibus miser homo idola spectaculorum mundi colit. Psal. LXXVII, 58 : *In iram concitaverunt Deum in collibus suis, et in sculptilibus suis ad æmulationem eum provocaverunt.* « *Et sanctificationes Israel,* » quibus scilicet sanctificari se putat in idolis, quæ potius profanationes dici deberent, « *desolabuntur,* » hoc est, in solitudinem redigentur. 1 Machab. II, 8 : *Templum ejus sicut homo ignobilis.* Et, II Machab. VI, 4 : *Templum luxuria et commessationibus gentium erat plenum, et scortantium cum meretricibus.* « *Et consurgam super domum Jeroboam,* » pronepotis scilicet Jehu [2], « *in gladio,* » hoc est, interficiendo omnes. Isa. XIV, 22 : *Consurgam super eos, dicit Dominus exerci-* 9

[1] Cf. Numer. XVI, 46, et Sapient. XVIII, 21.

[2] Cf. IV Reg. XIV.

tuum : et perdam Babylonis nomen, et reliquias, et germen, et progeniem.

10 « *Et misit Amasias.* » Hic tangitur de Prophetæ constantia, qui etiam propter mortis periculum prophetare non destitit. Et dividitur in partes duas. Primo enim ponitur Prophetæ increpatio. Secundo Prophetæ ad increpantes responsio, ibi, « *Responditque Amos.* »

Prima tria continet, scilicet Prophetæ apud regem accusationem, et objectionem, et Sacerdotum contra Prophetam invectionem.

« *Et misit Amasias,* » timens scilicet ne regno perdito ipse amitteret Pontificatum, « *sacerdos,* » scilicet summus, « *Bethel,* » hoc est, idoli quod fuit in Bethel, « *ad Jeroboam,* » pronepotem scilicet Jehu, « *regem Israel,* » hoc est, decem tribuum, « *dicens,* » scilicet ut diceret ad Jeroboam. Hoc competit nominis interpretationi : quia Amasias *indignans Dominus,* vel *furor Domini* interpretatur.

Et subdit accusationem :

« *Rebellavit contra te Amos.* » Falsum dicit, quia non bellum instruxit, sed solum verba dixit. « *In medio domus Israel.* » Ac si dicat, ubi potentior es, et ideo vituperium tuum majus est. Et aggravat rebellionem : « *Non poterit terra sustinere universos sermones ejus,* » supple,quia non tantum loquitur contra te, sed contra omnes habitantes in terra. Hoc autem intendit quod tota terra insurgat contra eum. Simile quid factum est Domino, et fit adhuc suis a Pontificibus. Joan. xi, 47 : *Collegerunt Pontifices et Pharisæi concilium.* Et post pauca, ℣.48 : *Si dimittimus eum sic, omnes credent in eum : et venient Romani, et tollent nostrum locum, et gentem.* Similiter Prædicatores veritatis a Pontificibus, ne in suis episcopatibus prædicent, ejiciuntur. I ad Thess. ii, 14 et seq. : *Eadem passi estis et vos a contribulibus vestris, sicut et ipsi,* scilicet Apostoli, *a Judæis,*

Veritatem annuntiantibus obsistunt pseudo episcopi.

qui et Dominum occiderunt Jesum,et prophetas, et nos persecuti sunt, et Deo non placent, et omnibus hominibus adversantur : prohibentes nos gentibus loqui ut salvæ fiant, ut impleant peccata sua semper : pervenit enim ira Dei super illos usque in finem.

Et subdit descendendo ad speciem : 11

« *Hæc enim dicit Amos.* » Attribuit homini quod Deus dixerat, ut minus timeatur. Contra quod dicitur, I ad Thess. ii, 13 : *Cum accepissetis a nobis verbum auditus Dei, accepistis illud non ut verbum hominum, sed (sicut est vere) verbum Dei.* Ezech. iii, 7 : *Domus Israel nolunt audire te, quia nolunt audire me.* « *In gladio morietur Jeroboam.* » Mentitur. Dixit enim, ℣. 9 : « *Consurgam super domum Jeroboam in gladio,* » quod fuit comminatio in pœnitentiam, interminatio autem mortis pœnitentiam abstulisset. Et aggravando subdit de populo : « *Et Israel captivus migrabit de terra sua.* » Hoc justum fuit, ut scilicet colentes deos alienos ad terras illorum deorum transferrentur. Jerem. xvi, 12 et 13 : *Ambulat unusquisque post pravitatem cordis sui mali, ut me non audiat. Et ejiciam vos de terra hac in terram quam ignoratis vos, et patres vestri : et servietis ibi diis alienis die ac nocte, qui non dabunt vobis requiem,* Chaldæis scilicet, vel dæmonibus.

Rege autem non curante accusationem, nec respondente, ipse Pontifex invehitur in Prophetam.

« *Et dixit Amasias ad Amos.* » Semper enim proniores fuerunt Pontifices ad persequendum bonos quam principes sæculares. « *Qui vides,* » hoc est, o Propheta. I Reg. ix, 9 : *Qui Propheta dicitur hodie, vocabatur olim Videns.* « *Gradere,* » hoc est, a loco recede, « *fuge in terram Juda,* » hoc est, in regnum duarum tribuum. Amos, ii, 12 : *Prophetis* 12

En crudelitatem pontificum.

mandabitis, dicentes : Ne prophetetis. Quod et modo fit : Prædicatores enim veritatis ejiciuntur. Matth. xxiv, 34 : *Persequemini de civitate in civitatem.* « *Et comede ibi panem.* » Despective dicit, ac si prædicatione veritatis panem quæreret, sicut mercenarii : cum non prædicaret ut comederet, sed potius comederet ut prædicaret. Et hoc est quod sequitur : « *Et prophetabis ibi,* » pro pane scilicet : et retorquet in eum avaritiam falsorum prophetarum, de quibus, Ezech. xiii, 19 : *Violabant me ad populum meum propter pugillum hordei, et fragmen panis.* Contra quod dicitur, I ad Cor. ix, 18 : *Quæ est ergo merces mea ? Ut Evangelium prædicans, sine sumptu ponam Evangelium,* hoc est, gratis. Matth. x, 8 : *Gratis accepistis, gratis date.*

13 « *Et in Bethel non adjicies ultra ut prophetes.* Quasi dicat : Istud quod modo fecisti, parco : sed si ultra feceris, malo tuo feceris : « *quia sanctificatio regis est,* » qui scilicet ibi vitulum posuit. Et hoc explanat, subdens : « *Et domus regni est,* » in qua scilicet rex ad regnandum consecratur, sicut Babylon domus regni fuit [1]. Et sicut Susis domus fuit regni Assueri [2]. Sensus est, quod reus fit criminis læsæ majestatis, qui contra sedem et domum regis loquitur. Jerem. xx, 2 : *Percussit Phassur Jeremiam Prophetam, et misit eum in nervum.* Phassur enim etiam erat sacerdos qui constitutus erat in domo Domini. Et Jerem. xxxvi, 23, combustus est liber Jeremiæ prophetæ ab iniquo rege. Jerem. xxxviii, 4 : *Rogamus ut occidatur homo iste : de industria enim dissolvit manus virorum bellantium qui remanserunt in civitate hac, et manus universi populi, loquens ad eos juxta verba hæc : siquidem homo iste non quærit pacem populo huic, sed malum.*

Jeremias propter veritatem cæditur.

[1] Cf. Daniel. iv, 27.
[2] Cf. Esther, i, 2.

« *Responditque Amos.* » I Petr. iii, 15 : *Parati semper ad satisfactionem omni poscenti vos rationem de ea quæ in vobis est spe.* Prov. xxvi, 5 : *Responde stulto juxta stultitiam suam, ne sibi sapiens esse videatur.* « *Et dixit ad Amasiam,* » constanter scilicet stans pro veritate. Eccli. iv, 33 : *Pro justitia agonizare pro anima tua, et usque ad mortem certa pro justitia, et Deus expugnabit pro te inimicos tuos.* « *Non sum Propheta,* » officio scilicet, vel parentela, vel educatione inter Prophetas, sicut officio Propheta fuit Eliseus, qui in Prophetam unctus fuit ab Elia [3]. Generatione autem, sive natalibus Propheta fuit Isaias et alii multi, quorum patres Prophetæ fuerunt, a quibus ad filios quasi per hæreditatem gratia descendit prophetalis : educatione vero fuerunt Prophetæ, multi qui erant cum Eliseo [4]. **14**

Et hoc subdit exponendo : « *Et,* » id est, « *non sum filius Prophetæ.* » Glossa tamen aliter exponitur, dicens : « Non « sum Propheta nunc, quia jam in isto in« stanti non habeo revelationem. » Humilis iste magna de se negans, et humilia confitens, imitator est Joannis Baptistæ, de quo dicitur, Joan, i, 20 : *Confessus est, et non negavit : et confessus est : Quia non sum ego Christus.* Gregorius : « Cum tantus esset ut Christus « credi potuisset, elegit magis solide « subsistere in se, quam inaniter elevari « supra se. » « *Sed armentarius ego sum.* » Glossa : « Hoc veritatis est, bu« bulcus enim vel pastor alienorum pe« corum fuit. » Ad Rom. xii, 16 : *Non alta sapientes, sed humilibus consentientes.* Et inter pastores dicit se minimum, subdens : « *Vellicans sycomoros,* » quia scilicet propria prata non habeo in quibus pascam, sed vellico sive discerpo folia sycomorum et aliarum arborum ad pascua pecorum. Simile, I ad Cor. xv, 9 : *Ego enim sum minimus Apostolorum, qui non sum dignus vocari Aposto-*

[3] Cf. III Reg. xix, 19.
[4] Cf. IV Reg. xv, 38.

lus. I Reg. xxv, 41 : *Ecce famula tua sit in ancillam, ut lavet pedes servorum domini mei.*

Negando autem de se quod non fuit, et confitens humiliter quod fuit, refert gratiam quæ humilibus semper præsto est.

15 « *Et tulit me Dominus,* » hoc est, Spiritu suo sustulit. Simile in Psal. LXXVII, 70 : *Sustulit eum de gregibus ovium : de post fœtantes accepit eum.* « *Cum sequerer gregem,* » more scilicet bubulci. I Reg, II, 8 : *Suscitat de pulvere egenum, et de stercore elevat pauperem.* « *Et dixit Dominus ad me,* » supple, interiorem illuminationem infundendo. Jacob. IV, 6 : *Deus superbis resistit, humilibus autem dat gratiam.* Isa. LXVI, 2 : *Ad quem respiciam, nisi ad pauperculum, et contritum spiritu, et trementem sermones meos ?* « *Vade, propheta, ad populum meum Israel,* » Quod dicit, *Vade,* intelligitur de profectu virtutis. Job, XXXVIII, 35 : *Numquid mittes fulgura, et ibunt, et revertentia dicent tibi : Adsumus ?* Ezech. I, 14 : *Animalia ibant, et revertebantur in similitudinem fulguris corruscantis,* tonantia scilicet verbis, ac coruscantia exemplis.

Humilitas semper Deo est grata.

16 « *Et nunc,* » quia scilicet prohibes prophetare, « *audi verbum Domini,* » comminationis scilicet. « *Tu dicis,* » temere scilicet contra Dominum, dicens : « *Non prophetabis snper Israel,* » et sic prohibes, ne verbum Dei loquar. Isa. XXX, 10 : *Dicunt videntibus : Nolite videre : et adspicientibus : Nolite adspicere nobis ea, quæ recta sunt.* « *Et non stillabis super domum idoli,* » Bethel scilicet, et Dan. *Stillare* vocat loqui ordinate, ut pœna determinetur ad culpam. Unde Glossa : « Non annuntiabis iram « Dei cultoribus idolorum. » Job, XXIX, 22 : *Verbis meis addere nihil audebant, super eos et stillabat eloquium meum.* Deut. XXXII, 2 : *Fluat ut ros eloquium meum, quasi imber super herbam, et quasi stillæ super gramina. Ros* enim verbum est Dei, dulcia promittens bonis : *imber* autem, doctrinam exhibens simplicibus : *stillæ* vero, comminationes malis inferens : quia stillæ secundum Philosophum sunt magnæ guttæ, quæ cum impetu cadunt. Job, XXVI, 14 : *Cum vix parvam stillam sermonis ejus audierimus, quis poterit tonitruum magnitudinis illius intueri ?*

« *Propter hoc, hæc dicit Dominus,* » hoc est, propter hanc culpam. Isa. XXX, 12 et 13 : *Pro eo quod reprobastis verbum hoc, et sperastis in calumnia et in tumultu, et innixi estis super eo : propterea erit vobis iniquitas hæc sicut interruptio cadens, et requisita in muro excelso.* 17

Et subinfert quinque pœnas.

Prima est :

« *Uxor tua in civitate fornicabitur,* » Bethel scilicet, ubi tu es summus sacerdos. Deut. XXVIII, 30 : *Uxorem accipias, et alius dormiat cum ea.* Fornicationem vocat adulterium et pollutionem per hostes. Job, XXXI, 10 : *Scortum alterius sit uxor mea, et super illam incurventur alii.* Thren. V, 11 : *Mulieres in Sion humiliaverunt, et virgines in civitatibus Juda.*

« *Et filii tui,* » quæ præclarior tibi natio est, « *et filiæ tuæ,* » per quas generos tibi acquirere cupiebas, « *in gladio cadent,* » hostium scilicet. Ezech. IX, 6 : *Senem, adolescentulum, et virginem, parvulum, et mulieres interficite usque ad internecionem.* Et hæc est secunda pœna. Si objiciatur quod hoc est contra justitiam divinam ut innocens occidatur, Ezech. XVIII, 20 : *Filius non portabit iniquitatem patris, et pater non portabit iniquitatem filii.* Hieronymus respondet, quod « loquitur de illis qui jam imitato- « res paternæ malitiæ fuerunt, et si aliqui « alii occisi sunt, bene actum est cum

Filius cur puniatur pro peccato patris ?

« eis, ne malitias parentum imitarentur, « sicut dici consuevit de infantibus Sodomorum. » Sap. IV, 6 : *Ex iniquis somnis filii qui nascuntur, testes sunt nequitiæ adversus parentes in interrogatione sua.*

Et subdit pœnam tertiam :

« *Et humus tua,* » supple, quam possides, « *in funiculo metietur,* » ab hostibus scilicet, ut æqualiter inter eos dividatur. Thren. V, 2 : *Hæreditas nostra versa est ad alienos, domus nostræ ad extraneos.* Psal. CVIII, 8 : *Fiant dies ejus pauci, et episcopatum ejus accipiat alter.*

Et subdit quartam pœnam :

« *Et tu in terra polluta morieris.* » Pollutam terram dicit Gentilium, propter idola quæ colebant. Isaiæ, XXII, 18 : *Quasi pilam mittet te in terram latam et spatiosam : ibi morieris, et ibi erit currus gloriæ tuæ, ignominia domus Domini tui.*

Et subdit quintam pœnam :

« *Et Israel,* » populus scilicet decem tribuum, « *captivus,* » scilicet ab hostibus, Chaldæis, et Assyriis « *migrabit de terra sua,* » scilicet vel in Babylonem, vel ad montes Persarum et Medorum. Isaiæ, LI, 20 : *Filii tui projecti sunt, dormierunt in capite omnium viarum, sicut oryx illaqueatus, pleni indignatione Domini, increpatione Dei tui.* Hæc sub eisdem auctoritatibus dicuntur de malis Prælatis, quorum uxores, hoc est, Ecclesiæ polluuntur hæresi et peccatis, et filii et filiæ qui significant subjectos, gladio diaboli trucidantur ; et ipsi inter pollutos polluti moriuntur, et possessiones Ecclesiæ a tyrannis distrahuntur, et populus eis commissus a diabolo captivus et illaqueatus ducitur. Isa. V, 13 : *Propterea captivus ductus est populus meus, quia non habuit scientiam.*

CAPUT VIII

Amos sub parabola uncini pomorum prophetat finem imminere regni Israel, propter pauperum oppressiones : acerbitatem vero imminentis calamitatis explicat : ac festivitates eorum dicit in luctum convertendas, famemque verbi Dei futuram denuntiat.

1. Hæc ostendit mihi Dominus Deus : et ecce uncinus pomorum.
2. Et dixit : Quid tu vides, Amos? Et dixi : Uncinum pomorum. Et dixit Dominus ad me : Venit finis super populum meum Israel : non adjiciam ultra ut pertranseam eum.
3. Et stridebunt cardines templi in die illa, dicit Dominus Deus : multi morientur : in omni loco projicietur silentium.
4. Audite hoc, qui conteritis pauperem, et deficere facitis egenos terræ :
5. Dicentes : Quando transibit mensis, et venumdabimus merces? et sabbatum, et aperiemus frumentum, ut imminuamus mensuram, et augeamus siclum, et supponamus stateras dolosas,
6. Ut possideamus in argento egenos et pauperes pro calceamentis, et quisquilias frumenti vendamus?
7. Juravit Dominus in superbiam Jacob : Si oblitus fuero usque ad finem omnia opera eorum !
8. Numquid super isto non commo-

vebitur terra, et lugebit omnis habitator ejus : et ascendet quasi fluvius universus, et ejicietur, et defluet quasi rivus Ægypti ?

9. Et erit in die illa, dicit Dominus Deus, occidet sol in meridie, et tenebrescere faciam terram in die luminis :

10. Et convertam festivitates vestra in luctum, et omnia cantica vestra in planctum [1] : et inducam super omne dorsum vestrum saccum, et super omne caput calvitium : et ponam eam quasi luctum unigeniti, et novissima ejus quasi diem amarum.

11. Ecce dies veniunt, dicit Dominus, et mittam famem in terram : non famem panis, neque sitim aquæ, sed audiendi verbum Domini.

12. Et commovebuntur a mari usque ad mare, et ab aquilone usque ad orientem : circuibunt quærentes verbum Domini, et non invenient.

13. In die illa deficient virgines pulchræ et adolescentes in siti,

14. Qui jurant in delicto Samariæ, et dicunt : Vivit Deus tuus, Dan ! et Vivit via Bersabee ! et cadent, et non resurgent ultra.

IN CAPUT VIII AMOS

ENARRATIO.

Ecclesia erit prælati negligentia.

« *Hæc ostendit mihi Dominus Deus.* » Tangit hic similitudinem attractionis suppliciorum. Et habet partes duas. Primo enim ostendit, qualiter continuo attrahantur supplicia. Secundo, qualiter ipsa destructio fiet, infra, IX, 1, ibi, « *Vidi Dominum stantem super altare.*

Prima dividitur in duas. Primo enim ponit similitudinem : secundo, similitudinis explanationem, ibi, ℣. 4 : « *Audite hoc, qui conteritis pauperem.* »

In prima duo dicuntur, similitudo scilicet, et instructio Prophetæ ad similitudinis intellectum.

1 « *Hæc ostendit mihi Dominus Deus.* » Osee, XII, 10 : *Ego visionem multiplicavi, et in manu prophetarum assimilatus sum.* « *Et ecce uncinus pomorum.* » Hieronymus : « Per *uncinum* intelligi« tur abbreviatum tempus captivitatis.
« Sicut enim uncino post excussionem « arboris modici fructus attrahuntur, « remanentes in summitatibus ramuscu« lorum ; ita post tot concussiones et « comminutiones non restat, nisi ut at« trahantur reliqui, et de arbore naturali « abrupti in vasis ponantur hostium, et « ad terram hostium transportentur. » Psal. XX, 11 : *Fructum eorum de terra perdes, et semen eorum a filiis hominum.*

« *Et dixit,* » instruens scilicet me : 2
« *Quid tu vides, Amos?* » Hoc est, considera, ut intelligas quid significet quod vides. Daniel. X, 1 : *Intelligentia opus est in visione.* « *Et dixi,* » ut occasionem darem instruenti : « *Uncinum pomorum,* » supple, video. Per poma enim Quam fluxa sit vanitas mundi !
significatur fructus vanitatis hujus mundi. Sap. V, 9 et 10 : *Transierunt omnia illa tamquam umbra, et tamquam nuntius præcurrens, et tamquam navis, quæ pertransit fluctuantem aquam.* Sicut enim pomum odore suo resolvitur, sic pompa mundi et vanitas, dum in auras spargitur, dissipatur.

« *Et dixit Dominus ad me,* » instruens

[1] Tob. II, 6 ; I Machab. I, 41 .

scilicet me de significatione. Isa. L, 5 : *Dominus Deus aperuit mihi aurem, ego autem non contradico.* « *Venit finis super populum meum Israel,* » captivitatis scilicet, vel interfectionis. Ezech. VII, 2 : *Finis venit, venit finis super quatuor plagas terræ.* Et iste est finis consumptionis, non consummationis. Isa. XVI, 4 : *Finitus est pulvis, consummatus est miser : defecit qui conculcabat terram.* « *Non adjiciam ultra,* » supple, sicut feci, « *ut pertranseam eum,* » dissimulando scilicet, ne percuterem. Job, XXIV, 23 : *Dedit ei Deus locum pœnitentiæ, et ille abutitur eo in superbiam.* Ad tempus enim Deus dissimulat, sed peccatorem non transit quin feriat : non enim pertransit nisi eos qui signum Thau habent in fronte. Ezech. IX, 6 : *Omnem super quem videritis thau, ne occidatis.* Exod. XII, 23 : *Transibit Dominus percutiens Ægyptios : cumque viderit sanguinem in superliminari, et in utroque poste, transcendet ostium domus, et non sinet percussorem ingredi domus vestras et lædere.*

Deus dissimulat peccata aliquantis per, non obliviscitur.

Effectum autem subjungit significationis uncini :

3 **Cardines templi, præsides sunt Ecclesiæ.**

« *Et stridebunt cardines templi in die illa, dicit Dominus Deus.* » Cardines templi in quibus volvitur ostium templi ad intrandum et exeundum, vocat principes, et pontifices, et reges, per quos est introitus vel exitus in Synagogam, vel Ecclesiam : et hi tunc stridebunt, eo quod lugebunt. Thren. II, 9 : *Defixæ sunt in terra portæ ejus, perdidit et contrivit vectes ejus : regem ejus et principes ejus in gentibus.* Et hæc dicit Dominus, quem nihil latet. Ad Hebr. IV, 13 : *Omnia nuda et aperta sunt oculis ejus, ad quem nobis sermo.*

Et hoc explanat, subdens : « *Multi morientur,* » propter peccatum scilicet. Ad Rom. VIII, 10 : *Corpus quidem mortuum est propter peccatum.* Mortuus enim est qui principium vitæ (quod est Deus) in se non habet. « *In omni loco projicietur,* » hoc est, spargetur, « *silentium,* » ut scilicet nihil in quo vita est, audiatur. I Reg. II, 9 : *Impii in tenebris conticescent.* Osee, IV, 5 et 6 : *Nocte tacere feci matrem tuam. Conticuit populus meus, eo quod non habuerit scientiam.*

4

« *Audite hoc.* » Explanat hic similitudinis inductionem per tria : per peccati scilicet exprobationem, per prosperitatis et consolationis ablationem, ibi, « *Occidet sol in meridie,* » et per defectus et mortis inductionem, ibi, « *Ecce dies veniunt.* »

In prima harum duo dicit, scilicet peccati exprobrationem, et condemnationem, ibi, « *Juravit Dominus.* »

« *Audite hoc,* » id est, quid significet hoc audite. Job, XII, 11 : *Nonne auris verba dijudicat, et fauces comedentis, saporem.* « *Qui conteritis pauperem,* » bona scilicet pauperum diripiendo. Isa. III, 15 : *Quare atteritis populum meum, et facies pauperum commolitis ?* « *Et deficere facitis egenos terræ.* » « Deficiunt enim egeni quando sua subtrahuntur, » sicut dicit Hieronymus. Hoc faciunt clerici nostri temporis, qui bonas consuetudines vocant inventiones ad extenuandos pauperes. Prov. XXX, 14 : *Generatio, quæ pro dentibus gladios habet, et commandit molaribus suis, ut comedat inopes de terra, et pauperes ex hominibus.*

5 **Usura interdicit[ur].**

« *Dicentes,* » per avaritiam scilicet, « *Quando transibit messis*[1] *?* » Messis hic non dicitur tempus messium, sed

[1] Vulg. habet *mensis*, scilicet dies novæ lunæ, quia prima dies neomeniæ dies festus erat Hebræorum, Num. x, 10 et XVIII, 11, et his diebus festis nec emere, nec venumdare licitum erat.

fructus : et optant ut fructus messium transeant, ut sua carius vendant, quæ scilicet de anno in annum propter caristiam reservaverunt, contra hoc quod dicitur, Levit. XXV, 35 et seq. : *Si attenuatus fuerit frater tuus, et infirmus manu, et susceperis eum quasi advenam et peregrinum, et vixerit tecum, ne accipias usuras ab eo, nec amplius quam dedisti : time Deum tuum, ut vivere possit frater tuus apud te. Pecuniam tuam non dabis ei ad usuram, et frugum superabundantiam non exiges,* ab eo scilicet. Frugum autem superabundantiam quærit qui multo majoris vendit quam emit.

Et hoc est quod sequitur :

« *Et venumdabimus merces,* » hoc est, ad voluntatem nostram vendemus, quando pauperes scilicet necessitate famis compulsos emere oportet, sicut illi volunt qui habent granum, vel vinum. « *Et sabbatum,* » supple, quando transibit? Et intelligit de sabbato terræ, quando terra non seminabatur : tunc enim sequenti anno caristia fuit [1]. Et hoc est quod sequitur : « *Et aperiemus frumentum,* » ut scilicet carius vendamus. Unde, Proverb. XI, 26 : *Qui abscondit frumenta, maledicetur in populis : benedictio autem super caput vendentium.* Frumenta abscondit in tempore, qui antea novum bono foro emit, et usque ad tempus caristiæ abscondit. In tempore autem vendit, qui frumenta requirentibus vendit, non elevato ultra communem ac justam æstimationem pretio.

Maledic us i frumenta bscondit tempore.

Et hoc subditur :

« *Ut imminuamus mensuram,* » hoc est, mensuram parvam pro majori quam videlicet magnam emimus, vendamus : « *et augeamus siclum,* » magis scilicet pretium in pondere accipiendo. Contra quod dicitur, Levit. XIX, 35 et 36 : *Nolite facere iniquum aliquid in judicio, in regula, in pondere, in mensura. Statera justa, et æqua sint pondera, justus modius, æquusque sextarius.* « *Et supponamus stateras dolosas,* » majori scilicet emendo et minori vendendo. Proverb. XI, 1 : *Statera dolosa, abominatio est apud Dominum : et pondus æquum, voluntas ejus.* Michææ, VI, 10 : *Adhuc ignis in domo impii thesauri iniquitatis, et mensura minor iræ plena.*

ominabi- s est Deo tera dolosa.

Et quod intentione avaritiæ hoc fecerint, subdit : 6

Avaritia modum nescit.

« *Ut possideamus in argento egenos.* » Necesse est enim ut et seipsos consumpta substantia vendant in servos et ancillas. Genes. XLVII, 18 et 19 : *Non celamus dominum nostrum quod deficiente pecunia, pecora simul defecerunt : nec clam te est, quod absque corporibus et terra nihil habemus. Cur ergo moriemur te vidente? et nos et terra nostra tui erimus.* « *Et pauperes pro calceamentis,* » supple, possideamus. Calceamentum autem vocat conculcationem ab usu, quia conculcatur calceamentum. Et sensus est : Ut possideamus pauperes ad conculcandum. Mich. VI, 11 et 12 : *Numquid justificabo stateram impiam, et saccelli pondera dolosa? In quibus divites ejus repleti sunt iniquitate, et habitantes in ea loquebantur mendacium, et lingua eorum fraudulenta in ore eorum.* « *Et quisquilias frumenti vendamus?* » Sap. II, 10 : *Opprimamus pauperem justum, et non parcamus viduæ.* Quisquiliæ enim sunt paleæ immixtæ frumento quas pauperes emere coguntur, propter famis necessitatem. Lucæ, XVI, 21 : *Cupiens saturari de micis, quæ cadebant de mensa divitis.*

Cujus peccati subjungit detestationem :

« *Juravit Dominus,* » hoc est, in sua veritate statuit, « *in superbiam,* » hoc 7
est, contra superbiam, « *Jacob,* » hoc est, decem tribuum. Glossa inducit illud I Petri, V, 5 : *Deus superbis resistit* [2].

[1] Cf. Levit. XXV, 4 et seq.

[2] Cf. Jacob. IV, 6.

« *Si oblitus fuero,* » supple, per indulgentiam, « *usque in finem,* » hoc est, usque ad ultimum, « *omnia opera eorum,* » peccatorum scilicet. Job, XIV, 17 : *Signasti quasi in sacculo delicta mea.* Sap. I, 19 : *In cogitationibus impii interrogatio erit : sermonum autem illius auditio ad Deum veniet.*

8 « *Numquid super isto,* » supple, peccato tam crudeli, et tam nefando, « *non,* » supple, merito, « *commovebitur terra,* » hoc est, terreni concutientur commotione conturbationis. Isa. XXIV, 3 : *Dissipatione dissipabitur terra, et direptione prædabitur.*

Et hoc explanat, subdens :

« *Et,* » id est, ideo « *lugebit omnis habitator ejus.* » Habitator terræ est qui mente inhabitat terram. Isa. XXIV, 6 : *Propter hoc maledictio vorabit terram, et peccabunt habitatores ejus : ideoque insanient cultores ejus, quia et relinquentur homines pauci.* « *Et,* » id est, ideo « *ascendet quasi fluvius universus,* » supple, habitator terræ, hoc est, sicut Nilus obstructus in ostiis cumulis arenarum, super ripas ascendens, operit terram : ita isti cumulis divitiarum quasi ascendentes inundant super pauperes. Isaiæ, VIII, 8 : *Ibit per Judam, inundans, et transiens usque ad collum veniet.* Multos enim suffocant pauperes, quasi ad collum stringentes, sicut dicitur, Matth. XVIII, 30 : *Abiit, et misit eum in carcerem, donec redderet debitum.* Hoc enim malus servus fecit conservo. Et dicitur, ibidem, ℣. 28, quod *tenens suffocabat eum, dicens : Redde quod debes.* « *Et ejicietur,* » de divitiis scilicet, per captivitatem, vel mortem, sicut ejiciuntur cumuli arenarum, obstruentes Nilum. Isa. XXII, 19 : *Expellam te de statione tua, et de ministerio tuo deponam te.* « *Et defluet quasi rivus Ægypti,* » hoc est, sicut Nilus remotis cumulis arenarum defluit in mare : ita isti per mortem ablatis divitiis, defluent in amaritudinem æternam. II Reg. XIV, 14 : *Omnes morimur, et quasi aquæ dilabimur in terram, quæ non revertuntur.* Psal. LVII, 8 : *Ad nihilum devenient tamquam aqua decurrens.*

Avari pauperum sunt suffocatores.

« *Et erit.* » Tangit hic lætitiæ in tristitiam conversionem. 9

« *Et erit,* » certitudinem notat futuri quod prædicitur, « *in die illa, dicit Dominus Deus,* » claræ scilicet justitiæ, « *occidet sol in Meridie,* » hoc est, quando clarius deberet lucere. Sol autem est vel intelligentia veritatis, vel splendor prosperitatis. Sap. V, 6 et 7 : *Sol intelligentiæ non est ortus nobis. Lassati sumus in via iniquitatis.* « *Et tenebrescere faciam terram,* » hoc est, terrenos, « *in die luminis,* » quando scilicet lumen lætitiæ et veritatis magis desideraretur. Isaiæ, XIII, 10 : *Obtenebratus est sol in ortu suo, et luna non splendebit in lumine suo.* Joel, II, 31 : *Sol convertetur in tenebras, et luna in sanguinem.*

« *Et convertam festivitates vestras,* » hoc 10
est, lætitias mundanas, « *in luctum* » temporalis, vel æternæ captivitatis. Malachiæ, II, 3 : *Dispergam super vultum vestrum stercus solemnitatum vestrarum.* « *Et omnia cantica vestra,* » quæ de vanitate scilicet mundi sunt, « *in planctum,* » supple, convertam. Thren. V, 15 : *Versus est in luctum chorus noster.* Amos, V, 23 : *Aufer a me tumultum carminum tuorum : et cantica lyræ tuæ non audiam.*

Et subdit de signis tristitiæ :

« *Et inducam super omne dorsum vestrum saccum,* » qui scilicet asper, et humilis est. Tali enim habitu tempore tristitiæ utebantur antiqui. Job, XVI, 16 et 17 : *Saccum consui super cutem meam, et operui cinere carnem meam. Facies mea intumuit a fletu, t palpebræ meæ caligaverunt.* « *Et super omne caput calvitium,* » supple, inducam, evulsis pilis præ tristitia. Ezech. XXIX, 18 : *Omne caput decalvatum est.* Isaiæ,

vii, 20 : *In die illa radet Dominus in novacula conducta, in his qui trans fluvium sunt, in rege Assyriorum, caput et pilos pedum, et barbam universam.* I Esdræ, ix, 3 : *Cumque audissem sermonem istum, scidi pallium meum, et tunicam evelli, et capillos capitis mei et barbæ, et sedi mœrens.* « *Et* » supple, sic, « *ponam eam,* » terram scilicet, « *quasi luctum unigeniti,* » scilicet, ut unusquisque tam amare lugeat, sicut consuevit lugeri unigenitus. Jeremiæ, vi, 26 : *Luctum unigeniti fac tibi, planctum amarum.* « *Et novissima ejus,* » scilicet in Romana captivitate, vel inferni, supple, ponam « *quasi diem amarum,* » propter scilicet pœnæ temporalis, vel æternæ amaritudinem. Sophoniæ, i, 14 : *Vox diei Domini amara,*
æ con-rsio sit itentibus essaria? *tribulabitur ibi fortis.* Hæc pœnitentibus conveniunt sub eisdem auctoritatibus, qui gaudia peccatorum in luctum convertunt, suavitatem deliciarum in sacci asperitatem, caput mentis radunt a pilis malarum cogitationum, et ponunt sive fundant se in luctum, quasi unigenitum lugeant, hoc est, spiritum suum, et novissimam mortis, vel inferni amaritudinem quotidie præ oculis habent. Eccli. vii, 40 : *In omnibus operibus tuis memorare novissima tua, et in æternum non peccabis.*

11 « *Ecce dies veniunt.* » Hic tangit responsionis et consolationis divinæ ablationem, sub metaphora famis. Et ideo ponit metaphoram, secundo explanationem, tertio defectum consequentem.

« *Ecce dies veniunt,* » claræ scilicet justitiæ, « *dicit Dominus,* » qui non mentitur, « *et mittam famem.* » Verbum *missionis* notat, quod ipsa fames quantum ad demeritum eorum diu venire debuerat : « *in terram,* » terrenos scilicet Judæos. Psal. civ, 16 : *Vocavit famem super terram : et omne firmamentum panis contrivit.* Genes. xli, 56 : *Crescebat quotidie fames in omni terra.* Et explanat metaphoram : « *Non famem panis,* » materialis scilicet, « *neque sitim aquæ,* » materialis scilicet, « *sed audiendi verbum Dei,* » hoc est, responsa et oracula facta per prophetas, quos modo contemnitis. I Reg. iii, 3 : *Sermo Domini erat pretiosus,* hoc est, rarus. Josephus enim dicit, quod « in ultima « captivitate responsum per Prophetas « habere non poterant. » Nec mirum, quia Dominum prophetarum occiderunt. Isa. xxix, 10 : *Claudet oculos vestros, Prophetas et principes vestros, qui vident visiones, operiet.* Ezech. xiv, 3 : *Viri isti posuerunt immunditias suas in cordibus suis, et scandalum iniquitatis suæ statuerunt contra faciem suam, numquid interrogatus, respondebo eis?* Quasi diceret, Non. I Regum, xxviii, 15 : *Deus recessit a me, et exaudire me noluit, neque in manu prophetarum, neque per somnia.*

« *Et commovebuntur,* » pressi scilicet hac fame et siti, « *a mari* » orientali, scilicet Mortuo, « *usque ad mare* » Magnum, scilicet occidentale, « *et ab Aquilone,* » quod est aliud latus terræ conjunctum Occidenti, « *usque ad Orientem,* » hoc est, ad latus meridionale quod conjungitur Orienti, « *circuibunt,* » ignorantes scilicet quid agant, « *quærentes verbum Domini,* » responsa scilicet prophetarum. Psal. lviii, 15 : *Famem patientur ut canes, et circuibunt civitatem.* « *Et non invenient,* » responsum scilicet. Osee, v, 6 : *In gregibus suis, et armentis suis vadent ad quærendum Dominum, et non invenient : ablatus est ab eis.* Thren. ii, 9 : *Prophetæ ejus non invenerunt visionem a Domino.* Hæc sub eisdem auctoritatibus ad laicos referuntur, quærentes a pastoribus Ecclesiæ verbi Dei pabulum, et sapientiæ potum, et non invenientes. Thren. iv, 4 : *Parvuli petierunt panem, et non erat qui frangeret eis.* 12

13 « Et subdit de consequente defectu, dicens :

« *In illa die,* » scilicet cum misero famem, « *deficient virgines pulchræ,* » a pulchritudine propter inediam famis. Thren. I, 4 : *Virgines ejus squalidæ, et ipsa oppressa amaritudine.* « *Et adolescentes,* » supple, deficient « *in siti.* » Thren. IV, 5 : *Qui vescebantur voluptuose, interierunt in viis : et qui nutriebantur in croceis, amplexati sunt stercora.* Job, XVIII, 9 : *Exardescet contra eum sitis.* Et ibidem post pauca, ℣℣. 12 et 13 : *Attenuetur fame robur ejus, et inedia invadat costas illius. Devoret pulchritudinem cutis ejus, consumat brachia illius primogenita mors.*

14 Idololatria causa est omnis delicti.

« *Qui,* » hoc est, quia illi « *jurant in delicto Samariæ,* » hoc est, in idolo, quod est causa delicti. Sapient. XIV, 27 : *Infandorum idolorum cultura, omnis mali causa est, et initium, et finis.* « *Et dicunt,* » supple, jurantes, et ad modum antiquorum juramenta formantes : « *Vivit Deus tuus, Dan !* » In Dan unum vitulorum Jeroboam posuit. Unde sensus est : Juro per vitam idoli quod est in Dan, a cujus vita suam vitam pendere putabant. Sapient. XIII, 17 et 18 : *Non erubescit loqui cum illo qui sine anima est. Et pro sanitate quidem infirmum deprecatur, et pro vita rogat mortuum.* « *Et, Vivit via Bersabee !* » Hoc dicit propter duas tribus. Bersabee enim est in tribu Juda, ubi duæ tribus idola coluerunt, sicut in antehabitis dictum est. Unde sensus est : Juro per vitam idoli quod est in Bersabee, pro cujus devotione viam hanc ad ipsum eundum suscepi, secundum quod dicitur, Jeremiæ, V, 7 : *Filii tui dereliquerunt me, et jurant in his, qui non sunt dii.* « *Et cadent,* » a statu scilicet libertatis in captivitatem. Isaiæ, LXIV, 6 : *Cecidimus quasi folium universi, et iniquitates nostræ quasi ventus abstulerunt nos.* « *Et non resurgent ultra.* » Amos, V, 1 : *Domus Israel cecidit, et non adjiciet ut resurgat.*

Iste defectus spiritualiter est, quando virgineæ mentes ex defectu pabuli spiritualis et gratiæ destituuntur, et juvenes in quibus ætas robusta deberet esse, eadem causa infirmantur. Et ad hoc auctoritates inductæ sufficiunt. Thren. I, 11 : *Omnis populus ejus gemens, et quærens panem : dederunt pretiosa quæque pro cibo ad refocillandum animam.* Zachariæ, IX, 17 : *Quid bonum ejus est, aut quid pulchrum ejus, nisi frumentum electorum, et vinum germinans virgines ?*

CAPUT IX.

Vastaturum se dicit Dominus impios, sic ut nulli pateat effugium ; postea tamen suscitabit tabernaculum David, et captivitatem filiorum Israel convertet, cum magna ipsorum felicitate.

1\. Vidi Dominum stantem super altare, et dixit : Percute cardinem, et commoveantur superliminaria, avaritia enim in capite omnium: et novissimum eorum in gladio interficiam, non erit fu-

ga eis. Fugient, et non salvabitur ex eis qui fugerit.

2. Si descenderint usque ad infernum, inde manus mea educet eos [1] : et si ascenderit usque in cœlum, inde detraham eos.

3. Et si absconditi fuerint in vertice Carmeli, inde scrutans auferam eos : et si celaverint se ab oculis meis in profundo maris, ibi mandabo serpenti, et mordebit eos.

4. Et si abierint in captivitatem coram inimicis suis, ibi mandabo gladio, et occidet eos : et ponam oculos meos super eos in malum, et non in bonum [2].

5. Et Dominus Deus exercituum, qui tangit terram, et tabescet : et lugebunt omnes habitantes in ea, et ascendet sicut rivus omnis, et defluet sicut fluvius Ægypti.

6. Qui ædificat in cœlo ascensionem suam, et fasciculum suum super terram fundavit : qui vocat aquas maris [3], et effundit eas super faciem terræ : Dominus nomen ejus.

7. Numquid non ut filii Æthiopum vos estis mihi, filii Israel? ait Dominus. Numquid non Israel ascendere feci de terra Ægypti : et Palæstinos de Cappadocia, et Syros de Cyrene?

8. Ecce oculi Domini Dei super regnum peccans : et conteram illud a facie terræ : verumtamen conterens non conteram domum Jacob, dicit Dominus.

9. Ecce enim mandabo ego, et concutiam in omnibus gentibus domum Israel, sicut concutitur triticum in cribro, et non cadet lapillus super terram.

10. In gladio morientur omnes peccatores populi mei, qui dicunt : Non appropinquabit, et non veniet super nos malum.

11. In die illa suscitabo tabernaculum David [4], quod cecidit : et reædificabo aperturas murorum ejus, et ea quæ corruerant instaurabo : et reædificabo illud sicut in diebus antiquis.

12. Ut possident reliquias Idumææ, et omnes nationes, eo quod invocatum sit nomen meum super eos : dicit Dominus faciens hæc.

13. Ecce dies veniunt, dicit Dominus, et comprehendet arator messorem, et calcator uvæ mittentem semen : et stillabunt montes dulcedinem [5], et omnes colles culti erunt.

14. Et convertam captivitatem populi mei Israel : et ædificabunt civitates desertas, et inhabitabunt : et plantabunt vineas, et bibent vinum earum, et facient hortos, et comedent fructus eorum.

15. Et plantabo eos super humum suam, et non evellam eos ultra de terra sua, quam dedi eis, dicit Dominus Deus tuus.

[1] Psal. CXXXVIII, 8.
[2] Jerem. XLIV, 11.
[3] Supra, V, 8.
[4] Act. XV, 16.
[5] Joel, III, 18.

IN CAPUT IX AMOS

ENARRATIO.

« *Vidi Dominum stantem.* » Hic inducit duarum tribuum destructionem, et habet partes duas. Primo enim dicit, qualiter destruentur. Secundo, falsam removet consolationem, qua sibi blandiebantur, ibi, ỷ. 7 : « *Numquid non ut filii Æthiopum ?* »

Primum dividitur in tres. Primo enim ponit destructionem : secundo, fugæ impossibilitatem, ibi, « *Non erit fuga ejus.* » Tertio, ne se putent posse resistere, percutientis Dei scribit majestatem, ibi, « *Qui tangit terram.* »

1 Dicit ergo : « *Vidi Dominum stantem,* » vel Angelum in specie Domini, assumpta specie corporali. *Stantem* autem dicit « *super altare,* » quasi paratum ad recessum, sicut describitur, Ezechiel. x, 18 : *Egressa est gloria Domini a limine templi : et stetit super cherubim. Super altare* autem stat, quasi dissipaturus cultum et religionem propter idololatriam. Isaiæ, III, 13 : *Stat ad judicandum Dominus, et stat ad judicandos populos.* « *Et dixit,* » supple, Dominus Angelo, vel Prophetæ : « *Percute,* » id est, percutiendum nuntia, « *cardinem,* » supple, templi, hoc est, Sacerdotes, in quorum potestate est introitus et exitus in templum. « *Et commoveantur superliminaria,* » hoc est, superædificata. Isaiæ, VI, 4 : *Commota sunt superliminaria cardinum a voce clamantis, et domus repleta est fumo.* Quod proximum significabat templi incendium.

Et subdit causam :

« *Avaritia enim.* » Glossa, « cupiditas rerum temporalium, » supple, est « *in capite omnium,* » supple, et singulorum. Summus enim princeps et inferiores non studebant nisi avaritiæ ; similiter etiam mens singulorum (quæ caput animæ est) nihil nisi avaritiam meditabatur. Quod magis verum est de principibus Ecclesiæ, quam synagogæ. Jeremiæ, VI, 12 et 13 : *Extendam manum meam super habitantes terram, dicit Dominus. A minore quippe usque ad majorem, omnes avaritiæ student, et a propheta usque ad sacerdotem cuncti faciunt dolum.* Isaiæ, LVI, 11 : *Ipsi pastores ignoraverunt intelligentiam : omnes in viam suam declinaverunt, unusquisque ad avaritiam suam, a summo usque ad novissimum.* Contra quod dicitur, Isaiæ, XXXIII, 15 et 16 : *Qui projicit avaritiam ex calumnia, et excutit manus suas ab omni munere, qui obturat aures suas ne audiat sanguinem, et claudit oculos suos ne videat malum. Iste in excelsis habitabit.* « *Et novissimum eorum,* » hoc est, minimum qui etiam avarus est, « *in gladio interficiam,* » Chaldæorum scilicet, vel judicii mei. Isaiæ, I, 20 : *Quod si nolueritis, et me ad iracundiam provocaveritis, gladius devorabit vos.* Job, XIX, 29 : *Fugite ergo a facie gladii, quoniam ultor iniquitatum gladius est.* Novissimum etiam avarorum mors est, quando finiuntur gladio æternæ condemnationis. Matthæi, XII, 45 : *Fiunt novissima hominis illius pejora prioribus.* Jeremiæ, XVII, 11 : *In novissimo suo erit insipiens.* Propter hoc dicitur, Deuteronom. XXXII, 29 : *Utinam saperent, et intelligerent, ac novissima providerent !*

Prælatoru exsecran avaritia

Avariti finit mo perpetu

Et subdit de impossibilitate fugæ :

« *Non erit fuga eis.* » Manum enim Dei omnipotentis nemo effugere potest. Amos, II, 14 : *Peribit fuga a veloce.* II Machab. VI, 26 : *Manum Omnipotentis nec vivus, nec defunctus effugiam.*

anum Dei mo potest effugere.

« *Fugient, et, qui fugerit ex eis*, hoc est, fugere voluerit, « *non salvabitur*, » sicut dicitur, Jerem. LII, 7 et seq., Sedecias et sui fugere voluerunt, et non potuerunt, comprehensi in campis Jericho, et adducti in Reblatha, ubi exoculatus est Sedecias et filii ejus, et principes interfecti. Et, Jerem. XLIII, 8 et seq., ubi fugientes in Ægyptum, ibidem interficiendi prophetantur.

2 Quod autem in universali dixit, exsequitur per singula, subdens :

« *Si descenderint usque ad infernum.* » Hyperbole est, hoc est, si possibile esset quod in infernum se mergerent, « *inde manus mea educet eos*, » ad judicium scilicet, et ad vindictam. Job, XXXIV, 22 : *Non sunt tenebræ, et non est umbra mortis, ut abscondantur ibi, qui operantur iniquitatem.* « *Et si ascenderint usque ad cœlum*, » supple, si hoc possibile esset, « *inde detraham eos.* » Simile, Abdiæ, ℣. 4 : *Si exaltatus fueris ut aquila, et si inter sidera posueris nidum tuum : inde detraham te, dicit Dominus.*

3 « *Et si absconditi fuerint*, » si hoc possibile esset, « *in vertice Carmeli.* » Carmeli montis est valde condensa silva, ubi multi absconduntur, sicut et David cum viris suis ibidem absconditus fuit[1]. « *Inde scrutans*, » supple, eos, sicut feras, « *auferam eos.* » Jerem. XVI, 16 et 17 : *Mittam eis multos venatores, et venabuntur eos de omni monte, et de omni colle, et de cavernis petrarum. Quia oculi mei super omnes vias eorum : non sunt absconditæ a facie mea, et non fuit occultata iniquitas eorum ab oculis meis.*

« *Et si celaverint se*, » hoc est, celare voluerint, « *ab oculis meis*, » qui tamen intuentur in abyssum[2], « *in profundo maris*, » si hoc possibile esset, « *ibi mandabo serpenti*, » Leviathan scilicet, « *et mordebit eos*, » hoc est, absorbebit. Jerem. LI, 34 : *Absorbuit me quasi draco, replevit ventrem suum teneritudine mea.*

« *Et si abierint in captivitatem*, » vel litteraliter, vel spiritualiter, « *coram inimicis suis*, » Chaldæis scilicet, vel dæmonibus, « *ibi mandabo gladio, et occidet eos.* » Ezech. V, 2 : *Gladium nudabo post eos.* Deuter. XXXII, 41 : *Si acuero ut fulgur gladium meum, et arripuerit judicium manus mea : reddam ultionem hostibus meis.* 4

Et subjungit generaliter : « *Et ponam*, » hoc est, figam « *oculos meos*, » quibus scilicet se subducere non possunt, « *super eos in malum* » inducendum super eos, « *et non in bonum*, » ut scilicet aliquid boni fiat. Deuter. XXVIII, 48 : *Servies inimico tuo, quem immittet tibi Dominus, in fame, et siti, et nuditate, et omni penuria : et ponet jugum ferreum super cervicem tuam, donec te conterat.*

Secundum sensum spiritualem, in infernum fugiunt, qui ad desperationem vel præsumptionem confugiunt. In cœlum autem ascendunt qui fortitudine superbiæ contra Deum tument, et resistere se posse Deo putant. In Carmelo latitant, qui in dignitate et in condenso familiæ et parentum subducere se judicio putant : in profundo maris, qui fluctuant in amaritudinibus sæculi. Psal. CXXXVIII, 7 et seq. : *Quo ibo a spiritu tuo, et quo a facie tua fugiam? Si ascendero in cœlum, tu illic es : si descendero ad infernum, ades. Si sumpsero pennas meas diluculo, et habitavero in extremis maris, etenim illuc manus tua deducet me, et tenebit me dextera tua.* Job, XI, 8 et 9 : *Excelsior*

[1] Cf. I Reg. XXV, 2.

[2] Daniel. III, 55 : *Benedictus es, qui intueris abyssos...*

cælo est, et quid facies? profundior inferno, et unde cognosces? longior terra mensura ejus, et latior mari.

5 Et subdit de majestate percutientis : « *Et Dominus Deus exercituum,* » supple, ait. Confirmatio est omnium inductorum. « *Qui tangit terram,* » hoc est, terrenos, « *et tabescet,* » hoc est, in tabem resolvetur. Tabes enim est lues, vel putredo sanguinis mortui. I Machab. II, 62 et 63 : *A verbis viri peccatoris ne timueritis, quia gloria ejus stercus, et vermis est: hodie extollitur, et cras non invenietur.* « *Et lugebunt omnes habitantes in ea.* » Isa. XXIV, 4 : *Luxit, et defluxit terra, et infirmata est.* « *Et ascendet sicut rivus omnis.* » Dominus dicitur *sicut rivus* Ægypti ascendere, quando majestate omnes opprimit, sicut Nilus egrediens ripas, tegit Ægyptum. Isa. VIII, 8 : *Ibit per Judam, inundans, et transiens usque ad collum veniet.* Et intelligitur de transitu fluvii judicialis, de quo dicitur, Daniel. VII, 10 : *Fluvius igneus, rapidusque egrediebatur a facie ejus.* Hic rivus dicitur consummationis, quia judicium illud omnia ad summam justitiæ deducet. « *Et defluet* » involvens, et trahens omnes malos, « *sicut fluvius Ægypti* » defluit in amaritudinem maris : ita defluent isti in amaritudinem æternæ mortis. Job, XXI, 33 : *Dulcis fuit glareis Cocyti, et post se omnem hominem trahet, et ante se innumerabiles.* Cocytus fluvius infernalis est, qui antea in vita ista, in pœna et peccato trahit omnes, et post vitam istam in infernum trahit innumerabiles. Eccle. I, 15 : *Stultorum infinitus est numerus.*

Tyrannorum minæ non sunt anxie timendæ.

6 « *Qui ædificat in cælo ascensionem suam,* » hoc est, in cœlestibus, qui virtutibus in cœlum ascendunt, in quibus continuo exaltatur Deus. Psal. VIII, 2 : *Elevata est magnificentia tua super cælos.* Ad Ephes. IV, 10 : *Qui descendit, ipse est et qui ascendit super omnes cælos, ut impleret omnia.* « *Et fasciculum suum,* » hoc est, parvulum gregem credentium bonorum, « *super terram fundavit,* » fide scilicet et religione, ne pereat. Glossa : « Iste fasciculus una Dei re« ligione collectus est. » Unde et ipsa religio a religando, ac velut in fasce Deo vinciente colligando nomen accepit. Cant. I, 13 : *Fasciculus myrrhæ dilectus meus mihi.* Isa. XLV, 14 : *Post te ambulabunt, vincti manicis pergent: et te adorabunt, teque deprecabuntur.*

« *Qui vocat,* » Glossa, « in aera per nubes, » « *aquas maris,* » Glossa, « dulcoratas calore solis, » « *et effundit eas,* » per pluvias, « *super faciem terræ.* » Job, XXXVIII, 34 : *Numquid elevabis in nebula vocem tuam, et impetus aquarum operiet te?* Istæ aquæ vel significant doctrinam quam pluunt Doctores, vel significant tribulationem quam pro tempore immitit Deus peccatoribus in pœnitentiam. « *Dominus nomen ejus.* » Psal. LXVII, 5 : *Dominus nomen illi.* Exod. XV, 3 : *Omnipotens nomen ejus.*

« *Numquid non.* » Excludit hic falsam 7
præsumptionem. Dicebant enim populum cui Deus tot beneficia impendit in eductione de Ægypto, et in templi sanctificatione, et in aliis, non debere a Deo derelinqui. Et hoc elidit hic. « *Numquid non ut filii Æthiopum,* » quibus scilicet similia beneficia impendi, creando scilicet, et ab hostibus liberando, et de servitute educendo, « *vos estis mihi, filii Israel, ait Dominus?* » Ac si dicat : Aliis similia beneficia impendi, sicut vobis, et creando, et de diversis periculis ac servitute educendo. Sap. XI 25 : *Diligis omnia quæ sunt, et nihil odisti eorum quæ fecisti.* Psal. XVIII, 7 : *Nec est qui se abscondat a calore ejus.* Et specificat subdens : *Numquid non Israel ascendere feci de terra Ægypti?* » Michææ, VI, 4 : *Quia eduxi te de terra Ægypti, et de domo serveintium liberavi te.* « *Et Palæ-*

Diligit Deus cuncta quæ fecit.

stinos, » hoc est, Philistæos, supple, eduxi « *de Cappadocia.* » Unde et Cappadocia *manus tortoris* interpretatur, et in hoc, supple, sunt similes vobis, « *et Syrios,* » Glossa, « qui modo habitant in « Damasco, » supple, eduxi « *de Cyrene,* » quæ est civitas Lybiæ ultra Ægyptum. Sap. vi, 8 : *Pusillum et magnum ipse fecit, et æqualiter cura est illi de omnibus.* Æthiopes a consuetudine significant peccatores, qui aliquando ad Deum adducuntur. Psal. LXVII, 32 : *Æthiopia præveniet manus ejus Deo.* Palæstini dicuntur *potione cadentes,* et significant in delectatione mundi submersos, quos de Cappadocia, hoc est, de manu tortoris, aliquando adducit Deus. Psal. XLIII, 8 : *Salvasti nos de affligentibus nos.* Syri sublimes vel altos significant in gratia, quos de Cyrene, hoc est, de semine maledicto, aliquando adducit Deus. Sap. XII, 11 : *Semen erat maledictum ab initio.*

8 « *Ecce,* » hoc est, per hoc in evidenti patet, « *oculi Domini super regnum peccans,* » ad puniendum scilicet : et *regnum* dicitur, quando in potestate peccati regnat. Ad Roman. vi, 12 : *Non ergo regnet peccatum in vestro mortali corpore.* Eccli. x, 8 : *Regnum a gente in gentem transfertur propter injustitias, et injurias, et contumelias, et diversos dolos.* « *Et conteram illud,* » scilicet regnum, « *a facie terræ.* » Psal. II, 9 : *Reges eos in virga ferrea, et tamquam vas figuli confringes eos.*

Ab hac tamen contritione finali excipit electos, subdens : « *Verumtamen conterens,* » supple, in præsenti, « *non conteram,* » in æterna scilicet damnatione, « *domum Jacob,* » hoc est, familiam Jacob, « *dicit Dominus.* » Isa. I, 9 : *Nisi Dominus exercituum reliquisset nobis semen, quasi Sodoma fuissemus.* III Reg. XIX, 18 : *Et derelinquam mihi in Israel septem millia virorum, quorum genua non sunt incurvata ante Baal.* Permittit enim Dominus suos tribulari, sed non destruit. I ad Cor. x, 13 : *Fidelis Deus est, qui non patietur vos tentari supra id, quod potestis.* Deus corrigit hic suos, non perdit.

Qualiter autem fiat, hoc subdit :

« *Ecce enim,* » quasi in evidenti est quod « *mandabo ego,* » per occultum instinctum, Glossa, « ministris meis, » Antiocho scilicet Epiphane et successoribus Alexandri, et regi Assyriorum et Chaldæorum, et etiam ipsi dæmoni licentiam dando tentandi, « *et concutiam,* » hoc est, simul quatiam, sive quassabo, « *in omnibus gentibus,* » malis scilicet, « *domum Israel,* » hoc est, familiam Israel. II ad Timotheum, III, 12 : *Omnes, qui pie volunt vivere in Christo Jesu persecutionem patientur.* « *Sicut concutitur,* » hoc est, sicut concussio fit, « *triticum in cribro.* » Concussio enim in cribro fit, apprehenso cribro ambabus manibus, et quassando. ad omnem partem granum, donec palea et pulvis exeant. Lucæ, XXII, 31 : *Simon, Simon, ecce Satanas expetivit vos ut cribraret sicut triticum.* Eccli. XXVII, 5 : *In percussura cribri remanebit pulvis,* cadens scilicet de cribro, « *et non cadet lapillus super terram,* » sed pulvis scilicet, et palea. *Lapillum* dicit granum solidum per charitatem, et grave per maturitatem virtutis, quod vento tentationum exsufflari non potest. Septuaginta habent, « Ventilabro. » Lucæ, III, 17 : *Cujus ventilabrum in manu ejus, et purgabit aream suam.* 9

Quid autem fiat de paleis, subdit : 10

« *In gladio morientur,* » sententia scilicet divini judicii, « *omnes peccatores,* » Glossa, « usque ad mortem in peccatis « perseverantes, « *populi mei,* » numero scilicet, et non merito immixti populo meo. Psal. VII, 13 : *Nisi conversi fueritis, gladium suum vibrabit,* « *Qui,* » hoc est, quia illi contradicentes, supple, Prophetis, « *dicunt : Non appropinquabit,* » supple, nobis malum. Et hoc est

quod subdit : « *Et,* » id est, « *non veniet super nos malum :* » et sic promittebant impunitatem peccatoribus, quod esset contra divinam justitiam. Jerem. VII, 8 et 9 : *Ecce vos confiditis vobis in sermonibus mendacii, qui non proderunt vobis : furari, occidere, adulterari, jurare mendaciter, libare Baalim, et ire post deos alienos*, supple, sperando impunitatem in istis, cum scriptum sit in Psal. LVIII, 6 : *Non miserearis omnibus, qui operantur iniquitatem.*

11 « *In die illa.* » Tangit hic consolationem duarum tribuum in tribus, scilicet regni restitutione, terræ fertilitate, ibi, « *Ecce dies veniunt* : » et civitatum reædificatione, ibi, « *Et ædificabunt civitates desertas.* »

« *In die illa,* » claritatis scilicet, et lætitiæ. Psal. CXVII, 24 : *Hæc est dies, quam fecit Dominus : exsultemus, et lætemur in ea.* « *Suscitabo*, » quasi de mortuis. Ad Rom. IV 17 : *Vocat ea quæ non sunt, tamquam ea quæ sunt.* « *Tabernaculum David,* » hoc est, regnum, quod non legitur esse factum nisi per Christum. Per Zorobabel enim qui reversus est de captivitate, regnum suscitatum non est, sed destructum et translatum ad Sacerdotes. Per Christum autem natum de semine David, spiritualiter est suscitatum. Jerem. XXIII, 5 ; *Suscitabo David germen justum : et regnabit rex.* Lucæ, I, 32: *Dabit illi Dominus Deus sedem David patris ejus.* Ezech. XXXVII, 33 et 34 : *Ego ero eis Deus. Et servus meus David rex super eos, et pastor unus erit omnium eorum.* Apocal. XXI, 3 : *Ecce tabernaculum Dei cum hominibus, et habitabit cum eis.* « *Quod cecidit,* » per peccatum scilicet, et idololatriam, et negationem, qua Christum regem esse negaverunt. Daniel. IX, 26 : *Non erit ejus populus, qui eum negaturus est.* Isa. IX, 8 : *Verbum misit Dominus in Jacob, et cecidit in Israel.*

Zorobabel transtulit regnum Israel ad sacerdotes.

Qualiter autem hoc fiat, subdit :

« *Et,* » id est, « *reædificabo aperturas,* » hoc est, scissuras et ruinas, « *murorum ejus,* » de vivis scilicet lapidibus. Isa. LVIII, 12 : *Ædificabuntur in te deserta sæculorum : fundamenta generationis et generationis suscitabis.* Ad Ephes. II, 22 : *In quo et vos coædificamini in habitaculum Dei in Spiritum.* I Petr. II, 5 : *Tamquam lapides vivi superædificamini, domus spiritualis.* « *Et ea,* » loca scilicet, vel ædificia « *quæ corruerant* » propter causas prius dictas, « *instaurabo,* » de Judæis scilicet, et Gentibus, restituendo ruinam Synagogæ. Isa. LI, 3 : *Consolabitur Dominus Sion, et consolabitur omnes ruinas ejus : et ponet desertum ejus quasi delicias.* « *Et reædificabo illud,* » tabernaculum scilicet, « *sicut in diebus antiquis,* » tempore scilicet Salomonis et patrum, ad eamdem scilicet gloriam et fidem. Aggæi, II, 10 : *Magna erit gloria domus istius novissimæ plus quam primæ.* Malach. III, 4 : *Placebit Domino sacrificium Juda, et Jerusalem, sicut dies sæculi, et sicut anni antiqui.* In una enim fide et patres sunt et successores.

Utriusque Testamenti una est fides.

« *Ut possideant reliquias Idumææ,* » 12
quod litteraliter numquam accidit, quamvis Judæi fabulentur, quod hoc in aurea Jerusalem futurum sit. Unde, *reliquiæ Idumææ* sunt carnales secundum carnem et sanguinem viventes, qui ab Ecclesia possidentur, quando ad vitam ecclesiasticam formantur. I Petr. II, 11 : *Obsecro vos tamquam advenas et peregrinos abstinere vos a carnalibus desideriis, quæ militant adversus animam.* Ad Rom. XII, 1 : *Exhibeatis corpora vestra hostiam viventem, sanctam, Deo placentem.* Ad Rom. VIII, 13 : *Si spiritu facta carnis mortificaveritis, vivetis.* « *Et omnes nationes,* » supple, possideant. Act. II, 5 : *Erant autem in Jerusalem habitantes Judæi, viri religiosi ex omni natione, quæ sub cœlo est,* hoc est, in

Ecclesia. Isa. LX, 12 : *Gens et regnum, quod non servierit tibi, peribit : et gentes solitudine vastabuntur.* « *Eo quod invocatum sit,* » in sanctificatione scilicet sacramentorum, « *nomen meum super eos.* » Jeremiæ, XIV, 9 : *Tu autem in nobis es, Domine, et nomen tuum invocatum est super nos, ne derelinquas nos.* Est autem invocatum, id est, intus vocatum quantum ad intellectum et affectum, sicut dicit Augustinus. Numer. VI, 27 : *Invocabunt nomen meum super filios Israel, et ego benedicam eis.* « *Dicit Dominus faciens hæc.* » Dictum enim Dei factivum est. Psal. CXLVIII, 5 : *Dixit, et facta sunt.*

13 « *Ecce dies veniunt.* » Tangit de terræ fertilitate, quam *diem* vocat. Ad Roman. XIII, 12 : *Nox præcessit, dies autem appropinquavit.* « *Dicit Dominus,* » qui lux est faciens diem. Joan. I, 9 : *Erat lux vera, quæ illuminat omnem hominem venientem in hanc mundum.* « *Et comprehendet,* » opere scilicet, « *arator messorem,* » ita scilicet quod non interveniet raptor qui messem auferat. Jacob. V, 7 : *Ecce agricola exspectat pretiosum fructum terræ, patienter ferens donec accipiat temporaneum et serotinum.* Arator autem est, qui vomere prædicationis scindit corda auditorum : messor autem qui fructum boni operis colligit in vitam æternam. « *Et calcator uvæ,* » supple, comprehendet « *mittentem semen,* » raptore non interveniente. *Calcator uvæ* est qui comprimit ad vinum compunctionis : *mittens* autem *semen*, qui semina virtutum concipit ad initium bonæ conversationis. Isaiæ, LXII, 8 et 9 : *Juravit Dominus in dextera sua, et in brachio fortitudinis suæ : Si dedero triticum tuum ultra cibum inimicis tuis : et si biberint filii alieni vinum tuum, in quo laborasti. Quia qui congregant illud, comedent, et laudabunt Dominum : et qui comportant illud, bibent in atriis sanctis meis.*

Prædicator similis est aratori.

« *Et stillabunt montes,* » hoc est, terra montuosa, « *dulcedinem:* » per quos significantur Doctores, dulcedinem verborum in alios distillantes « *Et omnes colles,* » inferiores in partem sollicitudinis vocati, « *culti erunt,* » cultu scilicet justitiæ. Isaiæ, XXXII, 17 : *Erit cultus justitiæ silentium, et securitas usque in sempiternum.* Joel, III, 18 : *In die illa stillabunt montes dulcedinem, et colles fluent lacte.*

« *Et,* » supple, in his et taliter, « *convertam,* » supple, ad me, « *captivitatem populi mei Israel.* » III Reg. XVIII, 37 : *Discat populus iste, quia tu es Dominus Deus, et tu convertisti eor eorum iterum.* Isaiæ, XLV, 22 : *Convertimini ad me, et salvi eritis, omnes fines terræ.* 14

« *Et ædificabunt,* » Tangit hic de civitatum spiritualium reædificatione.

« *Et ædificabunt civitates desertas,* » vel litteraliter, vel Ecclesias in ædificiis virtutum. Isa. LVIII, 12 : *Vocaberis ædificator sepium, avertens semitas in quietem.* « *Et inhabitabunt,* » supple, in eis, hoste scilicet eos non ejiciente. Psal. LXXXVI, 7 : *Sicut lætantium omnium habitatio est in te.* Ezechielis, XLVIII, 35 : *Nomen civitatis ex illa die : Dominus ibidem.* Isa. LXII, 4 : *Non vocaberis ultra Derelicta, et terra tua non vocabitur amplius Desolata : sed vocaberis Voluntas mea in ea, et terra tua inhabitata, quia complacuit Domino in te.* « *Et plantabunt vineas,* » litteraliter, vel spiritualiter Ecclesias de viris germinantibus gaudium Spiritus sancti, « *et bibent,* » per consolationem de profectu subditorum, « *vinum earum.* » Psal. CVI, 37 : *Seminaverunt agros, et plantaverunt vineas : et fecerunt fructum nativitatis.* Cantic. VII, 9 : *Guttur tuum sicut vinum optimum, dignum dilecto meo ad potandum, labiisque et dentibus illius ad*

ruminandum[1]. « *Et facient hortos,* » ab oriendo dictos, eo quod omnes stirpes oriuntur in eis: qui significant Ecclesias collegiatas, et religiones. Cantic. vi, 1 : *Dilectus meus descendit in hortum suum ad areolam aromatum, ut ibi pascatur in hortis, et lilia colligat.*

Et hoc est quod sequitur : « *Et comedent fructus eorum,* » hoc est, in profectibus virtutum reficientur. Cantic. v, 1 : *Veniat dilectus meus in hortum suum, et comedat fructus pomorum suorum.* Isaiæ, lviii, 11 : *Eris quasi hortus irriguus, et sicut fons aquarum, cujus non deficient aquæ.* Cantic. iv, 12 : *Hortus conclusus, fons signatus.*

15 « *Et,* » supple, taliter « *plantabo eos super humum suam,* » quæ stabilem et pretiosum fundum Ecclesiæ significat. Jeremiæ, xii, 2 : *Plantasti eos, et radicem miserunt : proficiunt, et faciunt fructum.* Exodi, xv, 17 : *Introduces eos, et plantabis in monte hæreditatis tuæ, firmissimo habitaculo tuo quod operatus es, Domine.* « *Et non evellam eos ultra,* » scilicet sicut feci antea per captivitatem : quod significat Ecclesiam non esse evellendam. Jeremiæ, xxxi, 40 : *Sanctum Domini non evelletur, et non destruetur ultra in perpetuum.* « *De terra sua, quam dedi eis,* » in promissionibus scilicet patrum. Isaiæ, lviii, 14 : *Sustollam te super altitudines terræ, et cibabo te hæreditate Jacob, patris tui.* « *Dicit Dominus Deus tuus.* Confirmatio est omnium prædictorum. Ad Tit. i, 2 : *Quam promisit qui non mentitur, Deus.*

Ecclesia numquam subvertetur.

[1] Cf. Cantic. viii, 2 : *Dabo tibi poculum ex vino condito, et mustum malorum granatorum meorum.*



INDEX

IN AMOS PROPHETAM.

D. ALBERTI MAGNI,

EPISCOPI RATISBONENSIS,

DOCTRINA TOTO ORBE CELEBERRIMI,

ORDINIS PRÆDICATORUM,

IN ABDIAM PROPHETAM ENARRATIO.

Prologus Divi Hieronymi in Abdiam prophetam.

Jacob patriarcha fratrem habuit Esau, qui ob ruborem corporis sui *Edom* hebræa lingua appellatus est, quod latine *sanguineus* dicitur. Is memoratum fratrem suum, qui Israel nomen acceperat, gravi odio commotus, interimere conatus est. Qua de causa omnes qui populum Israel, id est, filios patriarchæ Jacob, prædicti Esau odium imitati, persecuti sunt, Esau et Edom appellati sunt. Et quia populus Israel de captivitate Chaldæorum per Cyrum, regem Persarum, nutu Dei revocatus in Jerusalem, ab alio regno graviter afflictus atque oppresus est : ideo hoc regnum, quod more Esau, prædictum populum persecutum est, per denuntiationem Abdiæ Prophetæ increpatur, quod non Dei indignatione, sed sua virtute populum superatum gloriabatur : de quo regno olim per David, in Psalmo cxxxvi, 7, dictum est : Memorare, Domine, filiorum Edom, in die Jerusalem[1]. Nam reliqua a lectione comprehensa futurum in Gentes judicium, ob causas lectione comprehensas, et regnum Dei in populo Israel significant.

Hebræi[2] hunc dicunt esse, qui sub rege Samariæ Achab, et impiissima Jezabel, pavit centum prophetas in specubus : qui non curvaverunt genua ante Baal, et de septem millibus erant, quos Elias arguitur ignorasse.

Sepulcrum quoque ejus usque hodie cum mausoleo Elisei Prophetæ et Baptistæ Joannis, in Sabaste venerationi habetur, quæ olim Samaria dicebatur. Hanc Herodes rex Antipatris filius, in honore Augusti Cæsaris, græco nomine vocavit *Augustam*.

Hic igitur, qui centum prophetas paverat, gratiam accepit prophetalem : et de duce exercitus, fit dux Ecclesiæ. Tunc in Samaria parvum gregem paverat, nunc in toto orbe Christi pascit Ecclesias : et sicut Stephanus coronam meruit passionis, sic hic servitutis Dei cum Paulo Apostolo nomine gloriatur, quia Abdias *servus Domini* in nostro sonat eloquio.

[1] Vulg. habet, Psal. cxxxvi, 7 : *Memor esto, Domine, filiorum Edom, in die Jerusalem.*

[2] Hæc altera pars prologi sumitur ex principio Commentariorum Hieronymi in Abdiam.

PROLOGI DIVI HIERONYMI IN ABDIAM PROPHETAM ENARRATIO.

« Jacob patriarcha. « Iste prologus in duas partes dividitur. In prima ostendit contra quem et propter quid Abdias prophetat. In secunda merita describit prophetantis, ibi, « Hebræi hunc dicunt esse. »

In primo dicit quatuor, scilicet quod contra Esau propter odium, et contra similes Esau in odio, et contra Gentes judicium divinum processurum prophetat Abdias.

« Jacob patriarcha. » Patriarcha est princeps patrum, eo quod totum semen ejus in benedictione fuit[1]. « Fratrem habuit Esau[2], qui, » scilicet Esau, « ob ruborem corporis sui[3], *Edom* hebræa lingua appellatus est. » Genes. xxv, 25 : *Qui prior egressus est, rufus erat, et totus in morem pellis hispidus : vocatumque est nomen ejus Esau.* Cognomen autem ab accidente impositum fuit *Edom*, « quod, » scilicet Edom, « latine *sanguineus*[4] dicitur, » eo quod sanguis rubeus est.

Esau cur Edom dictus sit?

Et subdit propter quid prophetat contra illum :

« Is, » scilicet Edom, « memoratum fratrem suum, » Jacob scilicet, « qui, » scilicet Jacob, « Israel nomen acceperat : » Genes. xxxvii, 28 : *Nequaquam Jacob appellabitur nomen tuum, sed Israel.* « Gravi odio commotus. » Gregorius : « Odium inveterata ira est. « Interimere conatus est. » Genes. xxvii, 41 : *Veniet dies luctus patris mei, et occidam Jacob, fratrem meum.*

Et subdit, quomodo nomen *Edom* in alios similes sibi in odio propagatur :

« Qua de causa omnes qui populum Israel, » spiritualem scilicet, « id est, filios patriarchæ Jacob prædicti, » et intelligit de filiis spiritualibus, « Esau odium imitati. » Genes. xxxvii, 4 : *Oderant eum, nec poterant ei quidquid pacifice loqui.* « Persecuti sunt. » II ad Timoth. iii, 12 : *Omnes, qui pie volunt vivere in Christo Jesu, persecutionem patientur.* « Esau et Edom, » propter similitudinem odii scilicet, « appellati sunt. » Exod. i, 13 et 14 : *Oderant filios Israel Ægyptii, et affligebant illudentes eis : atque ad amaritudinem perducebant vitam eorum.* Genes. xxvii, 41 : *Oderat ergo semper Esau Jacob pro benedictione qua benedixerat ei pater.*

Et descendit ad speciale, subdens : « Et quia populus Israel, » hoc est, filiorum Israel, « de captivitate Chaldæorum, » facta scilicet per Nabuchodonosor, « per Cyrum, regem Persarum, » de quo, Isa. xlv, 1 : *Hæc dicit Dominus christo meo Cyro, cujus apprehendi dexteram.* « Nutu, » hoc est, instinctu, « Dei revocatus in Jerusalem. » II Paral. xxxvi, 22 et 23 : *Suscitavit Dominus spiritum Cyri, regis Persarum : qui jussit prædicari in universo regno suo, etiam per scripturam, dicens : Hæc dicit Cyrus, rex Persarum : Omnia regna terræ dedit mihi Dominus, Deus cœli, et ipse præcepit mihi ut ædificarem ei domum in Jerusalem, quæ est in Judæa. Quis ex vobis est in omni populo ejus ? sit Dominus Deus suus cum eo, et ascendat.* Hoc idem continetur, I Esdræ, i, 1 et seq. « Ab alio regno, » quod scilicet Alexandro successit in Antiocho Epiphane, sicut dicitur, I Machab. i, 11, « graviter afflictus atque oppressus est. » Afflictus bello, oppressus servitute et tributis. « Ideo hoc regnum, » persecutorum scilicet, « quod more Esau, » primi scilicet inimici et invidentis, « prædictum populum, » Israel scilicet,

[1] Cf. Genes. xlix, 1 et seq.

[2] Genes. xxv, 25 et xxvii, 1 et seq.

[3] Aliter : « Ob coctionem rufam propter quam vendidit primogenita. » Biblia Roberti Stephani, Parisiis, mdxxxii.

[4] Aliter : « Rufus. » Ibidem.

« persecutum est. » Psal. cviii, 17 : *Persecutus est hominem inopem et mendicum, et compunctum corde mortificare.* « Per denuntiationem Abdiæ Prophetæ, » prophetiam scilicet, « increpatur. » II ad Timoth. iv, 2 : *Argue, absecra, increpa in omni patientia et doctrina.* « Quod non Dei indignatione, » hoc est, pro Dei indignatione, « sed sua, » propria scilicet, « virtute, » hoc est, fortitudine, « populum, » scilicet Dei, « superatum gloriabatur. » Isa. x, 13 : *Dixit enim : In fotrtiudine manus meæ feci, et in sapientia mea intellexi : et abstuli terminos populorum, et principes eorum deprædatus sum.* « De quo regno, » persequente scilicet Ecclesiam, « olim, » diu ante, « per David in Psalmo cxxxvi, 7, dictum est, » istud scilicet : « *Memorare, Domine, filiorum Edom,* » ad ultionem scilicet, « *in die Jerusalem,* » hoc est, in die lætitiæ Jerusalem. Michææ, vii, 10 : *Et adspiciet inimica mea, et operietur confusione.*

Et subdit de judicio processuro in Gentes :

« Nam reliqua a [1], » præinductis scilicet, « lectione comprehensa, » Abdiæ scilicet, « futurum in Gentes, » hoc est, contra Gentes, « judicium, » hoc est, vindictam, « ob causas, » hoc est, propter causas « lectione comprehensas, » in textu scilicet. Joel, iii, 2 : *Congregabo omnes gentes, et deducam eas in vallem Josaphat : et disceptabo cum eis.* « Et regnum [2] Dei, » supple, futurum esse, « in populo Israel significant [3]. » Ultimum enim verbum prophetiæ est : *Et erit Domino regnum* [4].

« Hebræi hunc. » In hac secunda parte meritum tangit Prophetæ in quatuor : in eleemosyna scilicet, in gloria sepulturæ, in honore exaltationis, et in nomine.

« Hebræi hunc dicunt esse, » quamvis per Scripturam confirmari non possit, « qui sub rege Samariæ Achab, » de quo III Regum, xviii, « et impiissima Jezabel, » quæ *fluxus sterquilinii* interpretatur, « pavit centum Prophetas, » latitantes scilicet propter persecutionem Jezabel, « in specubus. » Hoc ideo creditur, quia III Reg xviii, 3 et seq., Achab Abdiam misit pro Elia, qui ibidem, ℣. 13, dixit Eliæ : *Numquid non indicatum est tibi, domino meo, quid fecerim cum interficeret Jezabel prophetas Domini, quod absconderim de prophetis Domini centum viros, quinquagenos et quinquagenos in speluncis, et paverim eos pane et aqua ?* Sed quod idem sit iste Abdias et ille non est probatum. « Qui non curvaverunt genua [5] ante Baal, » hoc est, idola non adoraverunt, « et de septem millibus erant [6], » quantum ad meritum, « quos Elias [7] arguitur ignorasse. » Cum enim diceret Elias : *Derelictus sum ego solus,* et opinaretur se solum esse superstitem inter servos Dei, arguens eum, respondit Dominus : *Derelinquam mihi in Israel septem millia virorum, quorum genua non sunt incurvata ante Baal.* Et idem inducitur in epistola Pauli ad Roman. xi, 4 [8].

Abdias centum Prophetas pavit in specubus.

Et subdit de sepulcro :

« Sepulcrum quoque ejus. » Isa. xi, 10 : *Erit sepulcrum ejus gloriosum.* « Usque hodie, » per successiones scilicet generationum, « cum Mausoleo Elisei Prophetæ. » Mausoleum sepulcrum ædificatum et ornatum est, in quo defuncti præclara facinora, ac res memoria dignæ sunt descripta. Dicitur autem a Mausolo, Cariæ rege, cui Artemisia uxor sepul-

[1] Deest *a* in Biblia Rob. Stephani.
[2] Biblia Rob. Stephani habet : *Regnumque.*
[3] Ibidem, *Significatur.*
[4] Abdiæ, ℣. 24.
[5] Bibl. Rob. Stephani : *Genu.*
[6] Ibidem, *Erat.*
[7] Cf. III Reg. xix, 10 et seq.
[8] Ad Roman. xi, 4 : *Reliqui mihi septem millia virorum, qui non curvaverunt genua ante Baal.*

crum ædificavit ita egregiis operibus, ut inter septem orbis miracula numeretur. Attollitur enim in altitudinem viginti quinque cubitis, et cingitur columnis triginta sex. A quo sepulcro omnia pretiosa sepulcra ex nomine ejus *mausolea* dicuntur. « Et Baptistæ Joannis, » supple, mausoleo, « in Sebaste, » civitate scilicet Samariæ, « venerationi habetur, » sicut dignum est ossibus Sanctorum venerationem impendi. « Quæ, » scilicet Sebaste, « olim Samaria dicebatur, » ut dicit Chrysostomus, a quodam Samer qui montem quem possedit, et civitatem quam ibi ædificavit, Samariam vocavit, quæ cum metropolis facta esset terræ, ab ipsa tota terra nomen accepit. « Hanc, » scilicet civitatem, « Herodes rex [1], » qui alienigena in Judæa regnavit, « Antipatris filius, » qui de successoribus Antiochi fuit, « in honore Augusti Cæsaris, » sub quo tempore regnavit, « græco nomine vocavit *Augustam* [2]. » Augustus enim in græce, latine sonat *solemniter stans*, vel *solemnitatis additio ;* propter quod etiam scriptores solemnizati, *auctores* dicuntur, et Deus auctor boni dicitur potius quam actor, quia solemnis est in boni profusione.

Et subdit de profectu honoris :

« Hic igitur qui [3] centum Prophetas paverat, » supple, merito illius eleemosynæ et pietatis, « accepit gratiam prophetalem. » I ad Timoth, IV, 8 : *Pietas ad omnia utilis est, promissionem habens vitæ, quæ nunc est, et futuræ.* Eccli. IV, 1 : *Fili, eleemosynam pauperis ne defraudes, et oculos tuos ne transvertas a paupere.* « Et de duce exercitus, » corporalis scilicet, « fit dux Ecclesiæ, » sicut Petrus de piscatore piscium factus est piscator hominum [4]. Psal. LXVII, 28 : *Principes Juda duces eorum.* Isa. XXXII, 8 : *Princeps, quæ digna sunt principe, cogitabit, et ipse super duces stabit.* « Tunc in Samaria, » quando dux erat Achab [5], « parvum gregem paverat, » centum scilicet viros tantum, « nunc, » supple, factus dux spiritualis, « in toto orbe Christi pascit Ecclesias, » pabulo scilicet verbi Dei, et mysteriorum. Matth. IV, 4 : *Non in solo pane vivit homo, sed in omni verbo, quod procedit de ore Dei* [6]. Sapient. XVI, 26 : *Non nativitatis fructus pascunt homines, sed sermo tuus hos, qui in te crediderint, conservat.*

Animæ pabulum, est verbum Dei

Et subdit de nominis dignitate :

« Et sicut [7] Stephanus » *corona* interpretatur secundum congruentiam sui nominis, « coronam meruit passionis, » primus scilicet et præcipuus. Psal. VIII, 6 : *Gloria et honore coronasti eum, Domine.* « Sic hic, » Propheta scilicet, « servitutis Dei, » interpretatione scilicet nominis, « cum Paulo Apostolo, » qui in prima sua epistola ad Romanos, I, 1, scribit : *Paulus Jesu Christi servus.* « Nomine, » hoc est, nominis interpretatione, « gloriatur. » Pythagoras enim vult, quod nomen qualitatem indicet personæ.

Et subdit renuntiationem : « Quia Abdias *servus Domini* in nostro, » hoc est, in latino « sonat eloquio. »

[1] In Biblia Rob. Stephani additur : *Judææ.*

[2] Alias *Augustum* dicitur, vel ab augmento, vel quasi rite a populo sacerdotibus dicatum.

[3] Bibl. Rob. Stephani : *Quia.*

[4] Cf. Matth. IV, 19.

[5] Cf. III Reg. XVIII.

[6] Cf. Deuteron. VIII, 3.

[7] In Bibl. Rob. Stephani habetur, *Et* φερωνύμως, *sicut in Actis Apostolorum Stephanus martyrio coronatus, ita et hic, servus appellatus est Domini.*

CAPUT UNICUM.

Vaticinatur existium adversus Idumæos qui affligebant ac subsannabant filios Israel : qui tamen reducti, dominium accipient in eos qui ipsos afflixerant.

1. Visio Abdiæ.
Hæc dicit Dominus Deus ad Edom : Auditum audivimus a Domino[1]; et legatum ad gentes misit : Surgite, et consurgamus adversus eum in prœlium.
2. Ecce parvulum dedi te in gentibus, contemptibilis tu es valde.
3. Superbia cordis tui extulit te, habitantem in scissuris petrarum, exaltantem solium tuum : qui dicis in corde tuo : Quis detrahet me in terram?
4. Si exaltatus fueris ut aquila, et si inter sidera posueris nidum tuum, inde detraham te, dicit Dominus.
5. Si fures introissent ad te, si latrones per noctem, quomodo conticuisses? Nonne furati essent sufficientia sibi? Si vindemiatores introissent ad te, numquid saltem racemum reliquissent tibi?
6. Quomodo scrutati sunt Esau? Investigaverunt abscondita ejus?
7. Usque ad terminum emiserunt te : omnes viri fœderis tui illuserunt tibi, invaluerunt adversum te viri pacis tuæ, qui comedunt tecum ponent insidias subter te : non est prudentia in eo.
8. Numquid non in die illa, dicit Dominus, perdam sapientes de Idumæa, et prudentiam de monte Esau[2]?
9. Et timebunt fortes tui a meridie, ut intereat vir de monte Esau.
10. Propter interfectionem et propter iniquitatem in fratrem tuum Jacob[3], operiet te confusio, et peribis in æternum.
11. In die cum stares adversus eum, quando capiebant alieni exercitum ejus, et extranei ingrediebantur portas ejus, et super Jerusalem mittebant sortem, tu quoque eras quasi unus ex eis.
12. Et non despicies in die fratris tui, in die peregrinationis ejus : et non lætaberis super filios juda in die perditionis eorum, et non magnificabis os tuum in die angustiæ.
13. Neque ingredieris portam populi mei in die ruinæ eorum : neque despicies et tu in malis ejus in die vastitatis illius : et non emitteris adversus exercitum ejus in die vastitatis illius.
14. Neque stabis in exitibus ut interficias eos qui fugerint, et non concludes reliquos ejus in die tribulationis.
15. Quoniam juxta est dies Domini super omnes gentes : sicut fecisti, fiet tibi : retributionem tuam convertet in caput tuum.
16. Quomodo enim bibistis super montem sanctum meum, bibent

[1] Jerem. XLIX, 14.
[2] Isa. XXIX, 14 ; I ad Cor. I, 19.
[3] Genes. XXVII, 42.

omnes gentes jugiter; et bibent, et absorbebunt, et erunt quasi non sint.

17. Et in monte Sion erit salvatio, et erit sanctus : et possidebit domus Jacob eos qui se possederant.

18. Et erit domus Jacob ignis, et domus Joseph flamma, et domus Esau stipula : et succendentur in eis, et devorabunt eos, et non erunt reliquiæ domus Esau, quia Dominus locutus est.

19. Et hæreditabunt hi qui ad austrum sunt, montem Esau : et qui in campestribus, Philistiim : et possidebunt regionem Ephraim et regionem Samariæ, et Benjamin possidebit Galaad.

20. Et transmigratio exercitus hujus filiorum Israel, omnia loca Chananæorum usque ad Sareptam : et transmigratio Jerusalem, quæ in Bosphoro est, possidebit civitates austri.

21. Et ascendent salvatores in montem Sion judicare montem Esau : et erit Domino regnum.

IN ABDIAM PROPHETAM

ENARRATIO.

« *Visio Abdiæ.* » Ista prophetia dividitur in titulum, et in tractatum.

Titulus duo continet, certitudinem scilicet veritatis, et confirmationem auctoritatis. Certitudo veritatis importatur per hoc quod dicitur, « *Abdiæ.* »

Revelatio divina fit tribus modis.

Quia cum sint tres modi revelationis, scilicet sensibilis, imaginabilis, et intellectualis : in sensibili et in imaginabili multæ sunt illusiones, hæc autem prophetia sola intellectuali visione revelata est, propter quod certissima est, et nulli ludificationi exposita. Genes. xxxii, 30 : *Vidi Deum facie ad faciem.* Quod dicit *Abdiæ*, significat auctorem qui sicut instrumentum auctor est, qui servitute Domini meruit gratiam prophetiæ. Amos, iii, 7 : *Non facit Dominus Deus verbum, nisi revelaverit secretum suum ad servos suos prophetas.* Sap. ix, 10 : *Mitte sapientiam de cœlis sanctis tuis, et a sede magnitudinis tuæ.* Et paulo antea, ℣. 5, dicit : *Quoniam servus tuus sum ego, et filius ancillæ tuæ.* Psal. cxviii, 125 : *Servus tuus sum ego : da mihi intellectum.*

Et subdit de auctoritate :

« *Hæc dicit Dominus Deus.* » Pronomine notat sermonis auctoritatem. Si enim *hæc* Dominus dicit, habent auctoritatem, quia omnis sermo Dei auctoritas est. Job, xxix, 22 : *Verbis meis nihil addere audebant.* « *Dicit,* » notat revelationem : dicere enim est per revelationem intellectum rerum in animam Prophetæ ponere. Psal. lxxxiv, 9 : *Audiam quid loquatur in me Dominus Deus.* « *Dominus,* » potestatem notat implendi per opus omne quod dicit. Psal. cxxxiv, 6 : *Omnia quæcumque voluit Dominus fecit.* « *Deus* » autem dicit, ut notetur in eo esse omnis scientia, quia Θεὸς græce a θεῶμαι derivatur quod est *video.* Dictum ergo Dei et ex scientia veritatis est, et plenitudine potestatis. Daniel. xiii, 42 : *Deus æterne, qui absconditorum es cognitor, qui nosti omnia antequam fiant.*

« *Ad Edom.* » Hic notat materiam. Totius enim prophetiæ materia Edom est in pœnis et in peccatis acceptus : improperantur enim ei peccata, et comminantur pœnæ. Isa. xxxiv, 6 : *Victima Domini in Bosra, et interfectio magna in terra Edom.* Et attendendum est quod cum dicitur : « *Visio Abdiæ,* » non determinatur nec per locum, nec per tempora regum : cujus causa potest esse, quia ad populum suum iste Propheta non prophetavit, et ideo tempora regum suorum in titulo ponere noluit.

1 « *Auditum.* » Hic incipit Prophetia. Et dividitur in partes duas. Primo comminatur pœnam superbiæ contra Deum. Secundo, comminatur pœnam invidiæ contra proximum, ibi, ℣. 10 : *Propter interfectionem et propter iniquitatem.* »

In prima tria sunt : superbiæ dejectio, divitiarum spoliatio, ibi, ℣. 5 : « *Si fures,* » et auxilii destitutio, ibi, ℣. 7 : « *Omnes viri fœderis tui.* »

In prima harum adhuc tria sunt, scilicet hostium contra Edom missio et concitatio, superbiæ præsumptio, et superbiæ dejectio.

« *Auditum.* » Materialiter, hoc est, rem per oraculum divinum acceptam. « *Audivimus,* » ego scilicet, et alii Prophetæ, Isaias scilicet in cap. XXXIV, et Jeremias in cap. XLIX, ubi fere tota ista prophetia continetur, et Ezechiel. in cap. XXXV. Deuter. XIX, 15 : *In ore duorum, vel trium testium stabit omne verbum.* « *A Domino,* » cujus sermo non excidit. Tobiæ, XIV, 6 : *Non excidit verbum Domini.* Job, XLII, 5 : *Auditu auris audivi te.* Eccli. XLV, 5 : *Audivit eum, et vocem ipsius, et induxit illum in nubem.* Luc. XI, 28 : *Beati, qui audiunt verbum Dei, et custodiunt illud.*

Quid autem audierint, subdit : « *Et legatum,* » Nabuchodonosor, « *ad gentes,* » hoc est enim, contra gentes, « *misit.* » Ista missio facta est per instinctum qui tangitur, Judith, II, 3 : *Dixit Nabuchodonosor cogitationem suam in eo esse, ut omnem terram suo subjugaret imperio.* Hoc enim in corde suo Deus posuit, ut peccata Gentium digna ultione vindicarentur.

Et subdit de exhortatione ducum : « *Surgite,* » hoc est, robur sursum agite, ut scilicet audacter invadatis. Isa. XIII, 2 : *Super montem caliginosum levate signum, exaltate vocem, levate manum.* Isa. XXI, 5 : *Surgite, principes, arripite clypeum.* « *Et consurgamus,* » unanimiter omnes scilicet, « *adversus eum,* » hoc est, Edom, « *in prœlium.* » Psal. XCIII, 16 : *Quis consurget mihi adversus malignantes ? aut quis stabit mecum adversus operantes iniquitatem ?* Mystice iste legatus Christus est cum Apostolis ac cœtu toto Prædicatorum. Isa. IX, 6, secundum translationem Septuaginta : « Vocabitur magni consilii Angelus [1]. » Jerem. XLIX, 14 : *Auditum audivi a Domino, et legatus ad gentes missus est.* His dicit Deus : « *Surgite,* » hoc est, ad cœlestia sursum vos agite : et isti respondentur, « *Consurgamus* » per obedientiam, ut scilicet in obsequium Christi debellent gentes gladio prædicationis. Jerem. XLIX, 14 : *Congregamini, et venite contra eam, et consurgamus in prœlium.*

Et subdit de præsumptione superbiæ : 2
Ecce parvulum dedi te in Jentibus, » non virtute humilitatis, sed numero bellatorum : in quo a cæteris gentibus superabantur. Et hoc est quod sequitur : « *Contemptibilis tu es valde,* » supple, etiam ex rerum paupertate. Simile, I Reg. IX, 21 : *Numquid non filius Jemini ego sum, de minima tribu Israel ? et cognatio mea novissima inter omnes familias de tribu Benjamin ?*

Et cum habeas occasionem humiliandi 3
te, tunc « *Superbia cordis tui extulit te,* » quod est unum eorum quæ odit Deus. Eccli. XXV, 3 et 4 : *Tres species odivit anima mea, et aggravor valde animæ illorum : pauperem superbum : divitem mendacem : senem fatuum et insensatum.* Job, XV, 13 : *Quid tumet contra Deum spiritus tuus ?* Et ibidem, ℣. 12 : *Quid te elevat cor tuum ?* « *Habitantem in scissuris petrarum.* » Despective legendum est, hoc est, cum nec

Hominum tres conditiones detestandæ.

[1] Isa. IX, 6 : *Vocabitur nomen ejus, Admirabilis, Consiliarius, Deus, Fortis, Pater futuri sæculi, Princeps pacis.* Hic sex nomina dantur Emmanuel, ad quæ septimum primo loco addunt Septuaginta : μεγάλης βουλῆς ἄγγελος, magni consilii angelus.

tecta habeas, sed in cavernis et in scissuris petrarum cogaris habitare. Jerem. XLIX, 16 : *Arrogantia tua decepit te, et superbia cordis tui : qui habitas in cavernis petræ, et apprehendere niteris altitudinem collis.* « *Exaltantem solium tuum :* » regnum enim suum præferre voluit aliis, cum esset omnibus humilius. Isa. XIV, 13 : *Super astra Dei exaltabo solium meum.* « *Qui dicit* [1] *in corde tuo.* » Metaplasmus, et mutat secundam in tertiam personam, ut ostendat quod in hoc cor alienum est ab ipso. Job, XV, 5 : *Docuit iniquitas tua os tuum, et imitaris linguam blasphemantium.* « *Quis detrahet me in terram ?* » Quasi dicat : Nullus potest hoc facere. Isa. X, 13 : *Dixit enim : In fortitudine manus meæ feci, et in sapientia mea intellexi.* Simile, Apocal. XVIII, 7 : *Sedeo regina, et vidua non sum, et luctum non videbo.*

4 Sed quia *Deus superbis resistit* [2], ideo sequitur : « *Si exaltatus fueris ut aquila,* » continua scilicet cordis elevatione, sicut aquila altius volat, « *et si inter sidera posueris nidum tuum.* » Hyperbole est. Jerem, XLIX, 16 : *Cum exaltaveris quasi aquila nidum tuum.* « *Inde detraham te, dicit Dominus.* » Isa. XIV, 15 : *Ad infernum detraheris in profundum laci.* Poeta :

Frangit Deus omne superbum.

Spiritualiter superbi in scissuris petrarum habitant, quia et in duritia cordis, et in scissura charitatis. Job, VIII, 17 : *Super acervum petrarum radices ejus densabuntur, et inter lapides commorabitur.*

5 « *Si fures.* » Tangit hic de spoliatione : primo tres similitudines ponens de spolio particulari, et subinferens de universali.

« *Si fures introissent ad te,* » in furno hoc est, in nigro, sive in occulto rapientes, supple, non omnia abstulissent, sed quædam. « *Si latrones per noctem,* » qui domos nocte fodere, et quæ in domibus sunt, rapere solent, « *quomodo conticuisses ?* Quasi dicat : Non conticuisses, sed repulisses, Jerem. XLIX, 9 : *Si fures in nocte*, supple, venissent super te, *rapuissent quod sufficeret sibi.* Et hoc est quod hic sequitur : « *Nonne furati essent sufficientia sibi ?* » « *Si vindemiatores introissent ad te,* » violenter scilicet, materiam gaudii diripientes, « *numquid non saltem racemum,* » supple, aliquem, « *reliquissent tibi ?* » Jerem. XLIX, 9 : *Si vindemiatores venissent super te, non reliquissent racemum.* Gregorius dicit, quod « diabolus fur est in negotio perambulante in tenebris : quando scilicet, « insidiando circumvolat, vel promittendo decipit, vel suadendo blanditur. » Joan. X, 10 : *Fur non venit nisi ut furetur, et mactet, et perdat.* Latro autem est, quando violenter facit, et aperte, scilicet quando minando terret, vel opprimendo rapit, vel desperando frangit. Osee, VII, 1 : *Fur ingressus est spolians, latrunculus foris.* Proverb. XXIII, 28 : *Insidiatur in via quasi latro, et quos incautos viderit, interficiet.* Vindemiator autem est, quando materiam gaudii tollit, et in tristitiam perpetuam dejicit. Job, XXIV, 18 : *Maledicta sit pars ejus in terra, nec ambulet per viam vinearum.* Tales sunt qui interficiunt seipsos, gaudii scilicet materiam in seipsis non invenientes. Proverb. XXV, 20 : *Sicut tinea vestimento, et vermis ligno : ita tristitia viri nocet cordi.* Eccli. XIV, 2 : *Felix qui non habuit animi sui tristitiam, et non excidit a spe sua.* Eccli. XXV, 17 : *Omnis plaga tristitia cordis est.* Eccli. XXX, 22 et 23 : *Tristitiam non des animæ tuæ, et non affligas temetipsum in consilio tuo. Jucunditas cordis, hæc est vita hominis.*

Diabolus fur est, et latro, et vindemiator.

Tristitia valetudinem hominis lædit.

[1] Vulg. habet, *dicis.*

[2] Jacob. IV, 6.

6 Et subdit de spolio universali :

« *Quomodo scrutati sunt Esau ?* » Et hoc subdit, explanans : « *Investigaverunt abscondita ejus ?* » Glossa, « cavernas et foramina, » ut scilicet in antris nihil absconditum retinere possent. Job, XXIV, 10 : *Nudis et incedentibus absque vestitu, et esurientibus tulerunt spicas.*

7 Et ideo sequitur : « *Usque ad terminum,* » supple, denudatum, « *emiserunt te,* » extra terram tuam, scilicet in captivitatem. Hoc significat scrutinium dæmonum, ad auferendum a peccatore omne bonum. Psal. CVIII, 11 : *Scrutetur fœnerator omnem substantiam ejus, et diripiant alieni labores ejus* : et hoc usque ad terminos emittitur. De tribus enim terminis hujus vitæ ad quos sæculares vitam futuram terminare cupiunt, scilicet divitiis, deliciis, et honoribus, in tres terminos inferni projicitur, dolorem scilicet, penuriam, et ignominiam. Job, XXI, 13 : *In puncto ad inferna descendunt.*

« *Omnes viri fœderis tui.* » Tangit destitutionem auxilii : primo exterioris, et postea interioris.

« *Omnes viri fœderis tui,* » hoc est, quos confœderatos habebas, Ammonitæ scilicet et Moabitæ, « *illuserunt tibi,* » per hoc scilicet quod rupto fœdere additi sunt inimicis tuis. « *Invaluerunt adversum te,* » ducendo scilicet te in captivitatem,« *viri pacis tuæ,* » hoc est, in quibus pacem sperabas. Jerem. IX,4 : *Unusquisque se a proximo suo custodiat, et in omni fratre suo non habeat fiduciam : quia omnis frater supplantans supplantabit.* Mich. VII, 5 : *Nolite credere amico : et nolite confidere in duce.* « *Qui comedunt tecum,* » supple, ut amici, « *ponent insidias subter te,* » ut scilicet te evertant et supplantent, de quibus dicit, Eccli. VI, 9 et 10 : *Est amicus qui odium et rixam, et convicia denudabit. Est autem amicus socius mensæ, et non permanebit in die necessitatis.* Threr. I, 2 : *Omnes amici ejus spreverunt eam, et facti sunt ei inimici.* Psal. XL, 10 : *Etenim homo pacis meæ, in quo speravi : qui edebat panes meos, magnificavit super me supplantationem.*

Non temere cuilibet amico fidendum.

Et subdit de destitutione auxilii interioris : primo in consilio,secundo in virtute.

« *Non est prudentia in eo,* » scilicet in Edom : quia sibi consulere nescit. Isaiæ, XIV, 13 : *Stulti facti sunt principes Taneos, emarcuerunt principes Mempheos, deceperunt Ægyptum, angulum populorum ejus,* hoc est, principes. Ibidem, ℣. 3 : *Consilium Ægyti præcipitabo.* I ad Corinth. III, 19 : *Sapientia hujus mundi, stultitia est apud Deum.*

Et hoc probat, subdens : « *Numquid non in die illa,* » judicii mei scilicet, 8
« *dicit Dominus,* » quando scilicet tibi providere non poteris, « *perdam sapientes de Idumæa,* » Philosophos scilicet et mundi consiliarios ? I ad Corinth. I, 19 : *Perdam sapientiam sapientium, et prudentiam prudentium reprobabo.* Et hoc est quod hic additur : « *Et prudentiam de monte Esau,* » supple, perdam. Baruch, III, 23 : *Fabulatores, et exquisitores prudentiæ et intelligentiæ : viam autem sapientiæ nescierunt.* Mons autem Esau superbiam significat carnalium, qui licet in sæcularibus prudentes sint, tamen in spiritualibus sunt insipientes. Jacob. III, 15 : *Non est ista sapientia de sursum descendens : sed terrena, animalis, diabolica.* Job, V, 13 : *Qui apprehendit sapientes in astutia eorum, et consilia pravorum dissipat.* Jerem. XLIX, 7 : *Numquid non ultra est sapientia in Themam ? Periit consilium a filiis, inutilis facta est sapientia eorum.*

Non est sapientia et robur adversus Dominum.

Et subdit de destitutione virium et virtutis : 9

« *Et timebunt fortes tui.* » Eccli. XII, 3 : *Nutabunt viri fortissimi.* « *A meri-*

die, » supple, habitantes : quia tota terra Esau a meridie est, et ardori solis in tantum exposita, quod in cavernis habitant. « *Ut,* » Non est causale, sed est consecutivum, et est sensus : Ut deficiente consilio et viribus, « *intereat vir,* » per Chaldæos, « *de monte,* » hoc est, de montuosa terra « *Esau.* » Jerem. XLVI, 5 et 6 : *Vidi ipsos pavidos, et terga vertentes, fortes eorum cæsos : fugerunt conciti, nec respexerunt : terror undique, ait Dominus. Non fugiat velox, nec salvari se putet fortis.*

10 « *Propter interfectionem.* » Tangit hic causam destructionis Esau : et habet duas partes, scilicet invidi destructionem, et pii constructionem, ibi, ℣. 17 : « *Et in monte Sion erit salvatio.* »

In prima duo dicuntur, scilicet, qualiter Esau destruetur, et quomodo, ibi, ℣. 15 : « *Quoniam juxta est dies Domini.*

Adhuc prima harum habet tria. Primo enim in genere causam dicit destructionis : secundo, in specie, ibi, « *In die cum stares.* » Tertio, subjungit pœnam, ibi, « *Et non despicies.* »

« *Propter interfectionem,* » qua scilicet vel voluntate, vel consilio, vel facto, vel favore fratrem, vel proximum occidisti, vel vitam scilicet auferendo, vel res subtrahendo de quibus vivere debuit. Dan. XIII, 53 : *Innocentem et justum non interficies.* Eccli. XXXIV, 25 : *Panis egentium vita pauperum est : qui defraudat illum, homo sanguinis est.* « *Et propter iniquitatem,* » in oppressionibus scilicet et persecutionibus, « *in fratrem tuum,* » hoc est, contra fratrem tuum « *Jacob :* » contra enim æquitatem naturæ est persequi fratrem. Psal. XXX, 12 : *Super omnes inimicos meos factus sum opprobrium, et vicinis meis valde, et timor notis meis.* Unde inter ea in quibus beneplacitum est Deo, et sunt probata coram Deo et hominibus, Eccli. XXV, 2, est *concordia fratrum, et amor proximorum.* « *Operiet te confusio,* » captivitatis scilicet temporalis, vel æternæ. Jerem. XXXI, 19 : *Confusus sum, et erubui, quoniam sustinui opprobrium adolescentiæ meæ.* Mich. VII, 10 : *Adspiciet me inimica mea, et operietur confusione.* Psal. LXVIII, 8 : *Operuit confusio faciem meam.* « *Et peribis in æternum,* » hoc est, æterna captivitate damnatus. Psal. XXXVI, 28 : *Injusti punientur, et semen impiorum peribit.* Isa. XIV, 21 : *In iniquitate patrum suorum non consurgent, nec hæreditabunt terram.*

Fratrem prosequi est contra naturam.

Et quod dixit in genere, tangit in specie : 11

« *In die,* » captivitatis scilicet, et judicii Judæorum, « *cum stares,* » armis scilicet accinctus, « *adversus eum,* » Jacob scilicet. Job, XVI, 10 : *Collegit furorem suum in me, et comminans mihi, infremuit contra me dentibus suis : hostis meus terribilibus oculis me intuitus est.* Hic est versus : « *Quando capiebant alieni exercitum ejus,* » hoc est, Chaldæi alieni a sanguine Judæorum. Et tangit hoc quod dicitur, IV Regum, XXIV, 17, II Paralip. XXXVI, 10, Jerem. LII, 8 et seq., quod cum fugeret de civitate Sedecias cum filiis et nobilibus suis, et vagarentur in deserto versus Idumæam, Idumæi juverunt Chaldæos ad capiendum regem, et exercitum ejus. « *Et extranei,* » Gentiles scilicet, « *ingrediebantur portas ejus,* » civitatis scilicet Jerusalem. Proverb. III, 29 : *Ne moliaris amico tuo malum, cum ille in te habeat fiduciam.* « *Et super Jerusalem,* » civitatem scilicet, et pertinentia ad civitatem, « *mittebant sortem.* » Sicut enim dicit Jerem. LII, 7 et seq., duces Babyloniorum intrantes civitatem, primo sederunt in portis, ut judices et domini : postea comportatis rebus, sortiebantur quid quis tolleret. Prov. I, 14 : *Sortem mitte nobiscum, marsupium unum sit omnium nostrum.* Et debet legi suspensive *mittebant sortem.* « *Tu quoque eras quasi unus ex eis,* » ex hostibus scilicet :

adjunctus enim eras in sua captivitate. Plus enim nocet falsus amicus quam manifestus inimicus. Eccli. vi, 13 : *Ab inimicis tuis separare, et ab amicis tuis attende.* Hæc sub eisdem auctoritatibus de invidis et falsis amicis dicuntur. Psal. xxxvii, 12 : *Amici mei, et proximi mei adversum me appropinquaverunt, et steterunt.*

12 « *Et non despicies.* » Tangit hic pœnam, et quia maxima pœna est invidi, non posse persequi eum cujus invidet prosperitati aut successibus, ideo tangit illam primo in octo.

Primum est quod dicit : « *Et non despicies,* » Jacob scilicet, « *in die fratris tui,* » hoc est, quando judicabitur frater tuus, in sequenti scilicet Romana captivitate, « *in die peregrinationis ejus,* » hoc est, quando peregrinabitur de terra ductus in Romanam captivitatem. Isaiæ, xxxiii, 1 : *Væ qui spernis, nonne et ipse sperneris?* Et paulo post : *Cum fatigatus desieris contemnere, contemneris.* Et est sensus, quod filii Israel de Babylonica captivitate restituentur, quamvis postea per Romanos captivandi sint : filii autem Esau non restituentur, sed manentes in captivitate, filios Israel in secunda captivitate deridere non possunt. Significat autem eos qui justos derident in casu suo. Psal. xxi, 8 : *Omnes videntes me, deriserunt me : locuti sunt labiis, et moverunt caput.*

Et apponit secundum : « *Et non lætaberis super filios Juda,* » in captivitate scilicet Romana, « *in die perditionis eorum,* » hoc est, captivitatis, Prov. ii, 14 : *Lætantur cum malefecerint, et exsultant in rebus pessimis.* Job, xxxi, 29 : *Si gavisus sum ad ruinam ejus, qui me oderat, et exsultavi quod invenisset eum malum.*

Et subinfert tertium : « *Et non magnificabis os tuum,* » dilatando scilicet in risum, vel aperiendo ad devorandum, « *in die angustiæ,* » Romanæ scilicet captivitatis : tunc enim tu gemes in captivitate. Psal. xxi, 14 : *Aperuerunt super me os suum, sicut leo rapiens et rugiens.* Thren. ii, 16 : *Aperuerunt super me os suum omnes inimici tui : sibilaverunt, et fremuerunt dentibus, et dixerunt : Devorabimus : en ista est dies, quam exspectabamus : invenimus, vidimus.*

Et addit quartum : « *Neque ingredieris portam populi mei,* » cum hostibus scilicet, sicut fecisti « *in die ruinæ eorum,* » per Romanam scilicet captivitatem. Threm. iv, 12 : *Non crediderunt reges terræ, et universi habitatores orbis, quoniam ingrederetur hostis et inimicus per portas Jerusalem.* Portæ istæ significant quinque sensus, ut dicit Hieronymus : hostis ingressus delectabilia, et incitamenta peccati significat. Jerem, ix, 21 : *Ascendit mors per fenestras nostras, ingressa est domos nostras.* Ridentes autem de hoc ex invidia sunt dæmones. 13

Quinque sensus portæ sunt animæ.

Et subdit quintum : « *Neque despicies et tu.* » Despective legendum est, quasi *et tu* qui parvulus et contemptibilis es, « *in malis ejus,* » quæ scilicet patietur Jacob, « *in die vastitatis illius,* » per Romanam scilicet captivitatem, supple, sicut fecisti in ista captivitate Babylonica. Job, xxx, 1 et 2 : *Nunc autem derident me juniores tempore, quorum non dignabar patres ponere cum canibus gregis mei : quorum virtus manuum mihi erat pro nihilo, et vita ipsa putabantur indigni.*

Et supponit sextum : « *Et non emitteris adversus exercitum ejus.* » Tangit illud Jeremiæ, lii, 8, quod Idumæi bellatores a Chaldæis emissi sunt ad persequendum regem Sedeciam, « *in die vastitatis illius,* » Romanæ scilicet captivitatis. Tunc enim hoc facere non poteris, eo quod in captivitate relinqueris. Mich. vii, 4 : *Visitatio tua venit : nunc erit vastitas eorum.*

14 Et subdit septimum : « *Neque stabis in exitibus,* » supple, sicut fecisti, « *ut interficias eos qui fugerint.* » Et tangit quod obsessa civitate exitus observabant Idumæi, et fugientes occiderunt. Psal. XXXVI, 14 : *Gladium evaginaverunt peccatores : intenderunt arcum suum,... ut trucident rectos corde.*

Et subjungit octavum : « *Et non concludes reliquos ejus,* » qui effugere scilicet potuerunt Romanam captivitatem, supple, sicut fecisti in Chaldaica captivitate, « *in die tribulationis,* » per captivitatem scilicet Romanam.

In omnibus autem his sensus est, quod tot malis pressus erit in captivitate propria, quod pressus proprio gemitu non poterit inferre aliis malum. Simile, Exod. XIV, 13 et 14 : *Ægyptios quos nunc videtis, nequaquam ultra videbitis usque in sempiternum. Dominus pugnabit pro vobis, et vos tacebitis.* Psal. CXI, 10 : *Peccator videbit, et irascetur, dentibus suis fremet et tabescet : desiderium peccatorum peribit.*

Deus propugnator est justorum.

15 Quando autem et qualiter hoc fiet, subdit :

« *Quoniam juxta est dies Domini,* » vindictæ scilicet, « *super omnes gentes,* » gentiliter scilicet viventes. Isa. XXVI, 21 : Visitabit *iniquitatem habitatoris terræ contra eum.* Joel, III, 2 : *Congregabo omnes gentes, et deducam eas in vallem Josaphat : et disceptabo cum eis ibi super populo meo, et hæreditate mea Israel.* « *Sicut fecisti, fiet tibi.* » Matth. VII, 2 : *In qua mensura mensi fueritis, remetietur vobis.* Matth. XXI, 41 : *Malos male perdet.* « *Retributionem tuam,* » hoc est, dignam meritis tuis, « *convertet in caput tuum,* » Joel, III, 4 : *Cito velociter reddam vicissitudinem vobis super caput vestrum.* Et ibidem post pauca, ℣. 7 : *Convertam retributionem vestram in caput vestrum.* Malach. IV, 3 : *Calcabitis impios, cum fuerint cinis sub planta pedum vestrorum.*

Et hoc deducit ad speciem, subdens : 16
« *Quomodo enim bibistis,* » in lætitia scilicet deorum vestrorum, « *super montem sanctum meum,* » captum scilicet a Chaldæis. Dan. V, 23 : *Vasa domus Dei allata sunt coram te : et tu, et optimates tui, et uxores tuæ, et concubinæ tuæ vinum bibistis in eis.* Psal. LXVIII, 13 : *In me psallebant qui bibebant vinum.* « *Bibent omnes gentes jugiter,* » supple, super montem tuum captum et desolatum in lætitia scilicet captivitatis tuæ. Apocal. XVIII, 6 : *In poculo quo miscuit, miscere illi duplum.* « *Et bibent,* » hoc est, in delectatione absument possessiones tuas : « *et,* » id est, « *absorbebunt.* » Jerem. LI, 34 : *Absorbuit me quasi draco, replevit ventrem suum teneritudine mea.* Osee, V, 7 : *Nunc devorabit eos mensis, cum partibus suis.* « *Et erunt quasi non sint* : » erunt enim socii ejus qui non est, hoc est, diaboli. Job, XVIII, 15 : *Habitent in tabernaculo illius socii ejus, qui non est, aspergatur in tabernaculo ejus sulphur.* Et post pauca, ℣. 17 : *Memoria illius pereat de terra.*

« *Et in monte Sion.* » Tangit hic consolationem Sanctorum in duobus, scilicet in subjectione inimicorum, et in distributione possessionum, ibi, « *Et hæreditabunt.* » 17

« *Et in monte Sion erit salvatio,* » vel post Babylonicam captivitatem, vel in Ecclesia, quod melius est. Mons enim Sion eminentia speculationis est, quæ est Ecclesia in contemplatione fidelium. Isaiæ, XLVI, 13 : *Dabo in Sion salutem, et in Israel gloriam meam.* « *Et erit sanctus,* » hoc est, in sanctitate confirmatus. Isa. IV, 3 : *Omnis qui relictus fuerit in Sion, et residuus in Jerusalem, sanctus vocabitur, omnis qui scriptus est in vita in Jerusalem.* Jerem. XXXI, 23 : *Benedicat tibi Dominus pulchritudo justitiæ, mons sanctus.* « *Et possidebit domus Jacob :* » dicit quantum ad duas tribus, « *eos qui se possederant.* » Quod

si ad litteram dicatur, factum est post captivitatem Babylonicam, I Machab. v, 28, ubi dicitur, quod Judas Machabæus occupavit civitatem Gentium, et occidit omne masculinum in ore gladii, et accepit omnia spolia eorum [1]. Melius tamen intelligitur spiritualiter, quod domus Jacob Ecclesia est, quæ possidet possessiones tyrannorum, qui aliquando possederant eam. Isa. xi, 14 : *Et volabunt in humeros Philisthiim per mare, simul prædabuntur filios Orientis : Idumæa et Moab præceptum manus eorum, et filii Ammon obedientes erunt.* Isa. xiv, 2 : *Erunt capientes eos qui se ceperant, et subjicient exactores suos.*

18 « *Et erit* » supple, tunc, « *domus Jacob,* » hoc est, duæ tribus, « *ignis,* » hoc est, causa incendii, « *et domus Joseph,* » hoc est, decem tribus, supple, erunt « *flamma,* » hoc est, causa inflammationis, « *et domus Esau stipula,* » supple, erit, quæ scilicet ira Domini facile succendatur. Isa. lxii, 1 : *Egrediatur ut splendor justus ejus, et salvator ejus ut lampas accendatur.* De stipula, I ad Corinth. v, 12 et 13 : *Si quis ædificaverit super fundamentum hoc, aurum, argentum, lapides pretiosos, ligna, fœnum, stipulam, uniuscujusque opus quale sit, ignis probabit.*

Et ideo sequitur : « *Et succendentur in eis,* » domus scilicet Jacob, et domus Joseph, sicut in stipulis. Isaiæ, ix, 18 : *Succensa est quasi ignis impietas, veprem et spinam vorabit.* « *Et devorabunt eos,* » direptione scilicet possessionum et occisione gladii. Esther, xi, 11 : *Sol ortus est, et humiles exaltati sunt, et devoraverunt inclytos.* « *Et non erunt reliquiæ domus Esau.* » Isaiæ, xiv, 22 : *Perdam Babylonis nomen, et reliquias, et germen, et progeniem.* II Reg. xxi, 5 : *Virum, qui attrivit nos et oppressit inique, ita delere debemus, ut nec unus quidem residuus sit de stirpe ejus.* « *Quia Dominus locutus est.* » Hæc litteraliter numquam sunt impleta, unde spiritualiter melius intelliguntur, quod domus Jacob sint perfecti in virtute, qui sunt velut ignis per charitatem : et domus Joseph perfecti in scientia veritatis quæ accrescit virtuti : qui sunt ceu splendor claritate doctrinæ, et ignis fervore prædicationis. Cantic. viii, 6 : *Lampades ejus, lampades ignis atque flammarum.* Domus autem Esau sunt carnales peccatores, vacui sicut stipula, et aridi a gratia : qui cum succenduntur a charitate, fiunt non stipula, et a sanctis devorantur, hoc est, incorporantur, sicut dictum est Petro, Act. x, 13 : *Occide, et manduca.*

Stipula peccatores significat.

Et subdit de distributione possessionum. **19**

« *Et hæreditabunt hi,* » Judæi scilicet, « *qui ad austrum sunt,* » hoc est, versus meridiem, « *montem Esau,* » hoc est, montuosam terram. Hieronymus : « Reverso Juda de Babylone in regnum, hi qui in Meridie habitabant et angustos terminos habebant, occupabant montem Esau ad dilatandum terminum suum. » « *Et qui in campestribus,* » hoc est, de duabus tribubus qui in planis habitabant, supple, possidebunt « *Philisthiim,* » hoc est, quinque civitates Philisthinorum ad dilatandum terminum suum. Isaiæ, xlix, 20 : *Adhuc dicent in auribus tuis filii sterilitatis tuæ : Angustus est mihi locus, fac spatium mihi, ut habitem.* « *Et possidebunt regionem Ephraim,* » supple, duæ tribus, hoc est, ubi habitabat quondam Ephraim, « *et regionem Samariæ,* » supple, possidebunt. Judas enim dilatavit terminum suum in terras decem tribuum. Isaiæ,

[1] I Machab. v, 28 : *Et convertit Judas, et exercitus ejus, viam in desertum Bosor repente, et occupavit civitatem : et occidit omne masculinum in ore gladii, et accepit omnia spolia eorum, et succendit eam igni.*

LIV, 2 et 3 : *Longos fac funiculos tuos, et clavos tuos consolida. Ad dexteram enim, et lævam penetrabis : et semen tuum Gentes hæreditabit, et civitates desertas inhabitabit.* « *Et Benjamin,* » cujus scilicet terminus est contra Septentrionem, » *possidebit Galaad,* » hoc est, terram ultra Jordanem, quæ prius Galaad, nunc Arabia dicitur, ubi ante captivitatem Ruben et Gad, et dimidia tribus Manasse habitaverunt.

20 « *Et transmigratio exercitus hujus,* » ductus scilicet in Babylonem, « *filiorum Israel,*» hoc est, illi qui de decem tribubus captivi ducti sunt in Babylonem revertentur cum eis, et possidebunt « *omnia loca Chananæorum,* » hoc est, ubi quondam Chananæi habitaverunt, terram quam promisit Deus Abrahæ [1]. Psal. CIV, 11 : *Tibi dabo terram Chanaan, funiculum hæreditatis vestræ.* « *Usque ad Sareptam,* » quæ *angustia panis* interpretatur, ubi vidua pavit Eliam [2]. « *Et transmigratio Jerusalem,* » hoc est, transmigrati de Jerusalem, « *quæ in Bosphoro est,* » hoc est, juxta mare Bosphorum ; ibi enim posuit eos Nabuchodonosor. Et interpretatur *angustia succrescens*, ubi secundum fabulas Poetarum, (ut dicit Hieronymus) bos, hoc est, Io transivit. Illa (inquam) transmigratio « *possidebit civitates austri,* » sibi scilicet vicinas.

Ecce hic locupletationem Ecclesiæ.

Et quia hæc numquam litteraliter facta sunt, spiritualiter intelligitur, quod Ecclesia possidet montem Esau in dignitate carnali, et campestria Philisthiim in comitate populari, quæ Ecclesiæ obedit, et regionem Ephraim in ubertate temporali, et regionem Samariæ in custodia pastorali, et Galaad in studio Scripturarum, quia Galaad *acervus testimonii* interpretatur. Hæc Ecclesiæ transmigratio est, quæ dicit cum Apostolo, ad Hebr. XIII, 14 : *Non habemus hic manentem civitatem, sed futuram inquirimus.* Et possidet omnia loca Chananæorum, hoc est, de peccatis ad gratiam transmigratorum. Transmigratio autem Jerusalem hæc est ad supernam civitatem pertinens. Possidet civitates austri, hoc est, religiones [3] lumini divino, et calori sancti Spiritus expositas. Isa. LX, 12 : *Gens et regnum, quod non servierit tibi, peribit : et gentes solitudine vastabuntur.* Psal. II, 8 : *Postula a me, et dabo tibi gentes hæreditatem tuam.*

Et subdit populi optima in regimine dispositione : **21**

« *Et ascendent salvatores,* » Zorobabel scilicet, et Jesus sacerdos magnus, et Esdras, et Nehemias, et cæteri qui de captivitate Babylonica redierunt et salvabant populum, « *in montem Sion,*» hoc est, in Jerusalem, sicut præcepit Cyrus [4]. « *Judicare montem Esau,* » qua scilicet pœna dignus sit. Hi salvatores Apostolos, et successores Apostolorum significant, in quibus est salus Ecclesiæ. Isa. XIX, 20 : *Mittet eis salvatorem et propugnatorem, qui liberet eos.* Hi ascendunt de virtute in virtutem. Psal. LXXXIII, 8 : *Ibunt de virtute in virtutem.* Et sedebunt in monte Sion, hoc est, in potestate Ecclesiæ et dignitate, et judicabunt montem Esau, hoc est de sæcularibus, superbis, et timidis. Sap. III, 8 : *Judicabunt justi nationes, et dominabuntur populis.* « *Et,* » supple, sic, « *erit Domino regnum.* » Psal. LXXXI, 8 : *Surge,Deus, judica terram, quoniam tu hæreditabis in omnibus gentibus.* I ad Corinth. XV, 25 : *Oportet illum regnare, donec ponat omnes inimicos sub pedibus ejus.* Psal. CXLIV, 13 : *Regnum tuum, regnum omnium sæculorum.* Daniel. VII, 14 : *Potestas ejus, potestas æterna, quæ non auferetur, et regnum ejus, quod non corrumpetur.*

[1] Cf. Genes. XII, 7.
[2] Cf III Reg. XVII, 15.
[3] Vel forte melius *regiones*.
[4] Cf. II Esdræ, I, 2.

INDEX

IN ABDIAM PROPHETAM

D. ALBERTI MAGNI,

EPISCOPI RATISBONENSIS, DOCTRINA TOTO ORBE CELEBERRIMI,

ORDINIS PRÆDICATORUM.

IN JONAM PROPHETAM

ENARRATIO.

Prologus Divi Hieronymi in Jonam prophetam [1].

Jonam sanctum Hebræi affirmant filium fuisse mulieris viduæ Sareptanæ, quem Elias propheta mortuum suscitavit: matre postea dicente ad eum: Nunc in isto cognovi, quia vir Dei es tu, et verbum Dei in ore tuo veritas est [2]. Ob hanc etiam causam ipsum puerum sic vocavit, Amathi. Amathi enim in nostra lingua *veritatem* sonat. Et ex eo quod verum Elias locutus est, ille qui suscitatus est, filius esse dicitur veritatis. Ideo de veritate columba nascitur, quia Jonas, columbam [3] sonat. In condemnationem autem Israel Jonas ad gentes mittitur: quod Ninive agente pœnitentiam, illi in malitia perseverant.

Temporibus quippe Jeroboam regis Israel, qui, Deo vero derelicto cum populo suo, in Samaria idolis sacrificabat, Jonam prophetam fuisse, quartus liber Regum indicat [4]. Is, cum prophetia illuminante, peccatores civitatis Ninive Dei misericordiam consecuturos videret, ne falsa prædicare videretur, ad denuntiandum interitum ejusdem civitatis ire nolebat. Nam sicut Deus ad Abraham de impietate Sodomorum et Gomorrhæorum locutus est: Clamor Sodomorum et Gomorrhæorum pervenit ad me [5], ita et de Ninive dicitur: Eo quod ascenderit clamor malitiæ ejus ad Deum [6]. Et quia sententia Dei

[1] Ex proœmio Comment. Hieronymi in Jonam prophetam.

[2] Vulg. habet, III Reg. XVII, 24: *Nunc cognovi, quoniam vir Dei es tu, et verbum Domini in ore tuo verum est.*

[3] S. Hieronymus in *Prologo galeato:* « Jonas pulcherrima columba naufragio suo passionem « Domini præfigurans, mundum ad pœnitentiam revocat: et sub nomine Ninive, gentibus salu- « tem nuntiat. » (*Hieronymus Paulino.*)

[4] Cf. IV Reg. XIV, 25.

[5] Vulg. habet, Genes. XVIII, 20: *Clamor Sodomorum et Gomorrhæ multiplicatus est*, etc.

[6] Vulg. habet, Jonæ, I, 2: *Quia ascendit malitia ejus coram me.*

de Sodoma, minime revocata est, ita et Jonas adversum Niniven prolatam sententiam revocari nolebat, divinæ dispensationis ignarus, qui salutem hominum ad se convertentium magis vult quam interitum. Hoc illi acciderat quod et sancto Eliseo, qui filium Sunamitidis mulieris mortuum ignoravit. Ideo a conspectu Dei fugere se Jonas putabat, humanum aliquid passus, dicente David : *Quo ibo a spiritu tuo? et quo a facie tua fugiam*[1]?

PROLOGI DIVI HIERONYMI IN JONAM PROPHETAM EXPLICATIO.

« Sanctum Jonam. » In hoc Prologo ostendit Hieronymus, quis sit iste Propheta, cui, quando, et qualiter prophetavit. Et secundum hoc dividitur prologus.

« Sanctum Jonam. » *Sanctum* dicit, ne propter fugam qua Dominum fugit, peccator videatur : « Hebræi affirmant, » sive asserunt, cum tamen sit opinio potius quam assertio, « filium fuisse mulieris viduæ Sareptanæ, » de qua III Reg. xvii, 17 et seq., ubi dicitur, quod filium illius viduæ Elias suscitavit[2] : sed non dicitur, quod filius ille Jonas fuerit, « quem Elias Propheta mortuum suscitavit, » sicut ibidem legitur, « matre postea dicente ad eum, » hoc est, ad Eliam : « *Nunc in isto*, » facto scilicet suscitationis, « *cognovi*, *quoniam vir Dei es tu*, » strenue scilicet te habens in obsequiis divinis. Job, i, 3 : *Erat vir ille magnus inter omnes orientales*. « Et verbum Dei in ore tuo est veritas. » Littera Vulgatæ, III Reg. xviii, 24, sic habet : *Et verbum Domini in ore tuo verum est*. « Ob hanc etiam causam ipsum puerum, » supple, suscitatum, « vocavit, » mater scilicet, « Amathi, » hoc est, filium Amathi. Et secundum hoc intelligitur de secunda nativitate, qua suscitatus est a mortuis, quod fuerit filius Amathi : et non intelligitur de prima, qua natus est ex matre.

Jonas filius fuit viduæ Sareptanæ.

Et hoc est quod sequitur : « Amathi enim in nostra lingua *veritatem* sonat. » Et nominis subjungit rationem : « Et ex eo quod verum locutus est Elias. » Joan. xvii, 17 : *Sermo tuus veritas est*, « ille qui suscitatus est, » et sic quodammodo secundam nativitatem habuit, « filius dicitur esse veritatis, » formam veritatis habens in spiritu prophetico, sicut filius formam habet patris. « Ideo de veritate, » divina scilicet, « columba nascitur, » donum scilicet Spiritus sancti : quia Spiritus sanctus de Verbo quod veritas est procedit. Act. x, 44 : *Adhuc loquente Petro verba hæc, cecidit Spiritus sanctus super omnes qui audiebant verbum*. « Quia Jonas columbam sonat : » et ideo Jonas fuit nomen proprium, sed Amathi cognomen. Et cum dicitur Jonas Amathi, Amathi genitivi casus est, et intelligitur filius Amathi secundum consuetudinem quarumdam gentium, qui filios ex patribus cognominant, ut Petrus Eliæ. Hæc ergo de nomine et genere dicta sunt.

Et subdit quibus prædicavit :

« In condemnationem autem Isreel, » quæ fit judicio comparationis, « Jonas ad Gentes, » hoc est, ad Gentiles, « mittitur. » Jeremiæ, xlix, 14 : *Legatus ad Gentes missus est*. « Quod Ninive agente pœnitentiam, » quæ civitas est Gentilium, « illi, » hoc est, filii Israel, « in malitia perseverant. » Lucæ, xi, 32 : *Viri Ninivitæ surgent in judicio cum generatione hac, et condemnabunt illam : quia pœnitentiam egerunt ad prædicationem Jonæ, et ecce plusquam Jonas hic*.

[1] Psal. cxxxviii, 7.

[2] III Reg. xvii, 22 : *Et exaudivit Dominus vocem Eliæ : et reversa est anima pueri intra eum, et revixit*.

Et subdit quando prophetavit :

« Temporibus quippe Jeroboam [1],regis Israel » qui pronepos fuit Jehu, sub quo etiam Osee, Joel, et Amos prophetaverunt secundum regulam Hebræorum, qui dicunt quod Prophetæ in quorum titulis tempora prophetiæ non ponuntur, eorumdem regum temporibus prophetaverunt, sub quibus illi qui ante eos in titulis reges habent, prophetaverunt. « Qui, » scilicet Jeroboam, « Deo vero derelicto cum populo suo, » decem tribuum scilicet, « in Samaria idolis sacrificabat, » hoc est, vitulis aureis in Dan et in Bethel positis, « Jonam Prophetam fuisse, » hoc est, vixisse, « quartus liber Regum indicat, » octavo capitulo scilicet.

Et subdit qualiter se habuit in prophetando :

« Is, » scilicet Jonas, « cum prophetia illuminante, » hoc est, prophetica illuminatione illuminante ad scientiam scilicet futurorum, « peccatores civitatis Ninive, » qui tunc scilicet peccatores erant, « Dei misericordiam consecuturos videret, » per pœnitentiam, « ne falsa videretur prædicare, » sive prædicere de futura scilicet civitatis eversione, » ad denuntiandum interitum ejusdem civitatis ire nolebat, » hoc est, volebat non ire, ne scilicet derogatio fieret veritati. Et attende quod voluntas cadit super antecedens absque consequente, et super affirmationem et negationem simul, et cadit divisim super ea, quæ secundum rem dividi non possunt : et ideo possibile est, quod volebat non ire cum præjudicio veritatis, et volebat ire cum ædificatione charitatis, tamen præelegit non ire in actu ad ostensionem humilitatis, sperans quod per alium a Deo missum, essent convertendi.

Quare autem missus sit, subdit :

« Nam sicut Deus ad Abraham, de impietate Sodomorum et Gomorrhæorum locutus est, » hæc verba scilicet : « Clamor Sodomorum et Gomorrhæorum pervenit ad me , ita et de Ninive dicitur : Eo quod ascendit clamor malitiæ ejus, » hoc est, Ninive, « ad eum, » hoc est, ad Deum [4]. « Et quia sententia Dei, » quam scilicet « de » subvertenda dedit « Sodoma minime revocata est [5], » precibus Abrahæ scilicet, « ita et Jonas adversus Niniven prolatam sententiam, » de subversione scilicet, « revocari nolebat, » hoc est, volebat non revocari cum præjudicio veritatis. Et ideo factum fecit, hoc est, fugit, ne veritas in ore suo labem pateretur, sperans quod peccatores aliter converterentur, « divinæ dispensationis ignarus. » *Dispensationem* vocat rigoris per misericordiam relaxationem, qua cedens severitati justitiæ misereri potius eligit quam condemnare.

Et hoc est quod sequitur : « Qui, » relatio simplex est ad intellectum, per hoc quod dicitur *divinæ*, « salutem hominum ad se convertentium, » supple, se, « magis vult quam interitum, » Ezechielis, XVIII, 23 : *Numquid voluntatis meæ est mors impii, dicit Dominus Deus, et non ut convertatur a viis suis, et vivat ?*

« Hoc illi acciderat, » eodem scilicet modo ignorantiæ, « quod et sancto Eliseo, qui filium Sunamitidis mulieris, » cum esset in Carmelo, « mortuum, » supple, esse domi, « ignoravit [6]. » Unde

[1] Biblia Rob. Stephani addit : *filii Joas.*

[2] Nihil invenitur de Jona in octavo capitulo libri quarti Regum, sed, IV Reg. XIV, 23 et 25, dicitur : *Regnavit Jeroboam, filius Joas, regis Israel... Ipse restituit terminos Israel... juxta sermonem Domini Dei Israel, quem locutus est per servum suum Jonam, filium Amathi, prophetam, qui erat de Geth, qui est in Opher.*

[3] Genes. XVIII, 20 : *Dixit itaque Dominus : Clamor Sodomorum et Gomorrhæ multiplicatus est, et peccatum eorum aggravatum est nimis.*

[4] Jonæ, I, 2 : *Surge, et vade in Niniven civitatem grandem, et prædica in ea : quia ascendit malitia ejus coram me.*

[5] Biblia Rob. Stephani : *Et quia sententia Dei de Sodomis facta minime revocata est.*

[6] Cf. IV Reg. IV, 25 et seq.

dicit, ibidem, IV Reg. IV, 27 : *Dimitte illam : anima enim ejus in amaritudine est, et Dominus celavit a me, et non indicavit mihi.*

Et subdit de causa fugæ : « Ideo, » scilicet propter verecundiam si verum non diceret, « a conspectu Dei, » hoc est, a Judæa, in qua conspectus Dei fuerat, » Jonas fugere se putabat, » sperans quod in alia terra Dominus sibi non appareret, « humanum aliquid passus. » Augustinus : « Falsa pro veris approbare humana tentatio est. » « Dicente David, in Psal. CXXXVIII, 7 : « *Quo ibo a spiritu tuo? et quo a facie tua fugiam?* » et sic nullus potest effugere Deum. Augustinus : « Domine, ubique « es, et qui a te recedit quo it, nisi a te « placido ad te iratum? Unde et Jonas « fugiens ex ira Dei tempestatem invenit. »

Argumentum D. Hieronymi in Jonam prophetam.

Jonas columba et dolens, filius Amathi, qui fuit de Geth, quæ est in Opher[1], ad Gentium præconium mittitur. Missus contemnit, fugit, fugiens dormit, propter quem periclitatur navis, sed sors latentem reperit. Ejectus prædicavit subversionem. Sed contristatur in pœnitentia urbis. et saluti Gentium invidet. Gaudet etiam in hederæ virentis umbraculo, et dolet subito arescente.

Cujus sepulcrum in quadam urbium Geth in viculo demonstratur, in secundo milliario Sephorim, itinere quo pergitur Tiberiaden.

ARGUMENTI DIVI HIERONYMI IN JONAM PROPHETAM EXPLICATIO.

Jonas interpretatur *columba* et *dolens.*

« Jonas columba. » Istud videtur esse argumentum : De omnibus enim dictis in textu mentem aperit. « Jonas, » supple, interpretatur « *columba* et *dolens.* » Duas enim habet interpretationes. « Filius Amathi, » hoc est, veritatis, « qui, » scilicet Jonas, « fuit de Geth, » natus scilicet, « quæ » scilicet Geth, « est in Opher » provincia. Et hoc dicitur ad differentiam illius Geth, quæ est in terra Philisthiim. « Ad Gentium præconium mittitur, » hoc est, ad Niniven quæ Gentium civitas est. Et sicut dictum est, temporibus Jeroboam pronepotis Jehu, IV Regum, XIV, 25 : Jeroboam *restituit terminos Israel ab introitu Emath usque ad mare solitudinis, juxta sermonem Domini Dei Israel, quem locutus est per servum suum Jonam, filium Amathi, prophetam, qui erat de Geth, quæ est in Opher.* « Missus contemnit, » hoc est, negligit dissimulando, mandatum contemnens sive negligens, « fugit, » a Judæa scilicet, « fugiens dormit » in navi : « propter quem periclitatur navis » per tempestatem a Domino emissam, « sed sors, » hoc est, explora-

[1] Cf. IV Reg. XIV, 25.

tio divini judicii, « latentem, » supple, in navi, « reperit » et hoc totum in primo capitulo continetur.

« Ejectus, » supple, a pisce in terram, « prædicavit subversionem, » supple, Ninive. Et hoc in secundo et tertio capitulo.

« Sed contristatur in pœnitentia urbis, » hoc est, contristatur de facto quod sequebatur ex pœnitentia urbis, quod fuit apparens lapsus veritatis, « et saluti Gentium invidet. » Invidia duo habet : unum ex genere, quod est contristatio : alterum ex specie, quod est non velle bonum proximo, et hoc Jonas non habuit, nisi quoad quid, scilicet quoad consequens ex pœnitentia urbis. Diximus enim quod voluntas cadit super antecedens absque consequente, et super affirmationem et negationem simul : quæ tamen simul esse non possunt : et propter hoc vera invidia non fuit, sed verecundia quædam aliquid simile habens invidiæ. « Gaudet etiam in hederæ virentis umbraculo, » sub qua scilicet sedit, eversionem urbis exspectans, « et dolet subito arescente, » supple, hederæ umbraculo. Et hoc totum continetur in quarto capitulo.

Jonæ sepulcrum.

« Cujus, » scilicet Jonæ, « sepulcrum in quadam urbium Geth, » hoc est, pertinentium ad metropolim quæ dicitur Geth, « in viculo » quodam (viculus vocatur parva villa) « demonstratur, » his scilicet qui venerationis causa adveniunt, « in secundo milliario Sephorim, » hoc est, a civitate Sephorim, quæ, ut dicit Hieronymus, hodie appellatur Diocesaria, « itinere quo pergitur Tiberiaden, » quæ est super mare Tiberiadis in Galilæa, et ab eodem vico dicunt quidam beatam Annam matrem gloriosæ Virginis fuisse natam.

Anna, Mariæ virginis mater ubi sit orta?

CAPUT I.

Jonas a Domino missus ut in Ninive prædicaret, navigio fugit in Tharsis a facie Domini : quo immittente in navim tempestatem, jactisque sortibus, deprehensus Jonas in mare mittitur, cessatque tempestas.

1. Et factum est verbum Domini ad Jonam, filium Amathi, dicens :
2. Surge, et vade in Niniven, civitatem grandem, et prædica in ea, quia ascendit malitia ejus coram me.
3. Et surrexit Jonas, ut fugeret in Tharsis a facie Domini : et descendit in Joppen : et invenit navem euntem in Tharsis, et dedit naulum ejus, et descendit in eam ut iret cum eis in Tharsis a facie Domini.
4. Dominus autem misit ventum magnum in mare : et facta est tempestas magna in mari, et navis periclitabatur conteri.
5. Et timuerunt nautæ, et clamaverunt viri ad deum suum, et miserunt vasa quæ erant in navi, in mare, ut alleviaretur ab eis : et Jonas descendit ad interiora navis, et dormiebat sopore gravi.
6. Et accessit ad eum gubernator, et dixit ei : Quid tu sopore deprimeris? surge, invoca Deum tuum, si forte recogitet Deus de nobis, et non pereamus.
7. Et dixit vir ad collegam suum : Venite, et mittamus sortes, et sciamus quare hoc malum sit nobis. Et miserunt sortes, et cecidit sors super Jonam.

8. Et dixerunt ad eum : Indica nobis cujus causa malum istud sit nobis? quod est opus tuum? quæ terra tua, et quo vadis? vel ex quo populo es tu?
9. Et dixit ad eos : Hebræus ego sum, et Dominum Deum cœli ego timeo, qui fecit mare et aridam.
10. Et timuerunt viri timore magno, et dixerunt ad eum : Quid hoc fecisti? Cognoverunt enim viri quod a facie Domini fugeret, quia indicaverat eis.
11. Et dixerunt ad eum : Quid faciemus tibi, et cessabit mare a nobis? quia mare ibat, et intumescebat.
12. Et dixit ad eos : Tollite me, et mittite in mare, et cessabit mare a vobis : scio enim ego quoniam propter me tempestas hæc grandis venit super vos.
13. Et remigabant viri ut reverterentur ad aridam, et non valebant, quia mare ibat, et intumescebat super eos.
14. Et clamaverunt ad Dominum, et dixerunt : Quæsumus, Domine, ne pereamus in anima viri istius : et ne des super nos sanguinem innocentem, quia tu, Domine, sicut voluisti, fecisti.
15. Et tulerunt Jonam, et miserunt in mare : et stetit mare a fervore suo.
16. Et timuerunt viri timore magno Dominum : et immolaverunt hostias Domino, et voverunt vota.

IN CAPUT I JONÆ

ENARRATIO.

« *Et factum est.* » Prophetia ista dividitur in titulum et tractatum.

I In titulo sex continentur, scilicet divinorum studium, et meditatio, quod notatur in copulativa conjunctione « *et.* » Cum enim non copulet aliquid ante in sermone, necesse est quod copulet ad id quod præcessit in mente. Unde Glossa : « Multa in spiritu videns, de « multis in hæc verba prorupit. » Simile, Ezech. I, 1 : *Et factum est.* Psal. I, 2 : *In lege ejus meditabitur die ac nocte.*

Secundo, notatur efficacia sermonis et potestas, cum dicit, « *Factum est.* » Sermo enim Dei factivus est eorum quæ loquitur. Matth. VII, 28 : *Erat docens eos sicut potestatem habens, et non sicut Scribæ eorum, et Pharisæi.* Psal. CXL, 6 : *Audient verba mea, quoniam potuerunt.*

Tertium est illuminatio quod notatur per « *verbum,* » Eccli. I, 5 : *Fons sapientiæ verbum Dei in excelsis.* Augustinus in libro de *Trinitate:* « Verbum quod « insinuare intendimus cum amore noti« tia est [1]. »

Verbum Dei auctoritatem habet non hominis.

Quarto, notatur auctoritas per hoc quod dicitur, « *Domini.* » Verbum enim Domini auctoritatem habet : verbum autem hominis non. I ad Thess. II, 13 : *Cum accepissetis a nobis verbum auditus Dei, accepistis illud, non ut verbum hominum, sed (sicut est vere) verbum Dei.* Lucæ, X, 16 : *Qui vos audit, me audit.*

Quintum est appropinquatio verbi ad rationem prophetæ, quod notatur in præpositione « *ad.* » Deuter. XXX, 14 : Non longe est verbum a te [2]. Ad Rom. X, 8 : *Prope est verbum in ore tuo, et in corde tuo.* Jacob. I, 21 : *Suscipite insitum verbum, quod potest salvare animas vestras.*

Sextum est auctor, cum dicit, « *Jo-*

[1] S. AUGUSTINUS, de Trinitate, lib. VIII.

[2] Vulg. habet, Deuter. XXX, 14 : *Juxta te est sermo*, scilicet Domini, *in ore tuo, et in corde tuo, ut facias illum.*

nam, » quem describit nomine et genere. Jonas autem *columba*, vel *dolens* interpretatur, et a columba, hoc est, a Spiritu accepit revelationem : dolens autem annuntiavit, sicut et omnis Prædicator facere debet : quod enim haurit in contemplatione, cum gemitu debet effundere in prædicatione. Act. xx, 18 et 19 : *Vos scitis a prima die, qua ingressus sum in Asiam, qualiter vobiscum per omne tempus fuerim, serviens Domino cum omni humilitate, et lacrymis.* Cant. II, 12 : *Vox turturis audita est in terra nostra.* Turtur enim gemitum habet pro cantu. In his figura Christi est, dicit Glossa : super Christum enim quievit Spiritus in specie columbæ [1]. Et pro nobis doluit, Isa. LIII, 4 : *Vere languores nostros ipse tulit.* Et describit per genus : « *Filium Amathi,* » hoc est veritatis. Quamvis enim litteraliter fuerit filius Amathi, tamen etiam verum est quod æterna veritate Prophetæ formantur in filios veritatis. Sap. VII, 27 : *Sapientia per nationes in animas sanctas se transfert, amicos Dei et prophetas constituit.* « *Dicens.* » Per hoc notatur processus a Deo in cor Prophetæ : ab eo enim qui dicit verbum formatum procedit. II Reg. XXIII, 3 : *Dixit Deus Israel mihi, locutus est Fortis Israel : Dominator hominum, justus dominator in timore Dei.*

Prædicator annuntiet verbum Dei cum gemitu.

2 « *Surge.* » Ista prophetia dividitur in duas partes. Prima continet primum præceptum missionis cum suis adhærentiis : secunda, secundum cum pertinentibus ad ipsum, infra, III, 1, ibi, « *Et factum est verbum Domini ad Jonam secundo, dicens.* »

Prima in duas dividitur. Primo enim tangitur præceptum, quod est causa fugæ : secundo, fuga ipsa.

In præcepto tria sunt, scilicet præparatio Prophetæ ad obediendum, opus præceptum, et causa.

In prima horum tria sunt, scilicet elevatio ad cœlum quod notatur per « *Surge.* » Ad Coloss. III, 1 : *Si consurrexistis cum Christo, quæ sursum sunt quærite.* Componitur enim *surge* a sursum et age. Unde sensus est : Sursum te age : qui enim in imis est nebulis phantasiarum et tenebris errorum impeditus, claritatem incircumscripti luminis videre non poterit. « *Et vade,* » profectu virtutis et veritatis. Psal. LXXXVIII, 16 : *In lumine vultus tui ambulabunt.* Prov. IV, 18 : *Justorum semita, quasi lux splendens, procedit et crescit usque ad perfectam diem.* « *In Niniven,* » quæ *speciosa* interpretatur, et mundum significat, qui propter quod pulcher est, græce κόσμος dicitur, quod latine sonat *ornatus*, et latine dicitur *mundus* (ut dicit Boetius) quia a mundissimo exivit exemplari. Unde in *Consolatione philosophiæ* dicit :

Mundus a quo dictus sit?

Mundum mente gerens pulchrum pulcherri-
[mus ipse.

Psal. XLIX, 11 : *Pulchritudo agri mecum est.* « *Civitatem,* » quæ dicitur quasi civium unitas, quia uno consensu ferebantur ad mala. Genes. VI, 12 : *Omnis caro corruperat viam suam.* « *Grandem,* » propter peccati scilicet deformitatem. I Reg. II, 17 : *Erat ergo peccatum puerorum grande.* Ezech. XXII, 5 : *Sordida, nobilis, grandis interitu.* « *Et prædica in ea.* » Opus præcepti est. Et dicit Chrysostomus super Matth. IV, quod « prædicatio est de his quæ sunt « fidei, et supra rationem doctrina autem de his quæ sunt bonorum morum, « sub ratione. » II ad Timoth. IV, 2 : *Prædica verbum, insta opportune, importune.*

Et subdit præcepti causam et necessitatem : « *Quia ascendit,* » per superbiam et incrementum. Psal. LXXIII, 23 : *Superbia eorum qui te oderunt, ascen-*

[1] Cf. Matth. III, 16 ; Marc. I, 10 ; Luc. III, 22 ; Joan. I, 32.

dit semper. I ad Thessal. II, 16 : *Ut impleant peccata sua semper.* « *Malitia ejus.* » Non dicit peccatum, quia peccatum est deformis actus, qui alicujus ex infirmitate vel ignorantia procedit : malitia vero hic dicitur peccatum quod procedit ex mala radice, scilicet ex delectatione in malo. Psal. LXXII, 7 : *Prodiit quasi ex adipe iniquitas eorum.* Sap. V, 13 : *In malignitate nostra consumpti sumus.* « *Coram me :* » clamat scilicet ut vindicem in eos. Genes. IV, 10 : *Vox sanguinis fratris tui clamat ad me.* Genes. XVIII, 20 : *Clamor Sodomorum et Gommorrhæ multiplicatus est.*

3 « *Et surrexit Jonas.* » Tangitur hic fuga, et reductio fugientis, infra, II, 1, ibi, « *Et præparavit Dominus piscem.* »

In prima duo sunt, scilicet, latitatio fugientis, et deprehensio, ibi, ℣. 7 : « *Et dixit vir ad collegam suum.* »

In primo, tangitur fuga, et fugientis persecutio, ibi, « *Dominus autem misit ventum.* »

In prima duo sunt, scilicet præparatio ad fugam, et fuga.

« *Et surrexit Jonas,* » de loco scilicet quietis et contemplationis, in quo melius sedendum fuit. Lucæ, XXIV, 49 : *Sedete in civitate, quoadusque induamini virtute ex alto.* Philosophus in septimo *Physicorum* : « In sedendo et quiescendo fit anima sciens et prudens. » « *Ut fugeret in Tharsis.* » Glossa : « Tharsis una est civitas Ciliciæ, ut dicit Josephus ; alia est civitas Indiæ, ut dicitur II Paral. IX, 21. Neutro modo sumitur hic, sed Hebræis consuetudo est quodlibet mare Tharsum vocare. » Unde, Psal. XLVII, 8 : *In spiritu vehementi conteres naves Tharsis,* hoc est, maris. « *A facie Domini,* » hoc est, a præsentia apparentis Domini, quem putabat non apparere præsentialiter nisi in Judæa : quia in Psal. LXXV, 2, dicitur : *Notus in Judæa Deus.* Et ideo subducens se Judææ, putabat se subducere præsentiæ Domini apparentis. Moraliter, Tharsis *exploratio gaudii* interpretatur, fuga vero recessum a Domino significat : qui enim a Domino recedit, terrena explorat gaudia. Jerem. XVII, 13 : *Recedentes a te, in terra scribentur.*

Tharsis hic mare significat.

Et subdit de fuga :

« *Et descendit in Joppen.* » Joppe portus Judææ est, in quo usque hodie monstrantur saxa, in quibus Andromeda ligata, Persei est auxilio liberata. Interpretatur autem *pulchritudo* : ad pulchritudinem enim mundi fugit, qui Deum deserit. Proverb. XXXI, 30 : *Fallax gratia, et vana est pulchritudo.* « *Et invenit navem euntem in Tharsis,* » hoc est, in mare : non enim curavit quo iret, dummodo Judææ et præsentiæ Dei se subduceret. Navis hæc curiositatem significat, in qua navigant pulchritudinem sæculi cupientes experiri. Act. XXVII, 41 : *Cum incidissemus in locum dithalassum, impegerunt navem : et prora quidem fixa manebat immobilis, puppis vero solvebatur a vi maris.* Prima enim pars curiositatis lucrorum humanorum aliquamdiu manet, ultima vero pars in dithalasso, mortis amaritudine absorbetur. « *Et dedit naulum ejus,* » pretium scilicet subvectionis, « *et descendit in eam,* » de littore scilicet in navem, « *ut iret cum eis in Tharsis,* » hoc est, in latitudinem maris, « *a facie Domini,* » supple, se subducens. Et significat eos qui magna pretia dant eis, qui advehunt eos ad lucra mundi et vanitates. Ezech. XVI, 34 : *Eo enim quod dedisti mercedes, et mercedes non accepisti, factum est in te contrarium,* id est, contra consuetudinem mulierum in fornicationibus suis. Istud significatum est, II Mach. IV, 8 et 9, ubi impius Jason pro principatu obtulit trecenta et sexaginta talenta, et alia centum quinquaginta, si potestatem acciperet gymnasium et ephebiam in Jerusalem constituendi.

Perseus Andromedam liberavit.

Et subdit de persecutione fugientis, et dicit quatuor : ortum scilicet tempestatis, clamorem turbæ navigantis, soporem Jonæ dormientis, et excitationem gubernatorum.

4 « *Dominus autem misit ventum magnum in mare.* » Psal. CXXXIV, 7 : *Qui producit ventos de thesauris suis.* « *Et facta est tempestas magna in mari.* » Tribulatio scilicet exorta ex tentatione et persecutione. Nahum, I, 3 : *Dominus in tempestate et turbine viæ ejus.* Psal. LXVIII, 3 : *Veni in altitudinem maris, et tempestas demersit me.* « *Et navis,* » ex concussione scilicet procellarum et ventorum, « *periclitabatur conteri,* » hoc est, ut contereretur. Eccli. XLIII, 26 : *Qui navigant mare, enarrent pericula ejus.* Ventus iste persecutionem significat, vel tentationem. Matth. VIII, 24 : *Motus magnus factus est in mari.*

5 « *Et timuerunt nautæ,* » qui scilicet magis noverunt maris pericula : propter quod necesse fuit omnes alios magis timere. Act. XXVII, 30 et 31 : *Nautis vero quærentibus fugere de navi, cum misissent scapham in mare, sub obtentu quasi inciperent a prora anchoras extendere, dixit Paulus centurioni, e militibus : Nisi hi in navi manserint, vos salvi fieri non potestis.* Isti enim significant gubernatores Ecclesiæ. Psal. CVI, 26 : *Ascendunt usque ad cœlos, et descendunt usque ad abyssos : anima eorum in malis tabescebat.* « *Et clamaverunt viri ad deum suum,* » ita scilicet quod quilibet deum suum invocabat. Matth. XIV, 30 : *Videns vero ventum validum, timuit : et cum cœpisset mergi, clamavit, dicens : Domine, salvum me fac.* Matth. VIII, 25 : *Domine, salva nos, perimus.* « *Et miserunt vasa sua,* » hoc est, merces in quibus sicut in vasis continebantur lucra eorum, « *quæ,* » scilicet vasa, « *erant in navi, in mare,* » supple, mittentes ea, « *ut alleviaretur ab eis,* » supple, navis, ut scilicet populus plus de rate habens ex levitate oneris, non facile submergeretur. Et significat eos qui omnibus relictis nudi evadunt. Act. XXVII, 18 et 19 : *Valida autem nobis tempestate jactatis, sequenti die jactum fecerunt : et tertia die suis manibus armamenta navis projecerunt.* Sicut videmus aliquos in principio tribulationis jactum facere per aliquam eleemosynam : et cum increverit tribulatio, tunc projiciunt omnia, et nudi evadunt. Matth. XIX, 27 : *Ecce nos reliquimus omnia, et secuti sumus te.*

« *Et Jonas descendit ad interiora navis,* » ut scilicet periculum suum non videret : « *et dormiebat sopore gravi,* » hoc est, profundo somno ex gravi tristitia causato. Tristitia enim est motus secundum sistolem cordis, et in tali motu calor et spiritus et sanguis ab exterioribus organis sensuum retrahuntur ad interiora, quibus retractis, organis sensuum subrepit frigiditas, quæ somni causa est. Lucæ, XXII, 45 : *Cum surrexisset ab oratione, et venisset ad discipulos suos, invenit eos dormientes præ tristitia.* Significat autem Jonas ignavos in pœnitentia vel religione, qui semper dormiunt somno dissimulationis boni. Prov. VI, 10 et 11 : *Paululum dormies, paululum dormitabis, paululum conferes manus tuas ut dormias : et veniet tibi quasi viator, egestas, et pauperies quasi vir armatus.* Quædam Glossa dicit, quod « cæteris timentibus, eo quod misericor- « diam Dei ignoraverunt, propheta solus « sciens Deum esse misericordem, dormi- « vit securus. » Sed hoc non est probabile, quia talis somnus non fuisset gravis, sed levis.

Tristitia somnum parit.

« *Et accessit ad eum gubernator,* » cui scilicet navis cura incumbebat, « *et dixit ei : Quid tu sopore deprimeris ?* » Prov. VI, 3 et 4 : *Discurre, festina, suscita amicum tuum : ne dederis somnum oculis tuis, nec dormitent palpebræ tuæ.* 6

Hoc enim significat Prælatos excitantes subditos ad bona opera. Ad Hebr. XIII, 17 : *Obedite præpositis vestris, et subjacete illis. Ipsi enim pervigilant quasi rationem pro animabus vestris reddituri.* Joan. XI, 11 : *Lazarus amicus noster dormit : sed vado ut a somno excitem eum.* « *Surge,* » hoc est, ad Deum evigila. Ad Ephes. V, 14 : *Surge, qui dormis, et exsurge a mortuis, et illuminabit te Christus.* Eccli. XXXIX, 6 : *Sapiens cor suum tradet ad vigilandum diluculo ad Dominum, qui fecit illum, et in conspectu Altissimi deprecabitur.*

Et hoc est quod sequitur : « *Invoca Deum tuum,* » hoc est, in te voca, quoniam in quo Deus est periclitari non potest. Numer. VI, 27 : *Invocabunt nomen meum super filios Israel, et ego benedicam eis.* « *Si forte recogitet Deus de nobis.* » *Si forte* dicit, quia in arbitrio Dei est. Simile, Joel, II, 14 : *Quis scit si convertatur, et ignoscat Deus. Recogitare* autem *Deus* dicitur, quando post dissimulationem juvat : quando autem dissimulat, a corde abjecisse videtur. Psal. XLIII, 23 : *Exsurge, quare obdormis, Domine ?* Daniel. IX, 19 : *Exaudi, Domine, placare, Domine : attende et fac.* « *Et non pereamus.* » Joel, II, 32 : *Omnis qui invocaverit nomen Domini, salvus erit.*

7 « *Et dixit vir ad collegam suum.* » Tangitur hic modus quo deprehensus est Jonas per sortem. Et dicuntur duo : scilicet missio sortium, et timor sortientium, ibi, « *Et dixerunt ad eum : Indica nobis.* »

« *Dixit vir,* » unusquisque scilicet, « *ad collegam suum.* » *Collegas* vocat qui communicabant in eadem navigatione. Et dicitur hic collega a *con* et *ego,* quod est eligo, quia tales eodem ucro vel artificio communicantes, sel mutuo eligunt in socios. « Hi ergo, ut « dicit Hieronymus, videntes quod ex « causis naturalibus venti non eleva« bantur, quærebant explorare per in« dicium divinum, et hoc hic sortem « vocant. » Et hoc est quod dicit : « *Venite, et mittamus sortes* » Proverb. XVI, 33 : *Sortes mittuntur in sinum, sed a Domino temperantur.* Simile, Act. I, 26 : *Cecidit sors super Mathiam, et annumeratus est cum undecim Apostolis.* Eccli. XIV, 15 et 16 : *In divisione sortis da et accipe, et justifica animam tuam.* Cujusmodi autem sortes fuerint, non legitur. Similiter quo indicio manifestatum sit, non legitur. Unde non creditur quod fuerit aliud nisi per orationem exploratio indicii divini. Et in hunc sensum concordat Beatus Dionysius. « *Et sciamus,* » supple, indicio sortis, « *quare hoc malum,* » tempestatis scilicet, « *sit nobis,* » ex quo non est ex causis naturalibus. Et videntur velle quod concorditer in hoc consentiant quod pro reo habeatur, quemcumque sors deprehenderit, sicut I Reg. XIV, 42 : *Mittite sortem inter me, et inter Jonatham, filium meum. Et captus est Jonathas,* scilicet sorte, et habitus pro reo, nisi precibus populi liberatus fuisset. Similiter, Esther, III, 7, et IX, 26 : *Missa est sors in urnam.* Et ibidem, X, 10 et 11 : *Duas sortes esse præcepit, unam populi Dei, et alteram cunctarum gentium. Venitque utraque sors in statutum.*

« *Et miserunt sortes.* » Ex quo facto intelligitur quod orantes miserunt eas, et idcirco creditur quod fuerit exploratio voluntatis divinæ, sicut et orantibus Apostolis, Act. I, 24, dixit Petrus : *Tu, Domine, qui corda nosti omnium, ostende, quem elegeris ex his duobus unum.* « *Et cecidit sors super Jonam.* » *Cadere* dicitur *sors,* quia causam ordinatam non habet, sed casu accidit, propter quod etiam sortiariæ scientiæ in Ecclesia prohibitæ sunt. Num. XXIII, 23 : *Non est augurium in Jacob, nec divinatio in Israel.* Et hæc incertitudo eventus sortis potuit etiam esse causa, quare post sortis missionem timuerunt.

Sortiaria scientia illicita censetur in Ecclesia.

Et hoc est quod sequitur :

8 « *Et dixerunt ad eum,* » ad Jonam scilicet : « *Indica nobis,* » quia sors non sufficit, nisi tu confitearis, « *cujus,* » operis tui scilicet, « *causa malum istud nobis sit ?* » Simile, Josue, VII, 19 : *Fili mi, da gloriam Domino Deo Israel, et confitere, atque indica mihi quid feceris.* Et descendunt ad specialia : « *Quod est opus tuum ?* » hoc est officium. De illis enim qui de turpibus officiis sunt, facilius mala creduntur : de Prophetis autem et Doctoribus non præsumitur quod aliquid mali tractent. Luc. VI, 44 : *Unaquæque arbor de fructu suo cognoscitur.* « *Quæ terra tua ?* » hoc est, patria. Ex consuetudinibus enim patriæ, malum vel bonum præsumitur de homine. De quibusdam enim dicitur, Sapient. XII, 10 et 11 : *Naturalis malitia eorum non poterat mutari : semen enim erat maledictum ab initio.* « *Et quo vadis ?* » scilicet in quam regionem, et ad quid ? « *Vel ex quo populo es tu ?* » Glossa, hoc est, de cujus civitatis populo. Et hoc quærebant ut cultum explorarent. Sciebant enim, quod Judæi populus Dei dicebatur. Deuter. VII, 6 : *Te elegit Dominus Deus tuus, ut sis ei populus peculiaris.*

9 « *Et dixit ad eos.* » Tangitur hic responsum veritatis, timor judicii, inquisitio consilii, determinatio ipsius deprehensi quid agendum sit. « *Hebræus ego sum,* » et sic satisfacit de terra et populo. Eccli. IV, 24 : *Pro anima tua ne confundaris dicere verum.* Et satisfacit de opere, subdens : « *Et Dominum Deum cœli ego timeo,* » hoc est, timore ego fugio. Et est, ac si dicat : Non deos quos vos colitis, qui ad hominibus facti sunt. Esther, XIII, 10 : *Tu fecisti cœlum et terram, et quidquid cœli ambitu continetur.* « *Qui fecit mare,* » Glossa, in quo fugio, « *et aridam,* » Glossa, a qua fugio. Et est confessus permixta prædicatione, quia et reprehendit illos de cultura falsorum deorum, et seipsum quod ad mare fugiens putabat evadere eum qui mare creavit. II Machab. VI, 26 : *Manum Omnipotentis nec vivus, nec defunctus effugiam.*

« *Et timuerunt viri timore magno,* » 10
audientes scilicet quod Deum coleret. Psal. LIV, 6 : *Timor et tremor venerunt super me, et contexerunt me tenebræ.* « *Et dixerunt ad eum,* » non statim condemnantes. I ad Corinth. IV, 5 : *Nolite ante tempus judicare.* « *Quid hoc fecisti ?* » Reprehensio est. Ad Galat. VI, 5 : *Et si præocupatus fuerit homo in aliquo delicto, vos, qui spirituales estis, hujusmodi instruite in spiritu lenitatis.* « *Cognoverunt enim viri quod a facie Domini fugeret.* » Antipophora est. Posset enim quæri, quare reprehenderent eum quem ignoraverent. Et respondet, quod hoc sciverunt, quod Deum fugeret. Jerem. XVII, 5 : *Maledictus homo qui confidit in homine, et ponit carnem brachium suum, et a Domino recedit cor ejus.* « *Quia indicaverat eis,* » Jonas scilicet. Voluit enim magis, quod peccatum suum in eum solum redundaret, quam quod alii innocentes in peccato suo perirent. II Reg. XXIV, 17 : *Ego sum qui peccavi, ego inique egi : isti qui oves sunt, quid fecerunt ? vertatur, obsecro, manus tua contra me.* Psal. XXXI, 5 : *Dilectum meum cognitum tibi feci, et injustitiam meam non abscondi.*

« *Et dixerunt ad eum.* » In dubiis 11
recurrunt ad consilium ejus, qui sibi conscius est, ut potius ex eo, quam ab ipsis sententia procedat. Lucæ, XIX, 22 : *De ore tuo te judico.* « *Quid faciemus tibi ?* » quo scilicet Deus placatus iram avertat, « *et cessabit mare a nobis.* » Ac si dicant : Periculum omnibus imminet in tui solius delicto. Exemplum autem hujus est, Josue, VII,

Unius delicto nonnum quam plures periclitantur.

4 et 5, ubi propter solum Acham omnibus imminebat periculum, et illo punito omnes salvi facti sunt. I ad Corinth. v, 13 : *Auferte malum ex vobis ipsis.* Quam necessaria autem fuerit hujusmodi inquisitio consilii, subdit : « *Quia mare ibat,* » motu scilicet fluctuum, « *et intumescebat,* » elevatum per vaporem de fundo surgentem, ita scilicet quod fluctus jam operiebant eos. Psal. xcii, 2 : *Mirabiles elationes maris.* Thren. iii, 54 : *Inundaverunt aquæ super caput meum : dixi : Perii.*

12 « *Et dixit ad eos,* » confidens de Dei ordinatione, quod salvus conservaretur ad prædicandum. « *Tollite me,* » supple, de navi, « *et mittite in mare.* » Præsumpsit enim de misericordia et ordinatione Dei, quod servandus esset ad vitam, et quædam Glossa dicit hoc sibi fuisse revelatum, et ideo non se commisit periculo. Isa. xliii, 2 : *Cum transieris per aquas, tecum ero, et flumina non operient te.* « *Et cessabit mare a vobis.* » Remota enim causa, removetur effectus. Et attende quod consilium Dei fuit, quod sua voluntate et non violentia vel necessitate projicientium mitteretur in mare. Missio enim Jonæ in mare, missionem significabat Christi in amaritudinem Passionis, quam voluntate et non necessitate assumpsit. Isa. liii, 7 : *Oblatus est, quia ipse voluit.* Et sicut navigantes cum Jona liberati sunt, ita fideles in Passione Christi. Joan. xviii, 8 et 9 : *Si ergo me quæritis, sinite hos abire. Ut impleretur sermo quem dixit Jesus : Quia quos dedisti mihi, non perdidi ex eis quemquam.* Et hoc est quod sequitur : « *Scio enim ego, quoniam propter me,* » comprehendendum scilicet, et reducendum ad obedientiam, « *tempestas hæc grandis venit super vos.* » Nahum, i, 3 : *Dominus in tempestate et turbine viæ ejus.* Per hoc enim quod dicit, *scio*, notatur quod revelationem habuit. Et hoc dicit Hieronymus : « Per « hoc autem quod dicit, *Grandis venit* « *super vos*, notatur necessitas eorum « qui eum in mare miserunt. » Joan. xi, 10 : *Expedit vobis ut unus moriatur homo pro populo, et non tota gens pereat.*

Christus sua sponte passus est.

« *Et remigabant viri.* » Videtur, quod propter impetum ventorum vela submiserint, et timentes dubium eventum sortis, formidabant committere quod Jonas consuluit, et ideo impulsione remorum, laborabant Jonam ad terram ponere, ut et ipsi salvarentur a tempestate, et Jonas a periculo maris. « *Ut reverterentur ad aridam,* » in portum scilicet, « *et non valebant.* » Et ex hoc videtur, quod ventus a terra navem impulit in mare, propter quod ad terram remigare non poterant. Ad Roman. ix, 19 : *Voluntati ejus quis resistit ?* Et subjungit causam : « *Quia mare ibat,* » refluxu scilicet, « *et intumescebat super eos,* » a fundo scilicet ebulliens : quæ ebullitio *æstus maris* interpretatur, et significat tribulationem mundi, quæ in Christum et in membra ejus irruit. Isaiæ, lvii, 20 : *Impii quasi mare fervens, quod quiescere non potest, et redundant fluctus ejus in conculcationem et lutum.* 13

« *Et clamaverunt ad Dominum.* » II Paral. xx, 12 : *Cum ignoremus quid agere debeamus, hoc solum habemus residui, ut oculos nostros dirigamus ad te.* « *Et dixerunt : Quæsumus, Domine.* » Supplicantium signum est, et valde timentium, ne peccent in sanguinem innocentem. « *Ne pereamus in anima,* » hoc est, pro anima sive vita perdita, « *viri istius.* » Videntur cognovisse quod dicitur, Genes. ix, 5 : *Sanguinem animarum vestrarum requiram de manu cunctarum bestiarum : et de manu hominis, de manu viri, et de manu fratris ejus requiram* 14

animam hominis. Et paulo post, ℣. 6 : *Quicumque effuderit humanum sanguinem, effundetur sanguis illius : ad imaginem quippe Dei factus est homo.* « *Et ne des super nos,* » in pœnam scilicet, « *sanguinem innocentem.* » Psal. IX, 13 : *Quoniam requirens sanguinem eorum recordatus est.* « *Quia tu, Domine,* » qui corda scilicet nosti omnium, « *sicut voluisti, fecisti,* » scilicet et sorte prodendo quem voluisti, et nos impediendo ne ad terram navigaremus. I Reg. III, 18 : *Dominus est : quod bonum est in oculis suis faciat.* Esther, XIII, 9 : *Non est qui possit tuæ resistere voluntati.*

15 « *Et tulerunt Jonam,* » de navi scilicet, « *et miserunt in mare.* » Psal. LXXVI, 20 : *In mari via tua, et semitæ tuæ in aquis multis.* « *Et stetit mare a fervore suo.* » Job, XXXVIII, 11 : *Usque huc venies, et non procedes amplius, et hic confringes tumentes fluctus tuos.* Matth. VIII, 26 : *Imperavit ventis, et mari, et facta est tranquillitas magna.*

« *Et timuerunt viri :* » quia viri fue- 16
runt et cordati in intellectu veritatis, et virtute operis. Job, XXXIV, 10 : *Viri cordati, audite me.* Timuerunt autem, propter dubietatem sortis, « *timore,* » propter reverentiam religionis, quia dixit se Deum cœli colere, « *magno,* » propter innocentiam sanguinis, « *Dominum,* » quia requirit sanguinem innocentem. Daniel. XIII, 53 : *Dicente Domino : Innocentem et justum non interficies.* » « *Et immolaverunt hostias Domino,* » hoc est, promittebant se immolaturos, quia ibi in navi non habebant. Vel melius dicitur, quod hostiæ dicuntur spiritus contribulatus et sacrificium laudis. Psal. XXVI, 6 : *Circuivi et immolavi in tabernacalo ejus hostiam vociferationis.* Item, Psal. XLIX, 14 : *Immola Deo sacrificium laudis, et redde Altissimo vota tua.* Et hoc est quod sequitur : « *Et voverunt vota.* » Votum est conceptio melioris boni, de liberatione et promissione firmata. Isa. XIX, 21 : *Vota vovebunt Domino, et solvent.* Psal. LXV, 13 et 14 : *Reddam tibi vota mea, quæ distinxerunt labia mea.*

CAPUT II.

Jonas a ceto quem Dominus præparaverat, absorptus, fuit in eo tribus diebus et tribus noctibus, cumque de ventre ejus orasset Dominum, ipsius jussu in aridam evomitur.

1. Et præparavit Dominus piscem grandem ut degluttiret Jonam : et erat Jonas in ventre piscis tribus diebus et tribus noctibus [1].

2. Et oravit Jonas ad Dominum Deum suum de ventre piscis, et dixit :

3. Clamavi de tribulatione mea ad Dominum, et exaudivit me [2] :
de ventre inferi clamavi, et exaudisti vocem meam.

4. Et projecisti me in profundum in corde maris,
et flumen circumdedit me :
omnes gurgites tui, et fluctus tui super me transierunt.

[1] Matth. XII, 40, et XVI, 4; Luc. XI, 30 ; I ad Corinth. XV, 4.
[2] Psal. CXIX, 1.

5. Et ego dixi : Abjectus sum a conspectu oculorum tuorum :
verumtamen rursus videbo templum sanctum tuum.
6. Circumdederunt me aquæ usque ad animam [1] :
abyssus vallavit me, pelagus operuit caput meum.
7. Ad extrema montium descendi,
terræ vectes concluserunt me in æternum :
et sublevabis de corruptione vitam meam, Domine Deus meus.
8. Cum angustiaretur in me anima mea, Domini recordatus sum :
ut veniat ad te oratio mea, ad templum sanctum tuum.
9. Qui custodiunt vanitates frustra, misericordiam suam derelinquunt.
10. Ego autem in voce laudis immolabo tibi :
quæcumque vovi, reddam pro salute Domino.
11. Et dixit Dominus pisci : et evomuit Jonam in aridam.

IN CAPUT II JONÆ

ENARRATIO.

« *Et præparavit Dominus.* » Tangitur hic de salute Jonæ ad prædicandum, et dividitur in duplicem causam salutis, et effectum. Prima causa est instrumentalis. Secunda, meritoria, ibi, « *Et oravit Jonas ad Dominum.* »

Effectus autem est, ibi, ℣. 11 : « *Et dixit Dominus pisci* »

« *Et præparavit Dominus,* » vel tunc scilicet creando, vel creatum de pelago ad navem adducendo, « *piscem grandem,* » cetum scilicet. Unde, Job, III, 8 : ubi nos habemus, *qui parati sunt suscitare Leviathan,* Septuaginta habent, « qui parati sunt suscitare magnum cetum. » « *Ut degluttiret Jonam.* » Simile, Tob. VI, 2 et 3 : *Ecce piscis immanis exivit ad devorandum eum. Quem expavescens Tobias, clamavit voce magna, dicens : Domine, invadit me.*

« *Et erat Jonas in ventre piscis tribus diebus, et tribus noctibus.* » Hoc esse potuit per Dei miraculum : per naturam enim, quidquid descendit in ventrem animalis, statim calore digestivo decoquitur, dissolvitur, exsugitur, et subtile a grosso in diversa loca separatur : quæ quatuor opera caloris naturalis (ut dicit Avicenna) in sedecim horis complentur, et in octo residuis nutrimentum depuratum per venas membris influitur. Mysterio autem congruit istud, quia piscis grandis infernum significat, quem Deus præparavit, ut multos propter peccatum absorberet. Isa. XXX, 33 : *Præparata est ab heri Topheth, a rege præparata, profundata, et dilatata :* ut tandem etiam Christum significatum per Jonam degluttiret, quem cum revomeret, omnes Sanctos revomere cogeretur. Jerem. LI, 34 : *Absorbuit me quasi draco, replevit ventrem suum teneritudine mea.* Job, XX, 15 : *Divitias, quas devoravit, evomet, de ventre illius extrahet eas Deus.* Hic tribus diebus et tribus noctibus in corde terræ fuit [2], qui qualiter per synecdochen computentur, super Osee dictum est et super Evangelium. Hic autem Hieronymus satis rationabilem inducit computum, dicens, quod « prima nox fuit subductio lucis in « meridie, quando sol obscuratus fuit. « Prima autem dies succedens lux post « nonam usque ad noctem. Secunda nox « fuit inter Parasceven et Sabbatum, et

Caloris naturalis quadruplex est operatio.

[1] Psal. LXVIII, 2.

[2] Matth. XII, 40 : *Sicut fuit Jonas in ventre ceti tribus diebus, et tribus noctibus, sic erit Filius hominis in corde terræ tribus diebus, et tribus noctibus.*

« secunda dies Sabbatum. Tertia nox « fuit inter Sabbatum et Dominicam. « Tertia dies aurora Dominicæ quæ ter- « minata est in plenam lucem, cui nox « nulla succedit. » Osee, vi, 3 : *Vivificabit nos post duos dies : in die tertia suscitabit nos.* Luc. xxiv, 21 : *Tertia dies est hodie quod hæc facta sunt* .

Et subdit de causa meritoria salutis, quæ est oratio Jonæ, et habet duo, scilicet, modum orantis, et orationem.

In modo dicit quid oravit, quis, ad quem, unde, et qualiter.

2 « *Et oravit,* » hoc est, totum affectum mentis in Deum direxit. I ad Corinth. xiv, 15 : *Orabo spiritu, orabo et mente : psallam spiritu, psallam et mente.* « *Jonas,* » columba scilicet, quæ exaudienda erat : quia gemitum pro cantu habet. Cant. ii, 12 : *Vox turturis audita est.* « *Ad Dominum Deum suum,* » qui solus juvare poterat. Esther, xiii, 9 : *Domine,... si decreveris salvare Israel,* continuo liberabimur. « *De ventre piscis,* » ubi necessarium fuit adjutorium. Tunc enim delectabile est adjutorium, quando necessarium est. Eccli. xxxiv, 19 : *Oculi Domini super timentes eum, protector potentiæ, firmamentum virtutis, tegimen ardoris.* « *Et dixit,* » hoc est, taliter oravit : « *Clamavi de tribulatione.* »

Solus Deus juvare potest.

In ista oratione primo ostendit spem, secundo fidem, tertio veritatis confessionem, quarto fortitudinem spei contra desperationem, quinto desperationis rationem, sexto spem omnia vincentem, septimo causam spei ex conscientia boni operis.

3 « *Clamavi ad Dominum.* » Clamor notat intentionem devotionis : « *de tribulatione mea.* » Psal. cxix, 1 : *Ad Dominum cum tribularer clamavi.* Baruch, iii, 1 : *Anima in angustiis, et spiritus anxius clamat ad te, Domine.* « *Et exaudivit me.* » Ecce spes. Joan. vi, 41 et 42 : *Pater, gratias ago tibi, quoniam audisti me. Ego autem sciebam quia semper me audis.*

Et subdit de fide : « *De ventre inferi,* » supple, qui me gluttivit, « *clamavi.* » Psal. cxxix, 1 : *De profundis clamavi ad te, Domine.* Psal. xxix, 4 : *Eduxisti ab inferno animam meam : salvasti me a descendentibus in lacum.* » *Et exaudisti vocem meam.* » Ecce fides. Isa. lxv, 24 : *Antequam clament, ego exaudiam.*

Et subdit de confessione veritatis : 4

« *Et projecisti me,* » supple, sicut vilem et mandata contemnentem. Isa. ii, 6 : *Projecisti populum tuum, domum Jacob.* « *In profundum in corde maris,* » ubi scilicet mare est in virtute submersionis et amaritudinis. Psal. xlv, 3 : *Transferuntur montes in cor maris,* hoc est, qui montes videntur : illi enim ad amaritudinem deducuntur, ut gemant. Marc. xi, 23 : *Quicumque dixerit monti huic : Tollere, et mittere in mare.* « *Et flumen circumdedit me,* » hoc est, aqua undique affluens, quod mortalitatem hujus vitæ significat. Matth. vii, 27 : *Venerunt flumina, et flaverunt venti, et irruerunt in domum illam.* « *Omnes gurgites tui.* » Gurgites sunt ortus tentationum et tribulationum, « *et fluctus tui,* » hoc est, persecutionum inundationes, « *super me* » supple, opprimendum, « *transierunt.* » Habac. iii, 9 et 10 : *Fluvios scindes terræ : viderunt te, et doluerunt montes : gurges aquarum transiit.*

Et subdit de spei magnitudine : primo ponens causam desperationis, ut major spes videatur. 5

« *Et ego dixi,* » supple, considerans inferiores causas : « *Abjectus sum a conspectu oculorum tuorum.* » Job, vii, 16 : *Desperavi, nequaquam ultra jam vivam.* Intelligit enim de abjectione ab oculis, quantum ad lumen gratiæ præsentis. Isa. xxxviii, 11 : *Non adspiciam hominem*

ultra, et habitatorem quietis. « *Verumtamen rursus videbo templum sanctum tuum.* » Ad Roman. IV, 18 : *Qui contra spem in spem credidit.* Glossa, « contra « spem naturæ in spem gratiæ. » Templum autem maxime illud est, in quo *habitat omnis plenitudo divinitatis corporaliter* [1]. Psal. CXXXVII, 2 : *Adorabo ad templum sanctum tuum.* Hoc vidit omnis sanctus per gratiam redemptionis. Joan. VIII, 56 : *Abraham, pater vester, exsultavit ut videret diem meum : vidit, et gavisus est.*

6 Et subdit sex causas confortantes rationem desperationis. Prima est :

« *Circumdederunt me aquæ,* » supple, multæ, quæ tribulationem significant, « *usque ad animam,* » supple, pervenientes. Psal. LXVIII, 2 : *Salvum me fac, Deus, quoniam intraverunt aquæ usque ad animam meam.*

Secunda est : « *Abyssus vallavit me.* » Abyssus dicitur ab α quod est *sine,* et βύσσος quod est *candor luminis* [2], et significat tenebrositatem inferni et mortuorum. Genes. I, 2 : *Tenebræ erant super faciem abyssi.* Thren. III, 2 : *Me minavit, et adduxit in tenebras, et non in lucem.* Ad hæc enim loca descendit Christus in Jona significatus. Job, XXXVIII, 16 et 17 : *Numquid ingressus es profunda maris, et in novissimis abyssi deambulasti ? Numquid apertæ sunt tibi portæ mortis, et ostia tenebrosa vidisti* ? Quasi dicat : No t u, sed ego.

Tertia est : « *Pelagus operuit caput meum.* » *Pelagus* dicitur profundum maris, et significat generalem et profundam tribulationem. Thren. III, 54 : *Inundaverunt aquæ super caput meum : dixi : Perii,* scilicet periit finis meus, et spes mea a Domino.

Quarta est : « *Ad extrema montium descendi.* » *Extremum montium* vocat litteraliter concavitates in radicibus montium, in quibus aqua recipitur ad principia fluminum et fontium. Eccli. XXIV, 45 : *Penetrabo omnes inferiores partes terræ, et inspiciam omnes dormientes.* 7

Quinta est : « *Terræ vectes concluserunt me.* » *Vectes terræ* vocat inferiora retinacula terræ, ne ab infimo loco decidat. Job, XXXVIII, 10 et 11 : *Posui vectem, et ostia : et dixi : Usque huc venies, et non procedes amplius.* Hi vectes clausuras inferni significant, ad quas Christus descendit et fregit. Psal. CVI, 16 et 17 : *Contrivit portas æreas, et vectes ferreos confregit. Suscepit eos de via iniquitatis eorum.*

Vectes terræ qui sint ?

Sexta est : « *In æternum.* » Non enim erat remedium subventionis ex parte hominis. Mich. I, 9 : *Desperata est plaga ejus.* Jerem. XV, 18 : *Quare factus est dolor meus perpetuus, et plaga mea desperabilis renuit curari ?*

Et subdit de victoria spei omnia devincentis :

« *Et sublevabis de corruptione vitam meam, Domine Deus meus.* » Psal. XV, 10 : *Non dabis sanctum tuum videre corruptionem. Notas mihi fecisti vias vitæ.* Isa. XXXVIII, 17 : *Tu autem eruisti animam meam ut non periret.*

Et subjungit tantam spei causam esse memoriam divinæ liberalitatis : 8

« *Cum angustiaretur in me anima mea,* » et viderem me scilicet undique destitui, « *Domini recordatus sum.* » Isa. XXVI, 8 : *Nomen tuum, et memoriale tuum in desiderio animæ.* Psal. LXXVI, 4 : *Memor fui Dei, et delectatus sum.* « *Ut,* » scilicet ex beneficientia liberalitatis tuæ, « *veniat ad te,* » per exauditionem, « *oratio mea.* » Psal. CI, 2 : *Domine, exaudi orationem meam, et clamor meus ad te veniat.*

[1] Ad Coloss. II, 9.

[2] Vel melius, ut videtur, βυσσος, poetic. pro Βυθός, profundum, gurges [BAΘ, r.]

« *Ad templum sanctum tuum,* » oblata scilicet oratio, quod templum humanitas est suscepta a Filio. Psal. xvii, 7 : *Exaudivit de templo sancto suo vocem meam.* Daniel. iii, 53 : *Benedictus es in templo sancto gloriæ tuæ.*

9 Et quia spes non innititur tantum liberalitati, sed etiam conscientiæ meritorum, ideo subdit :

« *Qui custodiunt vanitates.* » Glossa innuit distinctionem, quod omnes quidem sunt vani, Eccle. i, 2 : *Vanitas vanitatum, et omnia vanitas.* Sed quidam faciunt vanitates, et quidam custodiunt : faciunt, qui opera vana sectantur, in quibus nullum est lucrum, sicut peccatorum opera. Psal. iv, 3 : *Ut quid diligitis vanitatem, et quæritis mendacium ?* Custodiunt autem vanitatem, qui thesaurizant eam. Psal. xxxix, 5 : *Non respexit in vanitates et insanias falsas.* Ad Roman. i, 5 : *Thesaurizas tibi iram in die iræ.* « *Frustra,* » hoc est, sine fructu. Ad Roman. vi, 21 : *Quem ergo fructum habuistis tunc in illis, in quibus nunc erubescitis ?* « *Misericordiam tuam,* » sibi paratam, a Deo scilicet, « *derelinquunt:* » gratia enim Dei nullum derelinquit. Ad Hebr. xii, 15 : *Contemplantes ne quis desit gratiæ Dei.*

« *Ego autem.* » Quasi dicat : Illi sic, 10
sed ego non sic, quinimo, « *in voce laudis immolabo tibi.* » Vox enim laudis sacrificium est, quod placet Deo. Psal. xlix, 14: *Immola Deo sacrificium laudis.* Item, ibidem, ℣. 23 : *Sacrificium laudis honorificabit me.* « *Quæcumque vovi,* » spontanea scilicet promissione, « *reddam,* » solutione scilicet per effectum, « *pro salute,* » pro qua scilicet consequenda vovi « *Domino.* » Psal. lxv, 13 et 14 : *Reddam vota mea, quæ distinxerunt labia mea.* Augustinus : « Vovere voluntatis est, reddere necessitatis. »

Solvenda vota sunt.

« *Et dixit Dominus pisci,* » per in- 11
stinctum scilicet, et est effectus orationis : « *et evomuit Jonam in aridam.* » Accessit enim ita prope ad littus, quod salvus de mari exire poterat, sicut infernus et mors evomuerunt Christum. Osee, xiii, 14 : *Ero mors tua, o mors, morsus tuus ero, inferne.*

CAPUT III.

Rursum missus Jonas ad Ninivitas prædicit civitatis subversionem : illis autem ad Deum conversis, et magna pœnitentiæ signa ostendentibus, parcit Dominus civitati.

1. Et factum est verbum Domini ad Jonam secundo, dicens :
2. Surge, et vade in Niniven, civitatem magnam, et prædica in ea prædicationem quam ego loquor ad te.
3. Et surrexit Jonas, et abiit in Niniven juxta verbum Domini : et Ninive erat civitas magna itinere trium dierum.
4. Et cœpit Jonas introire in civitatem itinere diei unius : et clamavit, et dixit : Adhuc quadraginta dies, et Ninive subvertetur.
5. Et crediderunt viri Ninivitæ in

Deum [1] : et prædicaverunt jejunium, et vestiti sunt saccis, a majore usque ad minorem.

6. Et pervenit verbum ad regem Ninive : et surrexit de solio suo, et abjecit vestimentum suum a se, et indutus est sacco, et sedit in cinere.

7. Et clamavit, et dixit in Nivine ex ore regis et principum ejus, dicens : Homines, et jumenta, et boves, et pecora non gustent quidquam : nec pascantur, et aquam non bibant.

8. Et operiantur saccis homines, et jumenta et clament ad Dominum in fortitudine : et convertatur vir a via sua mala, et ab iniquitate, quæ est in manibus eorum.

9. Quis scit si convertatur, et ignoscat Deus [1], et revertatur a furore iræ suæ, et non peribimus ?

10. Et vidit Deus opera eorum, quia conversi sunt de via sua mala : et misertus est Deus super malitiam quam locutus fuerat ut faceret eis, et non fecit.

IN CAPUT III JONÆ

ENARRATIO.

« *Et factum est.* » Tangitur hic secundum præceptum cum sibi adjunctis, et ideo habet partes duas, in quarum prima agitur de pœnitentiæ prædicatione : in secunda de Jonæ contristatione, infra, IV, 1, ibi, « *Et afflictus est Jonas.* »

Prima in duas. Primo enim ponitur prædicatio, secundo, prædicationis fructus, ibi, ℣. 5 : « *Et crediderunt.* »

In prima duo sunt, præceptum scilicet, et exsecutio.

1 « *Et factum est verbum Domini.* » Quod verbum veritatis et auctoritatis est. Psal. XXXII, 6 : *Verbo Domini cœli firmati sunt.* « *Ad Jonam secundo,* » scilicet mandato, « *dicens* : » Simile, I Regum, III, 6 : *Adjecit Dominus rursum vocare Samuelem.*

2 « *Surge,* » per mentis intentionem et obedientiam sursum te age, « *et vade* » profectu virtutis, « *in Ninivuen civitatem magnam,* » quæ (sicut diximus) mundum significat. Cant. III, 2 : *Surgam, et circuibo civitatem.* Matth. IX, 35 : *Circuibat Jesus omnes civitates, et castella, docens in synagogis eorum, et prædicans Evangelium regni.*

Et hoc est quod sequitur : « *Et prædica in ea,* » ut scilicet Prædicatio in eam tendat, et non tantum auditum exteriorem pulset. Isa. XL, 2 : *Loquimini ad cor Jerusalem.* « *Prædicationem quam ego loquor ad te.* » Joan. XIV, 10 : *Verba, quæ ego loquor vobis, a meipso non loquor.* Jerem. I, 7 : *Quæcumque mandavero tibi, loqueris.*

Et subdit de mandati exsecutione tria dicens, scilicet obedientiam, obediendi 3
velocitatem, et obedientis devotionem. « *Et surrexit Jonas.* » Ad Philip. III, 20 : *Nostra conversatio in cœlis est.* « *Et abiit,* » a seipso, scilicet voluntatem propriam relinquens, « *in Niniven juxta verbum Domini.* » Cant. I, 7 : *Egredere, et abi post vestigia gregum.*

Et subdit de velocitate obediendi :

« *Et Ninive erat civitas magna,* » hoc est, ampla, « *itinere trium dierum.* »

[1] Matth. XII, 41 ; Luc. XI, 32.

[1] Jerem, XVIII, 11 ; Joel, XI, 14.

Glossa dicit, « ad circuiendum : » et hoc potuit esse, si talis adificatio erat, ut quilibet in suo prædio habitaret.

4 « *Et cœpit Jonas,* » velocitatem scilicet a præterita pœna concipiens, « *introire in civitatem,* » supple, ad prædicandum, « *itinere diei unius.* » Hieronymus : « Jonas memor præcepti et naufragii, « iter trium dierum festinatione unius « diei complevit. » Proverb. XXII, 29 : *Vidisti virum velocem in opere suo? coram regibus stabit, nec erit ante ignobiles.* Quidam tamen dicunt, quod in tertiam partem civitatis intravit, et ad alias prædicatio sua per famam pervenit.

Moraliter, tres dietæ civitatis mundi sunt, avaritia divitiarum, concupiscentia deliciarum, et ambitio honorum. I Joan. II, 16 : *Omne, quod est in mundo, concupiscentia carnis est, et concupiscentia oculorum, et superbia vitæ.* Dieta una quam facit Jonas, confessio est simplicis veritatis, et instructio. I ad Corinth. I, 10 : *Idipsum dicatis omnes, et non sint in vobis schismata.* Luc. II, 44 : *Venerunt iter diei, et requirebant eum,* scilicet Jesum, *inter cognatos, et notos.*

Et subdit de devotione :

« *Et clamavit.* » Clamor intentionem notat devotionis. Isaiæ, LVIII, 1 : *Clama, ne cesses.* « *Et dixit : Adhuc quadraginta dies.* » Qui numerus pœnitentiæ est, quia partibus suis quinquaginta constituit, qui numerus est remissionis. Job, XXIV, 23 : *Dedit ei Deus locum pœnitentiæ.* « *Et Ninive subvertetur.* » Glossa : « Non est prophetia descendens de præ« scientia, hoc est, de prædestinatione, « ubi omnia sicut sunt præordinata, ita « permanent : sed est comminatio ad « correctionem. » Jerem. XVIII, 7 et 8 : *Repente loquar adversus gentem et adversus regnum, ut eradicem, et destruam, et disperdam illud. Si pœnitentiam egerit gens illa a malo suo, quod locutus sum adversus eam, agam et ego pœnitentiam super malo quod cogitavi ut facerem ei.* Alibi tamen distinctum est inter prophetiam prædestinationis et præscientiæ.

Et subdit de prædicationis fructu : 5

« *Et crediderunt viri Ninivitæ.* » Et habet partes duas. Primo enim ponit pœnitentiam populi, secundo, regis et principum.

« *Et crediderunt viri Ninivitæ in Deum,* » verbis scilicet Domini per Jonam propositis. Ad Roman. X, 10 : *Corde creditur ad justitiam, ore autem confessio fit ad salutem.* « *Et prædicaverunt jejunium,* » hoc est, voce præconis indixerunt. Joel, I, 14 : *Sanctificate jejunium.* Jejunium autem prædicaverunt ut fomenta libidinis subtraherent. Psal. XXXIV, 13 : *Humiliabam in jejunio animam meam.* « *Et vestiti sunt saccis,* » ut scilicet delicias mutarent in asperitatem. Job, XVI, 16 : *Saccum consui super cutem meam.* Hic habitus fuit Prophetarum et pœnitentium. Unde, Isaiæ, XX, 2, dicitur : *Solve saccum de lumbis tuis, et calceamenta tua tolle de pedibus tuis.* Et fecit sic, et ambulabat nudus et discalceatus. Apocal. XI, 3 : *Dabo duobus testibus meis, et prophetabunt diebus mille ducentis sexaginta, amicti saccis.* « *A majore usque ad minorem,* » ut sicut omnes peccaverunt, sic generaliter pœniterent. Ad Roman. III, 23 : *Omnes enim peccaverunt, et egent gloria Dei.* Sapient. VI, 8 : *Pusillum, et magnum ipse fecit, et æqualiter cura est illi de omnibus.*

Habitus prophetarum et pœnitentium.

Et subdit de pœnitentia regis et principum : 6

« *Et pervenit verbum ad regem Ninive.* » Act. IX, 15 : *Vas electionis est mihi iste, ut portet nomen meum coram gentibus et regibus.* Justum enim est, ut hi qui sunt causa peccati aliis, vel exemplo malo, vel dissimulatione, primi

sint in exemplo pœnitentiæ. Sap. vi, 2 : *Audite ergo, reges, et intelligite, discite, judices finium terræ.* Psal. ii, 10 : *Et nunc, reges, intelligite : erudimini, qui judicatis terram.* « *Et surrexit,* » corde scilicet, et corpore (Cantic. v, 5 : *Surrexi, ut aperirem dilecto meo*) supple, rex, ut regula esset pœnitendi. Ad Philip. iii, 17 : *Observate eos qui ita ambulant, sicut habetis formam nostram.* « *De solio suo.* » Glossa : « Humiliavit se deponens altitudinem. » Isa. xlvii, 1 : *Descende, sede in pulvere, virgo filia Babylon ! sede in terra: non est solium filiæ Chaldæorum.* « *Et abjecit vestimentum suum a se,* » decoris scilicet, et gloriæ : quod significat pristinæ conversationis depositionem. Ad Ephes. iv, 21 et 22 : *Est veritas in Jesu deponere vos secundum pristinam conversationem veterem hominem, qui corrumpitur secundum desideria erroris.* « *Et indutus est sacco,* » humilitatis scilicet. Isa. lxi, 10 : *Induit me vestimentis salutis.* « *Et sedit in cinere,* » suam scilicet recognoscens mortalitem. Job, x, 9 : *Memento, quæso, quod sicut lutum feceris me, et in pulverem reduces me.* De omnibus his simul, Esther, xiv, 2 : *Cumque deposuisset Esther vestes regias, fletibus et luctui apta indumenta suscepit, et pro unguentis variis, cinere et stercore implevit caput, et corpus suum humiliavit jejuniis : omniaque loca in quibus antea lætari consueverat, crinium laceratione complevit.*

7 Et ut aliis esset causa pœnitendi, sequitur :

« *Et clamavit, et dixit,* » hoc est, clamari et dici fecit, « *in Ninive,* » in tota scilicet civitate, « *ex ore regis et principum ejus,* » ut firmius esset verbum. Joel, i, 14 : *Vocate cœtum, congregate senes, omnes habitatores terræ.* Psal. ci, 23 : *In conveniendo populos in unum, et reges ut serviant Domino.* « *Dicens,* » scilicet voce præconis : « *Homines, et jumenta,* » equi scilicet, muli, et asini, quæ ad adjumentum laboris facta sunt, « *et boves,* » qui ad terræ culturam, « *et pecora,* » minuta scilicet jumenta, quæ ad esum et vestimentum habentur, « *non gustent quidquam,* » ut scilicet macerata et fœda facta per maciem, concupiscentiam carnis in se non provocent : « *nec pascantur,* » ne in pascendis animalibus occupati a luctu pœnitentiæ retrahantur : « *et aquam non bibant,* » ne scilicet etiam cibus jam sumptus melius influere possit, et sic magis fœda appareant. Glossa tamen vult, quod per homines intelligantur rationales rationabiliter viventes : per jumenta autem brutales sensibilibus inservientes, et inducit illud Psal. xxxv, 7 : *Homines, et jumenta salvabis, Domine.* Et illud Psal. lxxii, 23 : *Ut jumentum factus sum apud te : et ego semper tecum.* Per boves intelligit sæculi prudentes et maturos, per pecora simplices. Psal. viii, 8 : *Omnia subjecisti sub pedibus ejus, oves et boves universas : insuper et pecora campi.* Omnibus his interdicitur gustus libidinis, et ne pascantur in peccati delectatione. Job, vi, 6 : *Numquid potest gustare, aliquid quod gustatum affert mortem ?* Prohibetur etiam ne aquam bibant, insipidam scilicet hujus mundi delectationem. Job, xxxiv, 1 et 8 : *Qui bibit subsannationem quasi aquam : qui graditur cum operantibus iniquitatem, et ambulat cum veris impiis.*

« *Et operiantur saccis homines, et jumenta,* » in signum scilicet humilitatis et asperitatis. Baruch, iv, 20 : *Exui me stola pacis, indui autem me sacco obsecrationis, et clamabo ad Altissimum in diebus meis.* Et hoc est quod sequitur : *Et clament ad Dominum in fortitudine,* » ut scilicet clamor orationis opere virtutis confortetur. Psal. lxviii, 4 : *Laboravi clamans, raucæ factæ fauces meæ.* Ut labor sit fortitudinis et virtutis, clamor orationis, et raucedo afflictionis. « *Et convertatur vir,* » viri- 8

liter scilicet agens, « *a via sua mala,* » hoc est, a cogitationibus, quia cogitationes viæ sunt ad opera, « *et ab iniquitate,* » operis scilicet, « *quæ est in manibus eorum,* » hoc est, in operibus, quæ maxime fiunt per manus. Isa. LV, 7 : *Derelinquat impius viam suam, et vir iniquus cogitationes suas, et revertatur ad Dominum, et miserebitur ejus.*

Et subjungit de spe veniæ :

« *Quis scit si convertatur ?* » ad conversos scilicet. Dicunt autem : *Quis scit* quia quamvis sit liberum Deo facere vel non facere, tamen certum est de benignitate Dei, quod si fecerimus quod in nobis est, ipse faciet quod in se est. Simile, Joel, II, 14 : *Quis scit si convertatur, et ignoscat,* scilicet Deus, *et relinquat post se benedictionem ?* « *Et ignoscat Deus, et revertatur,* » supple, Deus, « *a furore iræ suæ,* » hoc est, a pœna comminata ? Exod. XXXII, 12 : *Quiescat ira tua.* Psal. VI, 2 et XXXVII, 2 : *Domine, ne in furore tuo arguas me, neque in ira tua corripias me.* « *Et non peribimus,* » scilicet, propter peccata nostra. Joan. III, 15 : *Ut omnis, qui credit in ipsum, non pereat, sed habeat vitam æternam.*

Facienti quod in se est placatur Deus.

Et subjungit de acceptatione istius 10
pœnitentiæ :

« *Et vidit Deus,* » oculo scilicet approbationis, « *opera eorum,* » pœnitentiæ scilicet, et satisfactionis, « *quia conversi sunt de via sua mala.* » Genes. I, 31 : *Viditque Deus cuncta quæ fecerat : et erant valde bona.* Isaiæ, XXXVIII, 5 : *Audivi orationem tuam, et vidi lacrymas tuas.* « *Et misertus est Deus.* » Psal. XXIX, 11 : *Audivit Dominus, et misertus est mei.* « *Super malitiam,* » afflictionis scilicet, « *quam locutus fuerat ut faceret eis,* » supple, si permanerent in peccato. Osee, XIV, 5 : *Diligam eos spontanee : quia aversus est furor meus ab eis.* « *Et non fecit,* » hoc est, mala non induxit quæ comminatus fuit. Mich. VII, 18 et 19 : *Non immittet ultra furorem suum, quoniam volens misericordiam est. Revertetur, et miserebitur nostri.*

CAPUT IV.

Afflictus Jonas quia vaticinium suum adversus Ninivem videbat non impleri, mortem optat : verum a Domino corripitur, qui injustam ipsius indignationem convincit, quod putaret se recte dolere de arefacta hedera, et tamen noluerit Dominum parcere Ninive civitati maximæ, in qua erant plus quam 120000. *eorum qui non peccaverunt.*

1. Et afflictus est Jonas afflictione magna, et iratus est :
2. Et oravit ad Dominum, et dixit : Obsecro, Domine, numquid non hoc est verbum meum, cum adhuc essem in terra mea? Propter hoc præoccupavi ut fugerem in Tharsis; scio enim quia tu Deus clemens et misericors es, patiens et multæ miserationis, et ignoscens super malitia [1].
3. Et nunc, Domine, tolle, quæso, animam meam a me, quia me-

[1] Psal. LXXXV, 5 ; Joel, II, 13.

lior est mihi mors quam vita.

4. Et dixit Dominus : Putasne bene irasceris tu ?

5. Et egressus est Jonas de civitate, et sedit contra orientem civitatis : et fecit sibimet umbraculum ibi, et sedebat subter illud in umbra, donec videret quid accideret civitati.

6. Et præparavit Dominus Deus hederam, et ascendit super caput Jonæ, ut esset umbra super caput ejus, et protegeret eum (laboraverat enim) : et lætatus est Jonas super hedera lætitia magna.

7. Et paravit Deus vermem ascensu diluculi in crastinum : et percussit hederam, et exaruit.

8. Et cum ortus fuisset sol, præcepit Dominus vento calido et urenti : et percussit sol super caput Jonæ, et æstuabat : et petivit animæ suæ ut moreretur, et dixit : Melius est mihi mori quam vivere.

9. Et dixit Dominus ad Jonam : Putasne bene irasceris tu super hedera ? Et dixit : Bene irascor ego usque ad mortem.

10. Et dixit Dominus : Tu doles super hederam in qua non laborasti, neque fecisti ut cresceret : quæ sub una nocte nata est, et sub una nocte periit :

11. Et ego non parcam Ninive, civitati magnæ, in qua sunt plusquam centum viginti millia hominum qui nesciunt quid sit inter dexteram et sinistram suam, et jumenta multa ?

IN CAPUT IV JONÆ

ENARRATIO.

« *Et afflictus est Jonas.* » Tangitur hic de contristatione sequente, et habet duas partes, contristationem scilicet, et instructionem contristati, ibi, ℣. 6 : « *Et præparavit Dominus Deus hederam.* »

In prima tria sunt, oratio scilicet contristati, quædam modica reprehensio Domini, et exspectatio quid accideret civitati.

1 « *Et afflictus est Jonas,* » discursu scilicet, et clamore, « *afflictione magna,* » de eo scilicet, quod vidit non impleri statim quæ dixit. II ad Corinth. I, 8 : *Supra modum gravati sumus et supra virtutem, ita ut tæderet nos etiam vivere.* « *Et iratus est,* » hoc est, conturbatus.

« *Et oravit ad Dominum, et dixit :* » Psal. XXXVII, 11 : *Cor meum conturbatum est, dereliquit me virtus mea.* « *Obsecro, Domine.* » Obsecrare est per obtestationem sacramentorum divinorum aliquid petere : « *numquid non hoc est verbum meum ?* » Videtur quod Jonas quadraginta diebus prædicaverit, et quum post quadraginta dies videret civitatem non everti, quod tunc in hanc orationem prorupit, nimis verecundatus quod verbum Dei in ore suo falsum judicaretur, ut veritatis amicus. Ad Ephes. IV, 25 : *Deponentes mendacium, loquimini veritatem.* Sap. I, 11 : *Os quod mentitur, occidit animam.* Job, XIII, 7 : *Numquid Deus indiget vestro mendacio, ut pro illo loquamini dolos ?* « *Cum adhuc essem in terra mea,* » Judæa scilicet, quæ terra fuit veritatis et divinæ cognitionis. III Regum, XVII, 24 : *Vir Dei es tu, et verbum Domini in ore tuo verum est.* « *Propter hoc præoccupavi ut fugerem in Tharsis,* » hoc est, vagando per mare, ne scilicet falsus testis inveni- 2

Obsecrare quid sit ?

Religionis causa non esse mentiendum

rer. I ad Corinth. xv, 15 : *Invenimur autem et falsi testes Dei.* Mendacium enim in ore omnis hominis peccatum est, in ore autem Doctoris veritatis sacrilegium est. Prov. XIX, 9 : *Falsus testis non erit impunitus.* Deuter. XIX, 16 et seq., præcipitur, quod testis mendax occidatur [1].

Unde autem causam timoris habuerit, subdit :

« *Scio enim,* » experimento scilicet, et fide, « *quia tu Deus clemens,* » in susceptione peccatoris, « *et misericors es,* » in remissione scilicet, « *et patiens,* » in exspectatione ad pœnitentiam, « *et multæ miserationis,* » in effectibus scilicet gratiarum. Psal. L, 3 : *Secundum multitudinem miserationum tuarum, dele iniquitatem meam.* Thren. III, 22 : *Non defecerunt miserationes ejus.* « *Et ignoscens super malitia.* » Malitia hic dicitur pœna inducenda pro peccato, quam sæpe ignoscit Deus. Isa. LV, 7 : *Vertatur ad Dominum, et miserebitur ejus, et ad Deum nostrum, quoniam multus est ad ignoscendum.* Joel, II, 13 : *Benignus et misericors est, patiens et multæ misericordiæ, et præstabilis super malitia.*

3 « *Et nunc, Domine,* » quando videor esse testis falsitatis, « *tolle, quæso, animam meam a me.* » Simile, Tob. III, 6 : *Et nunc, Domine, secundum voluntatem tuam fac mecum,* misericordiam scilicet, *et præcipe in pace recipi spiritum meum : expedit enim mihi mori magis quam vivere.*

Et hoc est quod subditur : « *Quia melior est mihi mors quam vita.* » Virtuoso enim et honestatis amico, multo tolerabilius est mori quam labem pati in virtute. Unde Aristoteles in tertio *Ethicorum* de forti dicit qui fortiter exponit se periculo gratia boni, quod « est ei mors turpi salute eligibilior.» II Machab. VI, 28 : *Prompto animo, ac fortiter pro gravissimis et sanctissimis legibus honesta morte perfungar.*

Mors scelestæ vitæ est præferenda.

« *Et dixit Dominus.* » Modesta reprehensio est contristati. « *Putasne bene irasceris tu ?* » hoc est, rationabiliter : et hoc modo dicendo revocat eum ad propriæ rationis judicium : quia et rationabile fuit ut peccatoribus dura comminarentur, et pœnitentibus per pœnitentiam peccata remitterentur : et ideo non bene irascebatur Jonas : propter quod etiam reprehensus, nihil respondit Domino. Job, XXXIX, 34 : *Qui leviter locutus sum, respondere quid possum ?* 4

« *Et egressus est Jonas de civitate.* » 5
Tangitur hic exspectatio eventus quid accideret civitati : et iste egressus egressum significat de mundo. Apoc. XVIII, 4 : *Exite de illa, populus meus, et ne participes sitis delictorum ejus.* « *Et sedit,* » quiescens scilicet in spiritu : omnis enim Doctor veritatis aliquando sibi vacare debet. Marc. VI, 31 : *Venite seorsum in desertum locum, et requiescite pusillum.* « *Contra orientem civitatis,* » ut videret scilicet, quid ab ortu solis ex sententia Dei veniret. Zachar. VI, 12 : *Ecce vir Oriens nomen ejus, et subter eum orietur.* « *Et fecit sibimet umbraculum ibi,* » forte de virgultis ibidem natis : quod umbraculum corporale solatium significat servis Dei debitum. Ad Hebr. XI, 9 : *Fide demoratus est in terra repromissionis tamquam in aliena, incasulis habitando, cum Isaac et Jacob, cohæredibus repromissionis ejusdem.* Jerem. XXXV, 9 et 10 : *Non ædificavimus domos ad habitandum : et vineam, et agrum, et sementem*

[1] Deuter. XIX, 16 et seq. : *Si steterit testis mendax contra hominem,... non misereberis ejus, sed animam pro anima, oculum pro oculo, dentem pro dente, manum pro manu, pedem pro pede exiges.*

non habuimus : sed habitavimus in tabernaculis. Didymus, Brachmannorum rex, in epistola ad Alexandrum : « Antra nobis domus sunt, quæ dum vivimus, proficiunt in hospitium : dum morimur, in sepulcrum. » « *Et sedebat,* » hoc est, quiescebat, « *subter illud in umbra,* » hoc est, in refrigerio. Cant. II, 3 : *Sub umbra illius, quem desideraveram, sedi.* « *Donec videret quid accideret civitati.* » Adhuc enim hæsitabat, quem eventum res sortiretur, eo quod de hoc expresse a Domino non fuerat instructus. Simile, Luc. XIX, 41 et 42 : *Videns Dominus civitatem, flevit super illam, dicens : Quia si cognovisses et tu.* In Psalmo, LXXII, 3 : *Zelavi super iniquos, pacem peccatorum videns.*

6 « *Et præparavit.* » Tangitur hic prophetæ instructio, et habet duas partes. Primo enim ponit factum per quod instruit : secundo, instructionem, ibi, « *Et dixit Dominus ad Jonam.* »

Dicit ergo : « *Et præparavit Dominus Deus hederam,* » quæ vel statim ibidem nata fuit per miraculum, vel forte antea nata per verbum Domini super umbraculum repere cœpit, et rependo undique et foliis operiendo densam fecit umbram, quæ et radiis solis resisteret, et impetum ventorum et maxime venti urentis excluderet. Isa. IV, 6 : *Tabernaculum erit in umbraculum diei ab æstu, et in securitatem, et absconsionem a turbine, et a pluvia.* « *Et ascendit super caput Jonæ,* « Glossa, « subito Dei virtute, » « *ut esset umbra supra caput ejus,* » hoc est, refrigerium. Hedera enim significat virorem temporalium, servis Dei et Ecclesiasticis personis collatum, in cujus umbra necesse est aliquando quiescere. Genesis, XVIII, 4 et 5 : *Lavate pedes vestros, et requiescite sub arbore. Ponamque buccellam panis, et confortate cor vestrum, postea transibitis.* « *Et protegeret eum,* » ne scilicet vento, vel pluvia, vel æstu læderetur. Isaiæ, XXXII, 2 : *Erit vir sicut qui absconditur a vento, et celat se a tempestate.* « *Laboraverat enim,* » et ideo, supple, refrigerio indigebat, Matth. XI, 28 : *Venite ad me, omnes qui laboratis et onerati estis, et ego reficiam vos.* « *Et lætatus est Jonas super hedera,* » hoc est, hederæ refrigerio, « *lætitia magna.* » Necesse est enim etiam in corporali consolatione lætari laborantem : quia spiritualia sine temporalibus non subsistunt. Psal. CVI, 5 et 6 : *Esurientes, et sitientes : anima eorum in ipsis defecit. Et clamaverunt ad Dominum cum tribularentur, et de necessitatibus eorum liberavit eos.* Isa. LXV, 18 : *Gaudebitis et exsultabitis usque in sempiternum in his, quæ ego creo.*

« *Et paravit Deus vermem,* » quem necesse fuit venenosum esse, quia rasura dentis non ita subito aruisset hedera. « *Ascensu diluculi in crastinum,* » ut scilicet orto sole jam percussa esset hedera et arida. Isa. XL, 24 : *Repente flavit in eos, et aruerunt.* « *Et percussit hederam,* » vermis scilicet, « *et exaruit.* » Jacob. I, 11 : *Exortus est sol cum ardore, et arefecit fœnum, et flos ejus decidit, et decor vultus ejus deperiit.* 7

« *Et cum ortus fuisset sol,* » qui scilicet vapores movet et elevat, « *præcepit Dominus vento calido,* » australi scilicet, « *et urenti,* » hoc est, exsiccanti, per quem scilicet hedera exsiccaretur penitus, et auferretur umbraculum. Job, XXVII, 21 : *Tollet eum ventus urens.* « *Et percussit sol,* » ablato scilicet umbraculo, « *super caput Jonæ,* » quod aliquando mortiferum est, sicut patet, Judith, VIII, 2 et 3, ubi Manasses, vir Judith, mortuus est, quia venit æstus super caput ejus. « *Et æstuabat.* » Calor enim solis etiam aliquando febrem inducit. Apocal. XVI, 8 et 9 : *Datum est illi æstu affligere homines, et igni : et æstuaverunt homines æstu magno.* « *Et petiit animæ suæ ut* 8

Solis calor nonnumquam febrem infert.

moreretur. » Simile, III Reg. xix, 4, ubi Elias *petivit animæ suæ ut moreretur, et ait: Sufficit mihi, Domine, tolle animam meam.* Et hoc est quod sequitur : « *Et dixit : Melius est mihi mori quam vivere.* » II ad Corinth. v, 8 : *Audemus, et bonam voluntatem habemus magis peregrinari a corpore, et præsentes esse ad Dominum.* « Sancti enim, ut dicit Au-« gustinus, in patientia habent vitam, et « mortem in desiderio. » Ad Philip. i, 23 : *Desiderium habens dissolvi, et esse cum Christo, multo magis melius.*

9 « *Et dixit Dominus ad Jonam,* » instruendo scilicet eum. Et habet duas partes, scilicet reprehensionem, et instructionem. « *Putasne bene,* » hoc est, rationabiliter, « *irasceris tu super hedera,* » supple, ablata scilicet, cum non præstiterit nisi umbram, quod parvum refrigerium est. Psal. iv, 5 : *Irascimini, et nolite peccare.* Jacob. i, 20 : *Ira viri justitiam Dei non operatur.*

« *Et dixit,* » scilicet Jonas. Hic respondet : quia videtur sibi quod rationem turbationis habeat : superius conticuit ubi rationem non habuit. « *Bene irascor ego,* » hoc est, rationabiliter, « *usque ad mortem.* » II ad Corinth. i, 9 : *Ita ut tæderet nos etiam vivere : sed et ipsi in nobismetipsis responsum mortis habuimus.*

10 « *Et dixit Dominus,* » instruens eum. Isaiæ, xlviii, 17 : *Ego Dominus Deus tuus, docens te utilia.* « *Tu doles.* » Arguit hic a minori Dominus : quia si Jonas rationabiliter dolet de amissione parvi, rationabilius est Deum dolere de amissione magni. Et hoc est quod in parvo præmittit : « *Tu doles super hederam,* » parvo scilicet refrigerio, « *in qua non laborasti,* » plantando scilicet, vel rigando, « *neque fecisti ut cresceret,* » hoc enim solus Deus potest. I ad Corinth. iii, 7 : *Neque qui plantat est aliquid, neque qui rigat, sed qui incrementum dat, Deus.* « *Quæ sub una nocte nata est, et una nocte periit :* » et ideo temporale et breve quid fuit. Isa. xxiv, 20 : *Auferetur quasi tabernaculum unius noctis.*

Et ex hoc arguit, subdens : 11

« *Et ego,* » cujus natura est bonitas, **Deus natura misericors est.** substantia dulcedo, proprium misereri et parcere, « *non,* » hoc est, nonne « *parcam,* » hoc est, parcere debeo, « *Ninive civitati magnæ ?* » Et ponit consequens pro antecedente. Sicut enim doluit Jonas destructione hederæ, sic Deus de destructione civitatis : et quia doluit, parcere debuit ne destrueretur. Unde, Gen. vi, 6, cum delere vellet mundum dixit, quod tactus esset dolore cordis intrinsecus[1]. Isa. i, 24 : *Heu! consolabor super hostibus meis.* Michææ, vii, 18 : *Non immittet ultra furorem suum, quoniam volens misericordiam est.* « *In qua,* » scilicet civitate, *sunt plus quam centum viginti millia hominum,* » parvulorum scilicet, innocentium, « *qui nesciunt quid sit* **Deus innocentem non perdit.** *inter dexteram et sinistram suam,* » quos scilicet injustum esset interficere cum aliis. Genes. xviii, 25 : *Absit a te, ut rem hanc facias, et occidas justum cum impio, fiatque justus sicut impius, non est hoc tuum : qui judicas omnem terram, nequaquam facies judicium hoc.* Job, iv, 7 : *Recordare, obsecro te, quis umquam innocens periit ? aut quando recti deleti sunt ?* Nescire autem distantiam inter dexteram et sinistram, est nescire discretionem inter bonum et malum. I ad Corinth. xiii, 11 : *Cum essem parvulus, loquebar ut parvulus, sapiebam ut parvulus, cogitabam ut parvulus.* « *Et jumenta multa ?* » quæ cum propter hominem facta sint et peccatoribus digne

[1] Genes. vi, 6 : *Pœnituit eum,* scilicet Deum, *quod hominem fecisset in terra. Et tactus dolore cordis intrinsecus,* etc.

auferantur, pœnitentibus tamen juste conserventur. In signum hujus, Job, XLII, 10, cum Job purgatus esset, reddidit ei Dominus omnia duplicia[1]. Job, I, 10 : *Operibus manuum ejus benedixisti, et possessio ejus crevit in terra.*

Jonas Christi typum gessit.

Glossæ dicunt, quod Jonas naufragio Christum significat in mare hujus mundi missum, cetus gluttiens et revomens Jonam mortem significat et infernum, quæ et gluttierunt et revomuerunt Christum. Osee, XIII, 14 : *Morsus tuus ero, inferne.* Prima missio Jonæ significat primam Christi missionem ad Judæos : et in illa ad Gentes ire noluit, quod fuga Jonæ significat. Matth. XV, 24 : *Non sum missus nisi ad oves, quæ perierunt domus Israel.* Secunda missio secundam ad Gentes significat missionem in Apostolis. Isa. XLIX, 6 : *Dedi te in lucem gentium, ut sis salus mea usque ad extremum terræ.* Tristitia Jonæ tristitiam significat Apostolorum de excæcatione Synagogæ. Ad Roman. IX, 2 : *Tristitia magna mihi est, et continuus dolor cordi meo,* scilicet pro fratribus. Hedera Synagogam significat, quæ ante solis ortum viruit, et post ortum aruit : quia antequam oriretur sol justitiæ, Christus Deus noster, (Malach. IV, 2 : *Orietur vobis timentibus nomen meum Sol justitiæ*) viridis erat Synagoga. Orto autem lumine gratiæ in prædicatione Apostolorum tota exaruit. Matth. XIII, 6 : *Sole autem orto, æstuaverunt : et quia non habebant radicem, aruerunt.* Receptio Ninive ad gratiam, introitum significat Gentium in Ecclesiam. Ad Roman. XI, 25 et 26 : *Cæcitas ex parte contigit in Israel, donec plenitudo gentium intraret, et sic omnis Israel salvus fieret.* Et ibidem, ℣. 11 : *Illorum* scilicet Judæorum, *delicto salus est gentibus, ut illos æmulentur.*

Quæ autem de pœnitentia Ninivitarum dicta sunt per se moralia sunt, nec ad aliam trahenda expositionem.

[1] Job, XLII, 10 : *Et addidit Dominus omnia quæcumque fuerant Job duplicia.*



INDEX

IN JONAM PROPHETAM.

D. ALBERTI MAGNI,

EPISCOPI RATISBONENSIS DOCTRINA TOTO ORBE

Celeberrimi, Ordinis Prædicatorum,

IN MICHÆAM PROPHETAM

ENARRATIO.

Prologus Divi Hieronymi in Michœam prophetam.

Temporibus Joathan et Achaz et Ezechiæ, regum Juda, Michæam prophetam ad hanc prophetiam Spiritu sancto repletum fuisse, lectio ipsa demonstrat. Sed de supradicto numero regum, Joathan et Ezechiam Deo ob religionem placuisse, historia libri quarti Regum et secundi Paralipomenon indicat [1]. Achaz vero, derelicto Deo, idola Samariæ, quibus etiam filios suos in sacrificium igni concremandos obstulerat, coluisse constat. Quam ob rem, Deus Samariam, quæ reges Israel et Juda memoratorum simulacrorum superstitione fefellerat, increpans, indignationem suam in eam processuram comminatus est. Populo etiam Israel prævaricatori, et principibus ejus, qui eumdem populum fallaci suasione ad colenda idola impulerant, verbis in sequentibus, captivitatem et interitum affuturum denuntiavit.

PROLOGI D. HIERONYMI IN MICHÆAM EXPLANATIO.

« Temporibus. » In hoc Prologo Hieronymus tria facit, scilicet tempora prophetiæ describit, qualitates regum distinguit, tertio causam suscepti operis concludit : quæ patent in littera.

« Temporibus Joathan, » de quo IV Regum xv, « et Achaz, » de quo IV Regum, xvi « et Ezechiæ, » de quo

[1] Cf. IV Regum. xv, xvi et xviii, et II Paralip. xxvii et xxix.

IV Regum xviii, « et regum Juda, » hoc est, duarum tribuum, « Michæam Prophetam, » qui simpliciter Propheta dicitur, quia patrem Prophetam non habuit, « ob hanc prophetiam, » supple, enuntiandam. Deuter. xviii, 15 : *Prophetam de gente tua et de fratribus tuis sicut me, suscitabit tibi Dominus Deus tuus : ipsum audies.* « Spiritu sancto repletum fuisse. » In hoc notatur Scripturæ auctoritas, quæ de fonte veritatis procedit. II Petr. i, 21 : *Non voluntate humana allata est aliquando prophetia : sed Spiritu sancto inspirati, locuti sunt sancti Dei homines. Repletio* etiam impletionem talem sonat quæ pectus premat, et signat quod de abundantia interiori eructatio istorum sermonum procedit. Psal. xliv, 2 : *Eructavit cor meum verbum bonum.* Act. ii, 4 : *Repleti sunt omnes Spiritu sancto, et cœperunt loqui variis linguis, prout Spiritus sanctus dabat eloqui illis.* « Lectio ipsa demonstrat, » hoc est, principium prophetiæ.

Et subdit de regum istorum qualitate :

« Sed de supradicto numero regum, » trium scilicet, « Joatham, » primum scilicet, « et Ezechiam, » tertium scilicet, « Deo ob religionem placuisse, » qua scilicet idola detestati sunt, « historia quarti libri Regum, » de Joathan in cap. xv, de Ezechia vero in cap. xviii, « et secundi Paralipomenon indicat : » de Joathan quidem in cap. xxvii, 2, ubi sic dicitur : *Fecit* Joathan *quod rectum erat coram Domino, juxta omnia quæ fecerat Ozias, pater ejus.* De Ezechia vero, II Paralip. xxix, 2, sic dicitur : *Fecit* Ezechias *quod erat placitum in conspectu Domini, juxta omnia quæ fecerat David, pater ejus.* « Achaz vero, derelicto [1] Deo, » hoc est, cultu Dei, « idola Samariæ constat coluisse. » Unde, IV Regum, xvi, 2 et 3 : *Non fecit Achaz quod erat placitum in conspectu Domini Dei sui... Sed ambulavit in viis regum Israel.* Insuper et filium suum consecravit, transferens per ignem secundum idola Gentium, quæ dissipavit Dominus coram filiis Israel. Et hoc est quod sequitur : « Quibus etiam filios suos, » ut scilicet factum Abrahæ imitaretur [2], ut sicut patriarcha Deo, ita ipse idolis cariora sua pignora sacrificaret, « in sacrificium igni concremandos obtulerat : » sed Abraham obtulit, et non occidit : iste autem interfecit, quia dæmones in sanguine delectantur. II Paralip. xxviii, 3 : *Ipse,* scilicet Achaz, *est qui adolevit incensum in valle Benennom, et lustravit filios suos in igne, juxta ritum Gentium, quas interfecit Dominus in adventu filiorum Israel.*

Dæmon[es] hum[a]n[o] sanguin[e] delectant[ur]

Ex his concludit causam suscepti operis, dicens :

« Quam ob rem, Deus Samariam, » terram scilicet decem tribuum, « quæ reges Israel, » omnes scilicet a Jeroboam usque ad Oseam, « et Juda, » hoc est, reges Juda, non omnes, sed multos : quia etiam tempore Joathæ populus immolabat in excelsis. Eccli. xlix, 5 : *Præter David, et Ezechiam, et Josiam, omnes,* scilicet reges, *peccatum commiserunt.* « Memoratorum simulacrorum superstitione fefellerat. » « Superstitio est (ut di- « cit Augustinus) religio supra modum « servata. » Et hoc fit, quando religio turpibus et falsis innititur articulis. Hoc autem attribuitur Samariæ, propter hoc quod error vitulorum aureorum primo a Samaria processit. « Increpans, » scilicet Deus per Prophetam Zachariam, iii, 2 : *Increpet Dominus in te, Satan! et increpet Dominus in te, qui elegit Jerusalem !* « Indignationem suam, » Dei scilicet, « in eam, » hoc est, in Samariam, per exercitum scilicet Assyriorum, « processuram comminatus est. » Thren. ii, 4 : *Effudit quasi ignem indignationem suam.* « Populo etiam Israel, » plebeio scilicet « prævaricatori, » Isa. xlviii, 8 : *Quia prævaricans prævaricaberis, et*

[1] Biblia Rob. Stephani habet, *relicto.*

[2] Cf. Genes. xxii, 1 et seq.

transgressorem ex utero vocavi te, « et principibus ejus, » populi scilicet prævaricatoris. Isaiæ, I, 23 : *Principes tui infideles, socii furum*. « Qui, » scilicet principes, « eumdem populum, » Samariæ scilicet, « fallaci suasione [1], » ne scilicet populus rediret ad Deum suum si adoraret in Jerusalem, « ad colenda idola impulerant. » Osee, VII, 3 : *In malitia sua lætificaverunt regem, et in mendaciis suis principes*. « Verbis in sequentibus, » hoc est, in sequentibus verbis prophetiæ, « captivitatem, » per Assyrios, « et interitum, » peste, et fame, et gladio, « affuturum, » supple, ordinatione Dei, « denuntiavit [2], » Propheta scilicet. Osee, VI, 5 : *Dolavi in prophetis, et occidi eos in verbis oris mei*.

CAPUT I.

Quo tempore Michæas prophetaverit : comminatur Samariæ et Jerusalem exitium et captivitatem propter idololatriam ipsorum : quos plangit propheta, et ad planctum provocat.

1. Verbum Domini, quod factum est ad Michæam Morasthiten, in diebus Joathan, Achaz, et Ezechiæ, regum Juda, quod vidit super Samariam et Jerusalem.
2. Audite, populi omnes : et attendat terra, et plenitudo ejus [3] : et sit Dominus Deus vobis in testem, Dominus de templo sancto suo.
3. Quia ecce Dominus egredietur de loco suo [4] : et descendet, et calcabit super excelsa terræ.
4. Et consumentur montes subtus eum, et valles scindentur sicut cera a facie ignis, et sicut aquæ quæ decurrunt in præceps.
5. In scelere Jacob omne istud, et in peccatis domus Israel. Quod scelus Jacob, nonne Samaria ? et quæ excelsa Judæ, nonne Jerusalem ?
6. Et ponam Samariam quasi acervum lapidum in agro, cum plantatur vinea : et detraham in vallem lapides ejus, et fundamenta ejus revelabo.
7. Et omnia sculptilia ejus concidentur, et omnes mercedes ejus comburentur igne, et omnia idola ejus ponam in perditionem, quia de mercedibus meretricis congregata sunt, et usque ad mercedem meretricis revertentur.
8. Super hoc plangam, et ululabo : vadam spoliatus, et nudus : faciam planctum velut draconum, et luctum quasi struthionum :
9. Quia desperata est plaga ejus, quia venit usque ad Judam, tetigit portam populi mei usque ad Jerusalem.
10. In Geth nolite annuntiare : lacrymis ne ploretis : in domo pulveris pulvere vos conspergite.
11. Et transite vobis, habitatio pulchra, confusa ignominia : non est egressa quæ habitat in exitu : planctum domus vicina accipiet ex vobis, quæ stetit sibimet.
12. Quia infirmata est in bonum, quæ

[1] Cf. III Reg. XII, 26 et seq.

[2] Biblia Rob. Stephani habet, *denuntiat*.

[3] Deuter. XXXII, 1 ; Isa. I, 2.

[4] Isa. XXVI, 21.

habitat in amaritudinibus : quia descendit malum a Domino in portam Jerusalem.

13. Tumultus quadrigæ stuporis habitanti Lachis : principium peccati est filiæ Sion, quia in te inventa sunt scelera Israel.

14. Propterea dabit emissarios super hæreditatem Geth : domus mendacii in deceptionem regibus Israel.

15. Adhuc hæredem adducam tibi, quæ habitas in Maresa : usque ad Odollam veniet gloria Israel.

16. Decalvare, et tondere super filios deliciarum tuarum : dilata calvitium tuum sicut aquila : quoniam captivi ducti sunt ex te.

IN CAPUT I MICHÆÆ

ENARRATIO.

« *Verbum Domini.* » « Michæas iste « qui contra duas et decem tribus pro« phetat, ut dicit Hieronymus, secundum « Hebraicam veritatem, sextus est in or« dine Prophetarum, et quasi in medio « sive in corde positus, profundiora, con« tinet mysteria. » Dividitur autem in partes duas, titulum scilicet, et tractatum, ibi, ℣. 2 : « *Audite, populi omnes.* »

Titulus tria continet, scilicet ad quem et a quo facta est revelatio, quorum regum temporibus, et contra quos.

1 « *Verbum Domini,* » quod quamvis ad suscipientes ipsum multa verba sint, tamen quantum ad fontem primum, unum est : sicut objectum vultus unum est, formæ autem in speculis multis multæ apparent : et quia auctoritatem habet a fonte veritatis, et secundum quod unum est, propter hoc dicit : « *Verbum Domini quod factum est.* » Hoc ideo dicit, quia seipsum ad effectum deducit, sicut dicit Psal. CXLVIII, 5 : *Dixit, et facta sunt.* « *Ad Michæam.* » Præpositio hic notat appropinquationem verbi ad rationem hominis. Deut. XXX, 14, et ad Roman. X, 8 : *Prope est verbum in ore tuo, et in corde tuo.* Auctorem autem instrumentalem describit nomine, et patria : nomine Michæam, quod interpretatur *humilitas.*

Michæas interpretatur *humilitas.*

Matth. XI, 29 : *Discite a me, quia mitis sum, et humilis corde.* Jacob. IV, 6 : *Deus superbis resistit, humilibus autem dat gratiam.* A patria, cum dicit : « *Morasthiten.* » Morasthis autem parvulus viculus est Palæstinæ juxta Eleutheropolim urbem, et interpretatur *hæreditas.* Ad Roman. VIII, 17 : *Hæredes quidem Dei, cohæredes autem Christi.* Hieronymus : « Humili cohæredi Christi fit revelatio. »

Et subdit quorum temporibus :

« *In diebus Joathan,* » qui bonus fuit, « *Achaz,* » qui malus, « *et Ezechiæ,* » qui inter tres optimus, « *regum Juda,* » hoc est, duarum tribuum, de quibus satis in prologo dictum est. Ad Roman. I, 14 : *Sapientibus, et insipientibus debitor sum.*

Et subdit contra quos :

« *Quod vidit,* » scilicet verbum : « *Vidit,* » id est, intellexit. Exod. XX, 18 : *Cunctus populus videbat voces.* Daniel. X, 1 : *Intelligentia est opus in visione.* Quamvis enim in omnibus sensibilibus viribus animæ, sensibile vocis differat a sensibili visus, tamen hæc duo ad intellectum relata nihil differunt : in intellectu enim ad rem referuntur : una autem res est ostensa sub forma propria, et signo vocis in nomine proprio designata. « *Super :* » oppressionem notat. Psal. XXXVII, 5 : *Sicut onus grave gravatæ sunt super me.* « *Samariam,* » terram scilicet decem tribuum, quæ laicos significat. Osee, XIV, 1 : *Pereat Samaria! quoniam ad amaritudinem concitavit Deum suum.* « *Et Jerusalem,* » id est, terram duarum tribuum, quæ idola a decem tribubus sus-

ceperat. Isa. I, 21 : *Quomodo facta est meretrix civitas fidelis, plena judicii?* Hæc ergo dicta sint de titulo. Hieronymus : « Sub Ozia cœperunt prophetare Osee, « Amos, Isaias. Sub Joathan, filio Oziæ, in- « cepit prophetare Michæas, prophetavit « etiam sub Achaz, et sub Ezechia, sub « quo decem tribus captivatæ sunt ab As- « syriis. Et quia primum Samaria metro- « polis decem tribuum captivata est, « deinde Jerusalem, prophetiæ imponi- « tur titulus, primum de Samaria, se- « cundo de Jerusalem. » Item, Hieronymus : « Quomodo apud nos quasi ad « virtutis auspicium imponuntur vocabu- « la, verbi gratia, victoris, casti, pii, « probi : sic et apud Hebræos Michæas, « et Abdias, et Zacharias, cæterorumque « similia ex virtutum vocabulo liberis a « parentibus imposita sunt. »

2 « *Audite, populi omnes.* » Hic incipit prophetia, quæ in duas partes dividitur, in quarum prima inclinat ad timorem et spem : quæ duæ virtutes pœnitenti necessariæ sunt. In secunda, contestatione judicii divini inducit ad pœnitentiam, infra, VI, 1, ibi, « *Audite quæ Dominus loquitur.* »

Prima in duas : primo enim comminando inducit ad timorem : secundo, promittendo elevat ad spem, infra, IV, 1, ibi, « *Et erit : In novissimo dierum.* »

In primo tria sunt : primo enim exaggeratur malum comminatum in comparatione ad culpam idololatriæ : secundo, comminatur malum, in comparatione a studio injuriæ contra proximum, infra, II, 1, ibi, « *Væ qui cogitatis inutile!* » Tertio, comminatur iterum malum in comparatione ad violentiam principum et calumniam judicum, infra, III, 1, ibi, « *Audite, principes Jacob.* »

Istud autem capitulum in duas partes dividitur : primo enim exaggerat malum quantum ad culpam et pœnam : secundo, magnitudinem mali quantum ad planctum, ibi, ℣. 8 : « *Super hoc plangam, et ululabo.* »

In prima tria sunt : primo enim ex magnitudine dicendorum reddit attentos : secundo, pœnam refert ad culpam, ibi, « *In scelere Jacob.* » Tertio, exaggerat pœnam, ibi, « *Et ponam Samariam.* »

« *Audite, populi omnes.* » Quod enim ad omnes pertinet, ab omnibus est audiendum. Sap. VI, 8 : *Pusillum et magnum ipse fecit, et æqualiter cura est illi de omnibus.* « *Et attendat,* » corde scilicet, « *terra,* » hoc est, terreni, per metonymiam. Deut. XXXII, 1 : *Audite, cœli, quæ loquor, audiat terra verba oris mei.* « *Et plenitudo ejus,* » terræ scilicet, hoc est, omnes qui sunt in terra. Septuaginta : « Audite populi omnes, et auscultet « terra, et omnes qui sunt in ea. » « *Et sit Dominus Deus,* » potestate scilicet eminens, et divino intellectu cuncta dispiciens, « *vobis,* » hoc est, contra vos, « *in testem.* » Psal. XLIX, 7 : *Testificabor tibi : Deus, Deus tuus ego sum.* Ipse enim est testis et judex, Apoc. III, 14 : *Hæc dicit : Amen, testis fidelis, et verus, qui est principium creaturæ Dei.*

« *Dominus de templo sancto suo.* » Refert hic pœnam, et culpam, primo ostendens Dei judicium in pœnam, secundo subinferens culpam.

« *Dominus de templo sancto suo,* » supple, egredietur, in quo scilicet in propitiatu gratiam faciens hactenus quievit : modo autem extra templum extendens majestatem, idolatrias et idola opprimet. Isa. XXVII, 4 : *In prœlio gradiar super eam, succendam eam pariter.* Ezech. XI, 8 : *Gladium inducam super vos, ait Dominus Deus.*

3

Et hoc est quod sequitur :

« *Quia ecce Dominus.* » Adverbium demonstrandi vicinitatem temporis significat. Isa. XIV, 1 : *Prope est ut veniat tempus ejus.* « *Egredietur de loco suo.* »

« Locus, secundum Hieronymum, im« mensitas bonitatis et dulcedinis ejus « est : » extra quem locum egreditur, quando peccatis provocatur. Isa. XXVI, 21 : *Egredietur Dominus de loco suo, ut visitet iniquitatem habitatoris terræ contra eum.* Zach. XIV, 3 : *Egredietur Dominus, et prœliabitur contra gentes.* « *Et descendet,* » visitando scilicet, singulorum opera discutiens. Genes. XVIII, 21 : *Descendam et videbo, utrum clamorem qui venit ad me, opere compleverint.* « *Et calcabit super excelsa terræ,* » vel conterens, loca eminentia idolorum conculcando, vel excelsa mundi dejiciens et pedibus Assyriorum vel dæmonum conculcans. Amos, IV, 13 : *Gradiens super excelsa terræ : Dominus Deus exercituum nomen ejus.* Isa. XXVIII, 3 : *Pedibus conculcabitur corona superbiæ ebriorum Ephraim.*

Quando Deus locum suum egrediatur ?

4

Et hoc est quod sequitur :

« *Et consumentur montes,* » altiores scilicet principes, « *subtus eum,* » hoc est, sub pondere pedum judiciorum ejus. Malach. IV, 3 : *Calcabitis impios, cum fuerint cinis sub planta pedum vestrorum.* Judic. V, 21 : *Conculca, anima mea, robustos.* « *Et valles scindentur,* » plebeii scilicet, et inferiores. Glossa, « ut « nihil mali lateat in eis, » unde *scindi* est corda aperiri. Dan. XIII, 55 : *Angelus Dei accepta sententia ab eo, scindet te medium.* « *Sicut cera,* » quæ esca ignis est, « *a facie,* » hoc est, a præsentia « *ignis.* » Isa. LXIV, 1 : *Utinam dirumperes cœlos et descenderes : a facie tua montes defluerent. Sicut exustio ignis tabescerent.* Psal. LXVII, 3 : *Sicut fluit cera a facie ignis, sic pereant peccatores a facie Dei.* « *Et sicut aquæ, quæ decurrunt in præceps,* » supple, deficient. II Reg. XIV, 14 : *Omnes morimur, et quasi aquæ dilabimur in terram.* Unde igni comparatur ira judicis, aquæ autem mortalis infirmitas hominis.

Et refert pœnam ad culpam, subdens : 5

« *In scelere,* » hoc est, pro scelere « *Jacob,* » hoc est, decem et duarum tribuum, « *omne istud,* » supple, fiet. Isaiæ, I, 4 : *Væ genti peccatrici, populo gravi iniquitate, semini nequam, filiis sceleratis !* « *Et in peccatis,* » hoc est, pro peccatis « *domus Israel.* » Glossa, « qui Deum se videre mentiuntur. » Ad Tit. I, 16 : *Confitentur se nosse Deum, factis autem negant.*

Et hoc probat convincens eos proprio testimonio : « *Quod scelus Jacob ?* » hoc est, quod posset esse apertius et majus scelus, « *nonne Samaria ?* » hoc est, idololatria vitulorum positorum in Dan et in Bethel, quæ sunt loca Samariæ. Et Samaria quæ *custodia* interpretatur, Prælatos significat, qui per malum exemplum aliis sunt causa sceleris. Osee, V, 1 : *Laqueus facti estis speculationi.* « *Et quæ excelsa Judæ ?* » duarum scilicet tribuum, « *nonne Jerusalem ?* » a qua scilicet per malum exemplum Sacerdotum et principum derivatum est peccatum in totum populum. Ezech. VIII, 10 : *Universa idola domus Israel depicta erant in pariete.* Sicut et nunc a clero peccatum derivatur in populum. Isa. XXII, 17, de Sobna præposito templi, qui per malum exemplum ruina fuit populi, cui dicitur : *Ecce Dominus asportari te faciet, sicut asportatur gallus gallinaceus, et quasi amictum sic sublevabit te.*

Et subdit de pœna : 6

« *Et ponam Samariam.* » Et tangit pœnæ dilatationem per ruinas civitatum et villarum, et ignis exustionem, subdens causam quæ est turpe lucrum idololatriæ.

« *Et ponam Samariam,* » terram decem tribuum, « *quasi acervum lapidum in agro,* » ut scilicet muris ruentibus, non ædificia, sed acervi lapidum appareant : sicut in loco ubi plantanda est vinea, primo colliguntur lapides in acervos magnos, ut in fundo libero vites

plantentur. Et hoc est quod sequitur : « *Cum plantatur vinea.* » Isa. xxv, 2 : *Posuisti civitatem in tumulum, urbem fortem in ruinam, domum alienorum, ut non sit civitas.* « *Et detraham in vallem lapides ejus.* » Civitates in montibus ædificatæ erant, et ruentibus civitatibus, lapides murorum non in cacumine montium remanserunt, sed ad præcipitia vallium submissi sunt, ne de facili mons posset reædificari. « *Et fundamenta ejus revelabo.* » Hieronymus : « Tanta erit « subversio urbis, ut non solum ædificia « corruant, sed etiam fundamenta usque « ad extremum lapidem effodiantur. » Isa. xiv, 22 : *Perdam Babylonis nomen, et reliquias, et germen, et progeniem, dicit Dominus.* Psal. cxxxvi, 7 : *Dicunt : Exinanite, exinanite usque ad fundamentum in ea.*

7 Hæreticorum conventicula sunt subvertenda.

« *Et omnia sculptilia ejus,* » Samariæ scilicet, « *concidentur.* » Avaritia enim auri et metalli quod erat in idolis, cupidos fecit hostes ut conciderentur idola et dividerentur raptoribus. Eccli. xxvii, 3 : *Conteretur cum delinquente delictum.*

Et subdit de ignis combustione :

« *Et omnes mercedes ejus comburentur igne.* » *Mercedes* vocat opes, quas, ut putabant, idola conferebant pro mercede hominibus, ut colerentur ab eis : sicut dixerunt Cererem conferre fruges, Æsculapium herbas, Bacchum vinum, et cæteros hujusmodi. Osee, ii, 12 : *Corrumpam vineam ejus, et ficum ejus, de quibus dixit : Mercedes hæ meæ sunt, quas dederunt mihi amatores mei.* Hæc enim igne comburentur, vel æterno, vel temporali ab hostibus. Job, xv, 34 : *Ignis devorabit tabernaculam eorum qui munera libenter accipiunt.* I ad Corinth. iii, 13 : *Uniuscujusque opus quale sit, ignis probabit.* « *Et omnia idola ejus ponam in perditionem,* » hostibus scilicet omnia conflantibus. Isa. ii, 17 et 18 : *Elevabitur Dominus solus in die illa: et idola penitus conterentur.* Et post pauca, ℣. 20 : *In die illa projiciet homo idola argenti sui, et simulacra auri sui quæ fecerat sibi.*

Et subdit causam turpis lucri :

« *Quia de mercedibus meretricis congregata sunt.* » *meretricem* vocat terram decem tribuum, fornicationi idolorum se exponentem pro opibus quas idola conferre putabant. Isa. i, 21 : *Quomodo facta est meretrix civitas fidelis ?* Ezech. xvi, 25 : *Divisisti pedes tuos omni transeunti.* « *Et usque ad mercedem meretricis revertentur.* » Hic *meretricem* vocat Niniven, ubi fuit sedes regis Assyriorum, quæ etiam spe mercedis temporalis cum idolis fornicabatur. Et est sensus, quod divitiæ quas congregaverant colentes idola, ad terras idolorum illorum cum ipsis hostes deducerent. Jerem. v, 19 : *Sicut servistis deo alieno in terra vestra, sic servietis alienis in terra non vestra.*

Hæc moraliter ad malos vel hæreticos referuntur, quorum divitiæ quas custodiunt quotidie ruunt, sicut dicitur, Apoc. xviii, 2, de Babylone : *Cecidit, cecidit Babylon.* Et ipsi mali ut duri corde in præceps in vallem inferni detrahuntur. Mich. iii, 12 : *Jerusalem quasi acervus lapidum erit.* Isti lapides de Ecclesia abjiciuntur, ne alios scandalizent. Isa. lxii, 10 : *Planum facite iter, eligite lapides.* Eccli. xxi, 11 : *Via peccantium complanata lapidibus, et in fine illorum inferi, et tenebræ, et pœnæ.* Et loco illorum plantatur vinea de viris sanctis et virtuosis, quia, sicut dicit Boetius, « prius exstirpanda sunt vitia ut inserantur virtutes. » Jerem. ii, 21 : *Ego plantavi te vineam electam, omne semen verum.* Fundamenta malorum per confessionem revelanda sunt, assertiones hæreticorum, divitiæ avarorum, deliciæ libidinosorum, et honores ambitiosorum. Job, xx, 15 : *Divitias, quas devoravit, evomet, et de ventre illius extrahet eas Deus.* Hæc est domus fundata super arenam, cujus ruina facta est

magna[1]. Sculptilia figmenta cordis sunt ad venerationem idolorum conficta, quæ in morte conterentur. Sap. XIII, 10 : *Infelices sunt, et inter mortuos spes illorum est, qui appellaverunt deos opera manuum hominum, aurum et argentum.* Mercedes horum igne comburentur vel charitatis in pœnitentia, vel inferni in pœna. Isa. I, 31 : *Erit fortitudo vestra ut favilla stuppæ, et opus vestrum quasi scintilla : et succendetur utrumque simul, et non erit qui exstinguat.* Idola horum perduntur, quia vanitates eorum, quas pro diis dilexerant, pro nihilo reputabuntur. Jerem. x, 14 et 15 : *Falsum est quod conflavit, et non est spiritus in eis. Vana sunt, et opus risu dignum : in tempore visitationis suæ peribunt.* Quæ habent, de mercede meretricis sunt, quia nisi a Deo fornicati essent, talibus non inhærerent. Psal. LXXII, 27 : *Perdidisti omnes qui fornicantur abs te.* Hæc ad prostibulum meretricis revertuntur, quia mortuis dominis, aliorum concupiscentiis ea quæ relinquunt, exponuntur. Job, XVIII, 15 : *Habitent in tabernaculo illius socii ejus, qui non est,* scilicet diaboli. Socii ejus sunt ambitiosi, et vani, et avari, qui in ruinis hominum habitant, ut ea quæ relinquunt, possideant. Propter hoc præcipitur, Deut. XXIII, 18 : *Non offeres mercedem prostibuli, nec pretium canis, in domo Domini Dei tui, quidquid illud est quod voveris.*

8 « *Super hoc plangam.* » Exaggerat hic magnitudinem mali per planctum, et habet tres partes. Describit enim primo habitum plangentis : secundo, quid plangat, ibi, « *Et transite vobis.* » Tertio, qualiter, ibi, « *In Geth.* »

In prima quatuor sunt, scilicet quod planget, quod habitum plangentis assumet, et modum planctus exponit, et causam planctus subjungit.

« *Super hoc,* » hoc est, propter hoc malum « *plangam.* » Sancti enim plangunt miserias peccatorum : sicut David, Saul et Jonathan[2]. Jerem. IX, 1 : *Plorabo die ac nocte interfectos filiæ populi mei.* « *Et ululabo,* » quod canum vel luporum est, et magnitudinem planctus significat. Isa. LXV, 14 : *Clamabitis præ dolore cordis, et præ contritione spiritus ululabitis.*

Miseriæ peccatorum plangunturu a Sanctis.

Et subdit de habitu plangentis :

« *Vadam spoliatus,* » vestibus scilicet, ut significem terram in proximo spoliandam opibus et rebus, « *et nudus,* » ut significem terram cito denudandam. Ezech. XII, 11 : *Quomodo feci, sic fiet illis : in transmigrationem, et in captivitatem ibunt.* Et ibidem, ℣. 6 : *Portentum dedi te domui Israel.* Isa. XX, 3 et 4 : *Sicut ambulavit servus meus Isaias nudus et discalceatus, trium annorum signum et portentum erit super Ægyptum et super Æthiopiam : sic minabit rex Assyriorum captivitatem Ægypti, et transmigrationem Æthiopiæ, juvenum et senum, nudam et discalceatam, discoopertis natibus ad ignominiam Ægypti.*

Et subdit explanationem modi planctus per metaphoram :

« *Faciam planctum velut draconum.* » Draco hic intelligitur magnæ longitudinis et magnitudinis in corpore, qui (ut dicunt naturales) non veneno, sed fossura dentium interficit, de quo dicit Hieronymus, quod « dum vincitur ab « elephante, præ magnitudine doloris si- « bilum magnum, et stridorem emittit. » Et est sensus : Tantum plangam, quod præ magnitudine doloris, acumine vocis potius sibilum draconis et stridorem, quam humanam vocem videar emittere. Thren. I, 2 : *Plorans ploravit in nocte, et lacrymæ ejus in maxillis ejus.* « *Et luctum quasi struthionum.* » Struthio, ut dicitur Job, XXXIX, 14 et 15, in pulvere ponit ova sua, et obliviscitur quod

[1] Cf. Matth. VII, 26.

[2] Cf. II Reg. I, 12.

pes hominis vel bestia conculcet ea[1]. Et est sensus, quod sicut struthio derelicta ova perdit, ita ego plangam filios derelictos et perditos. Septuaginta sic : « Propter hoc planget atque lugebit, « ibit discalceata et nuda, faciet plan« ctum quasi draconum, et luctum quasi « filiæ Sirenarum. » Isa. XIII, 22 : *Sirenes in delubris voluptatis.*

9 Et subdit causam :

« *Quia desperata est plaga ejus,* » hoc est, quia desperatio et impœnitentia non permittunt redire ad pœnitentiam. Jerem. X, 19 : *Væ mihi super contritione mea, pessima plaga mea !* Jerem. XXX, 12 : *Insanabilis fractura tua, pessima plaga tua.* Et signum hujus subdit : « *Quia venit,* » per exemplum scilicet et imitationem, peccatum Samariæ « *usque ad Judam,* » hoc est, usque ad duas tribus. « *Tetigit portam populi mei.* » Hic si per *portam* intelligantur sensus corporis, per quos velut per portam intratur ad interiora spiritus, notatur idololatriæ crimen tam fuisse commune et publicum, ut omnium sensui esset expositum et obvium. Unde et videtur ad litteram, quod idola juxta portas ponebant, quæ intrantes et exeuntes de civitate venerarentur. II ad Timoth. II, 16 et 17 : *Multum enim proficiunt ad impietatem, et sermo eorum ut cancer serpit.* « *Usque ad Jerusalem,* » ita scilicet quod etiam in templo idola colerentur, sicut dicitur Ezech. VIII, 6 et seq. Isa. LVII, 8 : *Juxta me discooperuisti, et suscepisti adulterum.* Hanc malitiam Prælatorum in Ecclesia videmus dilatatam etiam usque ad religionem, ut verum sit quod dicitur, Isa. I, 6 : *A planta pedis usque ad verticem non est in eo sanitas.*

Et subdit de habitu timentis, qui præ timore mutire non audebat : 10

« *In Geth nolite annuntiare.* » Geth metropolis est Philisthinorum, unde fuit Goliath Gethæus, quem David interfecit[2]. Et est sensus : Philisthæi nesciant malum nostrum, ne lætentur : derisio enim inimici pœna sustinentis est. II Reg. I, 20 : *Nolite annuntiare in Geth, neque annuntietis in compitis Ascalonis : ne forte lætentur filiæ Philistiim, ne exsultent filiæ incircumcisorum.* Plagæ enim occultandæ sunt, ne per exemplum ad alios deriventur. « *Lacrymis ne ploretis,* » aperte scilicet, ne hostes lacrymis ad deteriora provocentur. Psal. XXXVIII, 2 et 3 : *Cum consisteret peccator adversum me, obmutui, et humiliatus sum, et silui a bonis.* Isa. XXIX, 4 : *Humiliaberis, de terra loqueris, et de humo audietur eloquium tuum : et erit quasi pythonis de terra vox tua, et de humo eloquium tuum mussitabit.* Et est hoc argumentum, quod peccata Prælatorum, vel Cleri, nec nuntianda nec plangenda sunt in publico, ne alii scandalizentur. « *In domo pulveris,* » hoc est, ruinosa et in pulverem redacta, in quibus potius antra quædam quam domus remanent, « *pulvere vos conspergite,* » hoc est, cinere ruinarum. Et est sensus : In plateis et in publico, conspersione pulveris signa tristitiæ non ostendite propter causas supradictas, sed in occulto. Isa. II, 19 : *Introibunt in speluncas petrarum, et in voragines terræ, a facie formidinis Domini, et a gloria majestatis ejus, cum surrexerit percutere terram.* Moraliter autem in domo pulveris, hoc est, hujus terrenæ habitationis, se pulvere conspergit, qui se semper pulverem fore meditatur. Job, VII, 21 : *Ecce, nunc in pulvere dormiam.* Genes. III, 19 : *Pulvis es, et in pulverem reverteris.*

Peccata Prælatorum non sunt temere publicanda.

[1] Job, XXXIX, 14 et 15 : *Quando struthio derelinquit ova sua in terra, tu forsitan in pulvere calefacies ea? Obliviscitur quod pes conculcet ea, aut bestia agri conterat.*

[2] Cf. I Reg. XVII, 50.

Et subdit quid plangat :

11 « *Et transite vobis,* » hoc est, tali habitu timoris et tristitiæ transite vobis, hoc est ad utilitatem vitæ, in captivitatem, quia melius est ut saltem captivi vivatis, quam ab hostibus interficiamini. Judith, III, 2 : *Melius est ut viventes serviamus Nabuchodonosor, regi, magno, et subditi simus tibi, quam morientes cum interitu nostro ipsi servitutis nostræ damna patiamur.* « *Habitatio Saphir,* » quod *pulchra* interpretatur. Samaria enim quondam in pulcherrimo fuit loco habitationis. « *Confusa ignominia,* » supple, nunc. I Machab. I, 42 : *Secundum gloriam ejus multiplicata est ignominia ejus.* Osee, IV, 7 : *Gloriam eorum in ignominiam commutabo.* Hoc de transitu pœnitentis planum est exponere.

Et ne causari possent, quod duæ tribus sic non transeunt in captivitatem, subdit :

« *Non est egressa quæ habitabat Saanan,* » quod interpretatur *in exitu* : et secundum Hieronymum intelligitur de Samaria, quæ jam in foribus captivitatis habitabat, et propria voluntate transire noluit. Posset tamen dici, quod intelligitur de duabus tribubus, hoc est, de Judæa, quæ propter simile peccatum etiam in exitu habitabat, licet tunc cum decem tribubus non egrederetur. Jerem. XV, 1 et 2 : *Ejice illos a facie mea, et egrediantur. Quod si dixerint ad te : Quo egrediemur ? dices ad eos : Hæc dicit Dominus : Qui ad mortem, ad mortem : et qui ad gladium, ad gladium : et qui ad famem, ad famem : et qui ad captivitatem, ad captivitatem.* « *Planctum domus Asel,* » quod interpretatur *vicinæ* vel *ex latere* : et est domus Asel genitivi casus, et singularis numeri, « *accipiet ex vobis,* » ut sicut fuistis primi in culpa, quæ ex vobis transiit in Judam, ita sitis priores in pœna. Unde planctus domus vicinæ planctus est decem tribuum, quæ vicinæ per generationem unius patris, et per vicinitatem loci sunt ad duas tribus, et similem causam planctus ab eis et post eos acceperunt. Et hoc est quod sequitur : « *Quæ stetit sibimet,* » hoc est, cum vos per idololatriam caderetis [1], illa in cultu et præsidio Dei stetit ad utilitatem suiipsius. Deuter. IV, 4 : *Vos qui adhæretis Domino Deo vestro, vivitis universi.* Jerem. XVII, 13 : *Recedentes a te in terra scribentur.*

Et bene dico, quod accipiet planctum 12
ex vobis,

« *Quia,* » supple, licet antiquitus staret ut fortis, tamen modo per peccatum « *infirmata est in bonum,* » hoc est, ad bonum faciendum. I Reg. II, 5 : *Quæ multos habebat filios, infirmata est.* Quod signatum est, II Paralip. XVI, 12, ubi dicitur, quod Asa multa fortia et bona fecit in juventute, in senectute autem doluit pedes, et nec tunc quæsivit Dominum. Ad Galat. III, 3 : *Sic stulti estis, ut cum spiritu cœperitis, nunc carne consummemini.* « *Quæ habitat in Maroth,* » quod interpretatur *amaritudo*, et intelligit de Juda quæ in angustia futuræ captivitatis jam tunc habitabat. Thren. III, 15 : *Replevit me amaritudinibus, inebriavit me absinthio.* Et bene dico, quod planctum accipiet ex vobis : « *Quia,* » supple, per ordinationem Dei, « *descendit* » ad vos « *malum* » captivitatis, « *a Domino* » omnia disponente, « *in portam Jerusalem,* » hoc est, ita ut etiam portæ Jerusalem obsideantur ab hostibus. Amos, III, 6 : *Si erit malum in civitate, quod Dominus non fecerit.* Isa. XXXI, 2 : *Ipse sapiens adduxit malum, et verba sua non abstulit.*

Quod autem sit illud malum explanat, 13
subdens :

« *Tumultus quadrigæ stuporis,* » hoc est, sonitus quadrigarum exercitus Ba-

[1] Cf. III Reg. XIV, 9 et seq.

bylonis stuporem inducens. Isa. v, 28 et 29 : *Rotæ ejus quasi impetus tempestatis. Rugitus ejus ut leonis.* Quadrigæ autem fuerunt ad arma et victualia portanda exercitui, « *Habitanti Lachis.* » Ibi enim fuit Sennacherib antequam veniret Jerusalem, sicut dicitur, Isa. XXXVII, 8 : *Reversus est Rapsaces, et invenit regem Assyriorum prœliantem adversus Lobnam. Audierat enim quod profectus esset de Lachis.* Quare autem præcipue Lachis timuerint, subdit : « *Principium peccati est filiæ Sion,* » ipsa scilicet Lachis. Qualiter autem hoc sit, subdit : « *Quia in te,* » o Lachis, « *inventa sunt scelera Israel,* » hoc est, decem tribuum. Hieronymus : « Quia ab Israel venit ido-« lolatria ad Lachim, et a Lachis in Ju-« dam. » Isa. III, 5 : *Irruet populus, vir ad virum, et unusquisque ad proximum suum.* II ad Timoth. III, 13 : *Mali homines, et seductores proficient in pejus, errantes, et in errorem mittentes.*

14 Et subdit, quod propter hoc punientur auctores culparum :

« *Propterea dabit,* » hoc est, dari disponet Dominus per Assyrios, « *emissarios,* » hoc est, latrunculos et vastatores, « *super hæreditatem Geth,* » hoc est, territoria posessa a civitate Geth, quæ metropolis est Philisthinorum. Ex illa enim urbe propagata dicitur esse idololatria in Israel. Et hoc est quod sequitur : « *Domus mendacii,* » hoc est, super domos mendacii sive idoli, quod mentitur divinitatem. Joan. VIII, 44 : *Cum loquitur mendacium, ex propriis loquitur, quia mendax est et pater ejus.* « *In deceptionem regibus Israel.* » Ex Allophylis enim reges Israel decepti, idololatriam induxerunt. Ad Galat. III, 1 : *O insensati Galatæ! quis vos fascinavit non obedire veritati?* III Reg. XXII, 21 et 22, dixit spiritus mendax : *Ego decipiam eum,* scilicet Achab,... *et ero spiritus mendax in ore omnium prophetarum ejus.*

Et quia sic deceptoribus consenserunt, ideo subdit : 15

« *Adhuc hæredem adducam tibi,* » hostem scilicet qui tuam hæreditatem suam fecit, « *quæ habitas in Maresa,* » quæ civitas est Samariæ, et *hæreditas* interpretatur, eo quod illa primo consensit in idololatriam. Thren. v, 2 : *Hæreditas nostra versa est ad alienos : domus nostræ ad extraneos.* Lucæ, XII, 20 : *Stulte, hac nocte animam tuam repetunt a te : quæ autem parasti, cujus erunt?* Eccle. v, 12 et 13 : *Est et alia infirmitas pessima, quam vidi sub sole : divitiæ conservatæ in malum domini sui. Pereunt enim in afflictione pessima.* « *Usque ad Odollam veniet* : » quæ civitas est decem tribuum, et *sæculum* interpretatur, ut dicit Hieronymus, eo quod ibi gloria sæculi in summo fuit. Et hoc est quod sequitur : « *Gloria Israel.* » Hieronymus : « Quia gloriosa est in urbibus « Israel. » Et nota quod falsa est littera, quæ dicit « usque ad Oollam, » quæ *tabernaculum* interpretatur. Apoc. XVIII, 7 : *Quantum glorificavit se, et in deliciis fuit, tantum date illi tormentum et luctum.*

Maresa interpratatur hæreditas.

Et subdit qualiter plangendum sit : 16

« *Decalvare,* » evulsis scilicet pilis, ut significes quosdam de populo penitus evellendos a capite, « *et tondere,* » ut significes aliquos spolio esse decurtandos. Ezech. v, 1 : *Et tu, fili hominis, sume tibi gladium acutum, radentem pilos : et assumes eum, et duces per caput tuum, et per barbam tuam.* « *Super filios deliciarum tuarum.* » *Filii deliciarum* sunt nutriti in deliciis, et ad ultimam infelicitatem et miseriam devenerunt. Thren. IV, 5 : *Qui vescebantur voluptuose, interierunt in viis : qui nutriebantur in croceis, amplexati sunt stercora.* « *Dilata calvitium tuum sicut aquila,* » quæ mutando se, pennam post pennam abjicit, donec tota deplumetur. « *Quoniam captivi ducti sunt ex te,* » supple, filii tui le-

viter sicut pennæ cadentes. Baruch, IV, 12 : *Nemo gaudeat super me viduam, et desolatam : a multis derelicta sum propter peccata filiorum meorum.* Isa. LI, 20 : *Filii tui projecti sunt, dormierunt in capite omnium viarum sicut oryx illaqueatus pleni indignatione Domini, increpatione Dei tui.*

CAPUT II.

Propheta populi sui multiplicem injustitiam, aliaque peccata recensens, prædicit vindictam et captivitatem ipsi imminere : et ob id lugens, reliquiarum futuram congregationem denuntiat.

1. Væ qui cogitatis inutile, et operamini malum in cubilibus vestris! in luce matutina faciunt illud, quoniam contra Deum est manus eorum.
2. Et concupierunt agros, et violenter tulerunt : et rapuerunt domos : et calumniabantur virum, et domum ejus : virum et hæreditatem ejus.
3. Idcirco hæc dicit Dominus : Ecce ego cogito super familiam istam malum unde non auferetis colla vestra : et non ambulabitis superbi, quoniam tempus pessimum est.
4. In die illa sumetur super vos parabola, et cantabitur canticum cum suavitate, dicentium : Depopulatione vastati sumus : pars populi mei commutata est : quomodo recedet a me, cum revertatur, qui regiones nostras dividat?
5. Propter hoc non erit tibi mittens funiculum sortis in cœtu Domini.
6. Ne loquamini loquentes : Non stillabit super istos, non comprehendet confusio.
7. Dicit domus Jacob : Numquid abbreviatus est spiritus Domini, aut tales sunt cogitationes ejus? Nonne verba mea bona sunt cum eo qu recte graditur?
8. Et e contrario populus meus in adversarium consurrexit. Desuper tunica pallium sustulistis : et eos qui transibant simpliciter convertistis in bellum.
9. Mulieres populi mei ejecistis de domo deliciarum suarum : a parvulis earum tulistis laudem meam in perpetuum.
10. Surgite, et ite, quia non habetis hic requiem : propter immunditiam ejus corrumpetur putredine pessima.
11. Utinam non essem vir habens spiritum, et mendacium potius loquerer! Stillabo tibi in vinum et in ebrietatem : et erit super quem stillatur populus iste.
12. Congregatione congregabo, Jacob, totum te : in unum conducam reliquias Israel : pariter ponam illum quasi gregem in ovili, quasi pecus in medio caularum : tumultuabuntur a multitudine hominum.
13. Ascendet enim pandens iter ante eos : divident, et transibunt portam, et ingredientur per eam : et transibit rex eorum coram eis, et Dominus in capite eorum.

IN CAPUT II MICHÆÆ

ENARRATIO.

« *Væ qui cogitatis inutile!* » In parte ista comminatur malum in comparatione ad studium Ninive contra proximum. Et habet duas partes, mali scilicet exaggerationem, et Prophetæ compassionem, ibi, ℣. 11 : *Utinam non essem vir!* »

Prima in tres. Primo enim malum exaggerat : secundo quæstioni populi respondet, ibi, ℣. 4 : « *Quomodo recedet ame?* » Tertio, exaggerato malo, pœnam comminatur, ibi, ℣. 8 : « *Desuper tunica.* »

In prima tria sunt, scilicet culpæ exaggeratio : pœnæ interminatio, ibi, « *Idcirco hæc dicit Dominus.* » Et magnitudinis pœnæ descriptio, ibi, « *In die illa sumetur super vos parabola.* »

In prima tria sunt, scilicet peccati maledictio, ad peccatum perpetrandum studiosa cogitatio, et omnium peccatorum in avaritia radicatio.

1 « *Væ qui cogitatis inutile!* » Inutile vocat nocivum, hoc est, peccatum. Ad Roman. vi, 21 : *Quem ergo fructum habuistis tunc in illis, in quibus nunc erubescitis? Nam finis illorum mors est.* Psal. iv, 3 : *Ut quid diligitis vanitatem, et quæritis mendacium?* Isa. i, 16 : *Auferte malum cogitationum vestrarum ab oculis meis.* « *Et operamini malum,* » quod ante scilicet cogitastis, « *in cubilibus vestris.* » Notat peccata libidinis, quæ mente primo tractantur, et postea in stupris et adulteriis committuntur. Unde Hieronymus : « Cubilia ad quiescendum « data, stupris polluistis. » Genes. xlix, 4 : *Ascendisti cubile patris tui, et maculasti stratum ejus.* Apoc. ii, 20 : *Permittis mulierem Jezabel, quæ se dicit prophetem, docere, et seducere servos meos, fornicari, et manducare de idolothytis.* Amos, vi, 4 : *Lascivitis in stratis vestris.* Hoc est cubile meretricis. Prov. vii, 17 et 18 : *Aspersi cubile meum myrrha, et aloe, et cinnamomo,* quæ scilicet libidinem incitant : *Veni, inebriemur uberibus, et fruamur cupitis amplexibus, donec illucescat dies.*

Et subdit de studio perficiendi :

« *In luce matutina faciunt illud,* » hoc est, in publico et mane. Job, xxxiv, 14 : *Mane primo consurgit homicida, interficit egenum et pauperem.* In luce faciunt qui ad scandalum plurimorum peccant. Isaiæ, iii, 9 : *Peccatum suum quasi Sodoma prædicaverunt, nec absconderunt.* Jerem. iii, 3 : *Frons mulieris meretricis facta est tibi, noluisti erubescere.* « *Quoniam contra Deum est manus eorum,* » hoc est, tota potestas qua possunt malignari. Job, xv, 26 : *Cucurrit adversus Deum erecto collo, et pingui cervice armatus est.*

Et subdit de peccatorum in avaritia radicatione : 2

« *Et concupierunt agros* » supple, alienos. II ad Timoth. vi, 10 : *Radix omnium malorum est cupiditas.* Contra quod dicitur, Exod. xx, 17 : *Non concupisces domum proximi tui.* Jacob. iv, 1 : *Unde bella, et lites in vobis? Nonne hinc? ex concupiscentiis vestris, quæ militant in membris vestris?* « *Et violenter tulerunt,* » hoc est, abstulerunt. Job, xxiv, 6 : *Agrum non suum demetunt : et vineam ejus, quem vi oppresserunt, vindemiant.* Simile factum est, III Regum, xxi, 16, ubi Naboth interfecto, Achab vineam ejus possedit. « *Et domos rapuerunt,* » alienas scilicet per rapinam suas esse dixerunt. Isa. v, 8 : *Væ qui conjungitis domum ad domum, et agrum agro copulatis usque ad terminum loci!* « *Et calumniabantur virum,* » hoc est, per calumniam oppresserunt. Genes. xliii, 18 : *Introducti sumus, ut devolvat in nos calumniam, et violenter subjiciat servituti et nos, et asinos nostros.* Isa.

Radix omminium malorum est cupiditas.

LII, 4 : *Assur absque ulla causa calumniatus est eum.* « *Et domum ejus,* » hoc est, familiam ejus : ut non tantum subjicerent patremfamilias, sed etiam filios et filias ejus acciperent in servos et ancillas. IV Regum, IV, 1 : *Ecce venit creditor ut tollat duos filios meos ad serviendum sibi.* « *Virum,* » supple, calumniabantur, « *et hæreditatem ejus,* » quæ scilicet extra domum ad sustentationem filiorum pertinebat. III Regum, XXI, 3 : *Propitius sit mihi Deus, ne dem hæreditatem patrum meorum tibi.* Thren. V, 2 : *Hæreditas nostra versa est ad alienos, domus nostræ ad extraneos.*

3 Et subdit pœnam, et magnitudinem pœnæ exaggerat per parabolam et modum vastationis :

« *Idcirco hæc dicit Dominus : Ecce ego cogito,* » disponendo scilicet, et adducendo. Isa. XXXI, 2 : *Ipse sapiens adduxit malum, et verba sua non abstulit.* « *Super familiam istam,* » supple, pessimam, « *malum* » pœnæ. Deut. XXXII, 20 : *Generatio perversa est, et infideles filii.* Isa. XXXI, 2 : *Consurget contra domum pessimorum.* « *Unde non auferetis colla vestra,* » hoc est, auferre non possitis. Hoc maxime videtur intelligi de captivitate Romana. Eccli. XXIV, 11 : *Excellentium et humilium colla propria virtute calcavi.* Eccli. XL, 1 : *Occupatio magna creata est omnibus hominibus, et jugum grave super filios Adam.* Et ex sermone isto videtur quod liberandi non sint, sed condemnati ad perpetuam servitutem. Osee, XI, 7 : *Jugum imponetur eis simul, quod non auferetur.* Et ibidem, ℣. 4 : *Ero eis quasi exaltans jugum super maxillas eorum.* « *Et non ambulabitis superbi,* » pœna scilicet captivitatis, vel pœnitentiæ vos humiliante. Isa, II, 17 : *Incurvabitur sublimitas hominum, et humiliabitur altitudo virorum, et elevabitur Dominus solus in die illa.*

Judæorum perpetua est captivitas.

« *Quoniam tempus pessimum est,* » propter scilicet pœnæ magnitudinem. Matth. XXIV, 21 : *Erit enim tunc tribulatio magna, qualis non fuit ab initio mundi usque modo.* Daniel. XII, 1 : *Veniet tempus quale non fuit ab eo ex quo gentes esse cœperunt usque ad tempus illud.*

Et exaggerat per parabolam, subdens : 4
« *In die illa sumetur super vos parabola,* » ut scilicet ex pœna vestra aliis fiat parabola correctionis. Psal. LXVIII, 12 : *Factus sum illis in parabolam.* Sic Isaias parabolam sumpsit super regem Babylonis [1]. Sic Ezechiel contra regem Tyri [2]. « *Et cantabitur canticum,* » supple, miseriæ vestræ, « *cum suavitate dicentium,* » qui scilicet lætabuntur in pœnis nostris. Thren. I, 21 : *Omnes inimici mei audierunt malum meum : lætati sunt, quoniam tu fecisti.* Job, XXX, 9 : *Nunc in eorum canticum versus sum, et factus sum eis in proverbium.* Psal. LXXVIII, 4 : *Facti sumus opprobrium vicinis nostris, subsannatio et illusio his qui in circuitu nostro sunt.*

Et subdit de modo vastationis in se et in signo. Et est sermo prophetæ recognoscentis pœnam judicis.

« *Depopulatione vastati sumus.* » Tyrannus enim rapiens, aliquid relinquit, depopulatio populi nihil. Jerem. IV, 29 et 30 : *Universæ urbes derelictæ sunt, et non habitat in eis homo. Tu autem, vastata, quid facies ?* Et hujus ponit signum : « *Pars populi mei commutata est.* » Hieronymus, hoc est, « templum « meum quod in vobis et non in aliis « gentibus habebam, mutabitur in rui« nam. » Posset tunc dici, quod intransitiva constructio est, inter obliquum et rectum, et est sensus : Pars quod est populus meus, commutata est et cultu, et moribus, et dominatu, quia ad alienos dominos transivit. Thren, V, 8 :

[1] Cf. Isa. XIV, 4 et seq.

[2] Cf. Ezech. XXVIII, 2 et seq.

Servi dominati sunt nostri : non fuit qui redimeret de manu eorum. Joan. VIII, 34 : *Qui facit peccatum, servus est peccati.*

« *Quomodo recedet a me.* » Removet hic falsas rationes et consolationes populi, et sunt duæ : una quod transitorium sit flagellum : secunda quod tanta sit misericordia Dei, quod malum non immittet. Prima tacita est, et est ac si dicat : Vos dicitis quod transitoria est tribulatio, et quod recedet tribulator ; ego vero per affectum connumerans me populo, respondeo : « *Quomodo recedet a me ?* » hoc est, a sorte mea, Assyrius scilicet vel Romanus, vel diabolus, « *cum revertatur* » iterata tyrannide, « *qui regiones nostras dividat,* » hoc est, suis satellitibus sorte distribuat. Simile, Isa. XXVIII, 15 : *Dixistis enim : Percussimus fœdus cum morte, et cum inferno fecimus pactum. Flagellum inundans cum transierit, non veniet super nos.* Et post pauca respondet, ℣. 18 : *Delebitur fœdus vestrum cum morte, et peccatum vestrum cum inferno non stabit : flagellum inundans cum transierit, eritis ei in conculcationem.* Isa. I, 7 : *Regionem vestram coram vobis alieni devorant, et desolabitur sicut in vastitate hostili.*

5 « *Propter hoc* » scilicet quia talem falsam consolationem tibi promittis, « *non erit tibi mittens funiculum sortis,* » in restituenda tibi hæreditate, « *in cœtu Domini,* » hoc est, in cœtu revertentium de captivitate. Hoc significatum est, II Esdræ, XIII, 3, ubi qui non invenerunt genealogiam scripturæ suæ, separati sunt ab hæreditate Domini [1].

6 « *Ne loquamini loquentes.* » Secunda consolatio, ubi sibi impunitatem ex misericordia Dei promittebant.

« *Ne loquamini loquentes.* » Isa. III, 12 : *Popule meus, qui te beatum dicunt, ipsi te decipiunt, et viam gressuum tuorum dissipant.* « *Non stillabit super istos,* » supple, ira Dei, per temporalem pœnam : quia sicut stilla post stillam, ita pœna post pœnam ordinate inducitur. Job, XXIX, 22 : *Super illos stillabat eloquium meum.*

Et quod dixit, exponit subdens : « *Non comprehendet confusio,* » per pœnam scilicet : hoc est enim contra hoc quod dicitur, Matth. XXI, 41 : *Malos male perdet.*

« *Dicit domus Jacob,* » impunitatem scilicet in peccatis sibi promittens, quod 7 Peccatores spe impunitatis non sunt lactandi.
est lactare peccatores. Proverb. I, 10 : *Fili mi, si te lactaverint peccatores, ne acquiescas eis.*

« *Numquid abbreviatus est spiritus Domini ?* » Ratio est populi ad confirmandam falsam consolationem, et est sensus : Numquid spiritus Domini omnibus largus in bonitate, brevis et restrictus erit nobis ? Quasi dicat : Non : et ideo salvabit nos. Fundatur super illud Isa. LIX, 1 : *Ecce non est abbreviata manus Domini ut salvare nequeat, neque aggravata est auris ejus ut non exaudiat.* Et addunt aliam rationem : « *Aut tales sunt cogitationes ejus ?* » quales scilicet hominum, ut antiquam retineat iram. Isa. LV, 9 : *Sicut exaltantur cœli a terra, sic exaltatæ sunt viæ meæ a viis vestris, et cogitationes meæ a cogitationibus vestris.*

Et subdit responsionem Domini contra præsumptionem eorum :

« *Nonne verba mea,* » per Prophetas scilicet dicta, « *bona sunt,* » hoc est consolatoria, et multa bona promittentia,

[1] II Esdræ, XIII, 3 : *Factum est autem, cum audissent legem, separavarunt omnem alienigeman ab Israel.*

« *cum eo,* » bono scilicet viro « *qui recte graditur ?* » Hieronymus : « Bonus « quidem sum, sed non malis, sed eis « qui recte gradiuntur. » Zach. I, 13 : *Respondit Dominus Angelo, qui loquebatur in me verba bona, verba consolatoria.* Psal. LXXII, 1 : *Quam bonus Israel Deus, his qui recto sunt corde !*

8 « *Et e contrario,* » contra me scilicet sæviendo, « *populus meus* » supple, quondam, « *in adversarium consurrexit,* » contra me scilicet. Propter quod, Jerem. III, 6 et seq., dicitur : *Aversatrix Israel.., prævaricatrix soror ejus, Juda,* quia adversatur Deo suo. Jerem. XII, 8 : *Facta est mihi hæreditas mea quasi leo in silva : dedit contra me vocem.*

In quo autem adversetur, subdit, peccata improperando :

« *Desuper tunica pallium sustulistis.* » *Tunica* a tegendo dicta operimentum nuditatis est : *pallium* vero exterius vestimentum, quod tollebant solum tegimen nuditatis propter confusionem relinquentes. Job, XXIV, 7 : *Nudos dimittunt homines indumenta tollentes, quibus non est operimentum in frigore.* Cant. V, 7 : *Tulerunt pallium meum mihi custodes murorum.* Quod etiam Prælatis convenit per calumniam populum spoliantibus.

Et subdit :

« *Et eos, qui transibant simpliciter,* » hoc est, sine dolo et fraude negotia sua agentes, « *convertistis in bellum,* » per advocatos scilicet, et cavillationes. Psal. LXVII, 31 : *Dissipa gentes, quæ bella volunt.* Advocati enim sunt qui omne rectum pervertunt. Amos, V, 7 : *Convertitis in absinthium judicium, et justitiam,* Domini scilicet, *in terra relinquitis.* Isa. V, 23 : *Justificatis impium pro muneribus, et justitiam justi aufertis ab eo.*

Advocatorum perversitas.

Nec hoc solum, sed « *Mulieres populi mei ejecistis,* » vel in captivitatem mittendo propter peccatum, vel a viris suis separando per calumniam. Et hoc est quod sequitur : « *De domo deliciarum suarum,* » hoc est, in quibus quondam delicate vivebant cum maritis et pueris. Malach. II, 11 et 12 : *Contaminavit Judas sanctificationem Domini, quam dilexit,* hoc est, matrimonium, *et habuit filiam dei alieni. Disperdet Dominus virum, qui fecerit hoc, magistrum et discipulum de tabernaculis Jacob.* Hæc est lingua tertia advocatorum, de qua dicitur, Eccli. XXVIII, 19 : *Lingua tertia mulieres viratas ejecit, et privavit illas laboribus suis.* Prima enim lingua expositio veritatis est in conquerente. Secunda lingua responsio veritatis est in judice. Tertia lingua justitiæ perversio est in cavillatore. « *A parvulis earum,* » quos scilicet nutriendos ad laudem meam susceperunt, « *tulistis,* » hoc est, abstulistis, « *laudem meam,* » hoc est, materiam laudis meæ, « *in perpetuum.* » Ejecti enim et spoliati beneficiis, Deum jam non laudant, sed potius murmurant et blasphemant. Isa. LII, 5 : *Jugiter tota die nomen meum blasphematur,* scilicet per vos inter Gentes [1]. Econtra autem de bonis dicitur in Psal. VIII, 3 : *Ex ore infantium et lactentium perfecisti laudem.* Hieronymus : « Per matronas, urbes Judææ me- « taphorice captæ intelliguntur. »

Ex omnibus his infert comminationem, subdens : 10

« *Surgite,* » supple, ergo, « *et ite,* » in captivitatem, « *quia non habetis*

[1] Ad Roman. II, 24 : *Nomen Dei per vos blasphematur inter Gentes, sicut scriptum est,* Isa. LII, 5 ; Ezech. XXXVI, 20.

hic, » in domibus et in terra vestra, « *requiem.* » Jerem. XVI, 13 : *Servietis ibi diis alienis die ac nocte, qui non dabunt vobis requiem.* Thren. V, 5 : *Cervicibus nostris minabamur, lassis non dabatur requies.*

Quare autem non sint hic habituri requiem, subdit, supple, quia, « *Propter immunditiam ejus,* » populi, scilicet in peccatis et idololatriis, « *corrumpetur,* » supple, terra, fœtore scilicet cadaverum, « *putredine pessima,* » per gladium scilicet regis Babylonis, vel extremæ condemnationis. Amos, IV, 10 : *Percussi in gladio juvenes vestros usque ad captivitatem equorum vestrorum : et ascendere feci putredinem castrorum vestrorum in nares vestras.* Isaiæ, XXXIV, 7 et 8 : *Inebriabitur terra eorum sanguine, et humus eorum adipe pinguium, quia dies ultionis Domini,* supple, est. Septuaginta sic : « Duces populi mei « projicientur de domibus deliciarum « suarum, propter malas adinventiones « suas ejecti sunt. » Hieronymus : « Ecclesiæ principes qui deliciis affluunt, et « inter epulas atque lascivias pudicitiam « se servare credunt, propheticus sermo « describit, quod ejiciendi sint de spatiosis domibus, lautisque conviviis et « multo labore epulis conquisitis, et ejiciendi propter malas cogitationes et « opera sua. Et si vis scire quo ejiciendi sint, Evangelium lege, Matth. XXV, « 30 : *In tenebras* scilicet *exteriores : illic « erit fletus et stridor dentium.* An non « confusionis et ignominiæ est, Jesum crucifixum magistrum pauperum atque esurientem fartis prædicare corporibus, et « jejuniorum doctrinam rubentes buccas, « tumentiaque ora proferre ? »

Pudicitiam inter epulas servare difficile.

11 « *Utinam non essem vir !* » Tangitur hic compassio Prophetæ in tribus, affectu scilicet compassionis, prædicatione veritatis, et promissione consolationis.

« *Utinam non essem vir,* » scilicet non fractus mollitie falsitatis, sed viriliter stans veritatis vigore. I ad Timoth. II, 14 : *Adam non est seductus, mulier autem seducta in prævaricatione fuit.* « *Habens spiritum.* » Hieronymus : « Ubicumque in Veteri vel Novo Testamento, « *spiritus* sine additamento ponitur, in bonam partem accipitur. » « *Et mendacium potius loquerer,* » hoc est, utinam spiritu meo, qui falli potest, hoc dicerem, et non a Spiritu veritatis ! Et sic excluditur objectio quorumdam, dicentium non debere sanctum virum optare se Spiritum Dei non habere. Cum verbis enim ad animam pertinentibus non valet hujusmodi processus, volo hoc, ergo non volo contrarium ejus quod cum ipso stare non potest. Unde voluit et Spiritum Dei habere, et tamen hoc quod dixit, a Spiritu Dei non dicere. Simile, Apostolus ad Roman. IX, 3 : *Optabam ego ipse anathema esse a Christo pro fratribus meis.* Jerem. XXVIII, 2 et 6, cum Hananias pseudopropheta diceret : *Contrivi jugum regis Babylonis,* et quod referenda essent vasa Domini in Jerusalem, ait Jeremias ad Hananiam : *Amen, sic faciat Dominus : suscitet Dominus verba tua, quæ prophetasti, ut referantur vasa in domum Domini.*

Nota regulam de verbis propheticis.

Et subdit de prædicatione veritatis : « *Stillabo tibi in vinum.* » Ac si dicat, infra, Mich. III, 8 : *Ego repletus sum fortitudine spiritus Domini,* qui est spiritus veritatis, *stillabo,* hoc est, ordinate prophetabo, *in vinum,* compunctionis scilicet et amaritudinis (Psal. LIX, 5 : *Potasti nos vino compunctionis,* et Psal. LXXIX, 6 : *Potum dabis nobis in lacrymis*) « *et in ebrietatem.* » Hieronymus : « Quia Propheta sum et Spiritu « Dei loquor, et a divinitate missus prædico veritatem, propterea stillabo tibi « sermonem meum in meracum, vinum « quod te inebriet et corruere faciat. » Jerem. XXV, 27 : *Bibite, et inebriamini, et vomite : et cadite, neque surgatis a facie gladii, quem ego mittam inter vos.* « *Et erit super quem stillatur,* » supple, sive velit sive nolit, « *populus iste.* »

II ad Corinth. XIII, 8 : *Non possumus aliquid adversus veritatem, sed pro veritate.*

12 Et subdit de promissione consolationis.

« *Congregatione congregabo, Jacob.* » Vocativi casus est : « *totum in te.* » Hoc est : O Jacob, totum te qui verus luctator es virtutis, totum te congregabo congregatione. *Congregatione congregatur*, in quo est aliqua forma congregationis, sicut est forma charitatis vel spiritus, et ordo ecclesiasticus vel virtutis : in unum autem congregatur, qui non dispari cultu, sed uni Deo conjungitur. Psal. CV, 47 : *Congrega nos de nationibus, ut confiteamur nomini sancto tuo.* Ezech. XXXIX, 23 : *Congregabo eos de terris inimicorum suorum.* Et post pauca, ℣. 29 : *Et scient quia ego Dominus Deus eorum, eo quod transtulerim eos in nationes, et congregaverim eos super terram suam, et non reliquerim quemquam ex eis ibi.*

Et hoc est quod sequitur :

« *In unum conducam reliquias Israel,* » in cor unum scilicet et animam unam. Act. IV, 32 : *Multitudinis credentium erat cor unum, et anima una.* Isa. LXVI, 20 : *Adducent omnes fratres vestros de cunctis gentibus donum Domino.* « *Pariter ponam illum quasi gregem in ovili,* » hoc est, sub unius pastoris custodia in Ecclesia. Joan. X, 16 : *Alias oves habeo, quæ non sunt ex hoc ovili : et illas oportet me adducere, et vocem meam audient, et fiet unum ovile, et unus pastor.* « *Quasi pecus in medio caularum,* » supple, ponam eum. Glossa inducit hoc Psal. XXII, 2 : *In loco pascuæ, ibi me collocavit.* Caula ovium est, in qua pabula reponuntur. Genes. XXIV, 25 : *Palearum quoque et fœni plurimum est apud nos, et locus spatiosus ad manendum.* Ezech. XXXIV, 14 : *In pascuis uberrimis pascam eas, et in montibus excelsis Israel erunt pascua earum : ibi requiescent in herbis virentibus, et in pascuis pinguibus pascentur.* « *Tumultuabuntur a multitudine hominum.* » Hieronymus : « Tumultus est clamor ni- « miæ multitudinis pari aspiratione emis- « sus. » Isaiæ, LX, 5 : *Tunc videbis, et afflues, et mirabitur et dilatabitur cor tuum, quando conversa fuerit ad te multitudo maris, fortitudo gentium venerit tibi.*

« *Ascendet enim,* » pastor scilicet et dux, per verbum scilicet et exemplum, 13
« *pandens iter ante eos,* » hoc est, planum iter faciens et patulum. Joan. X, 4 : *Cum proprias oves emiserit, ante eas vadit : et oves illum sequuntur.* « *Divident, et transibunt portam,* » hoc est, divident greges, scilicet hircos ab ovibus, et malos a bonis, et transibunt portam sacramentorum et virtutum, quæ inducit in Ecclesiam. Ezech. XXXIV, 17 : *Ecce ego judico inter pecus et pecus, arietum et hircorum.* Matth. XXV, 32 : *Separabit eos ab invicem, sicut pastor segregat oves ab hœdis.* « *Et ingredientur per eam,* » portam Ecclesiæ, pastorem scilicet, qui est ostium et ostiarius. Joan. X, 9 : *Ego sum ostium. Per me si quis introierit, salvabitur : et ingredietur, et egredietur, et pascua inveniet.* « *Et transibit rex,* » hoc est, Prælatus « *eorum coram eis,* » in verbo scilicet et exemplo. I Petr. V, 3 : *Forma facti gregis ex animo.* « *Et Dominus in capite eorum,* » supple, transibit, tamquam omnium princeps. I ad Corinth. XI, 3 : *Caput Christi, Deus.* I Petr. II, 25 : *Conversi estis nunc ad Pastorem, et Episcopum animarum vestrarum.*

CAPUT III.

Propter peccata principum, judicum, pseudoprophetarum ac sacerdotum populi Israel, comminatur Dominus gravem ultionem, et Jerosolymæ deletionem.

1. Et dixi : Audite, principes Jacob, et duces domus Israel : Numquid non vestrum est scire judicium?
2. Quia odio habetis bonum, et diligitis malum : qui violenter tollitis pelles eorum desuper eis, et carnem eorum desuper ossibus eorum.
3. Qui comederunt carnem populi mei, et pellem eorum desuper excoriaverunt, et ossa eorum confregerunt, et conciderunt sicut in lebete, et quasi carnem in medio ollæ.
4. Tunc clamabunt ad Dominum, et non exaudiet eos : et abscondet faciem suam ab eis in tempore illo, sicut nequiter egerunt in adinventionibus suis.
5. Hæc dicit Dominus super prophetas qui seducunt populum meum, qui mordent dentibus suis, et prædicant pacem ; et si quis non dederit in ore eorum quippiam, sanctificant super eum prælium.
6. Propterea nox vobis pro visione erit, et tenebræ vobis pro divinatione : et occumbet sol super prophetas, et obtenebrabitur super eos dies.
7. Et confundentur qui vident visiones, et confundentur divini : et operient omnes vultus suos, quia non est responsum Dei.
8. Verumtamen ego repletus sum fortitudine spiritus Domini, judicio, et virtute, ut annuntiem Jacob scelus suum, et Israel peccatum suum.
9. Audite hoc, principes domus Jacob, et judices domus Israel, qui abominamini judicium, et omnia recta pervertitis :
10. Qui ædificatis Sion in sanguinibus, et Jerusalem in iniquitate.
11. Principes ejus in muneribus judicabant, et sacerdotes ejus in mercede docebant, et prophetæ ejus in pecunia divinabant : et super Dominum requiescebant, dicentes : Numquid non Dominus in medio nostrum? Non venient super nos mala.
12. Propter hoc, causa vestri, Sion quasi ager arabitur, et Jerusalem quasi acervus lapidum erit, et mons templi in excelsa silvarum [2].

[1] Ezech. XXII, 27; Sophon. III, 3.

[2] Jerem. XXVI, 18.

IN CAPUT III MICHÆÆ

ENARRATIO.

« *Et dixi.* » In hoc capitulo exaggerat pœnam sub differentia peccantium. Et dividitur in tria, in peccata scilicet tyrannorum, pseudoprophetarum, ibi, ℣. 5 : « *Hæc dicit Dominus super Prophetas,* » et Prælatorum, ibi, ℣. 9 : « *Audite hoc, principes domus Jacob.* »

Prima in duas : primo improperat peccata, secundo interminatur pœnam, ibi, « *Tunc clamabunt.* »

In prima attentos reddit, et explanat circa quid attendant.

1 « *Et dixi :* » auctoritate scilicet Domini. Ezech. II, 7 : *Loqueris verba mea ad eos, si forte audiant, et quiescant.* « *Audite, principes Jacob,* » duodecim scilicet tribuum. Et nominat Jacob, ut pudeat eos tantum patrem non imitari. Moraliter autem, per Jacob qui *luctator* interpretatur, sæculares significantur, in lucta mundi viventes ; et principes Jacob, principes tribuum et familiarum dicuntur. « *Et duces domus Israel,* » hoc est, sacerdotes et reges et præfecti, qui non tantum super familias, sed super totum populum vel magnam partem constituti sunt. Psal. LXVII, 28 : *Principes Juda, duces eorum : principes Zabulon, principes Nephthali.* Sap. VI, 2 : *Audite, reges, et intelligite : discite, judices finium terræ.* Psal. II, 10 : *Et nunc, reges intelligite : erudimini, qui judicatis terram.*

Et subdit quid audiant, scilicet quod impedimentum boni et impedimentum veritatis est apud eos, eo quod informati sunt contrario boni et contrario veri. Et hoc primo dicit in universali, secundo demonstrat in particulari.

« *Numquid non vestrum est scire judicium ?* » Quasi diceret : Non est. Quia quamvis ex officio scirent, tamen pravitas mentis scire cum affectu non permittit. Hieronymus : « Non estis digni scire « judicium Dei, quod est abyssus multa, « nec prava mens vestra penetrat pro- « fundam ejus justitiam. » Simile, Jerem. XIII, 23 : *Si mutare potest Æthiops pellem suam, aut pardus varietates suas : et vos poteritis benefacere, cum didiceritis malum.* I Regum, II, 12 et 13 : *Filii Heli, filii Belial, nescientes Dominum, neque officium sacerdotum ad populum.* Sap. I, 4 : *In malevolam animam non introibit sapientia, nec habitabit in corpore subdito peccatis.* Consueta relinquere difficile.

Et subdit quod obstat contrarius habitus et affectus : 2

« *Qui odio habetis bonum,* » neutraliter vel masculine. Si neutraliter bonum in actibus et effectibus odio habuerunt, sed non bonum unde omne bonum, quia hoc (ut dicit Dionysus) nemo odisse potest. Si masculine, tunc bonos et sanctos odio habuerunt. Amos, V, 10 : *Odio habuerunt corripientem in porta, et loquentem perfecte abominati sunt.* Psal. XLIX, 17 : *Tu vero odisti disciplinam, et projecisti sermones meo sretrorsum.* « *Et diligitis malum,* » neutraliter vel masculine. Psal. XLIX, 18 : *Si videbas furem, currebas cum eo, et cum adulteris portionem tuam ponebas.* Isa. LIX, 6 et 7 : *Opera eorum opera inutilia, et opus iniquitatis in manibus eorum. Pedes eorum ad malum currunt, et festinant ut effundant sanguinem innocentem.*

Et descendit ad specialia :

« *Qui violenter tollitis pelles eorum desuper eis.* » Per *pelles* exteriora bona significantur, quæ in tegumentum et defensionem mortalitatis data sunt. Ideo sub metaphora leonis vel latronis crudelitas principum Israel describitur, qui subditis tamquam pecoribus utuntur, excoriantes oppressionibus angariarum et perangariarum rapinis. Animal enim Tyrannis principum exsecranda.

cui tota pellis aufertur, moritur. Isa. III, 12 : *Populum meum exactores sui spoliaverunt, et mulieres dominatæ sunt eis.* « *Et carnem eorum desuper ossibus eorum,* » supple, violenter tollitis. Per *carnes* significantur mollia et delicata ad fomentum teneritudinis humanæ concessa, tam in vestitu quam in lectulo et esculento et poculento. Job, x, 11 : *Pelle et carnibus vestisti me : ossibus et nervis compegisti me.* De talibus mollibus dicitur, Ezech. XVI, 13 : *Similam, et mel, et oleum comedisti, et decora facta es vehementer nimis.* Hæc mollia vestiunt ossa ne arescant;

3 Et exaggerando peccatum iterat :

« *Qui comederunt carnem populi mei.* » Psal. XIII, 4 : *Qui devorant plebem meam sicut escam panis.* « *Et pellem eorum desuper excoriaverunt* : » et exteriora et teneritudini interiori concessa devorantes. Ezech. XXXIV, 8 : *Facti sunt greges mei in rapinam, et oves meæ in devorationem omnium bestiarum.* « *Et ossa eorum confregerunt.* » *Ossa* in quibus sustentatio et robur corporis est, vires corporis et virtutes animæ significant : quæ confringunt, qui angariis et perangariis consumunt vires corporis, et lassant virtutes animæ. Isaiæ, III, 15 : *Quare atteritis populum meum, et facies pauperum commolitis?* Psal. CI, 4 : *Ossa mea sicut cremium aruerunt.* « *Et conciderunt sicut in lebete.* » *Scissura* divisionem notat : non enim unus rapuit, sed quilibet in officio. *Lebes* autem constrictionem significat, qua in termino suæ potestatis constrinxerunt pauperes. Et hoc est quod sequitur : « *Et quasi carnem,* » supple, conciderunt eos, « *in medio ollæ.* » *Olla* Jerusalem significat civitatem, vel Ecclesiam, in qua prædicto modo coquuntur pauperes. Ezech. XXIV, 6 : *Væ civitati sanguinum, ollæ cujus rubigo in ea est!* Et post pauca, ℣℣. 9 et 10 : *Cujus ego grandem faciam pyram. Congere ossa, quæ igne succendam : consumentur carnes, et coquetur universa compositio.* Jerem. I, 13 : *Ollam succensam ego video.*

Et subdit pœnam : 4

« *Tunc,* » in tribulatione scilicet futura, « *clamabunt ad Dominum.* » Isa. LXV, 14 : *Vos clamabitis præ dolore cordis, et præ contritione spiritus ululabitis.* « *Et non exaudiet eos.* » Glossa : « *Judicium fiet illi, sine misericordia* « *qui non fecit misericordiam* [1]. » Proverb. I, 28 : *Tunc invocabunt me, et non exaudiam : mane consurgent, et non invenient me.*

Et hoc est quod sequitur : » « *Et abscondet faciem suam ab eis.* » Abscondere faciem est subtrahere gratiam. Job, XIII, 24 : *Faciem tuam abscondis, et arbitraris me inimicum tuum.* Isa. LIV, 8 : *In momento indignationis abscondi faciem meam parumper a te.* « *In tempore illo,* » quando scilicet maxime indigent. Psal. LXXIV, 3 : *Cum accepero tempus, ego justitias judicabo.* « *Sicut nequiter egerunt.* » Nequiter agere est tantum malum facere, quod nequeat plus. I Reg. XVII, 28 : *Ego novi superbiam tuam, et nequitiam cordis tui.* « *In adinventionibus suis,* » novos modos extorsionis semper invenientes. Isa. III, 8 : *Lingua eorum et adinventiones eorum contra Dominum, ut provocarent oculos majestatis ejus.*

« *Hæc dicit Dominus Deus super Prophetas.* » In hac secunda parte loquitur contra Prophetas, exaggerando peccatum et interminando pœnam. 5

« *Hæc dicit Dominus Deus super Prophetas,* » opprimendos scilicet massa tribulationis, « *qui seducunt populum meum,* » hoc est, seorsum a veritate du-

[1] Jacob. II, 13.

cunt. Ad Roman. xvi, 18 : *Per dulces sermones, et benedictiones seducunt corda innocentium.* Videtur tangere eos qui nostris temporibus se fingunt visiones videre, et divinant seducendo populum. Jerem. xiv, 14: *Visionem mendacem, et divinationem, et fraudulentiam, et seductionem cordis sui prophetant vobis.* Jerem. xxiii, 26 et 27, multum de hoc est, et sic concluditur : *Usquequo istud in corde Prophetarum vaticinantium mendacium, et prophetantium seductiones cordis sui? Qui volunt facere ut obliviscatur populus meus nominis mei.* Ezech. xiii, 6 : *Vident vana, et divinant mendacium, dicentes : Ait Dominus, cum Dominus non miserit eos : et perseveraverunt confirmare sermonem.* « *Qui mordent dentibus suis,* » comminationes scilicet, et iras denuntiantes non dantibus. Prov. xxx, 14 : *Generatio, quæ pro dentibus gladios habet, et commandit molaribus suis, ut comedat inopes de terra et pauperes ex hominibus.* « *Et prædicant pacem,* » supple, dentibus. Ezech. xiii, 10 : *Deceperunt populum meum, dicentes: Pax, et non est pax.*

Contra pseudoprophetas visis et mendaciis nitentes.

Et quod dixit, exponit : « *Et,* » id est, « *si quis non dederit in ore eorum quippiam,* » munus scilicet, « *sanctificant,* » hoc est, prophetali sermone confirmant, « *super eum prœlium,* » futurum scilicet. Ezech. xiii, 19 : *Violabant me ad populum meum propter pugillum hordei, et fragmen panis, ut interficerent animas quæ non moriuntur, et vivificarent animas quæ non vivunt, mentientes populo meo credenti mendaciis.*

6 Et subdit de pœna :

« *Propterea nox vobis pro visione erit.* » Genes. i, 5 : *Tenebras vocavit Noctem.* Tenebræ autem hic dicuntur occultatio veritatis. Job, iii, 6 : *Noctem illam tenebrosus turbo possideat.* Et ibidem, ℣. 4 : *Dies ille vertatur in tenebras,... et non illustretur lumine.* « *Et tenebræ vobis,* » supple, erunt « *pro divinatione.* » *Divinationem* vocat conjecturam de futuris per imagines, vel species sensibilium, vel alias conjecturas quæ in creaturis fiunt. Quia Hieronymus dicit, quod « divinatio in malum « sonat. » Isa. lix, 10 : *Impegimus meridie quasi in tenebris, in caliginosis quasi mortui.* « *Et occumbet sol super Prophetas.* » *Sol* dicitur lumen intellectus divini, veritates rerum irradians, qui occumbit super Pseudoprophetas. Sap. v, 6 : *Sol intelligentiæ non est ortus nobis.* « *Et obtenebrabitur super eos dies,* » hoc est, dies claræ veritatis in effectu erit eis tenebrosus, quia tunc videbitur quod falsum dixerunt. Sap. xvii, 19 : *Omnis orbis terrarum limpido illuminabatur lumine.*

« *Et confundentur qui vident visiones.* » *Confusionem* vocat ruborem. Verecundantur enim cum res contraria promissioni eorum venerit. Psal. cviii, 29 : *Operiantur sicut diploide confusione sua.* *Visiones* dicit *videre*, qui se jactant visiones videre, cum tamen nihil videant. Jerem. xxiii, 31 et 32 : *Prophetæ assumunt linguas suas, et aiunt : Dicit Dominus. Ecce ego ad Prophetas somniantes mendacium, ait Dominus : qui narraverunt ea, et seduxerunt populum meum in mendacio suo, et in miraculis suis.* Dicunt enim quod Deus miracula cum eis facit, et quod plus est, sic stigmata eis imponit suæ passionis, ut dicunt. « *Et confundentur divini,* » divinantes scilicet in conjecturis, vel ludificationibus dæmonum. II Reg. xxii, 22 : *Ero spiritus mendax in ore omnium prophetarum ejus.* « *Et operient omnes vultus suos,* » præ confusione. Isa. xxix, 10 : *Claudet oculos vestros : prophetas et principes vestros, qui vident visiones, operiet.* Et reddit causam : « *Quia non est responsum Dei,* » supple, in eis, sed potius spiritus erroris decepit eos. Ezech. xx, 3 : *Hæc dicit Dominus. Numquid ad interrogan-*

7

Hypocrisis non ferenda.

dum me vos venistis ? vivo ego quia non respondebo vobis. Jerem. XXIII, 14 : *In prophetis Jerusalem vidi similitudinem adulterantium, et iter mendacii : et confortaverunt manus pessimorum ut non converteretur unusquisque a malitia sua.*

8 « *Verumtamen.* » Notat adversationem et distinctionem ad falsos Prophetas. « *Repletus ego sum,* » qui verus sum Propheta, « *fortitudine spiritus Domini.* » *Fortitudo* dicitur hic virtus in quam non potest incidere falsitas, vel mendacium, vel deceptio. Lucæ, XXIX, 49 : *Sedete in civitate, quoadusque induamini virtute ex alto.* Act. II, 4 : *Repleti sunt omnes Spiritu sancto, et cœperunt loqui variis linguis, prout Spiritus sanctus dabat eloqui illis.* « *Judicio,* » supple, sum repletus, hoc est, discretione veritatis, ut scilicet sciam discernere quid à Spiritu Dei, vel a spiritu hominis deceptibili, vel a spiritu diaboli mendaci dicatur. Hoc enim inter dona Dei nominatur, cum dicitur : *Alii per Spiritum datur discretio spirituum* [1]. I Joan. IV, 1 : *Nolite omni spiritui credere, sed probate spiritus si ex Deo sint.* « *Et virtute,* » supple, sum repletus, ut scilicet non terrear minis nec flectar promissis. Jerem. I, 18 : *Ego quippe dedi te hodie in civitatem munitam, et in columnam ferream, et in murum æreum, super omnem terram.* « *Ut annuntiem Jacob,* » dativi casus, « *scelus suum,* » quod scilicet pro Deo idola coluerunt, vel Dei Filium crucifixerunt, « *et Israel peccatum suum,* » quod scilicet corruptis moribus perpetraverunt. Isa. LVIII, 1 : *Annuntia populo meo scelera eorum, et domui Jacob peccata eorum.*

9 « *Audite hoc, principes.* » Tangit hic peccata Prælatorum simoniace spiritualia vendentium : et primo exaggerat culpam, secundo interminatur pœnam, ibi, « *Propter hoc causa vestri.* »

Exaggerando culpam primo facit hoc in genere, secundo in specie :

« *Audite hoc, principes domus Jacob,* » hoc est, duarum tribuum, vel Ecclesiæ quantum ad activos. Isa. I, 23 : *Principes tui infideles, socii furum.* « *Et judices domus Israel,* » inferiores scilicet Prælati, de quibus dicitur, Isa. I, 23 : *Pupillo non judicant, et causa viduæ non ingreditur ad eos.* « *Qui abominamini judicium.* » Glossa, « Falsa judicatis, Scripturas depravatis. » Jerem. XXIII, 30 : *Furantur verba mea. Furari* enim *verba*, est de sermonibus verum intellectum subtrahere. « *Et omnia recta pervertitis,* » pro muneribus scilicet judicando, ut tantum quilibet juris habeat, quantum habet muneris. Isaiæ, V, 20 : *Væ qui dicitis malum bonum, et bonum malum : ponentes tenebras lucem, et lucem tenebras : ponentes amarum in dulce, et dulce in amarum !* Et post pauca, ℣. 23 : *Qui justificatis impium pro muneribus, et justitiam justi aufertis ab eo.*

Et descendit ad specialia : 10

« *Qui ædificatis Sion in sanguinibus,* » vel nece innocentium, vel subtractione necessariorum pauperum, vel introductione nepotulorum. Eccli. XXXIV, 25 : *Panis egentium vita pauperum est : qui defraudat illum, homo sanguinis est.* Et ibidem, ℣. 27 : *Qui effundit sanguinem, et qui fraudem facit mercenario, fratres sunt.* Ezech. XLIV, 7 : *Inducitis filios alienos, incircumcisos cordes et incircumcisos carne, ut sint in sanctuario meo.* « *Et Jerusalem in iniquitate,* » supple, ædificatis, hoc est, Ecclesiam, vel domos vestras in Ecclesia de acquisito per iniquitatem : unde Glossa, « in rapinis pauperum. » Habac. II,

Sacrificium de alieno non faciendum.

[1] I ad Corinth. XII, 10.

9 : *Væ qui congregat avaritiam malam domui suæ, ut sit in excelso nidus ejus!* Hoc faciunt qui aliena rapiunt, et de illis Ecclesias fundare, vel eleemosynas facere quærunt. Eccli. xxxiv, 21 : *Immolantis ex iniquo oblatio erit maculata.*

11 Et hoc ostendit per singulos :

« *Principes ejus in muneribus judicabant,* » vendendo scilicet sententias. Isa. i, 23 : *Omnes diligunt munera, sequuntur retributiones.* « *Et sacerdotes ejus in mercede docebant,* » non attendentes hoc quod dicitur, Matth. x, 8 : *Gratis accepistis, gratis date.* Act. viii, 20 : *Pecunia tua tecum sit in perditionem,* dixit Petrus Simoni Mago. « *Et prophetæ ejus,* » qui locum tenent Religiosorum, « *in pecunia divinabant,* » hoc est, responsa Dei proferebant. Unde Eliseus laudatur, quia Naaman offerenti pretium, respondit : *Vivit Dominus, ante quem sto, quia non accipiam. Cumque vim faceret, penitus non acquievit.* Giezi autem vituperatur ibidem quia pretium acceperit, cui etiam cum pretio lepra adhæsit [1]. Si autem objicitur de hoc quod dicitur, I Regum, ix, 8, quod puer Saul respondit : *Ecce inventa est in manu mea quarta pars stateris argenti, demus homini Dei, ut indicet nobis viam nostram.* Respondet Hieronymus, quod « non legitur hoc Propheta accepisse, « quinimo et gratis respondit, et convi« vium et hospitalitatem insuper exhi« buit. » Et potest intelligi, quod quartam partem stateris non pro divinatione sed pro jure hospitii exhibere cupiebat. Item, si objiciatur de illo quod legitur, III Reg. xiv, 2 et seq., quod uxor Jeroboam missa ad Ahiam Prophetam, tulit in manu sua decem panes, et crustulam, et vas mellis. Solvit Hieronymus, quod « non accepit, sed etiam eam objurga« vit. » Hieronymus : « Non deberent « ministri Ecclesiæ propter pecuniam « officia sua administrare. » Nec tamen prohibentur hoc quod debetur eis ex officio accipere ad necessitatem, non ad luxuriam.

Spiritualia gratis sunt exhibenda.

« *Et* » omnia hæc facientes, « *super Dominum requiescebant,* » spe scilicet, et fiducia auxilii. Isa. lviii, 2 : *Me de die in diem quærunt, et scire vias meas volunt : quasi gens, quæ justitiam fecerit, et judicium Dei sui non dereliquerit.* His respondetur, Sap. v, 15 : *Spes impii tamquam lanugo est, quæ a vento tollitur : et tamquam spuma gracilis, quæ a procella dispergitur.* « *Dicentes,* » impunitatem sibi in peccatis promittendo : « *Numquid non Dominus in medio nostrum* » supple, est ? et hoc propter templum dicebant, quod putabant defensione Dei nullo modo esse violandum. Simile, Jerem. vii, 4 : *Nolite confidere in verbis mendacii, dicentes : Templum Domini, templum Domini, templum Domini est.* Et hoc est quod sequitur : « *Non venient super nos mala,* » scilicet propter sanctitatem templi. Non attenderunt quod dicitur, II Machab. v, 19 : *Non propter locum, gentem ; sed propter gentem, locum elegit Deus.* Propter hoc factus est locus particeps malorum populi. Quin potius, incipit judicium a domo Domini, et primum interficiuntur qui in templo peccabant [2].

Et propter hoc subdit de pœna : 12

« *Propter hoc,* » quia scilicet falsa præsumptione vos lactatis, « *causa vestri,* » hoc est propter peccatum vestrum, « *Sion,* » arx scilicet, et domus regis, « *quasi ager arabitur,* » destructis scilicet ædificiis, et muris. Hieronymus, hoc est, « hostili aratro dividetur. » Et tangit consuetudinem antiquorum victorum, qui loca expugnata aratris dividebant, et sale seminabant. « *Et Jerusalem quasi acervus lapidum erit,* » concidentibus scilicet ædificiis in ruinas. Isaiæ, xxv,

[1] Cf. IV Regum, v, 16 et seq.

[2] Cf. Ezech. ix, 3 et seq.

2 : *Posuisti civitatem in tumultum, urbem fortem in ruinam.* « *Et mons templi in excelsa silvarum,* » supple, vertetur, muris destructis. Matth. XXIV, 2 : *Videtis hæc omnia ? Amen dico vobis, non relinquetur hic lapis super lapidem, qui non destruatur.* Hieronymus dicit, quod « excelsa silvarum sunt habitationes « bestiarum. » Isa. XXXIV, 13 ; *Orientur in domibus ejus spinæ, et paliurus in munitionibus ejus* : *et erit cubile draconum, et pascua struthionum.* Nunc autem videmus Sion, hoc est, contemplationem religionis in culturam agrorum, hoc est, mundanorum esse conversam : et Jerusalem, hoc est Ecclesiam in duritiam cordium super lapidem, et montem templi indignitate cleri in excelsa silvarum, ut magis aliis silvestres sint. Jerem. XXVI, 18 : *Sion quasi ager arabitur, et Jerusalem in acervum lapidum erit, et mons domus*, Domini scilicet, *in excelsa silvarum.* Totum hoc fit peccatis Prælatorum, qui Sion ædificant in sanguinibus. Hieronymus in originali : « Prælati quos- « cumque de asseclis suis ordinantes « clericos, et vitam eorum in scandalum « populi exponentes, rei sunt infidelitatis « eorum qui scandalizantur. »

CAPUT IV.

Tempore gratiæ plurimæ nationes accedent ad Ecclesiam et cultum Dei cum magna securitate: consolatur Sion quod de captivitate sit a Domino redimenda, ut se de suis inimicis ulciscatur.

1. Et erit : In novissimo dierum erit mons domus Domini præparatus in vertice montium, et sublimis super colles [1] : et fluent ad eum populi.
2. Et properabunt gentes multæ, et dicent : Venite, ascendamus ad montem Domini, et ad domum Dei Jacob : et docebit nos de viis suis, et ibimus in semitis ejus, quia de Sion egredietur lex, et verbum Domini de Jerusalem.
3. Et judicabit inter populos multos, et corripiet gentes fortes usque in longinquum : et concident gladios suos in vomeres, et hastas suas in ligones : non sumet gens adversus gentem gladium, et non discent ultra belligerare.
4. Et sedebit vir subtus vitem suam et subtus ficum suam, et non erit qui deterreat, quia os Domini exercituum locutum est.
5. Quia omnes populi ambulabunt unusquisque in nomine Dei sui : nos autem ambulabimus in nomine Domini Dei nostri, in æternum et ultra.
6. In die illa, dicit Dominus, congregabo claudicantem, et eam quam ejeceram colligam, et quam afflixeram :
7. Et ponam claudicantem in reliquias [2] : et eam quæ laboraverat, in gentem robustam : et regnabit Dominus super eos in monte Sion, ex hoc nunc et usque in æternum [3].
8. Et tu, turris gregis nebulosa filiæ Sion, usque ad te veniet : et

[1] Isa. II, 2.
[2] Sophon. III, 19.
[3] Daniel. VII, 14; Luc. I, 32.

veniet potestas prima, regnum filiæ Jerusalem.
9. Nunc quare mœrore contraheris? numquid rex non est tibi, aut consiliarius tuus periit, quia comprehendit te dolor sicut parturientem?
10. Dole et satage, filia Sion, quasi parturiens, quia nunc egredieris de civitate, et habitabis in regione, et venies usque ad Babylonem : ibi liberaberis, ibi redimet te Dominus de manu inimicorum tuorum.
11. Et nunc congregatæ sunt super te gentes multæ, quæ dicunt : Lapidetur, et adspiciat in Sion oculus noster.
12. Ipsi autem non cognoverunt cogitationes Domini : et non intellexerunt consilium ejus, quia congregavit eos quasi fœnum areæ.
13. Surge et tritura, filia Sion, quia cornu tuum ponam ferreum, et ungulas tuas ponam æreas : et comminues populos multos, et interficies Domino rapinas eorum, et fortitudinem eorum Domino universæ terræ.

IN CAPUT IV MICHÆÆ

ENARRATIO.

« *Et erit.* » Tangitur hic consolatio in duobus, scilicet cultu templi, et ortu Christi ducis, per quem fit consolatio infra, v, 2, ibi, « *Et tu, Bethlehem Ephrata.*

Prima in duas. Primo enim ostendit perfectionem cultus, et solutionem cujusdam objectionis, scilicet quare permisit eos affligi, ibi, ℣. 10 : « *Dole et satage, filia Sion.* »

In prima tria sunt, scilicet dignitas et fructus cultus : congregatio et multiplicatio colentium, ibi, « *In die illa, dicit Dominus :* » et perfectio potestatis ecclesiasticæ, ibi, « *Et tu, turris gregis nebulosa.* »

In prima tria sunt : sublimitas cultus, frequentia colentium, et fructus qui est pacis securitas.

1 « *Et erit.* » Confirmatio sequentium est. Et est sensus : Quod prophetatur, erit et absque dubio eveniet. Genes. XLI, 32 : *Fiat sermo Dei, et velocius impleatur.* « *In novissimo dierum,* » hoc est, in ultimo statu mundi, cui alius status in cultu non succedet. I Joan. II, 18 : *Filioli, novissima hora est.* Glossa. « Undecima hora, quan- « do ad conducendos operarios Salvator « advenit [1]. » Hi dicuntur dies propter claram justitiam quæ tunc fulgebit. Isa. LX, 2 : *Super te orietur Dominus, et gloria ejus in te videbitur.* « *Erit mons,* » eminentia scilicet sanctitatis et cultus. Jerem. XXXI, 23 : *Benedicat tibi Dominus, pulchritudo justitiæ, mons sanctus.* Genes. XXIX 17 : *In monte salvum te fac.* Genes. XXII, 14 : *In monte Dominus videbit.* Hic est mons in quo transfiguratur Dominus ante Discipulos [2]. « *Domus Domini,* » habitationis scilicet Dei cum familia sua. Nam in monte excelso erat *ædificium civitatis vergentis ad austrum* [3], quæ est regio luminis et caloris. Dixit ad prophetam Ezechielem, XLIII, 7 : *Locus solii mei, et locus vestigiorum pedum meorum, ubi habito in medio filiorum Israel.* Psal. LXVII, 17 : *Mons, in quo beneplacitum est Deo habitare in eo.* « *Præparatus.* » Septuaginta : « Manifestus. » Et intelligitur præparatus a Deo in ornatu et cultu.

[1] Cf. Matth. XX, 6.
[2] Cf. Matth. XVII, 1 et seq.
[3] Ezech. XL, 2.

Apocal. xxi, 2 : *Vidi sanctam civitatem Jerusalem novam descendentem de cœlo a Deo, paratam*, etc. « *In vertice montium.* » *Vertex* linea est duas divexitates altitudinis montis in summo continuans, et intendit quod omnes mundi altitudines in se Christus continuat. II ad Corinth. x, 4 et 5 : *Arma militiæ nostræ non carnalia sunt, sed potentia Deo ad destructionem munitionum, consilia destruentes, et omnem altitudinem extollentem se adversus scientiam Dei.* Joan. xii, 32 : *Ego si exaltatus fuero a terra, omnia traham ad me ipsum.* « *Et sublimis super colles,* » hoc est, super Sanctorum et Angelorum elevationes. Ad Hebr. i, 4 : *Tanto melior Angelis factus, quanto differentius præ illis nomen hæreditavit.* Glossa inducit illud Apostoli ad Philip. ii, 9 : *Donavit illi nomen, quod est super omne nomen.* Cantic. ii, 8 : *Ecce iste venit saliens in montibus, transiliens, colles.*

Et subdit de frequentia colentium :

« *Et fluent ad eum populi,* » hoc est, diversitates populorum. Ex omnibus enim populis, tribubus et linguis vidit Joannes stantes ante throrum [1].

2 « *Et properabunt gentes multæ,* » per devotionem scilicet fidei : non enim tantum venient populi Judæorum, sed etiam Gentes ex præputio. Isa. lv, 1 : *Properate, emite, et comedite.* Ad Hebr. iv, 11 : *Festinemus ergo ingredi in illam requiem, ut ne in idipsum incidat incredulitatis exemplum.* Ibidem, iii, 13 : *Sed adhortamini vosmetipsos per singulos dies,... ut non obduretur quis ex vobis fallacia peccati.* Et dicit, *Gentes multæ*, ut dicit Glossa, et inducit illud Act. ii, 5, 9 et seq. : *Ex omni natione quæ sub cœlo est... Parthi, et Medi, et Ælamitæ, et qui habitant Mesopotamiam, Judæam et Cappadociam, Pontum et Asiam, Phrygiam et Pamphyliam, Ægyptum, et partes Lybiæ, quæ est circa Cyrenen, et advenæ Romani, Judæi quoque et proselyti, Cretes et Arabes.* Matth. viii, 11 : *Multi ab Oriente, et Occidente venient, et recumbent cum Abraham, et Isaac, et Jacob in regno cœlorum.* « *Et dicent,* » mutuo scilicet se ad veniendum exhortantes. Apocal. xxii, 17 : *Qui audit, dicat : Veni.* « *Venite,* » fidei scilicet devotione. Hieronymus, « ad vexillum patibuli se mutuo « provocantes. » Jerem. li, 50 : *Venite, nolite stare : recordamini procul Domini : et Jerusalem ascendat super cor vestrum.* « *Ascendamus,* » profectu veritatis secundum intellectum, et profectu virtutis secundum affectum. Psal. lxiii, 7 : *Accedet homo ad cor altum.* Ezech. xli, 7, septem gradibus ascendebatur, qui septem dona sancti Spiritus significant [2]. « *Ad montem Domini,* » hoc est, ad eminentiam sanctitatis ejus. Exod. xix, 18 : *Totus mons Sinai fumabat : eo quod descendisset Dominus super eum in igne.* Fumus devotionem orationis, ignis fervorem charitatis significat. « *Et ad domum Dei Jacob.* » Domus Jacob familiam significat luctatorum in virtute, eo quod in lucta Angelus Jacob virtutem impressit [3]. Isaiæ, ii, 5 : *Domus Jacob, venite, et ambulemus in lumine Dei nostri.*

Et subdit profectum veritatis :

« *Et docebit nos de viis suis,* » hoc est, de præceptis et exemplis, in quibus ambulavit. Joan. xiv, 6 : *Ego sum via, et veritas, et vita.* Psal. xxiv, 4 : *Vias tuas, Domine, demonstra mihi.* « *Et ibimus,* » hoc est, proficiemus, « *in semitis ejus.* » Semita via compendii est, et consilia significat. Isa. xxvi, 7 et 8 : *Semita justi recta est, rectus callis justi ad ambulandum. Et in semita judiciorum tuorum, Domine, sustinuimus te.* Justum antonomastice vocat Christum.

[1] Cf. Apocal. vii, 9.

[2] Ezech. xli, 7 : *De inferioribus ascendebatur ad superiora in medium.*

[3] Cf. Genes. xxxii, 24 et seq.

Et subdit causam, quare eundum est ad domum Dei :

Lex Evangelica libertatis est.

« *Quia de Sion egredietur lex,* » quæ a servitute et a peccato liberat, et hæc est lex Evangelii et charitatis. Ad Rom. VIII, 2 : *Lex spiritus vitæ in Christo Jesu liberavit me a lege peccati et mortis.* Isa. XLII, 1 : *Judicium gentibus proferet.* Judicium enim vocat legem Evangelii. Psal. XVIII, 8 : *Lex Domini immaculata, convertens animas.* Isa. XXXIII, 22 : *Dominus legifer noster, Dominus rex noster : ipse salvabit nos.* Isa. LI, 4 : *Lex a me exiet, et judicium meum in lucem populorum requiescet.* « *Et verbum Domini,* » doctrinæ scilicet, et prædicationis, « *de Jerusalem,* » supple, egredietur, hoc est, de Ecclesia, ut scilicet in forma una Ecclesiæ prædicetur et doceatur. Psal. LXVII, 12 : *Dominus dabit verbum evangelizantibus, virtute multa.* Marc. XVI, 20 : *Illi autem profecti, prædicaverunt ubique.* Act. IV, 33 : *Virtute magna reddebant Apostoli testimonium resurrectionis Jesu Christi Domini nostri.*

3 « *Et judicabit,* » judicio scilicet discretionis, « *inter populos multos,* » ostendens quid verum, quid falsum, quid bonum, quid malum, quid dignum salute et quid indignum. Isa. II, 4 : *Et arguet populos multos.* Joan. XVI, 8 : *Ille arguet mundum de peccato.* Psal. XLII, 1 : *Judica me, Deus, et discerne causam meam de gente non sancta.* « *Et corripiet gentes fortes.* » *Gentes* dicuntur super generationem corruptam nihil habentes, *fortes* vero in defensione erroris sui pertinaces. II ad Timoth. IV, 2 : *Argue, obsecra, increpa.* Psal. CXL, 5 : *Corripiet me justus in misericordia, et increpabit me.* « *Usque in longinquum,* » hoc est, usque in fines orbis terrarum. Eccli. XXIV, 44 : *Enarrabo doctrinam usque ad longinquum.* Isa. XXIV, 16 : *A finibus terræ laudes audivimus, gloriam justi.*

Et subdit de pace quæ est effectus cultus :

« *Et concident gladios suos in vomeres,* » quamquam post multa bella, orbis ad pacem redactus fuerit sub Augusto Cæsare, quando natus est Dominus ; tamen gladii qui conciduntur in vomeres convenienter intelliguntur rationes et defensiones, quibus quilibet errorem suum defensabat, qui conciduntur acumine veritatis et conflantur calore charitatis in vomeres, hoc est, sermones exhortativos, quibus unus homo alium colit ad fructum justitiæ. Unde, Isa. II, 4 : *Conflabunt gladios suos in vomeres.* Psal. XLV, 10 : *Arcum conteret, et confringet arma, et scuta comburet igni.* « *Et hastas suas,* » Septuaginta, « Zibmnas. » *Zibmnan* autem est hasta longa cuspide lanceata : significant autem dolos et circumventiones et iras, quibus seinvicem homines pupugerunt ante Christum « *In ligones,* » sive in falces, ut dicitur. Isa. II 4, quibus scilicet unus alium metat in vitam æternam, et in horreum Domini ponat[1]. Joan. IV, 36 : *Qui metit, mercedem accipit, et congregat fructum in vitam æternam.* Matth. IX, 38 : *Rogate Dominum messis ut mittat operarios in messem suam.*

Et quod dixit, exponit subdens :

« *Non sumet gens adversus gentem gladium,* » ad erroris sui defensionem, omnibus in una fide concorditer viventibus. Psal. XXXVI, 15 : *Gladius eorum intret in corda ipsorum, et arcus eorum confringatur.* Judic. V, 8 : *Nova bella elegit Dominus, et portas hostium ipse subvertit.* « *Et non discent ultra belligerare,* » nullo scilicet resistente. Isa. II, 4 : *Nec exercebuntur ultra ad prælium.*

Et subjungit de securitate : 4

« *Et sedebit vir subtus vitem suam.* » « Vir est, ut dicit Gregorius, qui contra « biformes fortunæ insultus uniformi

[1] Isa. II, 4 : *Conflabunt... lanceas suas in falces.*

« constantia mentis militat præmunitus. » Hic sub vite sedet, hoc est, quiescit, quando in spe gaudiorum cœlestium fructum exspectat lætitiæ. Joan. I, 48 : *Cum esses sab ficu, vidi te.* « *Et subtus ficum suam.* » « Subtus ficum sedet, qui dulcedines virtutum et meritorum experitur, » ut dicit Hieronymus. I Mach. XIV, 12 : *Sedit unusquisque sub vite sua, et sub ficulnea sua : et non erat qui eos terreret.* Et hoc est quod sequitur : « *Et non erit qui deterreat.* » I Machab. XIV, 13 : *Defecit impugnans eos super terram.* Job, V, 24 : *Scies quod pacem habeat tabernaculum tuum.* Joan. XVI, 33 : *Hæc locutus sum vobis, ut in me pacem habeatis. In mundo pressuram habebitis*, etc. Et subdit sermonis confirmationem : « *Quia os Domini exercituum,* » quod mentiri non potest, « *locutum est.* » Numer. XXIII, 19 : *Non est Deus quasi homo, ut mentiatur : nec ut filius hominis, ut mutetur.*

5 Et subdit de separatione Ecclesiæ ab erroribus et errantibus :

« *Quia omnes populi,* » errantes scilicet, « *ambulabunt,* » hoc est, in pejus proficient, « *unusquisque in nomine,* » hoc est, in notitia opinata, « *Dei sui,* » hoc est, erroris sui, quem pro Deo colit. Jerem. II, 25 : *Adamavi alienos, et post eos ambulabo.* Isa. LIII, 6 : *Omnes nos quasi oves erravimus, unusquisque in viam suam declinavit.* « *Nos autem,* » ab erroribus aliorum scilicet separati, « *ambulabimus,* » profectu fidei et virtutis, « *in nomine* » hoc est, clara notitia, « *Domini Dei nostri.* » Isa. LX, 2 : *Quia ecce tenebræ operient terram, et caligo populos : super te autem orietur Dominus, et gloria ejus in te videbitur.* « *In æternum et ultra.* » *Æternum* hic improprie sumitur pro tempore e termino, hoc est, quod terminum non habet, quia tempus gratiæ Ecclesiæ non habebit alium terminum extra se. *Ultra* autem dicit profectum in gloria. Exod. XV, 18 : *Dominus regnabit in æternum, et ultra.* Quidam exponunt hoc de his quæ accident in adventu Messiæ Judæorum : sed planum est, quod hoc in præterito numquam accidit, sed si exspectatur in futurum, non erit nisi in aurea Jerusalem, et ideo fabulam reputamus. Si enim totus fundus convertetur in aurum, mirabile est ad quid debeant esse aratra et ligones.

« *In die illa.* » Tangit hic fidelium 6
congregationem et multiplicationem. « *In die illa,* » quando scilicet lucebit veritas et justitia, « *dicit Dominus.* » Psal. CXVII, 24 : *Hæc est dies, quam fecit Dominus.* « *Congregabo claudicantem,* » hoc est, Synagogam quæ modo ad idola, modo ad Deum claudicabat. III Reg. XVIII, 21 : *Usquequo claudicatis in duas partes ?* Vel peccatores quibus ratio rectum dicit, sed voluntas non obedit. Ad Hebr. XII, 12 et 13 : *Soluta genua erigite, et gressus rectos facite pedibus vestris : ut non claudicans quis erret, magis autem sanetur.* « *Et eam quam ejeceram,* » propter fornicationes in idololatria et peccatis, « *colligam,* » scilicet ad thorum immaculatum. Jerem. III, 1 : *Tu fornicata es cum amatoribus multis : tamen revertere ad me, dicit Dominus, et ego suscipiam te.* « *Et quam afflixeram,* » diversis scilicet captivitatibus, vel forte excommunicationibus tradendo diabolo, vel forte laboribus pœnitentiæ. Isa. LIV, 6 et 7 : *Ut mulierem derelictam et mœrentem spiritu vocavit te Dominus, et uxorem ab adolescentia abjectam, dixit Dominus Deus tuus. Ad punctum in modico dereliqui re, et in miserationibus magis congregabo te.*

« *Et ponam claudicantem in reli-* 7
quias, » ut non tota scilicet perdatur, sed aliqui serventur ex ea. Isa. I, 9 : *Nisi Dominus exercituum reliquisset nobis semen, quasi Sodoma facti esse-*

mus. Isa. x, 21 : *Reliquiæ convertentur, reliquiæ, inquam, Jacob ad Deum fortem.* « *Et eam quæ laboraverat,* » diversis scilicet captivitatibus et oppressionibus malorum et dæmonum. Sap. v. 7 : *Lassati sumus in via iniquitatis et perditionis, et ambulavimus vias difficiles.* « *In gentem robustam,* » supple, ponam. « Robustus est quem nec tormenta nec pro- « missiones separant a charitate Christi, » ut dicit Glossa. Ad Roman. viii, 35 : *Quis ergo nos separabit a charitate Christi ? tribulatio ? an angustia ? an fames ? an nuditas ? an periculum ? an persecutio ? an gladius ?* Quasi dicat : Non. Isa. lx, 22 : *Minimus erit in mille, et parvulus in gentem fortissimam.* « *Et regnabit Dominus super eos,* » ejectam scilicet, et afflictam. Regnum autem intelligitur in omni justitia et perfectione. Matth. vi, 10 : *Adveniat regnum tuum.* Sapient. iii, 8 : *Regnabit Dominus illorum in perpetuum.* « *In monte Sion,* » in Ecclesia scilicet. Isa. xlvi, 13 : *Dabo in Sion salutem, et in Israel gloriam meam.* Psal. cxlv, 10 : *Regnabit Dominus in sæcula : Deus tuus, Sion.* Et hoc est quod sequitur ; « *Ex hoc nunc,* » hoc est, ex hoc præsenti quod breve est, in quo scilicet tribulationes patimur, et in gratia vivimus, « *et usque in æternum,* » scilicet, sæculum, in quo remuneramur. II ad Corinth. iv, 17 et 18 : *Id enim, quod in præsenti est momentaneum et leve tribulationis nostræ, supra modum in sublimitate æternum gloriæ pondus operatur in nobis, non contemplantibus nobis quæ videntur, sed quæ non videntur.*

8 « *Et tu, turris.* » Tangit hic de sublimitate potestatis, duo dicens, scilicet adeptionem, et consolationem quæ est ex adeptione tali.

« *Et tu, turris gregis nebulosa.* » *Turris* dicitur Sion vel Jerusalem, eo quod gregem Domini custodiat, et per eam grex exeat et introeat. Cant. iv, 4 : *Sicut turris David collum tuum, quæ ædificata est cum propugnaculis : mille clypei pendent ex ea, omnis armatura fortium.* Turris autem dicitur ab altitudine contemplationis et subtilitatis, et propter munitionem veritatis. Isa. v, 2 : *Ædificavit turrim in medio ejus.* Psal. cxxi, 7 : *Fiat pax in virtute tua, et abundantia in turribus tuis.* Sub hac turri quiescunt greges Ecclesiarum, scilicet congregationes in defensione et pabulo. Prov. xviii, 10 : *Turris fortissima nomen Domini : ad ipsum currit justus, et exaltabitur.* Cant. viii, 10 : *Ego murus, et ubera mea sicut turris.* Hæc est « *nebulosa,* » et secundum Septuaginta, « caliginosa, » secundum Symmachum, « squalida : » et, ut dicit Hieronymus. interpretatur *Ophel* Hebraice : quia modo angustiis premitur et turbationibus. Thren. iii, 2 : *Me minavit, et adduxit in tenebras, et non in lucem.* « *Filia Sion.* » Munit enim filiam Sion, hoc est, Ecclesiam. Et totum quod dictum est quasi absolutum est. Et subinfertur : « *Usque ad te veniet,* » ille scilicet, qui congregabit claudicantem : venit autem ad te naturam assumendo et sanctificando, et inter homines conversando. Baruch, iii, 38 : *Post hæc in terris visus est, et cum hominibus conversatus est.* Joan. i, 14 : *Verbum caro factum est, et habitavit in nobis.* « *Et veniet,* » supple, cum eo, « *potestas prima,* » hoc est, maxima et dignissima. Daniel. vii, 14 : *Potestas ejus, potestas æterna, quæ non auferetur : et regnum ejus, quod non corrumpetur.* Matth. xxviii, 18 : *Data est mihi omnis potestas in cœlo, et in terra.* Joan. v, 27 : *Potestatem dedit ei judicium facere.* Et, xvii, 12 : *Sicut dedisti ei potestatem omnis carnis.* Quæ autem sit ista potestas et in quo, subdit : « *Regnum filiæ Jerusalem,* » hoc est, quæ potestas est regnum filiæ Jerusalem. Psal. cxliv, 13 : *Regnum tuum, regnum omnium sæculorum.* In Jerusalem enim, hoc est, in visione pacis æternæ primum

et præcipuum regnum Dei est. Matth. VIII, 41 : *Mittet Filius hominis Angelos suos, et colligent de regno ejus omnia scandala.* Hieronymus : « Quod in qui« busdam libris legitur : Et ingredietur « principatus primus regnum filiæ Sion « de Babylone, sciamus additum esse « *de Babylone :* quia neque in Hebræo, « neque apud alios habetur interpretes. » Septuaginta enim translatio sic habet : « Et ingredietur principatus, primum « regnum filiæ Jerusalem. » Isa. IX, 6 : *Factus est principatus super humerum ejus.*

9 Et subdit consolationem :

« *Nunc,* » hoc est, in præsenti tempore, « *quare,* » hoc est, quia de causa, « *mœrore contraheris ?* » Septuaginta. « Quia cognovisti mala, » hoc est, cognosce causam quare sis in mœrore et mala præsentia cognoscas per experientiam. Hoc enim non potest esse, nisi propter peccatum tuum. Isa. LIV, 6 : *Ut mulierem derelictam et mœrentem spiritu vocavit te Dominus.* Quod autem ex peccato proprio sit, probat subdens : « *Numquid rex non est tibi ?* » Quasi diceret : Est, ex quo venit ad te potestas prima, ergo ex defectu potestatis regis mœrore non contraheris. Sap. II, 8 : *Regnabit Dominus illorum in perpetuum.* Isa. XXXIII, 17 : *Regem in decore suo videbunt oculi ejus,* victoriosum scilicet, et gloriosum, ut etiam Angeli mirentur. Psal. XXIII, 8 : *Quis est iste Rex gloriæ ?* Isa. LXIII, 1 : *Quis est iste qui venit de Edom, tinctis vestibus de Bosra ?* Non est ergo ex defectu regis. « *Aut consiliarius tuus periit ?* » Quasi diceret : Non. Isa. IX, 6 : *Vocabitur nomen ejus, Admirabilis, Consiliarius,* etc. Non ergo potest esse ex defectu consilii.

Et bene ergo dico, quod mærore contraheris ex tuo vitio, « *quia comprehendit te dolor, sicut parturientem.* » Dolor qui comprehendit parturientem, ex concepta libidine causatur : et ita dolor pœnarum, qui comprehendit peccatorem, ex concepto prius in libidine peccato inducitur. Isa. LIX, 4 : *Conceperunt laborem, et pepererunt iniquitatem.* Isa. XXXVII, 3 : *Dies tribulationis, et correptionis, et blasphemiæ dies hæc : quia venerunt filii usque ad partum, et non virtus est pariendi.* I ad Thessal. V, 3 : *Cum dixerint, pax et securitas : tunc repentinus eis superveniet interitus, sicut dolor in utero habenti.* Peccatum enim in libidine concipitur, et in dolore paritur per pœnam : econtra sanctum propositum in timore et tristitia concipitur, et in gaudio paritur ad gloriam. Isa. XXVI, 17 et 18 : *A facie tua, Domine, concepimus, et quasi parturivimus et peperimus spiritum,* salutis scilicet. Hieronymus in originali. « Legamus Scriptu« ras et numquam inveniemus sanctas « mulieres cum dolore peperisse, excepta « Rachel, quæ quia in via erat et hip« podromo, id est, in equorum cursu, « qui in Ægypto venumdantur, filium « peperit doloris, quem postea vocavit « pater *filium dexteræ.* Eva ejecta de « paradiso audiens, *In dolore paries,* « peperisse scribitur in dolore[1]. De Ra« chel autem, Genes. XXXV, 17 et 18. « Uxor Phinees contracta, nec se eri« gens, sicut illa quam alligavit Sa« tanas[2], peperit, postquam arcam « Dei captam, populique cognovisset « ruinam, et vocavit puerum Ichabod, « quod interpretatur *inglorius*[3]. Sara « autem quæ sancta erat, et defecerant ei « muliebria, hoc est, mulieris mollities, « nato Isaac, dicit : *Risum mihi fecit « Deus.*[4] »

Peccatum est omnis pœnæ causa.

[1] Genes. III, 16.
[2] Cf. Luc. XIII, 11.
[3] Cf. I Reg. IV, 10 et seq.
[4] Genes. XXI, 6.

10 Ex quo ergo tuo vitio comprehendit te dolor,

« *Dole,* » per pœnitentiam et contritionem, « *et satage,* » hoc est, satis age hoc est, satis age per satisfactionem, « *o filia Sion,* » anima scilicet pertinens ad æternam contemplationem, ut scilicet tanto beneficio fias digna. Luc. XXIII, 28 : *Filiæ Jerusalem, nolite flere super me, sed super vos ipsas flete, et super filios vestros.* Dole, dico, « *quasi parturiens,* » cui causa doloris est conceptus in libidine, sicut jam ante dictum est. Joan. XVI, 21 : *Mulier cum parit, tristitiam habet, quia venit hora ejus.* « *Quia,* » supple, per peccatum tuum, « *nunc,* » hoc est, in proximo, « *egredieris,* » per captivitatem, « *de civitate,* » supple, tua. Isa. VI, 11 : *Donec desolentur civitates absque habitatore, et domus sine homine, et terra relinquetur deserta.* « *Et habitabis in regione,* » hoc est, in diversitate regionum per dispersionem captivitatis. Isa. XXII, 18 : *Quasi pilam mittet te in terram latam et spatiosam.* « *Et venies usque ad Babylonem,* » per duarum tribuum scilicet captivitatem : « *ibi liberaberis,* » a servitute scilicet captivitatis, per Zorobabel scilicet, et Jesum sacerdotem magnum. Job, XXXIII, 24 : *Libera eum, ut non descendat in corruptionem.* Per quem autem hoc fiat, subdit : « *Ibi redimet te Dominus,* » de quo dicitur in Psal. CXXIX, 7 : *Apud Dominum misericordia, et copiosa apud eum redemptio.* « *De manu inimicorum tuorum,* » hoc est, de potestate Chaldæorum et dæmonum. Psal. XXX, 16 : *Eripe me de manu inimicorum meorum.* Osee, XIII, 14 : *De manu mortis liberabo eos, de morte redimam eos.*

11 Adhuc dico, « *Dole, et satage.* »

« *Et,* » id est, quia « *nunc,* » in hoc præsenti propter peccata tua, « *congregatæ sunt super te gentes multæ,* » ut te affligant, et captivitati subjiciant. Psal. II, 2 : *Adstiterunt reges terræ, et principes convenerunt in unum adversus Dominum, et adversus Christum ejus.* Psal. III, 2 : *Multiplicati sunt qui tribulant me.* « *Quæ dicunt : Lapidetur,* » sicut scilicet adultera quæ Deum suum dereliquit. Deuteron. XXII, 22 et seq. præcipitur adultera lapidari [1]. Joan. VIII, 4 et 5 : *Hæc mulier modo deprehensa est in adulterio. In lege autem Moyses præcepit nobis hujusmodi lapidare.* « *Et adspiciat in Sion,* » pœnas scilicet, et afflictiones, « *oculus noster.* » Hieronymus : « Delectetur oculus videns « pœnam illius. » Lucæ, XIX, 27 : *Inimicos meos illos, qui noluerunt me regnare super se, adducite huc, et interficite ante me.* Unde gloriantes dicunt, Thren. II, 16 : *En ista est dies quam exspectabamus, invenimus, vidimus.*

Et subdit de sapientia Dei hoc permittente. 12

Cur Deus sinat hic justos affligi ?

« *Ipsi autem non cognoverunt cogitationes Domini,* » quare scilicet hoc cogitavit fieri, quod sui in præsenti affligantur. Hoc enim facit ut peccatum in eis deleatur, et magis humilientur, et virtus eorum probetur, et aliis exemplum patientiæ detur. Jacob. I, 12 : *Beatus vir, qui suffert tentationem.* Jacob. V, 10 et 11 : *Exemplum accipite, fratres, exitus mali, laboris et patientiæ, Prophetas, qui locuti sunt in nomine Domini. Ecce beatificamus eos qui sustinuerunt.* « *Et non intellexerunt consilium ejus.* » « Consilium Dei, diffini- « tio est de futuris, » ut dicit Gregorius. Hoc enim diffinivit profundo judicio Deus, ut persecutores Sanctorum et fabricent eis coronas perpetuas, et sibiipsis prolongent iniquitatem ad supplicium. Isaiæ, XLIV, 26 : *Suscitans verbum servi sui, et consilium nuntiorum suorum complens.* Hoc enim est consilium

[1] Cf. Levit. XX, 10 et seq.

quod omnes Prophetæ prænuntiaverunt. Isaiæ, XLVI, 10 : *Consilium meum stabit, et omnis voluntas mea fiet.* « *Quia congregavit eos quasi fœnum areæ.* » Septuaginta, « ut manipulos areæ. » *Fœnum* est esca ignis, et cibus jumentorum, et significat eos qui ad ignem æternum parati sunt propter supplicia quæ inferunt Sanctis. Matth. VI, 30 : *Fœnum agri quod hodie est, et cras in clibanum mittitur.*

13 Et ex quo ad hoc congregati sunt :

« *Surge,* » hoc est, sursum te age, « *et tritura, o filia Sion,* » inimicos tuos scilicet contere, vel verbo prædicationis, vel malleo comminationis. Isa. XLI, 15 : *Triturabis montes, et comminues : et colles quasi pulverem pones.* Isa. XXV, 10 : *Triturabitur Moab sub eo, sicuti teruntur paleæ in plaustro.* « *Quia cornu tuum,* » quod significat potestatem, « *ponam ferreum,* » hoc est, domans alias potestates sicut ferrum domat alia metalla. Psal. CXXXI, 17 : *Illuc producam cornu David.* Item, Psal. LXXVI, 11 : *Exaltabuntur cornua justi.* Unde, Zach. I, 20, inducuntur fabri contra cornua iniqua. Et subjungitur sic, ℣. 21 : *Hæc sunt cornua quæ ventilaverunt Judam per singulos vicos, et nemo eorum levavit caput suum : et venerunt isti deterrere ea, ut dejiciant cornua gentium, quæ levaverunt cornu super terram Juda ut dispergerent eam.* Hæc autem cornua significant fortitudinem virtutis et firmitatem veritatis, quæ ventilant errorem et vitium. « *Et ungulas tuas ponam æreas.* » Ungulæ divisæ discretionem significant, quibus conteruntur errores et vitia, sicut palea. Unde, Levit. XI, 14, animal quod ungulam non findit, immundum erit. Hæ dicuntur *æreæ*, quia in sono mallei, quod est verbum Dei, palea peccati per discretionem conteritur.

Et hoc est quod sequitur :

« *Et comminues populos multos,* » hoc est, per pœnitentiam et contritionem ad minuta deduces. Hoc enim comminuere est, quod est conterere. Psal. XVII, 39 : *Confringam illos, nec poterunt stare : cadent subtus pedes meos.* « *Et interficies Domino,* » hoc est, ad honorem Domini. Et tales sunt qui gladio verbi Dei interficiuntur, ut scilicet peccato moriantur et justitiæ vivant. Exod. XXXII, 28 : *Occidat unusquisque fratrem, et amicum, et proximum suum.* « *Rapinas eorum, et fortitudinem eorum Domino universæ terræ,* » supple, consecrabis. Unde Septuaginta : « Vovebis « Domino multitudinem eorum et robur « eorum Domino universæ terræ. » Rapinæ ex præda acceptæ, sunt virtutes sæculares et scientiæ, quæ victis infidelibus accepimus ab eis in obsequium Christi. Josue, VI, 19 : *Quidquid auri et argenti fuerit, et vasorum æneorum ac ferri, Domino consecretur, repositum in thesauris ejus.* Aurum sapientiam, argentum eloquentiam, æs materiam sermonum, ferrum artes syllogisticas, quæ alia domant, significat.

Scientiæ philosophiæ in obsequium Dei sunt adhibendæ.

Et hoc quidem promitto in futurum : sed « *Nunc vastaberis* [1], » captivitate scilicet Babylonica et Romana, « *filia latronis,* » hoc est, diaboli semper ad prædandum accincti. Habac. I, 17 : *Semper interficere gentes non parcet.*

Et subdit signum ex causa sumptum, et suppletur, quia

« *Obsidionem posuerunt super nos.* » Septuaginta, « Angustiam posuerunt « super nos, » scilicet filiæ latronis et ipse latro. *Super nos* autem dicit, quia Propheta connumerat se capiti, et quoniam obsidionem posuerunt contra Christum, contra Sanctos dixit posuisse. Obsidionem autem posuerunt contra

[1] In Vulgata hic ultimus versiculus pertinet ad caput V.

Christum, quando obsederunt eum in domo Caiphæ et Annæ, et in prætorio Pilati. Job, xix, 12 : *Simul venerunt latrones ejus, et fecerunt sibi viam per me, et obsederunt in gyro tabernaculum meum.* Quid autem fecerint obsidentes, subdit : « *In virga percutient maxillam judicis Israel.*» *Virgam* arundinem vocat, qua percussum fuit caput Domini. Arundo enim quæ *sambucus* dicitur, ad modum virgæ recta est, et propter duritiam corticis exterioris dure percutit, et livores facit, et ideo cum arundine percussum fuit caput Domini, sicut dicitur, Matth. xxvii, 29 et 30. Hieronymus dicit, « Super nos, Patrem, et Filium, et Spiritum sanctum.» His contumelia facta fuit in percussione Christi. Judex enim Israel Christus est. Quod autem dicit *maxillam*, propter hoc dicit quia, Joan. xviii, 22, servus summi pontificis dedit Christo alapam, dicens : *Sic respondes pontifici* ? Threm. iii, 30 : *Dabit percutienti se maxillam, saturabitur opprobriis.*

CAPUT V.

Imminens urbis Jerusalem vastatio ostenditur, et Christus in Bethlehem nasciturus; reliquiæ Israel exaltabuntur, devictis inimicis, et ablata ab ipsis idololatria.

1. Nunc vastaberis, filia latronis. Obsidionem posuerunt super nos, in virga percutient maxillam judicis Israel.
2. Et tu, Bethlehem Ephrata, parvulus es in millibus Juda [1] : ex te mihi egredietur qui sit dominator in Israel, et egressus ejus ab initio, a diebus æternitatis.
3. Propter hoc dabit eos usque ad tempus in quo parturiens pariet : et reliquiæ fratrum ejus convertentur ad filios Israel.
4. Et stabit, et pascet in fortitudine Domini, in sublimitate nominis Domini Dei sui : et convertentur, quia nunc magnificabitur usque ad terminos terræ.
5. Et erit iste pax. Cum venerit Assyrius in terram nostram, et quando calcaverit in domibus nostris, et suscitabimus super eum septem pastores et octo primates homines :
6. Et pascent terram Assur in gladio, et terram Nemrod in lanceis ejus, et liberabit ab Assur cum venerit in terram nostram, et cum calcaverit in finibus nostris.
7. Et erunt reliquiæ Jacob in medio populorum multorum quasi ros a Domino, et quasi stillæ super herbam, quæ non exspectat virum, et non præstolatur filios hominum.
8. Et erunt reliquiæ Jacob in gentibus, in medio populorum multorum, quasi leo in jumentis silvarum, et quasi catulus leonis in gregibus pecorum, qui cum transierit, et conculcaverit, et ceperit, non est qui eruat.
9. Exaltabitur manus tua super hostes tuos, et omnes inimici tui interibunt.
10. Et erit in die illa, dicit Dominus :

[1] atth. ii, 6; Joan. vii, 42.

Auferam equos tuos de medio tui, et disperdam quadrigas tuas.

11. Et perdam civitates terræ tuæ, et destruam omnes munitiones tuas : et auferam maleficia de manu tua, et divinationes non erunt in te :

12. Et perire faciam sculptilia tua, et statuas tuas de medio tui, et non adorabis ultra opera manuum tuarum :

13. Et evellam lucos tuos de medio tui, et conteram civitates tuas.

14. Et faciam, in furore et indignatione, ultionem in omnibus gentibus quæ non audierunt.

IN CAPUT V MICHÆÆ

ENARRATIO.

« *Et tu, Bethlehem.* » Tangitur hic de liberatore, et habet partes duas. Primo enim tanguntur proprietates liberatoris, secundo, proprietates liberationis, ibi, ỷ. 7 : « *Et erunt reliquiæ Jacob.* »

In prima determinantur duo, scilicet modus ortus sive nativitatis, et modus pacis quam faciet, ibi, « *Et erit iste pax.* »

In prima tria sunt, scilicet modus ortus ex patria, et modus ortus ex patre et matre, et magnificentia præsentantis.

Bethleem in sorte est Judæ.

2 « *Et tu, Bethlehem Ephrata* [1]. » *Ephrata Bethlehem* dicitur ab uxore Caleph ibi sepulta, et non ex hoc quod in sorte Ephraim fuerit, vel ex hoc, ut dicunt quidam, quod cum primo esset ibi fames, quoniam Noemi inde peregrinata est [2], tanta ubertas facta est postea ibi, quod et Bethlehem et Ephrata dicta est. Bethlehem enim *domus panis*, Ephrata *fructifera* interpretatur. Bethlehem enim secundum veritatem in sorte Judæ fuit. Unde Matth. II, 5 et 6, Sacerdotes et Scribæ dixerunt Herodi sciscitanti ubi Christus nasceretur : *In Bethlehem Judæ : Sic enim scriptum est per Prophetam : Et tu, Bethlehem, terra Juda, nequaquam minima es in principibus Juda.* Ab eventu ergo Ephrata dicebatur. « *Parvulus es in millibus Juda,* » hoc est, parvulus viculus es, quantitate scilicet, « *Juda,* » hoc est in sorte, ubi tot sunt millia civitatum, oppidorum, et viculorum. Et licet sis parva quantitate, magna tamen eris dignitate, supple, quia « *ex te mihi,* » hoc est, ad honorem meum, « *egredietur,* » quantum ad nativitatem terrenam, « *qui sit dominator in Israel,* » Christus scilicet de quo dicitur in Psal. LXXI, 8 : *Dominabitur a mari usque ad mare.* Ille enim vere dominator est, qui per naturam divinam auctoritatem habet omnis dominii, eo quod omnibus superponitur ; et per naturam humanam natus est in dominium regni, sicut Christus fuit. Sapient. VI, 8 : *Non subtrahet personam cujusquam Deus, qui est omnium dominator, nec verebitur magnitudinem cujusquam.* Sapient. XII, 18 : *Tu dominator virtutis, cum tranquillitate judicas.* Unde etiam Dominus dominorum dicitur, I ad Timoth. VI, 15 : *Rex regum, et Dominus dominantium.* Apocal. XIX, 16 : *Habet in vestimento, et in femore suo scriptum : Rex regum, et Dominus dominantium.*

Hieronymus objicit contrarietatem ex Matth. II, 6, ubi dicitur : *Nequaquam minima*, hic autem, « *Parvulus es.* » Sol-

[1] Expositio ỷ. 1 Vulgatæ, « *Nunc vastaberis, filia latronis. Obsidionem posuerunt super nos, in virga percutient maxillam judicis Israel,* facta fuit a B. Alberto in fine capitis præcedentis, nam in versione hebraica, ad hoc caput pertinet iste versiculus.

[2] Cf. Ruth. I, 1. et 6.

vit autem sic : « Dictum est quod parvulus fuit viculus quantitate, nequaquam autem parvulus dignitate. Si « tunc vellemus hoc quod hic dicitur : « *Parvulus es in millibus Juda*, interrogative legere sic : *Parvulus es*, « hoc est, parvulus es in millibus ? Quasi diceret : Non. Quia *ex te mihi egredietur*. Tunc concordaret prophetia « cum Evangelio, et in hoc sensu videtur « ab Evangelista inductum esse. »

Et subdit de modo generationis a Patre :

« *Et egressus ejus,* » per divinam scilicet generationem, supple, est « *ab initio,* » hoc est, a Patre qui omnium initium est, et qui principium est totius divinitatis, ut dicit Augustinus. In ipso enim est initium Filii per generationem activam, et initium Spiritus sancti per activam spirationem, qui sunt dies æternitatis. Sunt enim prima lux omnia illustrans, qui nec principium durationis habent nec finem. Psal. cix, 3 : *In splendoribus sanctorum, ex utero ante luciferum genui te*. Eccli. xxiv, 6 : *Ego feci in cœlis ut oriretur lumen indeficiens.* Sap. vii, 26 : *Candor est lucis æternæ, et speculum sine macula Dei majestatis, et imago bonitatis illius*. Et cum sit una lux trium, tamen propter distinctionem personarum et attributorum, pluraliter significantur, cum dicitur : « *A diebus æternitatis*. » Luces enim singularium personarum in Christo homine apparuerunt, Pater scilicet in potentia, Joan. xiv, 10 : *Pater in me manens ipse facit opera :* Filius ipse in sapientia, Eccli. i, 5 : *Fons sapientiæ verbum Dei in excelsis :* Spiritus sanctus in distributione charismatum et gratiarum, Joan. i, 16 : *De plenitudine ejus nos omnes accepimus, et gratiam pro gratia*. Eccli. xliii, 4 : *Tripliciter sol exurens montes, radios igneos exsuflans*.

Trinitatis mysterium circa Christum emicuit.

Et subjungit de ortu ex matre, et de conversione facta ad ipsum : 3

« *Propter hoc,* » quia scilicet talis est liberator, « *dabit eos,*» supple, Deus nunc, hoc est, Judæos tradet in manus hostium et contrariorum, ut afflictis per pœnam dulcior et appetibilior sit liberatio. Psal. xliii, 12 : *Dedisti nos tamquam oves escarum, et in gentibus dispersisti nos*. Et hoc est quod sequitur : « *Usque ad tempus, in quo parturiens pariet.* » Parturiens parere dicitur Beata Virgo, vel Ecclesia, quia sola peperit perfectum : omnes autem aliæ quasi informes genuerunt. Et quia sola, sicut sine concupiscentia concepit, ita sine dolore peperit. Isaiæ, lxvi, 7 et 8 : *Antequam parturiret, peperit : antequam veniret partus ejus, peperit masculum. Quis audivit umquam tale ? et quis vidit huic simile?* Jerem. xxxi, 22 : *Creavit Dominus novum super terram, fœmina circumdabit virum*. Hæc est generatio quarta, de qua dicitur, Genes. xv, 16 : *Generatione quarta revertentur huc*. Humanas enim generationes quatuor legimus : Adæ de terra, formante Deo : Evæ virginis de Adam virgine, item Deo formante : Abel et Cain de Adam et Eva corruptis, quæ sicut, dicitur, Genes v, 1, non fuit ad imaginem Dei perfectam [1], sed ad imaginem Adæ corruptam. Quarta autem fuit Christi virginis de Virgine Maria, non ad imaginem hominis, nec ad imaginem Dei, quia præpositio *ad* notat diversitatem et remotionem, sed fuit generatio ipsius Dei imaginis. Unde sicut in integritate natus est ex Patre, sic in integritate natus est ex matre. Ad Hebr. i, 3 : *Qui cum sit splendor gloriæ, et figura substantiæ ejus*. Ad Coloss. i, 15 : *Qui est imago Dei invisibilis*.

Beata Maria sola sine dolore perfectum peperit.

Generationes humanæ quatuor sunt gradus.

Et quia quarta generatio reducit, ideo sequitur :

« *Et reliquiæ fratrum ejus* » hoc est, qui reliqui fuerunt, quos gladius et fa-

[1] Genes. v, 1 : *In die qua creavit Deus hominem, ad similitudinem Dei fecit illum.*

mes non consumet, et error infidelitatis non obcæcabit, « *convertuntur.* » *Fratres* autem vocat Judæos, quia ex eis secundum carnem natus est. Joan. xx, 17 : *Dic fratribus meis : Ascendo ad Patrem meum, et Patrem vestrum.* Ad Hebr. III, 11 et 12 : *Non confunditur fratres eos vocare, dicens : Nuntiabo nomen tuum fratribus meis.* « *Ad filios Israel,* » hoc est, ad fidem Patriarcharum et Prophetarum, qui fide et operibus prænuntiaverunt Christum, et credendum esse in eum. Sic enim corda patrum sunt in filiis per fidei unitatem. Luc. I, 17 : *Ut convertat corda patrum in filios* [1], et cor filiorum ad patres eorum. Isa. x, 21 : *Reliquiæ convertentur : reliquiæ, inquam, Jacob ad Deum fortem.*

Erat enim docens eos, sicut potestatem habens. Act. VI, 10 : *Non poterant resistere sapientiæ, et Spiritui qui loquebatur.* Joan. VII, 46 : *Numquam sic locutus est homo, sicut hic homo.* « *Et convertentur.* » Alia littera, « hæreditabunt. » Isa. XLV, 22 : *Convertimini ad me, et salvi eritis, omnes fines terræ.* « *Quia nunc magnificabitur,* » potestate scilicet, et veneratione, « *usque ad terminos terræ,* ut scilicet in toto mundo sit potestas et veneratio ipsius. Isa. XXIV, 16 : *A finibus terræ laudes audivimus, gloriam justi.* Psal. LXXI, 8 : *Dominabitur a mari usque ad mare, et a flumine usque ad terminos orbis terrarum* Isa. XLIX, 6 : *Dedi te in lucem gentium, ut sis salus mea usque ad extremum terræ.*

4 « *Et stabit,* » rectitudine scilicet vitæ, doctrinæ, et judicii. Joan. I, 26 : *Medius vestrum stetit, quem vos nescitis.* Cantic. II, 9 : *En ipse stat post parietem nostrum.* Solus enim in rectitudine stetit post corporis parietem : « *et pascet* » conversos scilicet ad se verbo, et exemplo, et temporali subsidio. Joan. VI, 5 : *Unde ememus panes, ut manducent hi ?* Sap. XVI, 20 : *Angelorum esca nutrivisti populum tuum, et paratum panem de cœlo præstitisti illis sine labore, omne delectamentum in se habentem, et omnis saporis suavitatem.* Et hoc est quod sequitur : « *In fortitudine Domini.* » Panis enim ille confortat virtute Domini. Act. IX, 19 : *Cum accepisset cibum, confortatus est.* Psal. CIII, 15 : *Panis cor hominis confirmat.* In fortitudine hujus cibi ambulavit Elias quadraginta diebus et quadraginta noctibus usque ad montem Dei Horeb [2]. « *Et in sublimitate nominis Domini Dei sui.* » Hoc dicit, quantum ad perfectionem sapientiæ. Matth. VII, 28 et 29 : *Admirabantur turbæ super doctrina ejus.*

Et subdit de effectu pacis : 5

« *Et erit iste pax,* » hoc est, causa pacis. Ad Ephes. II, 14 : *Ipse est pax nostra, qui fecit utraque unum.* « *Cum venerit Assyrius in terram nostram.* » Assyrius interpretatur *sustollens vigilias,* et significat diabolum qui semper vigilat ad nocendum. I Petr. v, 8 : *Adversarius vester diabolus tamquam leo rugiens circuit, quærens quem devoret.* Gregorius : « Sicut non dormitabit neque dormiet qui custodit Israel [3], ita non dormitabit neque dormiet qui impugnat Israel. » Hic intrat in terram nostram, quando potestatem accipit in nos. Job, IX, 24 : *Terra data est in manus impii.* « *Et quando calcaverit in domibus nostris.* » *Domus nostræ* sunt cor, concientia, spiritus, sensus, corpus, et hujusmodi : in quibus calcare diabolus dicitur, quando vestigia pedum suorum imprimuntur. Isa. VII, 25 : *Erit in pascua bovis, et in conculcationem pecoris.* Psal. LV, 3 : *Conculcaverunt me inimici mei tota die.* « *Et suscitabimus super eum.* » Connumerat se membris

[1] Cf. Malach. IV, 6.

[2] III Reg. XIX, 8.

[3] Psal. CXX, 4 : *Ecce non dormitabit neque dormiet, qui custodit Israel.*

Prælatio non nisi Deo vocante amplectenda. Christus, et quod ipse facit, attribuit sibi in membris : et dicit se suscitaturum, quia in prælatione non vivit, sed mortuus est, qui a Deo ad prælationem non vocatur. Deuter. xviii, 15 : *Prophetam de gente tua et de fratribus tuis sicut me, suscitabit tibi Dominus Deus tuus.* Jerem. xxiii, 5 : *Suscitabo David germen justum.* « *Septem pastores,* » qui Sanctos significant Veteris Testamenti, qui hebdomadi, hoc est, septenario serviebant. Septimum enim diem, septimam septimanam, septimum mensem, et septimum annum observabant. « *Et octo primates homines.* » Septuaginta : « Octo «morsus hominum, » hoc est, patres Novi Testamenti, qui octoadi, hoc est, octonario deserviunt, ut mordeant per reprehensionem, et expellant verbo Dei Assyrium. Hieronymus inducit illud Eccle. xi, 2 : *Da partes septem, necnon et octo.* Verbis enim et exemplis patrum Veteris Testamenti et Novi, et pascuntur fideles, et expellitur diabolus.

6 « *Et pascent terram Assur in gladio.* » Terra Assur terra diaboli est, ubi scilicet homines diaboli, vel diabolici habitant. Gladius autem est gladius Spiritus sancti, quod est verbum Dei[1]. *Pascere* autem depascere est, hoc est, lacerare et vastare : lacerabunt enim comminationibus, et vastabunt increpationibus, sicut dictum est Petro, Act. x, 13 : *Occide, et manduca.* Osee, vi, 5 : *Occidi eos in verbis oris mei.* « *Et terram Nemrod,* » supple, pascent « *in lanceis suis.* » *Lancea* zelum animarum significat, in quo zelo perfodiuntur animæ conversorum per verbum Dei. Job, xvi, 14 : *Circumdedit me lanceis suis, convulneravit lumbos meos.* Vulneratur enim lanceis qui zelo animarum perfoditur. II Regum, xxiii, 6 et 7 : *Prævaricatores quasi spinæ evellentur universi, quæ non tolluntur manibus : et si quis tangere voluerit eas, armabitur ferro et ligno lanceato,* acumine scilicet zeli. Joel, iii, 10 : *Concidite aratra vestra in gladios, et ligones vestros in lanceas.* Tunc enim tempus est prœliandi in verbo gladii Domini, et compungendi conscientias ad pœnitentiam. Nemrod autem interpretatur *tyrannus* vel *tentatio descendens,* et significat eos qui tentationem diaboli sustinuerunt, et tyrannide ejus oppressi sunt. De una enim terra, sicut dicitur Genes. x, 8, 9 et seq., exivit Nemrod et Assur, quia Assur fuit de filiis Nemrod. Nemrod enim, sicut ibidem dicitur, cœpit esse *robustus venator coram Domino.*

« *Et liberavit ab Assur,* » supple, terram nostram, « *cum venerit in terram nostram,* » conculcando scilicet et tentando. Luc. i, 14 : *Ut sine timore de manu inimicorum nostrorum liberati, serviamus illi.* II ad Corinth. i, 10 et 11 : *De tantis periculis nos eripuit, et eruit : in quem speramus quoniam et adhuc eripiet, adjuvantibus et vobis in oratione pro nobis.* « *Et cum calcaverit in finibus nostris.* » Hæc est vera littera, ut dicit Hieronymus, et hæc falsa : « Et conculcaverit in monte sancto nostro. » Montem enim sanctum nostrum Christum non conculcavit Assur ; sed nos humiles conculcat, quando ungularum suarum vestigia nobis imprimit in tentatione, et peccato. Psal. lv, 3 : *Conculcaverunt me inimici mei tota die.* Christus tentatori non succubuit.

« *Et erunt reliquiæ Jacob.* » Tangit hic Christi successorum in Apostolis et Apostolicis viris fœcunditatem et audaciam, et ideo duo dicunturhic, primo,« *In medio populorum.* » Secundo, « *In gentibus.* » 7

« *Et erunt reliquiæ Jacob.* » De Judæis scilicet conversis « *in medio populorum multorum.* » *Populi multi* dicuntur omnes diversitates populorum ex

[1] Ad Ephes. vi, 17 : *Assumite et gladium spiritus, (quod est verbum Dei.)*

quibus aliqui conversi sunt ad Dominum. Isaiæ, I, 9 : *Nisi Dominus exercituum reliquisset nobis semen, quasi Sodoma fuissemus.* « *Quasi ros a Domino,* » hoc est, missus a Domino ad fœcunditatem scilicet cordium seminatorum per verbum Dei. Job, XXIX, 19 : *Ros morabitur in messione mea.* Osee, XIV. 6 : *Ero quasi ros, Israel germinabit sicut lilium* Isa. XXVI, 19 : *Ros lucis ros tuus, et terram gigantum detrahes in ruinam.* Cantic. V, 2 : *Caput meum plenum est rore.* « *Et quasi stillæ super herbam.* » *Stillæ* sunt ordinata eloquia, corda infundentia. Psal. LXIV, 11 : *In stillicidiis ejus lætabitur germinans.* Job, XXIX, 22 : *Super illos stillabat eloquium meum.* Herbæ autem sunt corda recenter virorem virtutis emittentia. Deut. XXXII, 2 : *Quasi imber super herbam, et quasi stillæ super gramina.* « *Quæ non exspectat virum,* » hoc est, auxilium viri. A Deo enim accipit incrementum. I ad Corinth. III, 7 : *Neque qui plantat est aliquid, neque qui rigat : sed qui incrementum dat, Deus.* « *Et non præstolatur filios hominum.* » Non enim separat in homine, sed in solo Deo. Jerem. XVII, 5 : *Maledictus homo qui confidit in homine, et ponit carnem brachium suum.* Econtra, ℣. 7 : *Benedictus vir qui confidit in Domino, et erit Dominus fiducia ejus.* Psal. CXLV, 2 et 3 : *Nolite confidere in principibus : in filiis hominum, in quibus non est salus.* Omnia enim virtute Dei faciebant Apostoli.

Et subdit de audacia, et determinat audaciam in idololatriis et in idolis :

8 « *Et erunt reliquiæ Jacob,* » hoc est, Apostoli et Apostolici viri, « *in gentibus,* » dispersi scilicet propter prædicationem, « *in medio populorum multorum,* » ut omnes scilicet diversitates populorum ad Dominum convertantur, « *quasi leo in jumentis silvarum,* » hoc est, in jumentis silvestribus. « Leone « enim rugiente (ut dicit Hieronymus) « animalia silvestria figunt gressum : ita « prædicantibus Apostolis et Apostolicis « viris, silvestres homines gradum fixe- « runt, et ad leonem rugientem treme- « bundi conversi sunt. » Amos, III, 8 : *Leo rugiet, quis non timebit ?* Amos, I, 2 : *Dominus de Sion rugiet, et de Jerusalem dabit vocem suam.* « *Et quasi catulus leonis in gregibus pecorum.* » Catuli leonis successores sunt Apostolorum qui pecorinos homines a peccatis converterunt. I Machab. III, 4 et 5 : *Similis factus est leoni in operibus suis, et sicut catulus leonis rugiens in venatione. Et persecutus est iniquos perscrutans eos.* « *Qui,* » scilicet leo vel catulus leonis, « *cum transierit,* » discursu scilicet prædicationis, « *et conculcaverit,* » superbos scilicet humilitate pœnitentiæ. Eccli. XXIV, 11 : *Excellentium et humilium corda virtute calcavi.* « *Et ceperit,* » tenendo scilicet per consensum fidei et devotionem. Isa. V, 29 : *Rugitus ejus ut leonis, rugiet ut catuli leonum : et frendet, et tenebit prædam : et amplexabitur, et non erit qui eruat.* « *Non est qui eruat.* » Tanta enim devotione adhærebunt Domino, quod nec prosperis nec adversis separabuntur ab eo. Joan. X, 28 : *Non rapiet eos quisquam de manu mea.* Proverb. XXX, 30 : *Leo fortissimus bestiarum, ad nullius pavebit occursum.*

Apostoli leoni comparantur.

Et apostrophat, ad Deum convertens sermonem : 9

« *Exaltabitur manus tua,* » supple, sic o Deus, « *super hostes tuos,* » ut manui tuæ subjiciantur, hoc est, operibus et præceptis. I Petr. V, 6 : *Humiliamini sub potenti manu Dei, ut vos exaltet in die visitationis,* Isa. XXVI, 11 : *Domine, exaltetur manus tua, et non videant : videant, et confundantur zelantes populi : et ignis hostes tuos devoret.* Et hoc est quod sequitur : « *Et omnes inimici tui interibunt,* » ab inimicitia scilicet et si non a natura : convertentur enim ad

amicos. Psal. LXVIII, 3 : *Sicut fluit cera a facie ignis, sic pereant peccatores a facie Dei.* Item, ibidem, ỳ. 23 : *Dixit Dominus : Ex Basan convertam, convertam in profundum maris.* Quia ex confusione peccatorum, convertit in amaritudinem pœnitentiæ.

10 « *Et erit in die illa, dicit Dominus.* » Tangit hic destructionem idolorum in ritu et idolis.

« *In die illa,* » quando clara erit lux scilicet veritatis. Psal. CXVII, 24 : *Hæc est dies, quam fecit Dominus.* « *Auferam equos de medio tui,* » hoc est, de corde tuo quod in medio tui est. In Ægypto equis abundaverant, et illos semper desideraverunt, qui lascivos impetus et ad concupiscentiam significant. Isa. XXXI, 1 : *Væ qui descendunt in Ægyptum ad auxilium, in equis sperantes!* Psal. XXXI, 9 : *Nolite fieri sicut equus et mulus.* Tobiæ, VI, 17 : *Hi namque qui conjugium ita suscipiunt, ut Deum a se, et a sua mente excludant, et suæ libidini ita vacent, sicut equus et mulus, in quibus non est intellectus, habet potestatem dæmonium super eos.* Osee, XIV, 4 : *Super equum non ascendemus.* Amos, II, 15 : *Ascensor equi non salvabit animam suam.* « *Et disperdam quadrigas tuas,* » quæ scilicet fiunt cogitatione, libidine, consensu, et opere. Vel consensu, opere, consuetudine, præsumptione peccati. Vel forte quatuor passionibus inordinatis. Josue, XI, 6 : *Equos eorum subnervabis, et currus igne combures.*

« *Et perdam civitates terræ tuæ,* » ædificatas scilicet contra Deum infidelium congregationes. Josue, XI, 11 et 12 : *Ipsam urbem peremit incendio. Et omnes per circuitum civitates, regesque earum cepit, percussit atque delevit, sicut præceperat ei Moyses, famulus Domini.* « *Et destruam omnes munitiones tuas,* » defensiones scilicet quibus in errore te defendas. II ad Corinth. X, 4 : *Arma militiæ nostræ non carnalia sunt, sed potentia Deo ad destructionem munitionum, consilia destruentes.* « *Et auferam maleficia de manu tua.* » *Maleficia* sunt veneficia quibus homines decipiuntur in operibus necromanticis et idolorum. Exod. XXII, 18 : *Maleficos non patieris vivere.* Deuter. XVIII, 10 et 11 : *Ne inveniatur in te qui sit maleficus, nec incantator, nec qui pythones consulat.* « *Et divinationes non erunt in te,* » quibus scilicet per responsa dæmonum, et alias artium illicitarum conjecturas futura tibi prophetabas. Numer. XXIII, 23 : *Non est augurium in Jacob, nec divinatio in Israel.* **Maleficium et divinatio caveantur.**

« *Et perire faciam sculptilia tua.* » Sculptile est quod homo fingit ad venerandum, sive hoc sit de divitiis, vel deliciis, et honoribus. Exod. XX, 4 : *Non facies tibi sculptile, neque omnem similitudinem.* « *Et statuas tuas de medio tui,* » supple, conteram. *Statuæ* sunt idola sive cordis statua, quæ sibi præponit homo ad adorandum in vita, et quæ veneratur sicut idola, sicut ille dives, Luc. XII, 19, qui dixit : *Anima, habes multa bona posita in annos plurimos.* Genes. XXXV, 2 : *Abjicite deos alienos qui in medio vestri sunt, et mundamini, ac mutate vestimenta vestra. De medio* autem *tui* dicit, quia in corde statuuntur quod in medio est Osee, II, 2 : *Auferat fornicationes suas a facie sua, et adulteria sua de medio uberum suorum.* « *Et non adorabis ultra opera manuum tuarum.* » Osee, XIV, 4 : *Nec dicemus ultra : Dii nostri opera manuum nostrarum.* Opera manuum suarum adorat qui operibus suis gloriatur, et quærit honorari. Job, XXXI, 27 : *Si... osculatus sum manum meam ore meo.* **12**

« *Et evellam lucos tuos de medio tui.* » *Lucus* dicitur quasi minime lucens, **13** **Lucus.**

et est locus arboribus amœnis et umbrosis consitus, ubi (sicut dicit Vitruvius in *Architectura*) « Veneri sacrificabatur ut « amœnitate ad libidinem incitaret, et « umbrositate turpitudinem tegeret. » Deuteron. xvi, 21 *: Non plantabis lucum, et omnem arborem juxta altare Domini Dei tui.* Lucum plantat qui amœna mundi diligit, et in concupiscentiis obscœnis ambulat. Judicum, vi, 25 : *Destrues aram Baal, quæ est patris tui : et nemus, quod circa aram est, succide.* Jerem. ii, 20 : *Sub omni ligno frondoso prosternebaris meretrix.* « *Et conteram civitates tuas,* » hoc est, impias impiorum congregationes. Psal. liv, 10 : *Vidi iniquitatem, et contradictionem in civitate.* Josue, vi, 17 : *Sit civitas hæc anathema.* Isaiæ, xxv, 2 : *Posuisti civitatem in tumulum, urbem fortem in ruinam.*

« *Et faciam in furore.* » Furor est in 14
interminatione æternæ pœnæ. Psal. vi, 2, et xxxvii, 2 : *Domine, ne in furore tuo arguas me.* « *Et in indignatione,* » quantum ad gratiæ subtractionem, Thren. ii, 4 : *Effudit quasi ignem indignationem suam.* Psal. xxix, 6 : *Ira in indignatione ejus, et vita in voluntate ejus.* « *Ultionem,* » ut scilicet furore puniantur, et indignatione bonis priventur. Deuter. xviii, 19 : *Ego in tempore ultor existam.* Psal. xciii, 1 : *Deus ultionum Dominus.* Joel, iii, 4 : *Cito velociter reddam vicissitudinem vobis super caput vestrum.* « *In omnibus gentibus, quæ non audierunt* » per obedientiam scilicet vocem meam. Ad Hebr. ii, 2 : *Omnis pravaricatio, et inobedientia accepit justam mercedis retributionem.*

CAPUT VI.

Disceptat Dominus cum ingratis, recensens collata illis beneficia : indicans etiam quid sit bonum, et quid Dominus a populo suo requirat : sed propter injustitiam aliaque scelera filiorum Israel comminatur eis Dominus varias afflictiones.

1. Audite quæ Dominus loquitur : Surge, condende judicio adversum montes, et audiant colles vocem tuam.
2. Audiant montes judicium Domini, et fortia fundamenta terræ : quia judicium Domini cum populo suo, et cum Israel dijudicabitur.
3. Popule meus, quid feci tibi? aut quid molestus fui tibi? responde mihi [1].
4. Quia eduxi te de terra Ægypti, et de domo servientium liberavi te, et misi ante faciem tuam Moysen, et Aaron, et Mariam?
5. Popule meus, memento, quæso, quid cogitaverit Balach, rex Moab, et quid responderit ei Balaam, filius Beor, de Setim usque ad Galgalam, ut cognosceres justitias Domini [2].
6. Quid dignum offeram Domino? Curvabo genu Deo excelso? numquid offeram ei holocautomata et vitulos anniculos?

[1] Jerem. ii, 5.

[2] Numer. xxii et xxiii.

7. Numquid placari potest Dominus in millibus arietum, aut in multis millibus hircorum pinguium? numquid dabo primogenitum meum pro scelere meo, fructum ventris mei pro peccato animæ meæ?
8. Indicabo tibi, o homo, quid sit bonum, et quid Dominus requirat a te: Utique facere judicium, et diligere misericordiam, et sollicitum ambulare cum Deo tuo.
9. Vox Domini ad civitatem clamat, et salus erit timentibus nomen tuum: Audite, tribus, et quis approbabit illud?
10. Adhuc ignis in domo impii thesauri iniquitatis, et mensura minor iræ plena.
11. Numquid justificabo stateram impiam, et saccelli pondera dolosa?
12. In quibus divites ejus repleti sunt iniquitate, et habitantes in ea loquebantur mendacium, et lingua eorum fraudulenta in ore eorum.
13. Et ego ergo cœpi percutere te perditione super peccatis tuis.
14. Tu comedes, et non saturaberis: et humiliatio tua in medio tui: et apprehendes, et non salvabis: et quos salvaveris, in gladium dabo.
15. Tu seminabis, et non metes: tu calcabis olivam, et non ungeris oleo: et mustum, et non bibes vinum [1].
16. Et custodisti præcepta Amri, et omne opus domus Achab, et ambulasti in voluntatibus eorum, ut darem te in perditionem, et habitantes in ea in sibilum: et opprobrium populi mei portabitis.

IN CAPUT VI MICHÆÆ

ENARRATIO.

« *Audite quæ Dominus loquitur.* » Hic incipit pars illa quæ est de inclinatione ad pœnitentiam per contestationem judicii divini, et habet duas partes. Primo enim fit contestatio et inclinatio ad pœnitentiam. Secundo, inducitur dolor et gemitus populi compuncti, infra VII, 1, ibi, « *Væ mihi!* »

Prima pars dividitur in duas. Primo enim convincitur populus de ingratitudine in Deum. Secundo, convincitur de dolis et fraudibus in proximum, ibi, ℣. 9: « *Vox Domini ad civitatem.* »

Prima in duas. Primo enim convincitur populus. Secundo gemit, et inquirit qualiter satisfaciat, ibi, « *Quid dignum offeram Domino?* »

Prima adhuc in duas. Primo enim omnes provocat ad judicium. Secundo, allegat pro causa sua ad omnes, ibi, « *Popule meus.* »

Dicit ergo:

1 « *Audite,* » Vox Prophetæ est, « *quæ Dominus loquitur.* » Ac si dicat: Hæc enim debetis audire, quia Dominus audiendus est. I Regum, III, 9: *Loquere, Domine, quia audit servus tuus.* Psal. LXXXIV, 9: *Audiam quid loquatur in me Dominus Deus.* « *Surge,* » hoc est, hoc principit mihi Deus, dicens: « *Surge,* » sursum te age, ut scilicet justitiam Dei consideres in omni rectitudine veritatis. *Surge* autem dicitur sedentibus, Psal. CXXVI, 2: *Surgite postquam sederitis.* Dicitur etiam dormientibus et mortuis, Ad Ephes. V, 14: *Surge, qui dormis, et exsurge a mortuis.* « *Contende judicio,* » convictionis scilicet ut osten-

[1] Deuter. XXVIII, 38; Aggæi, I, 6.

datur justitia, qua ego punio populum. Isa. III, 14 : *Dominus ad judicium veniet cum senibus populi sui.* « *Adversum montes,* » superbos scilicet, et potentes in principatibus constitutos. Hieronymus tamen vocat *montes* superiores Angelos terris præpositos, et inducit illud Deuteron. XXXII, 8, secundum litteram Septuaginta : « Statuit terminos populorum « juxta numerum Angelorum Dei [1].» Potuit tamen melius induci hoc Eccli. XVII, 14 et 15 : *In unamquamque gentem præposuit rectorem : et pars Dei Israel facta est manifesta.* « *Et audiant colles vocem tuam,* » justitiam scilicet meam proponentem. *Colles* vocat inferiores Prælatos, vel secundum Hieronymum, Angelos inferiores singulis hominibus deputatos. Et est sensus secundum Hieronymum : « Contende judicio, ut non « solum coram hominibus, sed etiam co- « ram Angelis superioribus et inferiori- « bus justitia mea appareat. » Ezech. XXXVI, 4 : *Hæc dicit Dominus Deus montibus et collibus, torrentibus vallibusque.*

2 « *Audiant montes judicium Domini,* » convictionis scilicet qua convincit populum suum. Et sicut dicit Hieronymus, « magnæ humilitatis est, quod ille qui « ex auctoritate judicare habet, dijudi- « cari vult cum servo. » Job, XXXI, 13 : *Si contempsi subire judicium cum servo meo.* « *Et fortia fundamenta terræ,* » hoc est, fortes principes, in quorum custodia fundantur terreni. Job, IX, 13 : *Deus, cujus iræ nemo resistere potest, et sub quo curvantur qui portant orbem.* Psal. XVII, 8 : *Fundamenta montium conturbata sunt, et commota sunt, quoniam iratus est eis.*

Et subdit causam :

« *Quia judicium Domini,* » disceptationis scilicet et convictionis, supple, est « *cum populo suo,* » hoc est, contra populum suum, quod valde terribile est. Psal. CXLII, 2 : *Non intres in judicium cum servo tuo : quia non justificabitur in conspectu tuo omnis vivens.* « *Et,* » id est, « *cum Israel dijudicabitur,* » quia ille est populus suus, et tanti patris scilicet qui a rectitudine nomen accepit, deberet esse imitator. Et est sensus : Non ex potestate, sed ex judicio vult agere vobiscum. Populus enim murmurabat, quod non recte pro peccatis parentum punirentur, sicut dicitur Ezech. XVIII, 19 et seq. Unde et ibi convincuntur, quod æqua est via Domini et viæ illorum pravæ sunt [2]. Ideo dicitur etiam, Isa. LVIII, 2 : *Rogant me judicia justitiæ : appropinquare Deo volunt.* Et ideo dicitur, ibidem, ℣. 1 : *Annuntia populo meo scelera eorum, et domui Jacob peccata eorum.*

Et proponit pro Domino beneficia et gratias quas fecit, primo in genere, secundo in specie. In genere dupliciter, scilicet quod bona exhibuit, et in nullo molestus fuit. 3

« *Popule meus, quid feci tibi?* » hoc est, quid in beneficiis non feci tibi? Osee, VI, 4 : *Quid faciam tibi, Ephraim? quid faciam tibi, Juda?* hoc est, cum omnia fecerim quæ debui, quid ulterius requiris? « *Aut quid molestus fui tibi,* » injurias scilicet aliquas inferendo ? Ad primum respondet Isaias, XXVI, 12 : *Omnia opera nostra operatus es in nobis, Domine.* Tobias, XII, 3 : *Bonis omnibus per eum repleti sumus.* Ad secundum respondetur, I Regum, XXV, 15 : *Homines isti boni satis fuerunt nobis, et non molesti : nec quidquam aliquando periit omni tempore, quo fuimus conversati cum eis.* II ad Corinth. VII, 2 : *Neminem*

[1] Vulg. habet, Deuter. XXXII, 8 : *Constituit*, Dominus scilicet, *terminos populorum juxta numerum filiorum Israel.*

[2] Ezech. XVIII, 25 : *Et dixistis : Non est æqua via Domini*, etc.

læsimus, neminem corrupimus, neminem circumvenimus. Et si hoc faciunt homines divini, multo magis facit Deus. « *Responde mihi.* » Hoc remissive legendum est : tamen Deo objicienti non est qui respondeat. Job, IX, 3 : *Si voluerit contendere cum eo, non poterit ei responderet unum pro mille.* Isa. XXXVIII, 15 : *Quid dicam, aut quid respondebit mihi?*

4 Et proponit in speciali :

« *Quia eduxi te de terra Ægypti*[1]. » Et debet intelligi : Eduxi te cum potestate magna et gloria, sicut et nos educit de peccatis et desideriis sæculi. Osee, XI, 1 : *Ex Ægypto vocavi filium meum.* Isa. LXIII, 14 : *Sicut adduxisti populum tuum, ut faceres tibi nomen gloriæ.* Deuteron. XXXII, 12 : *Dominus solus dux ejus fuit : et non erat cum eo Deus alienus.* Psal. CIV, 43 : *Eduxit populum suum in exsultatione, et electos suos in lætitia.* « *Et de domo servientium,* » ubi scilicet in luto et latere serviebas[2], « *liberavi te,* » hoc est, libertate donavi, ubi etiam, ut dicitur in Psal. LXXX, 7 : *In cophino servierunt.* Cophinus autem est sporta qua immunditiæ platearum exportantur. Psal. LXXX, 7 : *Manus ejus in cophino servierunt,* sicut et nos a servitute diaboli liberat et operibus carnis. Ad Galat. V, 13 : *Vos in libertatem vocati estis, fratres : tantum ne libertatem in occasionem detis carnis.* Ad Galat. IV, 26 : *Illa quæ sursum est Jerusalem, libera est, quæ est mater nostra.* Joan. VIII, 31 et 32 : *Si vos manseritis in sermone meo, vere discipuli mei eritis : et cognoscetis veritatem, et veritas liberabit vos.* « *Et,* » supple, ne errares, « *misi ante faciem tuam,* » ut videres eos et imitareris. Simile, Luc. I, 17 : *Ipse præcedet ante illum in spiritu, et virtute Eliæ.* « *Moysen,* » in ducem scilicet, « *et Aaron,* » in sacerdotem, « *et Mariam* » in prophetissam. Osee, XII, 13 : *In propheta eduxit Dominus Israel de Ægypto, et in propheta servatus est.* Ex Moyse legem accepit in formam vitæ. Eccli. XXIV, 33 : *Legem mandavit vobis Moyses in præceptis justitiarum.* Joan. I, 17 : *Lex per Moysen data est,* per Aaron in sacramentis sanctificationem, et pro peccatis intercessionem. Sapient. XVIII, 21 : *Properans homo sine querela deprecari pro populis, proferens servitutis suæ scutum, orationem, et per incensum deprecationem allegans, restitit iræ, et finem imposuit necessitati.* In Maria autem (quæ *illuminatrix* interpretatur) responsi divini in verbo habuit illuminationem. Exod. XV, 20 et 21 : *Sumpsit ergo Maria prophetissa, soror Aaron, tympanum in manu sua, egressæque sunt omnes mulieres post eam cum tympanis et choris, quibus præcinebat.* Joel, II, 28 : *Prophetabunt filii vestri, et filiæ vestræ.* Hæc in Christo completa sunt, qui dux fuit per naturam divinam, sacerdos per naturam humanam, illuminator per verbum.

Cophinus.

Christus fideles suos libertati restituit.

Et subdit de secundo beneficio, in quo molestiam machinatam a populo exclusit : 5

« *Populus*[3] *meus.* » Vocativi casus est, et est antiqua grammatica. Simile, Isa. III, 12 : *Populus*[4] *meus, qui te beatum dicunt, ipsi te decipiunt.* « *Memento, quæso.* » Humilitatis est servum rogare, cui imperare potest. Job, XIX, 17 : *Servum meum vocavi, et non respondit, ore proprio deprecabar illum.*

Et subdit de beneficio liberationis a molestiis : « *Memento, quæso, quid cogitaverit Balach,* » qui interpretatur *elidens,* « *rex Moab.* » Tangit historiam quæ continetur, Numer. XXII, XXIII et XXIV. Interpretatur autem Moab *ex patre*

Balach moab.

[1] Cf. Exod. V, XIV et XV.
[2] Cf. Exod. V, 6 et seq.
[3] Vulg. habet, *Popule.*
[4] Idem.

vel *aqua paterna*, et significat eos qui ex patre diabolo sunt, et insipidi sicut aqua. Genes. XLIX, 4 : *Effusus es sicut aqua, non crescas.* « *Et quid responderit ei Balaam*, » qui *vanus populus* interpretatur, « *filius Beor*, » quod *iniquitas iracundiæ* interpretatur, « *de Setim usque ad Galgalam.* » Tangit historiam quæ habetur, Numer. XXIII, ubi Balaam sæpe mutavit locum, et fecit ædificari aras septem per totam longitudinem exercitus regis Moab, qui diffusus erat de loco qui dicitur Setim, hoc est, ubi arbores spinæ albæ crescebant, usque ad Galgalam, hoc est, usque ad locum ubi postea fundata et ædificata est Galgala. Lustravit enim totum exercitum, semper ædificando septem aras, ut ex aliquo infausto loco adspiceret exercitum Israelis et malediceret, et Dominus e converso semper vertit maledictionem in benedictionem. Unde dixit : *Ad benedicendum adductus sum, benedictionem prohibere non valeo*[1]. Quidam tamen dicunt, quod Setim juxta montem Sinai est, ubi primo accepta lege, populus transgressus est adorando vitulum[2]. Galgala autem locus est in quo unctus est Saul in regem[3], qui inter reges primus prævaricatus est. A prima enim prævaricatione usque ad ultimam semper mala operatus est populus, quibus econtra multa bona fecit Deus. Psal. XXXIV, 12 : *Retribuebant mihi mala pro bonis.* Quidam etiam exponunt moraliter : Setim enim *congelascens* interpretatur, Galgala autem *volutabrum.* Et est sensus : A principio peccati, in quo homo congelascit et infrigidatur a charitate, usque ad volutabrum peccati, hoc est, profundum in quo de peccato non erubescit, Jerem. VI, 15 : *Confusione non sunt confusi, et erubescere nescierunt :* in quo tamen tempore Deus bona facere non desinit. Genes. XLVIII, 15 : *Deus qui pascit me ab adolescentia mea, usque in præsentem diem.*

Balaam Beor.

Setim, Galgala.

Indignis etiam Deus multa bona præstat. Oratio Manassæ, sub fine : *Indignum salvabis me secundum magnam misericordiam tuam.* « *Ut cognosceres justitias Domini.* » « Justitiæ Domini sunt quæ « Domino optime competunt, cujus « substantia est bonitas, natura dulcedo, « proprium misereri et parcere, » ut dicit Gregorius. Illius enim justitia est dissimulare mala et facere bona. Sap. XI, 24 : *Misereris omnium, quia omnia potes, et dissimulas peccata hominum propter pœnitentiam.* Justitia enim Dei semper cum clementia et bonitate juncta est. Psal. XVIII, 9 : *Justitiæ Domini rectæ, lætificantes corda.*

« *Quid dignum offeram Domino?* » 6
Audiens populus talem Deo esse justitiam, compunctus est, et quærit quomodo placare possit Dominum. Quod audiens Propheta, et videns quod in legalibus nihil esset acceptum ad gratiam novi testamenti, consilium dat, ibi, « *Indicabo tibi.* »

« *Quid dignum offeram Domino?* » Dignum scilicet se, vel dignum emenda, nihil enim dignum potest ei offerri, sed dignatio et bonitas sua accipit quod offerimus, non quod dignum sit, sed quod bonitate sua facit dignum. Psal. CXV, 12 : *Quid retribuam Domino, pro omnibus quæ retribuit mihi?*

Et descendit ad specialia :

« *Curvabo genu Deo excelso?* » Quod quidem in adoratione bonum est et Christo debetur, qui nos a curvitate peccati erexit. Genes. XLI, 43, præcepit Pharao *ut omnes coram eo*, scilicet Joseph, *genu flecterent, et præpositum esse scirent universæ terræ Ægypti.* Isa. XLV, 23 : *Mihi curvabitur omne genu, et jurabit omnis lingua.* Ad Philip. II, 10 : *In nomine Jesu omne genuflectatur.* Bonum est ergo hoc, sed non sufficiens

Christo debetur adoratio.

[1] Numer. XXIII, 20.
[2] Cf. Exod. XXXII, 1 et seq.
[3] Cf. I Reg. XIII, 7.

et dignum. I ad Timoth. iv, 8 : *Corporalis exercitatio, ad modicum utilis est.*

Et subdit de reprobatione legalium :

7 « *Numquid offeram ei holocautomata,* » quæ tota scilicet incendebantur, « *et vitulos anniculos,* » qui pro peccatis offerebantur? Psal. xxxix, 7 : *Holocaustum et pro peccato non postulasti.* Isa. i, 11 : *Quo mihi multitudinem victimarum vestrarum, dicit Dominus?* Holocaustum autem in memoria fiebat devotionis. Vituli autem anniculi, hoc est, unius anni, significant incensiones lascivorum motuum in petulantia carnis, qui in compunctione cordis incendendi sunt. I Reg. i, 24 : *Anna adduxit filium suum Samuelem secum, postquam ablactaverat eum, in vitulis tribus, et tribus satis farinæ, et amphora vini.* Tres vituli sunt lascivia gulæ, et luxuriæ, et gaudiorum mundi, quæ Anna, id est, gratia, Domino offert. Tria sata farinæ, tres puritates sunt conscientiæ, scilicet a commissione contra præceptum, ab omissione præcepti, ab impuritate erroris et ignorantiæ. Genes. xviii,6 : *Accelera,tria sata similæ commisce.* Amphora vini, mens est conscia cœlestis gaudii. Psal. ciii,15 : *Vinum lætificat cor hominis.*

« *Numquid placari potest Dominus in millibus arietum?* » qui in veteri lege scilicet offerebantur in memoriam martyrum, « *aut in multis millibus hicorum pinguium,* » qui scilicet pro expiatione peccati offerebantur? Ad Hebr. x, 4 : *Impossibile est sanguine taurorum et hircorum peccata auferri.* Psal. xlix, 13 : *Numquid manducabo carnes taurorum? aut sanguinem hircorum potabo?*

Et subinfert de majori sacrificio :

« *Numquid dabo primogenitum meum pro scelere meo?* » sicut scilicet Abraham primogenitum obtulit[1] : et profana devotione rex Moab primogenitum suum, qui regnaturus erat post ipsum, obtulit super murum[2]. Quasi dicat : Non. Hæc enim profana et impia sunt : sed primum de Abraham factum est in memoriam passionis Christi : secundum autem detestabile factum fuit in honorem dæmonum, qui humanum sanguinem sitiunt. Psal. cv, 38 : *Effuderunt sanguinem innocentem : sanguinem filiorum suorum et filiarum suarum, quas sacrificaverunt sculptilibus Chanaan.* « *Fructum ventris mei,* » hoc est, numquid dabo fructum ventris mei « *pro peccato animæ meæ?* » hoc est, quod ex animo feci, sicut fecit Jephthe, qui filiam suam stulte offerendam vovit, et impie votum reddidit[3]. Et est sensus : Numquid sanguine animalium, aut etiam hominum, animæ a peccato lavantur? Quasi dicat : Non. Daniel. iii,38 et 39 : *Non est in tempore hoc princeps, et dux, et propheta, neque holocaustum, neque sacrificium, neque oblatio, neque incensum, neque locus primitiarum coram te, ut possimus invenire misericordiam tuam : sed in animo contrito, et spiritu humilitatis suscipiamur, scilicet a te.*

Populo sic quærenti objicit se Propheta, respondens : 8

« *Indicabo tibi, o homo,* » qui scilicet jam vides profanas esse Gentilium oblationes, et imperfectas esse legis cæremonias, « *quid sit bonum.* » « Bonum est, « ut dicit Anselmus, quod omni ei quod « est, melius est esse quam non esse : » « et hoc est quod bonum facit simplici« ter, sicut est virtus, gratia, gloria, et « hujusmodi, item esse et intelligere, » ut dicit Augustinus. « *Et quid Dominus requirat a te,* » in opere scilicet præceptorum : hoc enim quærit Dominus ut illa serventur. Tob. xiv, 10 : *Servite Domi-*

[1] Cf. Genes. xxii, 9 et seq.
[2] IV Reg. iii, 27.
[3] Cf. Judic. xi, 30 et seq.

no in veritate, et inquirite ut faciatis quæ placita sunt illi. Act. IX, 6 : *Domine, quid me vis facere ?*

Et determinat, subdens : « *Utique facere judicium,* » ut scilicet ex judicio rationis omnia facias, rationis, dico, informatæ lege. Psal. CXVIII, 121 : *Feci judicium et justitiam.* I ad Corinth. XI, 31 : *Si nosmetipsos dijudicaremus, non utique judicaremur.* Hieronymus, « ut « nihil sine consilio et ratione agas.» Tob. IV, 19 : *Consilium semper a sapiente perquire.* Et hoc ordinat hominem ad seipsum. Prov. XX, 8 : *Rex, qui sedet in solio judicii, dissipat omne malum intuitu suo.* « *Et diligere misericordiam,* » ut scilicet opera misericordiæ in proximum ex dilectione, non ex necessitate, vel coactione facias. II ad Corinth. IX, 7 : *Non ex tristitia, aut ex necessitate : hilarem enim datorem diligit Deus.* Daniel. IV, 24 : *Consilium meum placeat tibi, et peccata tua eleemosynis redime et iniquitates tuas misericordiis pauperum.* Prov. XVI, 6 : *Misericordia et veritate redimitur iniquitas.* Judicium enim innititur veritati, misericordia autem pietati. Proverb. XX, 28 : *Misericordia et veritas custodiunt regem.* Prov. XXI, 3 : *Facere misericordiam et judicium, magis placet Domino, quam victimæ.* Hoc ergo ordinat hominem ad proximum. « *Et sollicitum ambulare cum Deo tuo,* » ut scilicet toto corde cogites, qualiter cum Deo proficias, sicut dicitur, Gen. V, 22 : *Ambulavit Henoch cum Deo.* Et Gen. VI, 9 : *Noe vir justus atque perfectus fuit in generationibus suis, cum Deo ambulavit.*

Misericordia delentur peccata.

9 « *Vox Domini.* » Hic incipit redarguere peccata in proximum : et primo, provocat ad auditum : secundo autem dicit quid audiatur, ibi, « *Adhuc ignis.* »

Provocat autem ad auditum dupliciter : in communi, et in speciali.

In communi dupliciter : simpliciter scilicet, et sub promissione audientium.

« *Vox Domini,* » per me scilicet sonans. Joan. I, 23 : *Ego vox clamantis in deserto.* Luc. X, 16 : *Qui vos audit, me audit.* « *Ad civitatem,* » hoc est, contra civitatem quæ est civilitas malorum a Cain incepta [1], et per Nemrod munita [2]. Psal. LIV, 10 et seq. : *Vidi iniquitatem, et contradictionem in civitate. Die ac nocte circumdabit eam super muros ejus iniquitas : et labor in medio ejus, et injustitia. Et non defecit de plateis ejus usura, et dolus.* « *Clamat,* » intentionem notat, et instantiam prædicationis. Prov. VIII, 4 : *O viri, ad vos clamito, et vox mea ad filios hominum.* Psal. LXVIII, 4 : *Laboravi clamans, raucæ factæ sunt fauces meæ.* Et subdit promissionem : « *Et salus erit timentibus nomen tuum,* » hoc est, ex auditu concipientibus notitiam, et per timorem corrigentibus se a peccato. Eccli. I, 27 et 28 : *Timor Domini expellit peccatum : nam qui sine timore est, non poterit justificari.* Malach. IV, 2 : *Orietur vobis timentibus nomen meum Sol justitiæ.*

Timor Domini resistit peccato.

Et subdit de auditu in speciali :

« *Audite, tribus.* » Tribus vocat genus Judæorum. Jacob. I, 1 : *Duodecim tribubus, quæ sunt in dispersione, salutem.* Istæ enim tribus specialiter audire deberent, quæ notitiam Dei acceperunt. Isa. LI, 1 : *Audite me, qui sequimini quod justum est, et quæritis Dominum.* « *Et quis,* » supple, tam sapiens, et tam commendabilis, vel tam rarus, « *approbabit illud ?* » verbum scilicet auditum. Isa. L, 10 : *Quis ex vobis timens Deum, audiens vocem servi sui ?* Psal. CVI, 43 : *Quis sapiens, et custodiet hæc, et intelliget misericordias Domini ?*

Quid autem audiant, subdit, et ponit septem genera peccatorum, omnia ad fraudem pertinentia :

[1] Cf. Genes. IV, 17.

[2] Ibidem, X, 11 et 12.

« *Adhuc ignis in domo impii.* » Ignis scilicet avaritiæ, de quo, Prov. xxx, 16 : *Ignis numquam dicit : Sufficit.* Job, xxxi, 12 : *Ignis est usque ad perditionem devorans, et omnia eradicans genimina.* Eccli. x, 9 : *Avaro nihil est scelestius.* Dicitur autem esse in domo, quia per avaritiam domum ædificat, et cor etiam suum occupatum est avaritia. Unde, Eccle. v, 9 : *Avarus non implebitur pecunia.* Et dicitur, *Impii*, quia omni pietate in proximum privatus est. Isa. xi, 4 : *Spiritu labiorum suorum interficiet impium.* Habac. ii, 9 : *Væ qui congregat avaritiam malam domui suæ!*

Quis autem sit ignis, subdit : « *Thesauri iniquitatis.* » *Thesaurus* autem abundantiam et copiam, *iniquitas* malam significat acquisitionem sive turpem, sive injustam. Proverb. x, 2 : *Nil proderunt thesauri impietatis : justitia vero liberabit a morte.* Job, xx, 15 : *Divitias, quas devoravit, evomet, et de ventre illius extrahet eas Deus.* Jacob. v, 3 : *Aurum et argentum vestrum æruginavit, et ærugo eorum in testimonium vobis erit, et manducabit carnes vestras sicut ignis.* « *Et mensura minor.* » Duas enim mensuras habebant, majorem ad emendum, et minorem ad vendendum, « *iræ plena.* » Prov. xx, 10 : *Pondus et pondus, mensura et mensura : utrumque abominabile est apud Deum.* Matth. vii, 2 : *In qua mensura mensi fueritis, remetietur vobis.*

11 Et hoc est quod sequitur :

« *Numquid justificabo,* » hoc est, justam esse judicabo, « *stateram impiam ?* » Hieronymus : « Cum alio pondere emitis, et cum alio pondere venditis mercimonia : hoc etiam non justificabo, sed condemnabo. » Prov. xi, 1 : *Statera dolosa, abominatio est apud Dominum : et pondus æquum, voluntas ejus.* Et hoc est quod sequitur : « *Et sacculi pondera dolosa.* » *Saccellus* occultum sacculum notat, ex quo pondus dolosum supponebatur incautis. Levit. xix, 35 et 36 : *Nolite facere iniquum aliquid in judicio, in regula, in pondere, in mensura. Statera justa, et æqua sint pondera, justus modius, æquusque sextarius.*

« *In quibus,* » supple, ponderibus et stateris, « *divites ejus,* » civitatis scilicet : non modo pauperes in quibus inopia forte scelus defenderet, sed divites qui non ex inopia, sed ex sola avaritia fecerunt, « *repleti sunt iniquitate,* » hoc est, ex inique acquisito. Deuteron. xxv, 13 et 14 : *Non habebis in sacculo diversa pondera, majus et minus : nec erit in domo tua modius major et minor. Repletio* autem sonat impletionem prementem usque ad vomitum. Prov. i, 13 : *Implebimus domos nostras spoliis.* « *Et habitantes in ea,* » civitate scilicet, « *loquebantur mendacium.* » Hieronymus : « Congregationes divitiarum sequitur mendacium, et manus assueta thesauros condere, fraudulentam linguam possidet : veritas paupertatem, mendacium divitias parit. » Psal. v, 7 : *Perdes omnes qui loquuntur mendacium.* « *Et lingua eorum fraudulenta in ore eorum.* » *In ore* dicitur, quia intra os mendacium occultatur : si enim emitteretur, deprehenderetur. Jerem. ix, 8 : *Sagitta vulnerans lingua eorum, dolum locuta est.* Isa. xxxii, 7 : *Fraudulenti vasa pessima sunt : ipse enim cogitationes concinnavit ad perdendos mites.* Psal. xlix, 19 : *Lingua tua concinnabat dolos.* 12

Mendac[ium] comes avarit[iæ]

Et subdit hujus peccati pœnam : 13

« *Et ego ergo,* » hoc est, propter peccata illa, « *cœpi,* » supple, primo, a parvis pœnis, « *percutere te perditione,* » primo scilicet comminata per Prophetas. Sap. xii, 2 : *Eos qui exerrant, partibus corripis, et de quibus peccant admones et alloqueris, ut relicta malitia*

credant in te, Domine. « *Super peccatis tuis,* » supple, quæ commisisti. II Machab. vi, 13 : *Multo tempore non sinere peccatoribus ex sententia agere, sed statim ultiones adhibere, magni beneficii est indicium.*

14 Et subdit pœnas :

« *Tu comedes, et non saturaberis.* » Glossa inducit illud Amos, iv, 6 : *Dedi vobis stuporem dentium in cunctis urbibus vestris, et indigentiam panum in omnibus locis vestris.* Justum enim est, quod qui aliena rapuit, ipse in egestate sit. Deuter. xxviii, 38 : *Sementem multam jacies in terram, et modicum congregabis.* Aggæi, i, 6 : *Comedistis, et non estis saturati.* Prov. xiii, 25 : *Venter impiorum insaturabilis.* « *Et humiliatio tua,* » hoc est, hostes qui te humilient, et ad humum prosternant, « *in medio tui,* » supple, erunt. Luc. xix, 43 : *Circumdabunt te inimici tui vallo, et circumdabunt te : et coangustabunt te undique.* Isa. xxix, 4 : *Humiliaberis, de terra loqueris.*

« *Et apprehendes,* » afflictos scilicet his plagis, fame scilicet, et peste, et gladio, « *et non salvabis,* » hoc est, salvare non poteris a plagis istis. Unde IV Reg. vi, 27, cum mulier clamaret ad regem ut salvaret eam, respondit rex : *Non te salvat Deus : unde te salvare possum ? de area, vel de torculari ?* « *Et quos salvaveris,* » hoc est, quos salvare putaveris, « *in gladium dabo.* » Amos, i, 14 : *Robustus non salvabit animam suam.* Thren. i, 20 : *Foris interficit gladius, et domi mors similis est*

15 « *Tu seminabis,* » spe scilicet colligendi fructus, labores et expensas impendens, « *et non metes :* » hostes enim auferent. Isa. xvii, 11 : *Mane semen tuum florebit : ablata est messis in die hæreditatis, et dolebit graviter.* Aggæi, i, 6 : *Seminastis multum, et intulistis parum.* « *Tu calcabis olivam,* » oleum scilicet premendo de amurca, « *et non ungeris oleo.* » Deuter. xxviii, 40 : *Olivas habebis in omnibus terminis tuis, et non ungeris oleo : quia defluent, et peribunt.* « *Et mustum,* » supple, calcabis, hoc est, laborabis ad calcandum, « *et non bibes vinum.* » Hieronymus : « Steriles « vindemiæ vinum negaverunt. » Deuter. xxviii, 39 : *Vineam plantabis, et fodies : et vinum non bibes, nec colliges ex ea quippiam : quoniam vastabitur vermibus.* Sine fructu seminat, qui mala intentione prædicat : olivas absque unctione calcat, qui virtutem simulat cum vitiosus sit : mustum calcat et vinum non bibit, qui de æternis gaudiis loquitur, et dulcedinem eorum non sentit. Amos, v, 11 : *Vineas plantabitis amantissimas, et non bibetis vinum earum.*

Horum omnium causam subdit :

« *Et* » id est, quia « *custodisti præcepta Amri,* » de quo legitur, III Reg. xvi, 16 Amri.
28, quod fuit pater Achab et impiissimus [1]. Et *præcepta* dicuntur opera ejus, quæ populus sicut præcepta custodiebat. Unde Amri *amaricans* vel *magisterium* interpretatur : malorum enim magisterium facile discitur. Joan. viii, 44 : *Vos ex patre diabolo estis, et desideria patris vestri vultis facere.* « *Et omne opus domus Achab,* » supple, custodisti. Domus Achab dicitur familia, sicut Jezabel Achab.
et pessimi filii ejus, quos populus imitatus est : et ideo *frater patris* interpretatur, quia malitia frater fuit patris sui Amri. III Reg. xxi, 25 et 26 : *Non fuit alter talis sicut Achab, qui venumdatus est ut faceret malum in conspectu Domini : concitavit enim eum Jezabel, uxor sua, et abominabilis factus est.*

« *Et ambulasti,* » proficiendo de malo in pejus, « *in voluntatibus eorum.* »

[1] Cf. III Reg. xvi, 23 et seq.

II ad Timoth. III, 13 : *Mali homines, et seductores proficient in pejus, errantes, et in errorem mittentes.* « *Ut,* » consecutivum est, et non causale, « *darem te in perditionem,* » temporalem scilicet, et æternam. Isa. XIV, 22 : *Perdam Babylonis nomen, et reliquias, et germen, et progeniem.* « *Et habitantes in ea,* » supple, darem « *in sibilum,* » deridentium scilicet. Job, XXVII, 23 : *Stringet super eum manus suas, et sibilabit super illum, intuens locum ejus.* Thren. II, 18 : *Aperuerunt super te os suum omnes inimici tui : sibilaverunt, et fremuerunt dentibus.* « *Et opprobrium populi mei portabitis.* » In pœna scilicet : ut sicut fuerunt auctores in culpa, ita præ omnibus portent pœnæ derisionem. Isa. L, 11 : *De manu mea factum est hoc vobis, in doloribus dormietis.* Psal. LXXIX, 7 : *Posuisti nos in opprobrium vicinis nostris, et inimici nostri subsannaverunt nos.*

CAPUT VII.

Luget propheta tam paucos esse reliquos qui non sint iniqui : in nullo homine ostendit esse confidendum, sed in solo Deo salvatore : qui miserebitur Sion, et pudefactis inimicis, eam ad se reducet, complens factas ad patres promissiones.

1. Væ mihi, quia factus sum sicut qui colligit in autumno racemos vindemiæ! non est botrus ad comedendum, præcoquas ficus desideravit anima mea.
2. Periit sanctus de terra, et rectus in hominibus non est : omnes in sanguine insidiantur : vir fratrem suum ad mortem venatur.
3. Malum manuum suarum dicunt bonum : princeps postulat, et judex in reddendo est : et magnus locutus est desiderium animæ suæ, et conturbaverunt eam.
4. Qui optimus in eis est, quasi paliurus : et qui rectus, quasi spina de sepe. Dies speculationis tuæ, visitatio tua venit : nunc erit vastitas eorum.
5. Nolite credere amico, et nolite confidere in duce : ab ea quæ dormit in sinu tuo custodi claustra oris tui.
6. Quia filius contumeliam facit patri, et filia consurgit adversus matrem suam, nurus adversus socrum suam : et inimici hominis domestici ejus[1].
7. Ego autem ad Dominum adspiciam : exspectabo Deum, salvatorem meum : audiet me Deus meus.
8. Ne læteris, inimica mea, super me, quia cecidi : consurgam cum sedero in tenebris : Dominus lux mea est.
9. Iram Domini portabo, quoniam peccavi ei, donec causam meam judicet, et faciat judicium meum : educet me in lucem, videbo justitiam ejus.
10. Et adspiciet inimica mea, et ope-

[1] Jerem. X, 6; Act. X, 43.

rietur confusione, quæ dicit ad me : Ubi est Dominus Deus tuus? Oculi mei videbunt in eam : nunc erit in conculcationem ut lutum platearum.

11. Dies, ut ædificentur maceriæ tuæ : in die illa longe fiet lex.

12. In die illa et usque ad te veniet de Assur, et usque ad civitates munitas, et a civitatibus munitis usque ad flumen, et ad mare de mari, et ad montem de monte.

13. Et terra erit in desolationem propter habitatores suos, et propter fructum cogitationum eorum.

14. Pasce populum tuum in virga tua, gregem hæreditatis tuæ, habitantes solos in saltu, in medio Carmeli. Pascentur Basan et Galaad juxta dies antiquos.

15. Secundum dies egressionis tuæ de terra Ægypti, ostendam ei mirabilia.

16. Videbunt gentes, et confundentur super omni fortitudine sua. Ponent manum super os, aures eorum surdæ erunt.

17. Lingent pulverem sicut serpentes : velut reptilia terræ perturbabuntur in ædibus suis : Dominum Deum nostrum formidabunt, et timebunt te.

18. Quis, Deus, similis tui, qui aufers iniquitatem, et transis peccatum reliquiarum hæreditatis tuæ? non immittet ultra furorem suum, quoniam volens misericordiam est.

19. Revertetur, et miserebitur nostri : deponet iniquitates nostras, et projiciet in profundum maris omnia peccata nostra.

20. Dabis veritatem Jacob, misericordiam Abraham : quæ jurasti patribus nostris a diebus antiquis.

IN CAPUT VII MICHÆÆ

ENARRATIO.

« *Væ mihi !* » In ista parte tangit consolationem, et habet duas partes. In prima tangit paucitatem eorum qui ad consolationem pertinent. Secundo, describit consolationem, ibi, ℣. 11 : « *Dies, ut ædificentur maceriæ tuæ.* »

Prima subdividitur in duas, in quarum prima ostendit paucitatem, et causam paucitatis. In secunda, spem erigit in Domino de paucorum multiplicatione et consolatione, ibi, ℣. 7 : « *Ego autem ad Dominum adspiciam.* »

Prima habet tres partes. Primo enim ponit per metaphoram paucitatem. Secundo, explanat, ibi, « *Periit sanctus.* » Tertio, dicit quod propter hoc immissa est eis pœna, ibi, « *Dies speculationis tuæ.* »

« *Væ mihi !* » doloris, scilicet ex compassione, non mortis interminatio. Ad Rom. IX, 2 et 3 : *Tristitia mihi magna est et continuus dolor cordi meo. Optabam enim ego ipse anathema esse a Christo pro fratribus meis, qui sunt cognati mei secundum carnem.* Jerem. XV, 10 : *Væ mihi mater mea ! quare genuisti me?* I Machab. II, 7 : *Væ mihi ! ut quid natus sum videre contritionem populi mei, et contritionem civitatis sanctæ ?* « *Qui factus sum,* » hoc est, assimilatus sum, « *sicut qui colligit in autumno racemos,* » post vindemiantes scilicet : vindemiato enim populo a Chaldæis, et decepto per diabolum, vix aliquis justus in populo inveniebatur, qui dignus esset consolatione divina. Isa. XVI, 14 : *Auferetur gloria Moab super omni populo multo, et relinquetur,* in eo scilicet sicut racemus, *parvus, et modicus, nequaquam multus.* Dicuntur autem *racemi* id in quo fundantur uvæ, quod in medio

botri est, quod parvum habet saporem vini. Et intelligit eos, qui etiam parvum saporem habent sanctitatis. *Autumnum* autem nominat, quia tempus maturitatis est, et hoc fuit tempus completæ iniquitatis ad metendum per gladium. Apoc. XIV, 18 : *Mitte falcem tuam acutam, et vindemia botros vineæ terræ : quia maturæ sunt uvæ ejus.* Isa. LXV, 8 : *Hæc dicit Dominus : Quomodo si inveniatur granum in botro, et dicatur : Ne dissipes illud, quoniam benedictio est : sic faciam propter servos meos, ut non disperdam totum.* Vult ergo dicere quod aliquos invenit, qui gaudia cœlestia saperent, sed paucos. « *Vindemiæ,* » hoc est, post vindemiam scilicet, qui effugere possunt vindemiantium manus.

Et hoc est quod sequitur :

« *Non est botrus ad comedendum* » *Botrus* significat aliquam bonorum congregationem, quæ non invenitur. Cant. I, 13 : *Botrus cypri dilectus meus mihi.* Sed tunc verificatum est illud Deuter. XXXII, 32 : *Uva eorum uva fellis, et botri amarissimi.* Et ideo se dicit botrum non invenisse ad comedendum. Gustum enim fellis ingerebant ori Sanctorum : et sicut non fuit ibi sapor gaudii æterni, ita nec sapor dulcedinis virtutis.

Et hoc est quod sequitur :

« *Præcoquas ficus desideravit anima mea.* » *Præcoquæ ficus* sunt grossi quos primo ficus emittit. Cant. II, 13 : *Ficus protulit grossos suos.* Grossi autem non sunt tantæ dulcedinis, quantum veræ ficus : quos tamen desiderare Propheta se dixit, quia saltem in modico virtutis sapore aliquem invenire cupiebat. Jerem. VIII, 13 : *Non est uva in vitibus, et non sunt ficus in ficulnea, folium defluxit.* Sensus autem est, quod modica pro bono haberet, si inveniret quisquilias et aliquas saltem paleas, hoc est, vestigia bonorum, ut dicit Hieronymus. Isaiæ, XXXIV, 4 : *Omnis militia cœlorum defluet, sicut defluit folium de vinea et de ficu.* Bonæ enim ficus conversæ sunt in malas, et gustanti generant vomitum et abominationem : quia in quo evanescit dulcedo virtutis, abominabilior efficitur aliis. Jerem. XXIV, 2 : *Calathus unus ficus habebat malas nimis, quæ comedi non poterant, eo quod essent malæ.* Habac. III, 17 : *Ficus non florebit, et non erit germen in vineis.* Dicit autem : « *Desideravit anima mea* : » quia medullitus hoc Sancti desiderant, multiplicationem scilicet bonorum, et in omnibus saporem gratiæ et virtutis. Ad Philip. II, 1 et 2 : *Si qua ergo consolatio in Christo, si quod solatium charitatis, si qua societas spiritus, si qua viscera miserationis : implete gaudium meum ut idem sapiatis.* Modus iste Prophetiæ sumitur ab Isa. XVII, 4 et 5 : *Et erit in die illa : Attenuabitur gloria Jacob, et pinguedo carnis ejus emarcescet. Et erit sicut congregans in messe quod restiterit, et brachium ejus spicas leget : et erit sicut quærens spicas in valle Raphaim.* Et, ibidem, ℣. 6 : *Relinquetur in eo racemus, et sicut excussio oleæ duarum vel trium olivarum in summitate rami, sive quatuor aut quinque, etc.*

Et quod dixit metaphorice, subdit, 2
exponens :

« *Periit sanctus de terra* : » qui per uvam significatur. Psal. XI, 2 : *Salvum me fac, Domine, quoniam defecit sanctus : quoniam diminutæ sunt veritates a filiis hominum.* « *Et rectus,* » supple, virtute, qui per ficum significatur, « *in hominibus non est.* » Isa. LIX, 4 : *Non est qui invocet justitiam, neque est qui judicet recte* Et ibidem, infra, ℣℣. 15 et 16 : *Vidit Dominus, et malum apparuit in oculis ejus, quia non est judicium. Et vidit quia non est vir, et aporiatus est.* Psal. XIII, 3 : *Omnes declinaverunt, simul inutiles facti sunt : non est qui faciat bonum, non est usque ad unum.* Hoc idem dicitur, ad Roman. III, 12.

Qualiter autem hoc sit, subdit :

« *Omnes in sanguine insidiantur,* » scilicet ut vel sanguinem fundant, vel

nutrimentum sanguinis subtrahant, vel in corruptione sanguinis peccata multiplicent. Osee, IV, 2 : *Sanguis sanguinem tetigit.* Isa. LIX, 7 : *Pedes eorum ad malum currunt, et festinant ut effundant sanguinem innocentem* [1]. Et hoc in speciali exprimit, subdens : « *Vir fratrem suum venatur ad mortem.* » Naturalis scilicet, negato germanitatis fœdere : nec tantum casu occidit, vel ex ira, sed proditiose venatur. Jerem. IX, 4 et 5 : *Unusquisque se a proximo suo custodiat, et in omni fratre suo non habeat fiduciam: quia omnis frater supplantans supplantabit, et omnis amicus fraudulenter incedet. Et vir fratrem suum deridebit.* Et intelligit de fratre, vel uterino, vel gente, vel religione : nullum enim fœdus servatur inter homines. Isa. XXIV, 5 : *Transgressi sunt leges, mutaverunt jus, dissipaverunt fœdus sempiternum.*

Et quia plus processerunt in malo, ideo subdit :

« *Malum manuum suarum dicunt bonum.* » *Malum manuum* est quod totis viribus perficitur, et hoc *bonum* dixerunt, quando eis fuit lucrosum. Isaiæ, V, 20 : *Væ qui dicitis malum bonum, et bonum malum : ponentes tenebras lucem, et lucem tenebras !* Hos imitantur Prælati nostri temporis, qui quantumcumque grave præcipiant vel statuant, bonum dicunt, dummodo lucrum habeant.

Et hoc explanat, subdens :

« *Princeps postulat,* » hoc est, judicium exhibens, ante postulat munus quam offeratur, more filiorum Heli, I Reg. II, 16 : *Nunc dabis, alioquin tollam vi.* Isa. I, 23 : *Omnes diligunt munera, sequuntur retributiones.* « *Et judex in reddendo est,* » hoc est, principes qui judicant, non liberaliter et gratis exhibent justitiam, sed in reddendo scilicet emptum pro pretio, vel vicem reddendo ei qui non dedit. Isa. V, 23 : *Væ qui justificatis impium pro muneribus,et justitiam justi aufertis ab eo !* « *Et magnus,* » quicumque Prælatus, vel peritus et potens, « *locutus est desiderium animæ suæ,* » et hoc scilicet custodiri voluit pro lege, cum nec loqueretur judicium, nec justitiam. Eccli. XIII, 26 : *Dives locutus est superba, et justificaverunt illum.* Et post pauca, ℣. 28 : *Dives locutus est, et omnes tacuerunt, et verbum illius usque ad nubes perducent.* Econtra de bonis dicitur in Psal. XXXVI, 30 : *Os justi meditabitur sapientiam, et lingua ejus loquetur judicium.* « *Et,* » supple, ita « *conturbaverunt eam,* » scilicet civitatem, vel terram, vel veritatem. Isaiæ, LIX, 14 et 15 : *Corruit in platea veritas, et æquitas non potuit ingredi. Et facta est veritas in oblivionem et qui recessit a malo, prædæ patuit.*

Et hoc explanat per similitudinem : 4

« *Qui optimus in eis,* » hoc est, minus nocens in rapinis, « *est quasi paliurus.* » *Paliurus* est herba vel frutex, quæ apud medicos *resta bovis* vocatur : crescit autem juxta vias, spinam habens aduncam, per quam transeuntes comprehendit, et trahit, et lacerat, et significat rapacitatem judicum, qui publica via gradientes cavillationibus comprehendunt, protractionibus tenent, cupiditate munerum lacerant. Isa. III, 15 : *Quare atteritis populum meum, et facies pauperum commolitis ?* « *Et qui rectus,* » supple, reputatur, « *quasi spina de sepe,* » hispidus scilicet est, implexus, et viam transeuntibus prohibens. Isa. VII, 23 : *In spinas et in vepres erunt.* II Reg. XXIII, 6 : *Prævaricatores quasi spinæ evellentur universi.*

Paliurus.

Et propter has culpas subdit pœnas :

Supple, ideo, « *Dies speculationis tuæ,* » supple, venerunt : dies scilicet

[1] Proverb. I, 16 : *Pedes illorum ad malum currunt, et festinant ut effundant sanguinem.* Psal. XVII, 3, et ad Rom. III, 15 : *Veloces pedes eorum ad effundendum sanguinem.*

quibus Deus speculando propalet iniquitatem tuam. Psal. LVIII, 6 : *Intende ad visitandas omnes gentes : non miserearis omnibus, qui operantur iniquitatem.* Sophon. I, 12 : *Scrutabor Jerusalem in lucernis.* Et quod dixit, exponit : « *Visitatio tua venit,* » visitatio scilicet qua culpa luitur per pœnam. Isa. x, 12 : *Visitabo Super fructum magnifici cordis.* Isaiæ, XIII, 11 : *Visitabo super orbis mala, et contra impios iniquitatem eorum.* « *Et nunc,* » supple, sine dilatione, « *erit vastitas eorum.* » Deuter. XXVIII, 64 : *Disperget te Dominus in omnes populos, a summitate terræ usque ad terminos ejus.* Isa. I, 8 : *Derelinquetur filia Sion ut umbraculum in vinea, et sicut tugurium in cucumerario, et sicut civitas quæ vastatur.* Jerem. VI, 6 : *Hæc est civitas visitationis, omnis calumnia in medio ejus.*

5 Consequenter subdit de dissipatione fœderis inter eos, et ne credant pseudoprophetis, et ducibus eorum qui seduxerunt eos :

Amico fideli credendum est, non ficto.

« *Nolite credere amico,* » seducenti scilicet. Vero enim amico credendum est, sed falso amico credendum non est. Hieronymus : « Interrogatus quidam, « quid esset amicus ? Respondit, Alter « ego. » Pythagorici amici vades se invicem tyranno dederunt. Demosthenes : « Amicus diu quæritur, vix invenitur, « difficile observatur. » Et lyricus Poeta pro amico precans : « Serues (inquit) animæ meæ dimidium[1]. » Dominus in Evangelio Lucæ, XXII, 28, ostendens quis verus sit amicus, dixit : *Vos estis, qui permansistis mecum in tentationibus meis.* Sed de talibus amicis non loquitur, sed de his qui lucra sequuntur. Hieronymus : « Delicata est amicitia quæ « amicorum felicitatem et divitias sequi« tur. » De talibus ergo dicit : « *Nolite credere amico.* » Eccli. VI, 7 : *Si possides amicum, in tentatione posside eum, et ne facile credas ei,* supple, teipsum. Exemplum accipe, II Reg. XVI, 21 et seq., ubi Achitophel decepit amicum suum David. Similiter Judas Christum[2]. Psal. LIV, 13 et seq. : *Si is qui oderat me, super me magna locutus fuisset, abscondissem me forsitan ab eo. Tu vero homo unanimis, dux meus, et notus meus : qui simul mecum dulces capiebas cibos.* « *Et nolite confidere in duce,* » accipientes exemplum, Judic. IX, 1 et seq., de Abimelech qui cum esset dux Sichimitarum, contrivit eos et occidit. Matth. XV, 14 : *Cæcus si cæco ducatum præstet, ambo in foveam cadunt.* Ezech. XXI, 12 : *Gladius hic factus est in populo meo, hic in cunctis ducibus Israel.* « *Ab ea quæ dormit in sinu tuo, custodi claustra oris tui,* » Ab uxore scilicet volente te a Deo avertere, custodi claustra oris tui, hoc est, secreta, sumens exemplum, Judic. XVI, 17 et seq., ubi Dalila secreta per blanditias extorsit a Samsone, et prodidit eum. Seneca : « Levitas fœminea hoc solum tacere scit, « quod nescit. »

Mulieri non sunt temere secreta aperienda.

« *Quia filius contumeliam facit patri :* » cujus exemplum est, II Reg. XVI, 22 et seq., ubi Absalom patrem regno expulit, et polluit concubinas ejus. « *Et filia consurgit adversus matrem suam,* » quod licet in Scripturis per exempla non legatur, tamen multoties factum est. Eccli. XXVI, 13 : *In filia non avertente se, firma custodiam : ne inventa occasione abutatur se*[3]. « *Nurus contra socrum suam,* » supple, consurget. Genes. XXVII, 46, ubi uxores Esau contra Rebeccam surrexerunt. Unde dixit : *Tædet me vitæ meæ propter filias Heth.* « *Et* 6

[1] HORATIUS, Od. I, 3, ℣. 6 et seq. :
.... Finibus Atticis
Reddas incolumem, precor,
Et serves animæ dimidium meæ.

[2] Matth. XXVI, 47 et seq.

[3] Cf. Eccli. XLII, 11 : *Super filiam luxuriosam confirma custodiam : nequando faciat te in opprobrium venire inimicis, etc.*

inimici hominis domestici ejus. » Idem, Matth. x, 35 et 36, ubi sic dicitur : *Veni separare hominem adversus patrem suum, et filiam adversus matrem suam, et nurum adversus soccum suam. Et inimici hominis domestici ejus.* Luc. xii, 52 et seq. : *Erunt... quinque in domo una divisi, tres in duos, et duo in tres dividentur : pater in filium, et filius in patrem suum, mater in filiam, et filia in matrem, socrus in nurum suam, et nurus in socrum suam.* « *Et inimici hominis domestici ejus,* » hoc est, in eadem domo nati, et in eadem domo nutriti. Cant. i, 5 : *Filii matris meæ pugnaverunt contra me.*

7 « *Ego autem ad Dominum adspiciam.* » Tangit hic spem quam habet in Deo de consolatione, et habet duos paragraphos. Primo enim ostendit confortationem spei : secundo, insultat inimicis, ibi, « *Ne læteris* ».

« *Ego autem,* » supple, non sperans in homine, « *ad Dominum adspiciam,* » fidei scilicet devotione. II Paral. xx, 12 : *Cum ignoremus quid agere debeamus, hoc solum habemus residui, ut oculos nostros dirigamus ad te.* Job, xvi, 20 et 21 : *Ecce in cœlo testis meus, et conscius meus in excelsis. Verbosi amici mei : ad Deum stillat oculus meus.* « *Exspectabo Deum.* » Thren. iii, 26 : *Bonum est præstolari cum silentio salutare Dei.* Et hoc est quod sequitur : « *Salvatorem meum.* » Genes. xlix, 18 : *Salutare tuum exspectabo, Domine.* Alia translatio : « Exspectabo Deum Jesum meum. » Thren. iii, 24 : *Pars mea Dominus, dixit anima mea : propterea exspectabo eum.* Psal. xxvi, 14 : *Exspecta Dominum, viriliter age.* « *Audiet me Deus meus.* » Joan. xi, 42 : *Ego sciebam quia semper me audis.*

8 Et insultat inimicis captivantibus, subdens :

« *Ne læteris, inimica mea,* » Babylon scilicet, vel diabolus, « *super me, quia cecidi.* » Job, xxxi, 29 : *Si gavisus sum ad ruinam ejus qui me oderat, et exsultavi quod invenisset eum malum.* Isa. xiv, 29 : *Ne læteris, Philisthæa omnis tu, quoniam comminuta est virga percussoris tui.* « *Consurgam,* » Deo scilicet miserante. Ad Roman. xiv, 4 : *Domino suo stat, aut cadit : stabit autem, potens est enim Deus statuere illum.* « *Cum sedero in tenebris,* » captivitatis scilicet, vel pœnitentiæ. Tob. v, 12 : *Quale gaudium mihi erit, qui in tenebris sedeo, et lumen cœli non video ?* « *Dominus lux mea est,* » consolationis scilicet. Joan. i, 5 : *Lux in tenebris lucet, et tenebræ eam non comprehenderunt :* quin potius, ut dicit Chrysostomus, « lux tenebras dissipavit. » Psal. cxxxviii, 12 : *Et nox sicut dies illuminabitur.* Isa. lviii, 10 : *Orietur in tenebris lux tua, et tenebræ tuæ erunt sicut meridies.* Job, xxiii, 17 : *Non perii propter imminentes tenebras, nec operuit meam faciem caligo.*

« *Iram Domini portabo,* » hoc est, pœnam mihi inflictam sustinebo patienter. 9 Correptio divina est patienter ferenda.
Ad Galat. vi, 5 : *Unusquisque onus suum portabit.* Thren. iii, 27 : *Bonum est viro, cum portaverit jugum,* Domini scilicet, *ab adolescentia sua.* « *Quoniam peccavi ei,* » hoc est, scio me meruisse quod patior. Thren. i, 14 : *Vigilavit jugum iniquitatum mearum : in manu ejus convolutæ sunt, et impositæ collo meo.* II Reg. xix, 27 et 28 : *Fac quod placitum est tibi. Neque enim fuit domus patris mei, nisi morti obnoxia domino meo regi.* « *Donec causam meam judicet,* » ut scilicet me purgatum a peccato liberet. Jerem. xi, 20 : *Tibi revelavi causam meam, Domine Sabaoth.* Et hoc est quod sequitur : « *Et faciat judicium meum.* » *Judicium* enim est pro iniqua voluntate deprimere adversarium, et liberare punitum. Gen. xv, 13-14 : *Subjicient eos servituti, et affligent quadringentis annis.*

Verumtamen gentem, cui servituri sunt, ego judicabo. « *Educet me in lucem,* » consolationis scilicet, peracta pœnitentia. Tob. III, 22 : *Post tempestatem tranquillum facis, et post lacrymationem et fletum, exsultationem infundis,* « *Videbo justitiam ejus,* » hoc est, cognoscam quod justus est, cui peccata non placent, sed punit ea. II ad Timoth. II, 12 et 13 : *Si negaverimus, et ille negabit nos : si non credimus, ille fidelis permanet : negare seipsum non potest.* sub gravi pede judicii Domini scilicet. Isa. XXII, 5 : *Dies interfectionis, et conculcationis, et fletuum Domino Deo exercituum.* Isa. LXIII, 3 : *Calcavi eos in furore meo, et conculcavi eos in ira mea.* « *Ut lutum platearum,* » scilicet sui vilitate omnibus transeuntibus calcandum exponitur. Psal. XVII, 43 : *Ut lutum platearum delebo eos.* Malach. IV, 3 : *Calcabitis impios, cum fuerint cinis sub planta pedum vestrorum.*

10 « *Et adspiciet inimica mea,* » Babylon scilicet, vel dæmones, « *adspiciet me,* » relevatam scilicet, et consolatam. I Reg. II, 32 : *Videbis æmulum tuum in templo, in universis prosperis Israel.* « *Et operietur confusione,* » videns iniquam suam voluntatem de me fieri non posse. Psal. CXI, 10 : *Peccator videbit, et irascetur, dentibus suis fremet et tabescet.* Sap. V, 2 : *Videntes turbabuntur timore horribili.* Psal. CVIII, 29 : *Induantur qui detrahunt mihi pudore, et operiantur sicut diploide confusione sua.* « *Quæ dicit ad me,* » supple, insultando : « *Ubi est Dominus Deus tuus,* » in quem scilicet speras, quod te non liberat. Psal. XLI, 11 : *Dum dicunt mihi per singulos dies : Ubi est Deus tuus?* Hæc enim insultatio in blasphemiam nominis Dei vergit. Ad Roman. II, 24 : *Nomen Dei per vos blasphematur inter gentes* [1]. « *Oculi mei videbunt in eam,* » punitam scilicet, et damnatam. Psal. LVII, 11 : *Lætabitur justus cum viderit vindictam.* Isaiæ, LXVI, 14 : *Egredientur, et videbunt cadavera virorum, qui prævaricati sunt in me : vermis eorum non morietur, et ignis eorum non exstinguetur : et erunt usque ad satietatem visionis omni carni.* « *Nunc,* » hoc est, absque mora in proximo scilicet. Ezech. VII, 3 : *Nunc finis super te, et immittam furorem meum in te.* « *Erit in conculcationem,* »

« *Dies.* » Tangit hic consolationem per partes describens eam, et habet duas partes : descriptionem consolationis, et gratiarum actionem, ibi, « *Quis, Deus, similis tui?* » **11**

In prima parte tria sunt, scilicet populi ædificatio : Populi reductio, ibi, « *Pasce populum tuum.* » Hostium humiliatio, ibi, « *Videbunt Gentes.* »

In ædificatione tria ponit, scilicet ruinarum resuscitationem, a servitute Gentium liberationem, et generalem terræ populationem.

« *Dies,* » supple, claræ lucis et consolationis. Psal. CXVII, 24 : *Hæc est dies quam fecit Dominus.* « *Ut ædificentur maceriæ tuæ.* » *Macerias* vocat parietina et ruinosa quæ post captivitatem Babylonicam reædificata sunt, maxime tamen de Ecclesia. Amos, IX, 11 : *In die illa suscitabo tabernaculum David quod cecidit : et reædificabo aperturas murorum ejus, et ea, quæ corruerant, instaurabo.* Isa. LX, 10 : *Ædificabunt filii peregrinorum muros tuos, et reges eorum ministrabunt tibi.*

Et subdit de liberatione a jugo servitutis : « *In die illa,* » quando scilicet fulgebit consolatio divinæ gratiæ, « *longe fiet lex.* » Symmachus : « Præceptum, » hoc est, præceptum Chaldæorum, cui modo subjectus es, longe a te removebitur, et maxime præceptum legis membrorum, quæ ex diabolo est in membris

[1] Cf. Isa. LII, 5 : *Jugiter tota die nomen meum blasphematur.*

nostris, de quo dicitur, ad Roman. vii, 23 : *Video aliam legem in membris meis, repugnantem legi mentis meæ.* Isa. x, 27 : *Et erit in die illa : Auferetur onus ejus de humero tuo, et jugum ejus de collo tuo, et computrescet jugum a facie olei.* Genes. xxvii, 40 : *Tempus veniet, cum excutias et solvas jugum ejus de cervicibus tuis.*

12 Et subdit de terræ generali populatione: « *In die illa,* » qua scilicet juxta verbum Malachiæ, iv, 4 : *Orietur vobis timentibus nomen meum Sol justitiæ,* « *ad te veniet,* » o Judæa, vel Ecclesia, « *de Assur* » hoc est, ab Assur, ita quod *Assur* sit ablativi casus, et per hoc intelligit reditum de captivitate, vel introitum infidelium ac Gentium ad Ecclesiam. Baruch, iv, 3 : *Ecce veniunt filii tui, quos dimisisti dispersos, veniunt collecti ab Oriente usque ad Occidentem, in verbo sancti gaudentes in honorem Dei.* Isa. xxxv, 9 et 10 : *Ambulabunt qui liberati fuerint. Et redempti a Domino, convertentur, et venient in Sion cum laude : et lætitia sempiterna super caput eorum : gaudium et lætitiam obtinebunt, et fugiet dolor et gemitus.* « *Et usque ad civitates munitas,* » supple, veniet populus tuus inhabitandas, quæ significant munimenta Ecclesiæ in custodia Angelorum et Prælatorum, circumseptione præceptorum, et statutorum, et Scripturarum. Isa. xxxiii, 15 et 16 : *Qui obturat aures suas ne audiat sanguinem, et claudit oculos suos ne videat malum. Iste in excelsis habitabit, munimenta saxorum sublimitas ejus.* Jerem. i, 18 : *Ego quippe dedi te hodie in civitatem munitam, et columnam ferream, et in murum æreum, super omnem terram.* Matth. v, 14 : *Non potest civitas abscondi supra montem posita.* « *Et a civitatibus munitis,* » supple, venientes inhabitabunt terram, « *usque ad flumen,* » hoc est, usque ad Jordanem, infra quod spatium manebant novem tribus et dimidia : ultra Jordanem autem duæ tribus et dimidia, ita scilicet quod tota terra populata sit : quod fidelium frequentiam significat in Ecclesia, sicut et flumen fluenta gratiarum. Isa. lxii, 4 : *Non vocaberis ultra Derelicta, et terra tua non vocabitur amplius Desolata : sed vocaberis Voluntas mea in ea, et terra tua inhabitata.* Jerem. xxxi, 24 : *Habitabunt in eo Judas, et omnes civitates ejus simul : agricolæ et minantes greges.* De flumine dicitur in Psal. xlv, 5 : *Fluminis impetus lætificat civitatem Dei.* « *Et ad mare,* » Magnum scilicet, quod ad Occidentem est, « *de mari,* » scilicet Rubro quod ad Orientem est, supple, terra tota habitabitur. Quæ duo maria duas amaritudines significant, scilicet in persecutionibus sæculi, et in luctu pœnitentiæ. Psal. lxxxi, 8 : *Dominabitur a mari usque ad mare : et a flumine usque ad terminos orbis terrarum.* « *Ad montem de monte,* » supple, venient liberati, hoc est, de monte Medorum et Persarum ad montem Sion. Isa. li, 11 : *Revertentur, et venient in Sion laudantes, et lætitia sempiterna super capita eorum.* Mons autem significat eminentiam virtutum, per quam venitur ad eminentiam contemplationis. Jerem. xxxi, 23 : *Benedicat tibi Dominus, pulchritudo justitiæ, mons sanctus.* Cant. ii, 8 : *Ecce iste venit saliens in montibus.*

« *Et terra,* » supple, inimicorum vel peccatorum, « *erit in desolationem,* » solitudinis scilicet, « *propter habitatores suos,* » hoc est, propter peccatum habitatorum. Isa. xxiv, 5 : *Infecta est terra ab habitatoribus suis.* Et, post pauca, ℣. 6 : *Maledictio vorabit terram, et peccabunt habitatores ejus.* « *Et propter fructum,* » hoc est, opera « *cogitationum eorum.* » Proverb. i, 31 : *Comedent igitur fructum viæ suæ, suisque consiliis saturabuntur.* 13

14 « *Pasce populum tuum.* » Tangit hic de modo congregandi populum et educendi de captivitate, quæ Judæi referunt ad tempus sui Messiæ : et hoc fieri debet in aurea Jerusalem, sed quia hæc fabula est, de Ecclesia est exponendum. Et sunt verba Patris ad Filium, cui dicitur in se, et in pastoribus suis :

« *Pasce populum tuum.* » Psal. XXII, 1 et 2 : *Dominus regit me, et nihil mihi deerit : in loco pascuæ ibi me collocavit.* Pasce autem verbo et exemplo. Psal. XCIV, 7 : *Nos populus pascuæ ejus, et oves manus ejus.* Genes. L, 21 : *Nolite timere : ego pascam vos et parvulos vestros.* « *In virga tua,* » pastorali scilicet, quæ rectitudinem vitæ et rectitudinem doctrinæ significat, et censuram coercitionis ecclesiasticæ. Exod. IV, 17 : *Virgam quoque hanc sume in manu tua, in qua facturus es signa.* Istæ sunt virgæ ad quarum adspectum concipiebant oves Jacob[1]. « *Gregem hæreditatis tuæ,* » hoc est, cui tu hæres, et qui tibi hæret sicut hæreditas. Ezech. XXXIV, 14 : *In pascuis uberrimis pascam eas, et in montibus excelsis Israel.* Isa. XIX, 25 : *Hæreditas mea Israel.* Eccli. XXIV, 13 : *In Israel hæreditare, et in electis meis mitte radices.* « *Habitantes solos,* » greges scilicet. *Solos* autem dicit, quia societate bonorum pastorum, qui sunt in Angelis et in Sanctis, destituti erant, quemadmodum dicitur, Osee, III, 4 : *Sedebunt filii Israel sine rege, et sine principe, et sine sacrificio.* Thren. III, 28 : *Sedebit solitarius, et tacebit ; quia levavit super se.* « *In saltu,* » hoc est, in silvestribus quantum ad locum, et quantum ad mores. II Reg. XVIII, 8 : *Multo plures erant quos saltus consumpserat de populo, quam hi quos voraverat gladius in die illa.* Isa. XXI, 13 : *In saltu ad vesperam dormietis, in semitis Dedanim.* Et Dedanim *paternalis* interpretatur, et significat eos qui in semita primi patris dormiunt, qui initium prævaricationis fuit.

Dedanim.

Et subdit de responsione Filii ad Patrem :

« *In medio Carmeli pascentur,* » oves scilicet. Carmelus *scientia circumcisionis* interpretatur. Vera autem circumcisio est, in qua omnis superfluitas concupiscentiæ præciditur, et illa est fides Catholica. Ad Roman. II, 28 et 29 : *Non enim qui in manifesto, Judæus est : neque quæ in manifesto, in carne, est circumcisio : sed qui in abscondito, Judæus est : et circumcisio cordis in spiritu, non littera : cujus laus non ex hominibus, sed ex Deo est.* « *Basan,* » hoc est, in Basan pascentur : et erat terra ultra Jordanem, ubi duæ tribus et dimidia habitabant, et interpretatur *confusio*, significans eos qui confunduntur de peccatis suis. Eccli. IV, 25 : *Est confusio adducens gloriam.* Jerem. XXXI, 19 : *Confusus sum, et erubui, quoniam sustinui opprobrium adolescentiæ meæ.* « *Et Galaad,* » quæ etiam est in terra trans Jordanem, et *transmigratio* interpretatur, et significat exsilium præsentis incolatus, in quo Sancti pascuntur, quasi viatico. Isa. XLIX, 9 : *Super vias pascentur.* Ad Hebr. XI, 13 : *Confitentes quia peregrini et hospites sunt super terram.* « *Juxta dies antiquos,* » hoc est, sicut in diebus antiquis pasti sunt.

Carmel

Quæ sit ra cicu cisio

Basan

Galaa

Et hoc est quod exponendo subdit : 15

« *Secundum diem egressionis tuæ de terra Ægypti,* » hoc est, sicut pavi tunc eos pane Angelorum, ita pascam et melius. Joan. VI, 49 et 50 : *Patres vestri manducaverunt manna in deserto, et mortui sunt. Hic est panis de cœlo descendens : ut si quis ex ipso manducaverit, non moriatur.* Et ibidem, ℣. 52 : *Si quis manducaverit ex hoc pane, vivet in æternum.* Sapient. XVI, 20 : *Angelorum esca nutrivisti populum tuum.* « *Ostendam ei mirabilia,* » mysteria scilicet Novi Testamenti et meipsum, qui mira-

[1] Cf. Genes. XXX, 37 et seq.

bilis sum. Job, IX, 10 : *Qui facit magna, et in comprehensibilia, et mirabilia, quorum non est numerus.*

16 « *Videbunt gentes.* » Hic tangitur de confusione hostium.

« *Videbunt gentes,* » quæ prius scilicet te afflixerunt, « *et confundentur,* » peccasse se cognoscentes. Psal. CXXVIII, 5 : *Confundantur et convertantur retrorsum omnes qui oderunt Sion.* « *Super omni fortitudine sua,* » qua scilicet Israel et Sanctos antea vastaverunt et oppresserunt. Ad hoc enim fortitudine et non justitia utebantur. Sap. II, 11 : *Sit fortitudo nostra lex justitiæ.* Job, XXXIX, 34 : *Qui leviter locutus sum, respondere quid possum?*

Et hoc est quod sequitur : « *Ponent manum super os,* » hoc est, mala opera quæ manibus exercuerunt, oppilabunt eis os. I Reg. II, 9 : *Impii in tenebris conticescent.* Psal. CVI, 42 : *Omnis iniquitas oppilabit os suum.* « *Aures eorum surdæ erunt,* » quæ scilicet prius erant patulæ ad audiendum id quod fuit contra Deum et Sanctos, modo ad hoc surdæ erunt : nihil enim contra Dominum et Sanctos audient. Psal. LVII, 5 et 6 : *Sicut aspidis surdæ et obturantis aures suas, quæ non exaudiet vocem incantantium, et venefici incantantis sapienter.*

17 « *Lingent pulverem sicut serpentes,* » hoc est, ad modum lingentium pulverem se habebunt, jacentes ante pedes vestros, et veniam a vobis quærentes. Quædam tamen Glossa dicit, quod lingent pulverem, hoc est, terrena et mollia, antequam notitiam Dei accipiant. Genes. III, 14, dictum est serpenti : *Super pectus tuum gradieris, et terram comedes.* Hoc enim non facit in se, sed in membris suis. Isa. LXV, 25 : *Serpenti pulvis panis ejus.* « *Velut reptilia terræ,* » hoc est, quæ repunt pro terrenis acquirendis, « *perturbabuntur in ædibus suis,* » hoc est, sicut reptilia facto sonitu, exeunt de ædibus : ita isti turbati ad pœnitentiam egredientur de occultis latibulis ad confessionem, et manifestabunt se, ut dignam accipiant pœnitentiam. Sapient. v, 2 : *Videntes turbabuntur timore horribili, et mirabuntur a subitatione insperatæ salutis.* « *Dominum Deum nostrum,* » qui non adhuc eorum Deus, eo quod adhuc non noscunt eum, « non desiderabunt. » Ita habet communis littera, sed translatio Hieronymi habet, « *Dominum Deum nostrum formidabunt.* » Septuaginta : « Super Domino Deo nostro formida- « bunt. » Et tunc sensus est, quod videntes Deum esse in Sanctis, formidare incipient sicut Ægyptii, Exod. XIV, 25 : *Fugiamus Israel : Dominus enim pugnat pro eis contra nos.* Si autem est littera : « Non desiderabunt, » tunc sensus est, quod in judicio timentes judicem non desiderabunt eum videre, sed dicent illud Lucæ, XXIII, 30 : *Incipient dicere montibus : Cadite super nos : et collibus : Operite nos.* « *Et timebunt te,* » timore scilicet reverentiali, videntes Deum esse in te.

« *Quis, Deus, similis tui?* » Ex prædictis de conversione Gentium os laxatur ad loquendum in gratiarum actionem, et agit grates de misericordia et veritate : de misericordia in remissione peccatorum, de veritate in impletione promissionum. 18

« *Quis, Deus, similis tui ?* » supple, est in misericordia et veritate. Psal. CXII, 5 : *Quis sicut Dominus Deus noster ?* Jerem. X, 6 : *Non est similis tui, Domine : magnus es tu, et magnum nomen tuum in fortitudine.* Exod. XV, 11 : *Quis similis tui in fortibus, Domine ? quis similis tui, magnificus in sanctitate ?* « *Qui aufers iniquitatem,* » per hoc enim quod punis indulges, et non punis ad interitum. Judith, VIII, 26 et 27 : *Et nos ergo non ulciscamur pro his quæ patimur,*

Deus corripit peccatores ut eos emendet.

sed reputantes peccatis nostris hæc ipsa supplicia minora esse flagella Domini, quibus quasi servi corripimur ad emendationem, et non ad perditionem nostram evenisse credamus. « *Et transis,* » supple, dissimulando et non imputando, sicut exterminator transivit domos filiorum Israel [1]. « *Peccatum reliquiarum hæreditatis tuæ,* » hoc est, eorum qui relicti sunt ex hæreditate tua, quos scilicet pestis, fames, et gladius superstites reliquit, in semen futuræ multiplicationis. Psal. XXXI, 2 : *Beatus vir, cui non imputavit Dominus peccatum.* Sap. XI, 24 : *Dissimulas peccata hominum propter pœnitentiam.*

Ex hoc autem confidens infert :

« *Non immittet ultra,* » supple, super nos, « *furorem suum,* » puniendo scilicet æternaliter. Osee, XIV, 5 : *Diligam eos spontanee, quoniam aversus est furor meus ab eis.* « *Quoniam volens misericordiam est.* » Osee, VI, 6, et Matth. IX, 13 : *Misericordiam volo, et non sacrificium.* Sap. XI, 24 et 25 : *Misereris omnium, et nihil odisti eorum quæ fecisti.*

19 « *Revertetur.* » Hieronymus : « Ab ira « ad clementiam, quæ est domus ejus, a « qua per peccatum ejicitur, ad eam per « pœnitentiam reducitur. » Psal. CXXXI, 8 : *Surge, Domine, in requiem tuam* [2]. Requiescit enim Dominus in clementia, et in misericordia. « *Et miserebitur nostri.* » Jerem. XXXI, 20 : *Conturbata sunt viscera mea super eum : miserans miserebor ejus.* Thren. III, 22 : *Misericordiæ Domini quia non sumus consumpti : quia non defecerunt miserationes ejus.*

Qualiter autem hoc fiat, subdit : « *Deponet,* » supple, a collo nostro, « *iniquitates nostras,* » quæ scilicet nos deprimebant, sicut onus grave. Isa. LVIII, *Dissolve colligationes impietatis, solve fasciculos deprimentes.* « *Et projiciet ad profundum maris,* » hoc est, in amaritudinem pœnitentiæ convertet. Psal. LXVII, 23 : *Dixit Dominus : Ex Basan convertam, convertam in profundum maris,* hoc est confusione peccati (quod interpretatur Basan) in profundum pœnitentiæ. « *Omnia peccata nostra,* » non quædam, quia, sicut dicit Ambrosius, « impium est a Deo dimidiam sperare « veniam. » Exod. XIV, 28 : *Aquæ operuerunt currus et equites cuncti exercitus Pharaonis, qui sequentes ingressi fuerant mare : nec unus quidem superfuit ex eis.*

Peccata simul omnia remittuntur.

Et subdit de veritate promissionum : 20

« *Dabis veritatem Jacob,* » hoc est, omnem promissionem quam patribus fecisti, veraciter adimplebis. IV Reg. X, 10 : *Videte ergo nunc quoniam non cecidit de sermonibus Domini in terram.* Eccli. XXXVI, 18 : *Da mercedem sustinentibus te, ut Prophetæ tui fideles inveniantur.* Ad Roman. III, 4 : *Est autem Deus verax : omnis autem homo mendax.* Psal. L, 6 : *Justificeris in sermonibus tuis.* « *Misericordiam Abraham,* » supple, dabis Abrahæ misericordiam scilicet promissam. Luc. I, 54 et 55 : *Recordatus est misericordiæ suæ : sicut locutus est ad patres nostros, Abraham et semini ejus in sæcula.* « *Quæ jurasti patribus,* » hoc est, firmiter dare statuisti. Hieronymus, « quod scilicet de multitudine hominum « alios salvas in veritate, alios in miseri- « cordia. » Ad Hebr. VI, 17 et 18 : *In quo abundantius volens Deus ostendere pollicitationis hæredibus immobilitatem consilii sui, interposuit jusjurandum, ut per duas res immobiles, quibus impossibile est mentiri Deum, fortissimum solatium habeamus.* « *A diebus antiquis,* » hoc est, ab æterno per prædestinationem, et a principio mundi per promissionem. Isa. LI, 9 : *Consurge sicut in diebus antiquis, in generationibus sæculorum.*

[1] Cf. Exod XII, 27.

[2] Cf. Numer. X, 35, et II Paralip. VI, 41.

INDEX

IN MICHÆAM PROPHETAM



D. ALBERTI MAGNI,

EPISCOPI RATISBONENSIS, DOCTRINA TOTO ORBE

Celeberrimi, Ordinis Prœdicatorum,

IN NAHUM PROPHETAM ENARRATIO.

Prologus Divi Hieronymi in Nahum prophetam [1].

Nahum prophetam ante adventum regis Assyriorum, qui populum Israel captivum in suam regionem transtulerat, fuisse, Hebræorum traditio confirmat. Siquidem in fine hujus lectionis [2], prædicti regis adventum idem propheta annuntiare monstratur. Sed cum habitatores Ninive, Jona interitum civitatis prædicante, ne divina ira denuntiatum interitum sustinerent, peccatorum et impietatis pœnitentiam egissent, accepta Dei misericordia, gravioribus se criminibus implicuerunt.

Qua de causa memoratus propheta Spiritu sancto plenus, judicium Dei annuntians, ita locutus est : Deus zelans, et ulcisceus Dominus est, etc. [3]. Jam enim decem tribus ab Assyriis deductæ fuerant in captivitatem sub Ezechia, rege Juda : sub quo etiam nunc in consolationem populi transmigrati adversus Ninivem visio cernitur. Nec erat parva consolatio, tam his qui jam Assyriis serviebant, quam reliquis qui sub Ezechia de tribu Juda et Benjamin ab eisdem hostibus obsidebantur, ut audirent Assyrios quoque a Chaldæis esse capiendos, sicut in sequentibus libri hujus demonstrabitur.

Sciendum [4] autem est quod Ninive in nostra lingua de Hebræo *speciosam*

[1] Ex procemio Commentar. Hieronymi in Nahum prophetam.

[2] Nahum, III, 12 et seq.

[3] Vulg. habet, Nahum, I, 2 : *Deus æmulator, et ulciscens Dominus*, etc.

[4] Hæc verba, quæ inveniuntur in Biblia Roberti Stephani, non explicantur in edit. Lugdunensi D. Alberti, nec in mss.

sonat. Speciosus autem hic mundus dicitur : unde et apud Græcos κόσμου ab ornatu nomen accepit. Et quidquid nunc adversum Niniven dicitur, de mundo figuraliter prædicari sentiamus. Quam ab causam et *assumptio* quam Septuaginta interpretantur λῆμμα, et Aquila ἆρμα interpretatus est : apud Hebræos משא ponitur, id est, grave onus : eo quod eam adversus quam videtur, premat, nec sinat elevare cervicem. Simulque hoc attendendum, quod hæc ipsa vel assumptio, vel onus, vel pondus, prophetæ visio sit. Non enim loquitur propheta in ἐκστάσει, ut Montanus et Prisca, Maximillaque delirant ; sed quod prophetat, liber est visionis intelligentis universa quæ loquitur, et pondus hostium facientis suo populo visionem. De consummatione itaque mundi secundum αναγωγην, o Paula et Eustochium, in consolationem sanctorum prophetia texitur : ut quæcumque in mundo vident, quasi prætereuntia et caduca contemnant, et præparent se ad judicii diem, ubi ultor adversum veros Assyrios affuturus est Dominus.

PROLOGI DIVI HIERONYMI IN NAHUM PROPHETAM EXPLICATIO.

« Nahum Prophetam, » In prologo isto Hieronymus determinat tempus prophetiæ, et duplicem suscepti operis causam.

« Nahum Prophetam, » non Prophetæ filium. Sapient. VII, 27 : *Per nationes in animas sanctas se transfert, amicos Dei et Prophetas constituit.* « Ante adventum regis Assyriorum, » non primum scilicet, quando decem tribus transtulit : sed secundum, quando Jerusalem obsedit [1]. « Qui, » scilicet rex Assyriorum, « populum Israel, » hoc est, decem tribus, « captivum in suas regiones transtulerat [2], fuisse, Hebræorum traditio confirmat. »

Et hoc probat, subdens :

« Siquidem, » hoc est, certe, « in fine hujus lectionis, » hoc est, prophetiæ, infra, III, 12 et seq., « prædicti regis adventum, » hoc est, Assyriorum in Judæam, « idem Propheta, » hoc est, Nahum « annuntiare monstratur. » Nec annuntiare potuit, si tunc non fuit, et ideo oportuit eum fuisse ante adventum ipsius. Et hoc dupliciter esse potuit, scilicet quod fuerit septimo anno Osee (ut quidam dicunt) et quarto anno Ezechiæ, sed non prophetaverit, et tunc intelligitur fuisse ante primum adventum Assyriorum : vel quod fuerit decimo quarto anno Ezechiæ, et quod prophetaverit, et tunc intelligitur fuisse ante secundum adventum Assyriorum.

Et subjungit de causa suscepti operis :

« Sed cum habitatores Ninive, » quæ fuit metropolis Assyriorum, « Jona, » Propheta scilicet, « interitum civitatis prædicente, » Jonæ, III, 4 : *Adhuc quadraginta dies, et Ninive subvertetur,* « ne, » ipsi, scilicet habitatores, « divina ira denuntiatum interitum, » per Jonam scilicet, « sustinerent » in effectu sicut denuntiatus fuit, « peccatorum et impietatis pœnitentiam egissent, » sicut dicitur Jonæ, III, 5 et seq., « accepta Dei misericordia, » in salvatione scilicet civitatis. Jerem. XVIII, 8 : *Si pœnitentiam egerit gens illa a malo suo, quod locutus sum adversus eam, agam et ego pœnitentiam super malo quod cogitavi ut facerem ei.* « Gra-

[1] Cf. Isa. XXXVI et XXXVII, et IV Reg. XIX, 1 et seq.

[2] Cf. IV Reg. XVIII, 10 et seq.

vioribus se criminibus implicuerunt. » II Petr. II, 20: *Facta sunt eis posteriora deteriora prioribus.*

« Qua de causa, » hoc est, propter quam causam, « memoratus Propheta, » Nahum scilicet, « Spiritu sancto plenus, » quantum ad inspirationem propheticam. II Petr. I, 21 : *Spiritu sancto inspirati, locuti sunt sancti Dei homines.* « Judicium Dei » hoc est, condemnationem Dei, « annuntians,» in eos scilicet qui relapsi sunt in peccatum, « ita est locutus, » in principio scilicet prophetiæ : « Deus zelans, et ulciscens Dominus, etc. [1], » hoc est, ex zelo ulciscens. Exod. xx, 5: *Ego sum Dominus Deus tuus fortis zelotes, visitans iniquitatem patrum in filios, in tertiam et quartam generationem* [2].

« Jam enim, » Nahum scilicet prophetante, » decem tribus ab Assyriis ductæ fuerant in captivitatem, » Osee scilicet anno septimo, et Ezechiæ quarto , sicut dicitur, IV Reg. XVIII, 7 et seq., « sub Ezechia, rege Juda, » hoc est, regnante Ezechia : « sub quo, » scilicet Ezechia, « etiam nunc in consolationem populi transmigrati, » hoc est, decem tribuum captivatarum, « adversus Niniven, » quæ fuit metropolis captivantium, « visio, » hoc est, certa revelatio, « cernitur, » a Nahum scilicet Propheta. Amos, III, 7 : *Non facit Dominus Deus verbum, nisi revelaverit secretum suum ad servos tuos Prophetas.*

Quod autem fuerit consolatio, probat, subdens :

« Nec erat parva consolatio, » scilicet prophetia de destructione Assyriorum, « tam his qui jam Assyriis serviebant, » hoc est, decem tribubus captivatis, « quam reliquis, » duabus scilicet tribubus non captivatis, « qui sub Ezechia rege, » bono scilicet, « de tribu Juda et Benjamin, » super quas ipse regnavit, « ab eisdem hostibus, » hoc est, ab Assyriis, « obsidebantur, » in Jerusalem scilicet quando Sennacherib obsedit eam : « ut audirent, » per Prophetam scilicet, « Assyrios quoque, » se scilicet affligentes, « a Chaldæis esse capiendos : » quia decem tribus per hoc jugum servitutis sperabant mitigandum, et duæ tribus sese ab obsidione liberandos, « sicut in consequentibus libri hujus, » tertio scilicet capitulo infra , « demonstrabitur [3]. »

CAPUT I.

Zelus Dei adversus hostes suos, qui patiens est et fortitudine magnus, cujus iræ nemo potest resistere, et in se sperantium est liberator, suique populi hostes est consumpturus.

1. Onus Ninive. Liber visionis Nahum Elcesæi.
2. Deus æmulator, et ulciscens Dominus. Ulciscens Dominus, et habens furorem : ulciscens Dominus in hostes suos, et irascens ipse inimicis suis.
3. Dominus patiens, et magnus fortitudine, et mundans non faciet innocentem. Dominus in tem-

[1] Vulg. habet, Nahum, I, 2 : *Deus æmulator, et ulciscens Dominus*, etc.

[2] Exod. XXXIV, 6 et 7 : *Dominator Domine Deus,.. qui reddis iniquitatem patrum filiis ac nepotibus, in tertiam et quartam progeniem.*

[3] Reliqua pars D. Alberti explicationis Prologi D. Hieronymi in Nahum prophetam, ut habetur in Biblia Roberti Stephani, deest in Edit. Lugdunensi et in mss.

pestate et turbine viæ ejus, et nebulæ pulvis pedum ejus.

4. Increpans mare, et exsiccans illud, et omnia flumina ad desertum deducens. Infirmatus est Basan et Carmelus, et flos Libani elanguit.

5. Montes commoti sunt ab eo, et colles desolati sunt : et contremuit terra a facie ejus, et orbis, et omnes habitantes in eo.

6. Ante faciem indignationis ejus quis stabit ? et quis resistet in ira furoris ejus ? indignatio ejus effusa est ut ignis, et petræ dissolutæ sunt ab eo.

7. Bonus Dominus, et confortans in die tribulationis, et sciens sperantes in se.

8. Et in diluvio prætereunte consummationem faciet loci ejus, et inimicos ejus persequentur tenebræ.

9. Quid cogitatis contra Dominum ? consummationem ipse faciet : non consurget duplex tribulatio.

10. Quia sicut spinæ se invicem complectuntur, sic convivium eorum pariter potantium : consumentur quasi stipula ariditate plena.

11. Ex te exibit cogitans contra Dominum malitiam, mente pertractans prævaricationem.

12. Hæc dicit Dominus : Si perfecti fuerint, et ita plures, sic quoque attondentur, et pertransibit : afflixi te, et non affligam te ultra.

13. Et nunc conteram virgam ejus de dorso tuo, et vincula tua disrumpam.

14. Et præcipiet super te Dominus, non seminabitur ex nomine tuo amplius : de domo Dei tui interficiam sculptile, et conflatile : ponam sepulcrum tuum, quia inhonoratus es.

15. Ecce super montes pedes evangelizantis, et annuntiantis pacem [1]. Celebra, Juda, festivitates tuas, et redde vota tua, quia non adjiciet ultra ut pertranseat in te Belial : universus interiit.

IN CAPUT I NAHUM

ENARRATIO.

« *Onus Ninive.* » Materia litteralis hujus prophetiæ, interfectio est regis Assyriorum, et translatio regni in regnum Chaldæorum. Spiritualis autem, ejectio principis mundi a potestate, et finali mundi condemnatione. Dividitur autem in titulum et in tractatum.

1 « *Onus Ninive,* » hoc est, materia hujus prophetiæ est *onus,* hoc est, tribulatio opprimens Niniven, metropolim Assyriorum. Psal. XXXVII, 5 : *Sicut onus grave gravatæ sunt super me.* Isa. LVIII, 6 : *Omne onus disrumpe.* Ninive *speciosa* interpretatur. Mundus enim in græco κόσμος dicitur, quod latine sonat *ornatum,* a quo etiam latine *mundus* dicitur, quia de mundissimo exivit exemplari. Boetius in *Consolatione philosophiæ :*

Mundum mente gerens pulchrum pulcherrimus ipse.

Mundi autem oppressio finalis hic describitur.

Et subdit de modo : « *Liber visionis.* » *Liber* dicit propter perpetuitatem memo-

[1] Isa, LII, Ad Roman. X, 15.

riæ, *visionis* propter certitudinem revelationis, quia quod videtur, certum est. Apocalyps. I, 11 : *Quod vides, scribe in libro.* In hoc ergo notatur modus.

Et subdit de auctore, quem ex nomine describit et patria, « *Nahum,* » qui *consolator* interpretatur, in quo notatur finis, quia ad consolationem suæ gentis prophetat. Isa. XL, 1 : *Consolamini, consolamini, popule meus.* Isa. LI, 3 : *Consolabitur Dominus Sion, et consolabitur omnes ruinas ejus.* « *Elcesæi,* » qui est quidam vicus Galilææ, de quo Propheta iste ortus fuit. Nec Elcesæus fuit pater prophetæ (ut quidam errantes dixerunt), et interpretatur *advocatus,* innuens quod iste propheta pro populo suo advocat apud Deum. I Joan. II, 1 : *Advocatum habemus apud Patrem, Jesum Christum justum.* Sic ergo scitur materia, modus, auctor, et finis prophetiæ.

Nahum.

Eclesæus.

2 « *Deus æmulator.* » *Æmulator* dicitur amator cum indignatione contrarii vel consortis, sicut Deus diligit homines indignans peccatis et hostibus, et non volens habere consortem in amato. II ad Corinth, XI, 2 : *Æmulor vos Dei æmulatione.* I ad Corinth. XII, 31 : *Æmulamini charismata meliora.* Joan. II, 17, et in Psal. LXVIII, 10 : *Zelus domus tuæ comedit me.* Zelus est quo Deus zelando diligit homines, propter hoc zelus qui cum indignatione de peccatis est, a sanctis commendatur. Numer. XXV, 11 : *Phinees, filius Eleazari, filii Aaron sacerdotis, avertit iram meam a filiis Israel : quia zelo meo commotus est contra eos.* I Machabæorum, II, 26 : *Zelatus est legem, sicut fecit Phinees.* Inde est quod dicitur Lucæ, VI, 15 : *Elegit... Simonem, qui vocatur Zelotes,* in commendationem sui. « *Et ulciscens Dominus,* » in eos scilicet qui impœnitentes permanent : cum enim sit bonus et justus, per bonitatem æmulatur bonos, et per justitiam vindicat in malos. Deut. XVIII, 19, *Ego,* in tempore scilicet, *ultor existam.* Psal. XCIII, 1 : *Deus ultionum dominus.*

Zelus.

Dividitur enim hæc prophetia in duas partes, in quarum prima terrorem describit judicis in destructione Sennacherib, regis Assyriorum, secundo translationem regni Assyriorum in regnum Chaldæorum prophetat, infra II, 1, ibi, « *Ascendit qui dispergat coram te.* »

Prima in duas. Primo enim describit terrorem judicis in contritione regis : secundo, lætitiam populi liberati, ibi, ℣. 15: « *Ecce super montes.* »

Prior adhuc in duas. Primo enim describitur terror judicis : secundo, quibus est terribilis et qua de causa, ibi, ℣. 9 : « *Quid cogitatis contra Dominum?* »

In prima tria sunt. Describit enim primo terrorem judicis in se : secundo, in creaturis, ibi, « *Increpans mare.* » Tertio, concludit quod nihil ei resistit in humanis, ibi, « *Ante faciem indignationis ejus.* »

In prima quatuor sunt, qualis scilicet est in habitu, et hoc jam habitum est, qualis in actu, qualis in signo. In actu dupliciter, iræ scilicet, et fortitudinis.

« *Ulciscens Dominus,* » hoc est, vindicans in peccatores. Jerem. V, 9 : *Numquid super his non visitabo, dicit Dominus? et in gente tali non ulciscetur anima mea?* Hoc idem eodem capite dicitur infra, ℣. 29. Simile, Jerem. IX, 9 et Joel, III, 4 : *Cito velociter reddam vicissitudinem vobis super caput vestrum.* « *Et habens furorem,* » hoc est, conceptam et ferventem in peccatores iram. Deut. XXXII, 22 : *Ignis succensus est in furore meo.* « *Ulciscens Dominus in hostes suos :* » hostes suos reputat hostes Sanctorum. Zach. I, 15 : *Ira magna ego irascor super gente sopulentas.* Isa. I, 24 : *Heu! consolabor super hostibus meis, et vindicabor de inimicis meis.* « *Et irascens ipse inimicis suis,* » hoc est, pœnam immittens eis. Psal. XXIX, 6 : *Ira in indignatione ejus.* Inimicos autem intelligit, inimici-

tias observantes. Eccli. xxxvi, 9 : *Tolle adversarium, et afflige inimicum.* Et attende quod dixit, « *ulciscens.* » Ulciscitur enim temporaliter fame, peste, et gladio [1] : et æternaliter, similiter fame in destitutione omnis boni : peste, in conscientiæ corruptione et corrosione : gladio, in dæmonum punitione, per ignem. Eccli. x, 13 : *Cum morietur homo, hæreditabit serpentes, et bestias, et vermes.*

3 Et subdit qualis sit in actu discretionis puniendorum :

« *Dominus patiens,* » hoc est, æquanimis in judicio ; ex commotione nihil faciens, sed totum ex ratione. Sap. xii, 18 : *Tu autem dominator virtutis, cum tranquillitate judicas, et cum magna reverentia disponis nos.* Eccli. v, 4 : *Altissimus est patiens redditor.* Augustinus in *Regula :* « An ideo putandus est non videre, quia tanto videt patientius, quanto sapientius ? » « *Et magnus fortitudine,* » cui scilicet nihil resistat. Exod. xv, 11 : *Quis similis tui in fortibus, Domine?* Jerem. x, 6 : *Magnus es tu, et magnum nomen tuum in fortitudine.* « *Et mundans :* » percutiens enim semper intendit emundare a peccato, vel ordinare peccatum, si peccator mundari non poterit. Isa. xxvii, 9 : *Iste,* supple, est, *omnis fructus ut auferatur peccatum ejus.* Et ideo flagellat ut pater, etiam eos qui in inferno sunt, in quibus ordinat peccatum. Unde divitem damnatum filium vocavit [2], et sic ad minus mundat a peccati inordinatione. Ad Hebr. xii, 7 : 20 : *Quis filius, quem non corripit pater ?* Psal. xciii, 20 : *Numquid adhæret tibi sedes iniquitatis, qui fingis laborem in precepto ?* Quasi dicat : Non. Ad hoc enim fingis in præcepto laborem, ut per laborem sedem evertas iniquitatis.

Et qualis sit in discretione judicandorum, subdit : « *Non faciet innocentem,* » hoc est, per acceptionem personæ non relinquet aliquid quasi innocentem qui peccavit. Act. x, 34 : *In veritate comperi quia non est personarum acceptor Deus.* Nullus enim innocens est apud Deum. Ad Roman. iii, 23 : *Omnes peccaverunt, et egent gloria Dei.* Unde quem Deus innocentem per gratiam non facit, innocens non est. I Joan. i, 8 : *Si dixerimus quoniam peccatum non habemus, ipsi nos seducimus, et veritas in nobis non est.* Jerem. xlix, 12 : *Non eris innocens.* Et ibidem, xxv, 29 : *Non eritis immunes.* Unde non transit aliquem peccatorem quem non percutiat.

Seclusa Dei gratia, nulla est homini innocentia.

Et ostendit signum terroris :

« *Dominus in tempestate,* » supple, veniet. *Tempestatem* vocat commotionem elementorum et exercituum judicantium hostes, sicut per multa describitur, Psal. xlix, 3 : *In circuitu ejus tempestas valida.* Sap. iv, 18 : *Accipiet armaturam zelus illius, et armabit creaturam ad ultionem inimicorum.* « *Et in turbine viæ ejus.* » *Turbo* ventus est de nube egrediens, et motu involutionis convolvens et eradicans, et significat exercitum Angelorum, dæmonum, et hominum, undique hostes involventem et eradicantem. Propter hoc, Joel, ii, 1 et 2, dicitur : *Quia venit dies Domini...... Dies tenebrarum et caliginis, dies nubis et turbinis.* « *Et nebulæ pulvis pedum ejus,* » quia exercitu veniente tantus fuit strepitus, quod pulvis elevatus nebula videbatur. Propter hoc, Sophon. i, 15, dies judicii dicitur *dies nebulæ et turbinis.* Isa. xxviii, 2 : *Ecce validus et fortis Dominus, sicut impetus grandinis : turbo confringens,* etc.

Et subdit de terrore in creaturis : 4

« *Increpans mare,* » sicut fecit Exod. xiv, 21 et seq. [3]. Psal. cxxxv, 13 : *Qui*

[1] Cf. Ezech. v, 12 et seq.

[2] Cf. Luc. xvi, 25 : *Fili, recordare quia,* etc.

[3] Cf. etiam Psal. cxiii, 5 : *Quid est tibi, mare, quod fugisti ?*

divisit Mare rubrum in divisiones. Hoc autem mare et mundum et multitudinem malorum significat, quod Deus increpat, ne tantum persequi possint quantum vellent. Psal. cv, 9 : *Increpuit Mare rubrum, et exsiccatum est.* Isa. li, 10 : *Numquid non tu siccasti mare, aquam abyssi vehementis ?* Et hoc est quod sequitur : « *Et exsiccans illud,* » ne scilicet bonos submergere possit. Job, xxxviii, 8: *Quis conclusit ostiis mare, quando erumpebat quasi de vulva procedens ?* Et, ℣℣. 10 et 11 : *Circumdedi illud terminis meis, et posui vectem, et ostia. Et dixi : Usque huc venies. et non procedes amplius, et hic confringes tumentes fluctus tuos.* « *Et omnia flumina ad desertum deducens.* » Hoc litteraliter factum est Josue, iii, 16, in Jordane, qui siccatus est in transitu filiorum Israel. *Flumina* tamen significant fluxus vitiorum, et particulares exercitus malorum, sub uno magno exercitu Assyriorum vel dæmonum, quasi sub mari concurrentium : quæ omnia Dominus ad desertum adducit. Isa. xi, 15 : *Desolabit Dominus linguam maris Ægypti, et levabit manum suum super flumen in fortitudine spiritus sui, et percutiet eum in septem rivis, ita ut transeant per eum calceati.* Isa. xliii, 2 : *Cum transieris per aquas, tecum ero, et flumina non operient te.*

Basan. « *Infirmatus est Basan.* » Hoc ostenditur, Numer. xxi, 33 et seq.,ubi Og, rex Basan, virtute Domini contritus est, qui fuit de semine giganteo. Hoc etiam in Psal. cxxxv, 20, dicitur, quod occidit Og, regem Basan, et omnia regna Chanaan [1]. Basan etiam interpretatur *confusio*, et significat peccatum confusione dignum, ut dicit Hieronymus, quod stare non potest in judicio Domini. Isa. liv, 17 : *Omne vas, quod fictum est contra te, non dirigetur* : *et omnem linguam resistentem tibi in judicio, judicabis.* « *Et*
Carmelus, *Carmelus,* » supple, infirmatus est. Historialiter, Carmelus mons Phœnicis est pascuosus mirabiliter, in quo Nabal oves pascebantur [2], quem Jebusæi contra virtutem Domini retinere non potuerunt in ingressu filiorum Israel. Interpretatur autem *scientia circumcisionis*, et significat eos qui per sapientiam et astutiam alios circumcidere et procidere cupiunt, qui infirmi sunt contra sapientiam Domini. Job, v, 13 : *Qui apprehendit sapientes in astutia eorum, et consilium pravorum dissipat.* I ad Corinth. i, 19, et Abdiæ, ℣. 8 : *Perdam sapientiam sapientium, et prudentiam prudentium reprobabo.* « *Et flos Libani elanguit.* »
Sensus est : Libanus qui flos montium Libanus
est, altissimis cedris et redolentia thuris, sic elanguit, quod in introitu filiorum Israel a suis possessoribus defendi non potuit contra virtutem Domini. Interpretatur autem *candidatio*, et hypocritas significat, qui languidi erunt in judicio Domini. Isa. ii, 13 : *Dies Domini super omnes cedros Libani sublimes, et erectas.* Job, viii, 13 : *Viæ omnium qui obliviscuntur Deum, et spes hypocritæ peribit.*

« *Montes commoti sunt ab eo* » hoc 5
est,superiores principatus, « *et colles desolati sunt,* » inferiores fortitudines. Isa. ii, 14 : *Dies Domini super omnes montes excelsos, et omnes colles elevatos.* Job, xxvi, 11 : *Columnæ cœli contremiscunt, et pavent ad nutum ejus.* I ad Corinth. xv, 24 : *Cum evacuaverit omnem principatum, et potestatem.* « *Et contremuit terra a facie ejus.* » *Terra* dicitur per metonymiam communiter habitantes in terra, sicut qui habitabant sub regno Assyriorum, vel qui habitabant in toto mundo. Psal. lxxv, 9 et 10 : *Terra tremuit et quievit, cum exsurgeret in judicium Deus.* « *Et orbis* » supple, tremuit, « *et omnes habitantes in eo.* » *Orbem* littera-

[1] Psal. cxxxv, 18 et seq.: *Et occidit reges fortes :... et Og, regem Basan.*

[2] Cf. I Reg. xxv, 2.

liter vocat monarchiam Assyriorum, spiritualiter autem circuitum malorum. Psal. xi, 9 : *In circuitu impii ambulant.* Isa. xiii, 11 : *Visitabo super orbis mala, et contra impios iniquitatem eorum.*

6 Ex his concludit, quod mali non resistent, sed boni securi erunt :

« *Ante faciem,* » hoc est, ante præsentiam « *indignationis ejus quis stabit ?* » hoc est, stare poterit. Glossa : « Deo corripiente, vel rarus vel nullus « erit qui non paveat ad judicium Do- « mini : cum astra quoque non sint mun- « da in conspectu ejus. » Job, iv, 18 : *Ecce qui serviunt ei, non sunt stabiles, et in Angelis suis reperit pravitatem.* Malach. iii, 2 : *Quis stabit ad videndum eum ?* Et quod dixit, subdit exponens : « *Et quis resistet in ira furoris ejus ?* » Job, ix, 13 : Deus, *cujus iræ nemo resistere potest.* Jerem. xlix, 19 : *Quis enim similis mei ? Et quis sustinebit me ?*

Judicium Dei erit cunctis formidabile.

Et subjungit causam, et suppletur, quia « *Indignatio ejus effusa est ut ignis.* » Thren. ii, 4 : *Effudit quasi ignem indignationem suam. Effusio* notat quod longe lateque sententia judicii divini peccatores comprehendet. « *Et petræ dissolutæ sunt ab eo,* » Domino scilicet judicante, vel igne dissolutæ, hoc est, scissæ, sicut in Passione Domini [1]. Isa. lxiv, 1 et 2 : *Utinam... a facie tua montes defluerent ! sicut exustio ignis tabescerent.* III Reg. xix, 11 : *Ecce Dominus transit, et spiritus grandis et fortis subvertens montes, et conterens petras ante Dominum.*

7 Quod autem securi sint boni, subdit :

« *Bonus Dominus,* » in substantia et effectu. Luc. xviii, 19 : *Nemo bonus nisi solus Deus.* Psal. cxviii, 68 : *Bonus es tu, et in bonitate tua doce me justificationes tuas.* « *Et confortans in die tribulationis.* » Josue, i, 6 : *Confortare, et esto robustus.* Necessaria est enim confortatio in die tribulationis. Daniel, x, 9 : *Loquere, Domine mi, quia confortasti me.* Isa. xxxv, 3 : *Confortate manus dissolutas, et genua debilia roborate.* Eccli. xxxiv, 19 : *Protector potentiæ, firmamentum virtutis, tegimen ardoris, et umbraculum meridiani.* « *Et sciens,* » hoc est, per beneplacitum cognoscens, « *sperantes in se.* » II ad Timoth. ii, 19 : *Firmum fundamentum Dei stat, habens signaculum hoc : Cognovit Dominus qui sunt ejus.* Joan. x, 14 : *Cognosco meas, et cognoscunt me meæ.* Exod. xxxiii, 12 : *Novi te ex nomine, et invenisti gratiam coram me.* Novit autem ut distinguat a pœnis impiorum. II Petr. ii, 9 : *Novit Dominus pios de tentatione eripere : iniquos vero in diem judicii reservare cruciandos.*

Et hoc est quod sequitur : 8

« *Et in diluvio prætereunte.* » *Diluvium* vocat generalem tribulationem, quia rex Assyriorum afflixit omnes gentes. Hoc dicit *præteriens,* quia etsi tangeret Judæos sive sanctos, tamen non consumpsit. Isa. viii, 8 : *Ibit per Judam, inundans, et transiens usque ad collum veniet.* Similiter etiam tribulatio diaboli tangit, sed non involvit Sanctos. Psal. xxxi, 6 : *Verumtamen in diluvio aquarum multarum, ad eum non approximabunt.* Propter quod quidam comparantes se Sanctis, Isa. xxviii, 15, dicunt : *Flagellum inundans cum transierit, non veniet super nos.* I ad Corinth. x, 13 : *Fidelis Deus est, qui non patietur vos tentari supra id quod potestis.* « *Consummationem faciet loci ejus,* » regis scilicet Assyriorum, vel diaboli. *Consummationem* autem dicit consumptionem, sicut « panis dicitur consummatus quando con- « sumptus est, » ut dicit Augustinus. Et est sensus : In tribulatione quam infert

Tentatio sanctos tangit, sed non involvit.

[1] Cf. Matth. xxviii, 51.

aliis, ita consumet eum, quod locus ejus de cætero non invenietur. Isa. xxx, 32 : *Erit transitus virgæ fundatus, quam requiescere faciet Dominus super eum. Fundatum* dicit immobilitatem, ut ulterius transire non possit. *Requiescere* autem dicit *super eum*, quia pœna quam intulit aliis, tota simul coadunata manebit super eum in æternum. Apocal. xii, 8, dicitur de dracone persequente Ecclesiam et sociis ejus : *Et non valuerunt, neque locus inventus est eorum amplius in cœlo*, hoc est, in Ecclesia. Psal. xxxvi, 35 et 36 : *Vidi impium superexaltatum, et elevatum sicut cedros Libani. Et transivi, et ecce non erat : et quæsivi eum, et non est inventus locus ejus.* « *Et inimicos ejus*, » Dei scilicet, et Sanctorum, « *persequentur tenebræ :* » et hujus causa est (ut dicit Glossa) quia tenebras elegerunt et dilexerunt. Job, xxiv, 13 : *Ipsi fuerunt rebelles lumini, nescierunt vias ejus, neque reversi sunt per semitas ejus.* Joan. iii, 19 : *Lux venit in mundum, et dilexerunt homines magis tenebras quam lucem.* Illæ autem tenebræ sunt tenebræ exteriores in loco damnatorum existentes. Matth. xxv, 30 : *Ejicite eum in tenebras exteriores : ibi erit fletus, et stridor dentium.*

9 « *Quid cogitatis contra Dominum ?* » In parte ista terrorem describit judicii in judicatis sive damnatis. Et habet partes duas. Primo enim ostendit judicium in destructione exercitus : secundo, in interfectione regis, ibi, ℣. 14 : « *De domo dei tui.* »

Prima adhuc habet duo, scilicet exercitus destructionem, et obsessorum consolationem, ibi, « *Afflixi te.* »

In prima adhuc duo sunt. Primo enim dicit judicium. Secundo, defensionis aufert præsumptionem, ibi, « *Hæc dicit Dominus.* »

In prima quatuor sunt. Primo enim ponit invectionem : secundo, spei de subjuganda civitate frustrationem : tertio, combustionis similitudinem : et quarto, causam meritoriam.

« *Quid cogitatis contra Dominum ?* » blasphemias scilicet, et subjugationem suorum? Isa. i, 16 : *Auferte malum cogitationum vestrarum ab oculis meis.* Matth. ix, 4 : *Ut quid cogitatis mala in cordibus vestris ?* Et est sensus : Cogitare nihil valebit vobis. Isa. viii, 16 : *Inite consilium, et dissipabitur : loquimini verbum, et non fiet : quia nobiscum Deus.* « *Consummationem ipse,* » scilicet Dominus, « *faciet,* » hoc est, consumptionem exercitus regis Assyriorum. Isa. x, 23 : *Consummationem et abbreviationem Dominus Deus exercituum faciet in medio omnis terræ.* Sub unius enim noctis articulo omnes interfecti sunt, et incinerati, sicut una nocte Ægyptiorum primogenita percussa sunt[1], et sub una nocte Ægyptii submersi sunt[2] : et sicut sub una nocte Resurrectionis Dominicæ diabolus et ejus exercitus deletus est amissa potestate. Isa. xvi, 4 : *Finitus est pulvis, consummatus est miser : defecit qui conculcabat terram.*

Et subdit de spei frustratione :

« *Non consurget duplex tribulatio,* » hoc est, primam tribulationem permisi in captivitate decem tribuum, secundam non addam ut duas tribus captivari permittam. Quidam tamen dicunt, quod duplex tribulatio in Assyrios non surrexit, quia uno impetu Angeli, et non duobus, aut tribus omnes simul interfecti sunt. Septuaginta habent : « Non bis ju« dicabit Deus in idipsum. » Contra quod objicit Hieronymus, quod secundum hoc adultera optare debet ut temporaliter puniatur, ne in æternum crucietur. Secundum hoc etiam in diluvio mortui in inferno non cruciarentur. Et simile est de Sodomitis. Solvit autem hoc Hieronymus dicens « Deum sicut

[1] Cf. Exod. xii, 29.

[2] Ibid. xiv, 27 et 28.

« omnium rerum, ita pœnarum scire « mensuras : et non præveniri sententiam judicis, nec illi in peccatorem « exercendæ dehinc pœnæ auferri potestatem : et magnum peccatum, magnis diuturnisque elui cruciatibus. Si « quis autem punitus sit pro levi peccato, ut ille qui in lege Israeli maledixerat, et qui in sabbato ligna collegerat, « tales postea non puniri, quia culpa levis præsenti supplicio compensata sit. » Sensus est, quod pro uno peccato sufficienter punito non inffligitur alia pœna. Peccatum autem mortale præsenti pœna non sufficienter punitur, ut parvum peccatum et veniale, et ideo hoc hic punitur et in futuro non punietur. Contra hanc tamen solutionem adhuc objicitur : Quia ponimus quod mortale conjunctum sit veniali in eodem homine, illi quia susceptibilis gratiæ non est propter præsentem statum nullum peccatum dimittitur, eo quod nullum peccatum sine gratia remittetur : et si non dimittitur, in futuro punietur, et sic bis judicat Deus in idipsum. Ad hoc dicunt quidam, quod parvum peccatum de se semel punitur, sed quod in inferno iterum punitur, hoc est per accidens. Sed si sic Deus punit bis in idipsum, Scriptura falsa erit, quod nefas est dicere. Et ideo tenendum est primum, scilicet quod intelligitur de peccatis per unam pœnam per se et per accidens sufficienter punitis. Et quod Hieronymus dicit de Sodomitis et pereuntibus in diluvio, antiqui dixerunt intelligi de his qui in ipsis pœnis instante hora mortis ingemuerunt de peccatis et sufficienter contriti sunt : illi enim æternaliter non sunt puniti.

10 Qualiter autem fiat consumptio, subdit per similitudinem :

« *Quia sicut spinæ se invicem complectuntur,* » hoc est, sicut spinæ complectuntur in fasciculos ad comburendum, « *sic convivium eorum,* » hoc est, convivantes, « *pariter potantium,* » supple, et epulantium : comedebant enim et bibebant securi de capienda civitate. « *Consumentur,* » hoc est, in nihilum deducentur. Matth. XIII, 30 : *Colligite primum zizania, et alligate ea in fasciculos ad comburendum.* De securitate autem, I ad Thessal. v, 3 : *Cum dixerint pax, et securitas : tunc repentinus eis superveniet interitus.* Matth. XXIV, 38 et 39 : *Sicut erant in diebus ante diluvium comedentes et bibentes, nubentes et nuptui tradentes, usque ad eum diem, quo intravit Noe in arcam, et non cognoverunt donec venit diluvium, et tulit omnes : ita erit et adventus Filii hominis.* « *Quasi stipula ariditate plena,* » id est, per ariditatem igni præparata. Isaiæ, I, 31 : *Erit fortitudo vestra ut favilla stuppæ, et opus vestrum quasi scintilla : et succendetur utrumque simul, et non erit qui exstinguat.* Igne enim infernali totus exercitus consumptus est usque ad ossa. Isa. IX, 5. *Erit in combustionem, et cibus ignis.*

Adventus Domini inopinatus erit

Et subdit causam : 11

« *Ex te* », supple, enim, o rex Assyriorum, « *exibit,* » a te scilicet missus Rapsaces, « *cogitans contra Dominum malitiam,* » hoc est, blasphemiam. Isaiæ, XXXVII, 23 : *Cui exprobrasti, et quem blasphemasti, et super quem exaltasti vocem, et levasti altitudinem oculorum tuorum? Ad sanctum Israel?* Hæc est malitia quæ non nisi ex radice mali procedit, et est peccatum in Spiritum sanctum, quod (sicut dicitur Matth. XII, 31, et Luc. XII, 10) non remittitur in hoc sæculo nec in futuro[1] : « *Mente pertractans prævaricationem* » hoc est, studiose pertractans

Blasphemia est peccatum in Spiritum sanctum.

[1] Matth. XII, 31 : *Ideo dico vobis : Omne peccatum et blasphemia remittetur hominibus, spiritus autem blasphemiæ non remittetur.* Cf. Marc. III, 28. Luc. XII, 10 : *Et omnis qui dicit verbum in Filium hominis remittetur illi : ei autem, qui in Spiritum sanctum blasphemaverit, non remittetur.*

qualiter populum prævaricari faciat, ut scilicet a Deo recedat, et regi Assyriorum se subdat, vel diabolo. Ad Galat. v, 7 et 8 : *Quis vos impedivit veritati non obedire ? Persuasio hæc non est ex eo qui vocat vos.*

12

Et subdit de ablatione præsumptionis ad resistendum :

« *Hæc dicit Dominus.* » Confirmatio est quod absque dubio erit. Numer. XXIII, 19 : *Non est Deus quasi homo, ut mentiatur.* « *Si perfecti fuerint,* » Assyrii scilicet, supple, arte pugnandi, viribus corporis, armis, numero militum, et ordinatione sive instructione acierum, « *et ita plures,* » supple, fuerint quam modo sunt, « *sic quoque* » in omnibus viribus suis « *attondentur,* » Angelo scilicet vastante. *Attondentur* autem dicit, quia solum caput evasit, exercitus autem totus qui sicut pilus capiti adhæret, attonsus est novacula, Angeli. Isaiæ, VII, 20 : *Radet Dominus in novacula conducta in his qui trans flumen sunt, in rege Assyriorum, capu et pilos pedum, et barbam universam.* « *Et pertransibit,* » Assyrius scilicet, ut de cætero non subsistat. Psal. XXXVI, 36 : *Transivi, et ecce non erat.* Hoc etiam de potestate dæmonis potest dici, vel de quolibet malo tortore. Psal. XC, 7 : *Cadent a latere tuo mille, et decem millia a dextris tuis.*

Et subdit de consolatione bonorum :

« *Afflixi te,* » scilicet in captivitate decem tribuum, vel in obsidione civitatis, vel in quacunque tentatione. « *Et non affligam te ultra,* » quia non consurget duplex tribulatio. Unde Luc. XVI, 25, dicitur de Lazaro qui recepit mala in vita sua, nunc vero consolatur. Joan. XVI, 20 : *Tristitia vestra vertetur in gaudium.* Tob. III, 21 et 22 : *Hoc autem pro certo habet omnis qui te colit, quod vita ejus, si in probatione fuerit, coronabitur : si autem in tribulatione fuerit, liberabitur : et si in correptione fuerit, ad misericordiam tuam venire licebit. Non enim delectaris in perditionibus nostris.*

« *Et,* » id est, quia « *nunc,* » supple, 13
sine mora, « *conteram virgam ejus,* » hoc est, potestatem percutiendi et affligendi, sive Assyrii, sive dæmonis, sive alterius tortoris. Isa. IX, 4 : *Jugum enim oneris ejus, et virgam humeri ejus, et sceptrum exactoris ejus superasti, sicut in die Madian.* « *De dorso tuo,* » ut scilicet non vapules virga sua amplius. Isa. XIV, 5 et 6 : *Contrivit Dominus baculum impiorum, virgam dominantium, cædentem populos in indignatione, plaga insanabili.* Et infra, ibidem, ỷ. 25 : *Sic eveniet ut conteram Assyrium in terra mea, et in montibus meis conculcem eum.* « *Et vincula tua disrumpam,* » hoc est, angarias et perangarias quibus te vinxit ad serviendum. Isa. XIV, 25 : *Auferetur ab eis jugum ejus, et onus illius ab humero eorum tolletur.* Psal. CXV, 16 et 17 : *Dirupisti vincula mea : tibi sacrificabo hostiam laudis.* Item, Psal. CXXIV, 3 : *Non relinquet Dominus virgam peccatorum super sortem justorum.*

« *Et,* » id est, quia « *præcipiet super* 14
te, » o Assur, « *Dominus* : » hoc est, solo præcepto te delebit, et verbo suæ virtutis. Sap. XVIII, 15 et 16 : *Omnipotens sermo tuus,* Domine, *de cælo, a regalibus sedibus,* supple, exsiliens, *durus debellator in mediam exterminii terram prosilivit, gladius acutus insimulatum imperium tuum portans, et stans, replevit omnia morte.* « *Non seminabitur ex nomine tuo amplius,* » o rex Assur, hoc est, semina tyrannidis tuæ et oppressionis ulterius non colliges, nec ministri tui nomine tuo præcepta tua seminabunt. Job, IV, 8 et 9 : *Vidi eos qui operantur iniquitatem, et seminant dolores, et metunt eos, flante Deo periisse, et spiritu iræ ejus esse consumptos.* Isa. XIV, 20 : *Non vocabitur in æternum semen pessi-*

morum. Et quod dicit, *non seminabitur*, impersonaliter legendum est, hoc est, seminatio ex nomine tuo non fiet.

Rex Assyriorum a filiis occiditur.

Et subdit de regis interfectione, qui tantum cum decem fugerat, et cum venisset in Niniven et adoraret in templo Nefroch, deum suum, gratias agens quod fugerat, tanta multitudine pereunte, Adramelech et Sarasar, filii ejus, percusserunt eum gladio[1]. Et hoc est quod hic dicitur : « *De domo dei tui interficiam*, » supple, te, « *sculptile, et conflatile*, » hoc est, templum sculptilis et conflatilis, « *ponam sepulcrum tuum.* » Isa. xxii, 18 : *Ibi morieris, et ibi erit currus gloriæ tuæ, ignominia domus Domini tui.* « *Quia inhonoratus es*, » hoc est, nullo honore dignus habitus es coram me scilicet, quod nec plangaris in exsequiis, nec honeste sepeliaris. Numer. xxiv, 11 : *Decreveram quidem magnifice honorare te, sed Dominus privavit te honore disposito.*

15 « *Ecce super montes.* » Tangit hic lætitiam ortam in populo de morte regis :

« *Ecce super montes*, » supple, jam videntur « *pedes evangelizantis*, » hoc est, bonum nuntiantis, « *et annuntiantis pacem*, » destructo scilicet vastatore, hoc est, per montes et valles videntur discurrere qui hoc annuntient. Jerem. li, 31 : *Currens obviam currenti veniet, et nuntius obvius nuntianti.* Isa. lii, 7 : *Quam pulchri sunt super montes pedes annuntiantis et prædicantis pacem !*

« *Celebra, Juda, festivitates tuas.* » Tangit hic quod dicitur, II Paral. xxxii, 1 et seq., quod sub Ezechia quartodecimo die mensis Aprilis festum Paschæ celebrare non poterant propter obsidionem. Interfecto autem exercitu quartodecimo die sequentis mensis, hoc est, Maii, præcepit Ezechias ut celebrarent secundum præceptum legis[2], et hoc nuntii Ezechiæ læta voce in populo nuntiaverunt. « *Juda*, » hoc est, duæ tribus, celebra festivitates tuas a Domino tibi ordinatas. Psal. cxvii, 27 : *Constituite diem solemnem in condensis, usque ad cornu altaris.* Item, Psalm. lxxv, 11 : *Reliquiæ cogitationis diem festum agent tibi.* « *Et redde vota tua*, » quæ scilicet in tribulatione vovisti. Jonæ, ii, 10 : *Ego autem in voce laudis immolabo tibi : quæcumque vovi, reddam pro salute Domino.* Psal. lxv, 13 et 14 : *Reddam tibi, Deus, vota mea, quæ distinxerunt labia mea.* « *Quia non adjiciet ultra*, » supple, sicut fecit, « *ut pertranseat in te*, » hoc est, in terra tua, « *Belial*, » quod *absque jugo*, vel *vastator* interpretatur, et significat dæmonem vel tyrannum Sanctos vastantem, et jugum Dei abjicientem. Isaiæ, lii, 1 : *Non adjiciet ultra ut pertranseat per te incircumcisus et immundus.* Matth. xvi, 18 : *Portæ inferi non prævalebunt adversus eam.* « *Universus interiit*, » supple, Belial. Exod. xiv, 28 : *Nec unus quidem superfuit ex eis.* Quod maxime completum est destructa Ninive per Chaldæos. Deuter. xxxiii, 27 : *Ejiciet a facie tua inimicum tuum, dicetque : Conterere.* Ad Roman. xvi, 20 : *Deus pacis conterat Satanam sub pedibus vestris velociter.*

[1] Cf. Isa. xxxvii, 38.

[2] Exod. xii, 18.

CAPUT II.

Obsidio Ninive ejusque a Chaldæis depopulatio, quia superbe egit contra populum Domini.

1. Ascendit qui dispergat coram te, qui custodiat obsidionem : contemplare viam, conforta lumbos, robora virtutem valde.

2. Quia reddidit Dominus superbiam Jacob, sicut superbiam Israel : quia vastores dissipaverunt eos, et propagines eorum corruperunt.

3. Clypeus fortium ejus ignitus, viri exercitus in coccineis : igneæ habenæ currus in die præparationis ejus, et agitatores consopiti sunt.

4. In itineribus conturbati sunt, quadrigæ collisæ sunt in plateis : adspectus eorum quasi lampades, quasi fulgura discurrentia.

5. Recordabitur fortium suorum, ruent in itineribus suis : velociter ascendent muros ejus, et præparabitur umbraculum.

6. Portæ fluviorum apertæ sunt, et templum ad solum dirutum.

7. Et miles captivus abductus est : et ancillæ ejus minabantur gementes ut columbæ, murmurantes in cordibus suis.

8. Et Ninive quasi piscina aquarum aquæ ejus : ipsi vero fugerunt. State, state! non est qui revertatur.

9. Diripite argentum, diripite aurum : et non est finis divitiarum ex omnibus vasis desiderabilibus.

10. Dissipata est, et scissa, et dilacerata : et cor tabescens, et dissolutio geniculorum, et defectio in cunctis renibus, et facies omnium eorum sicut nigredo ollæ.

11. Ubi est habitaculum leonum, et pascua catulorum leonum, ad quam ivit leo ut ingrederetur illuc, catulus leonis, et non est qui exterreat?

12. Leo cepit sufficienter catulis suis, et necavit leænis suis, et implevit præda speluncas suas, et cubile suum rapina.

13. Ecce ego ad te, dicit Dominus exercituum : et succendam usque ad fumum quadrigas tuas, et leunculos tuos comedet gladius, et exterminabo de terra prædam tuam, et non audietur ultra vox nuntiorum tuorum.

IN CAPUT II NAHUM

ENARRATIO.

« *Ascendit.* » Hic agit de destructione regni Assyriorum, et habet duas partes. Primo tangitur destructio in se : secundo, in comparatione ad causam, cap. III, 1, infra, ibi, « *Væ civitas sanguinum!* »

Prima in duas. Primo describit vastationem quantum ad terribilitatem hostis : secundo, quantum ad impotentiam resistendi impugnantibus, ibi, ỳ. 8 : « *State, state !* »

Prima harum in tres dividitur, in quarum prima describit obsidionem : secundo, invasionis terrorem, ibi, « *Clypeus fortium.* » Tertio, civitatis et populi captionem, ibi, « *Portæ fluviorum.* «

In prima tria sunt, obsidio scilicet civitatis, dissolutio civium, et causa mali meriti.

1 « *Ascendit,* » Nabuchodonosor scilicet vel diabolus. Jerem. XLIX, 19 : *Ecce quasi leo ascendet de superbia Jordanis ad pulchritudinem robustam : quia subito currere faciam eum ad illam.* Ninive interpretatur *speciosa*, et ideo robusta pulchritudo fuit. De ascensu autem diaboli super tentatum dicitur, Eccle. x, 4 : *Si spiritus potestatem habentis ascenderit super te, locum tuum ne dimiseris.* « *Qui dispergat coram te,* » villas scilicet, agros, et agricolas : sicut et dæmones spiritualia bona dispergunt. Isa. XXI, 2 : *Qui depopulator est, vastat.* Jerem. I, 10 : *Ut evellas, et destruas, et disperdas, et dissipes.* « *Qui custodiat obsidionem,* » hoc est, non tantum obsidet et recedit, sed custodit diu manens in obsidione : sicut et dæmones obsident hominem. Eccle. IX, 14 : *Civitas parva, et pauci in ea viri : venit contra eam rex fortis, et vallavit eam, exstruxitque munitiones per gyrum, et perfecta est obsidio.* Job, XIX, 12 : *Obsederunt in gyro tabernaculum meum.*

Et subdit de dissolutione obsessorum : « *Contemplare viam,* » o Ninive, per quam scilicet invadere possis hostem vel fugere. Jerem. VI, 16 : *State super vias, et videte, et interrogate de semitis antiquis, quæ sit via bona, et ambulate in ea.* Tobiæ, x, 7 : *Quotidie exsiliens circumspiciebat, et circuibat vias omnes, per quas spes remeandi videbatur.* « *Conforta lumbos.* » Irrisio est : dissolutio enim timidorum maxime in lumbis est, et tamen contra diabolum nimis valet confortatio lumborum. Ad Ephes. VI, 14 : *State succincti lumbos vestros in veritate.* Hieronymus : « Nihil ita confortat lumbos ut veritas : cognitio enim veritatis « delectationem lumborum mortificat. » Alia translatio : « Accinge lumbos, » hoc est restringe per castitatem. Gregorius : « Lumbos præcingimus, cum carnis concupiscentiam per continentiam coarctamus. » Job, XXXVIII, 3 : *Accinge sicut vir lumbos tuos.* Prov. XXXI, 17 : *Accinxit fortitudine lumbos suos, et roboravit brachium suum.* Et hoc est quod sequitur : « *Robora virtutem valde,* » congregando scilicet exercitum, et animando milites. Et quamvis irrisio sit ad Niniven, tamen bonum consilium est contra diabolum. Psal. XVII, 40 : *Et præcinxisti me virtute ad bellum, et supplantasti insurgentes in me subtus me.* I Machab. III, 58 : *Accingimini, et estote filii potentes.*

Veritati cognitio concupis centiam minuit.

Et subdit causam : 2

« *Quia reddidit Dominus,* » per condignam pœnam scilicet, « *superbiam Jacob :* » et est malum a superbia illatum Jacob a Sennacherib, rege Assyriorum, per hoc scilicet quod suos destruxit ante Jerusalem : Jacob autem dicit duas tribus. Isa. XXXIII, 14 : *Conterriti sunt in Sion peccatores, possedit timor hypocritas.* Et loquitur ad litteram de destructione a Sennacherib. Jacob, IV, 6 :

Deus superbis resistit[1]. Eccli. x, 18 : *Radices gentium superbarum arefecit Deus.* « *Sicut,* » supple, reddet « *superbiam Israel,* » hoc est, factam contra Israel, hoc est, decem tribus ad Assyriis. Jerem. II, 3 : *Sanctus Israel Domino, primitiæ frugum ejus : omnes qui devorant eum, delinquunt.* Psal. XXVII, 4 : *Da illis secundum opera eorum, et secundum nequitiam adinventionum ipsorum.* Isa. III, 11 : *Væ impio in malum ! retributio enim manuum ejus fiet ei.*

Quid autem fecerint in Jacob et in Israel, subdit : « *Quia vastatores,* » Assyrii scilicet, « *dissipaverunt eos,* » Jacob scilicet, et Israel. Jerem. L, 17 : *Primus comedit eum rex Assur : iste novissimus exossavit eum, Nabuchodonosor, rex Babylonis.* Isa. LII, 4 : *Assur absque ulla causa calumniatus est eum.* Jerem. IV, 20 : *Repente vastata sunt tabernacula mea, subito pelles meæ.* « *Et propagines eorum corruperunt.* » Loquitur ad modum vineæ succisæ, et *propagines* vocat familias et cognationis societates : quæ omnia succisa et corrupta sunt per captivitatem Assyriorum. Quod sub metaphora plangit, Psal. LXXIX, 14 : *Exterminavit eam aper de silva, et singularis ferus depastus est eam.* Isa. XVI, 8 : *Vineam Sabama domini gentium exciderunt : flagella ejus usque ad Jaser pervenerunt.*

3 « *Clypeus fortium.* » Describit hic terrorem invadentis hostis, et dicit tria : terrorem hostis, multitudinem, et velocitatem.

« *Clypeus fortium ejus,* » Babyloniorum scilicet, est « *ignitus.* » *Ignitum* vocat, quia propter peltas aureas circumpositas sole desuper insidente ignem clypeus videtur emittere. I Machab. VI, 39 : *Refulsit sol in clypeos aureos, et æreos : resplenduerunt montes ab eis.* Nihilominus tamen fortium clypeus Christi, verbum Dei est et fides. Proverb. XXX, 5 : *Omnis sermo Dei ignitus, clypeus est omnibus sperantibus in se.* Ad Ephes. VI, 16 : *In omnibus sumentes scutum fidei, in quo possitis omnia tela nequissimi ignea exstinguere.* « *Viri exercitus,* » Nabuchodonosor scilicet, « *in coccineis,* » supple, super arma sunt vestiti. Et dicit *viros,* quia viriles : *coccino* autem vestitos, ut notetur quod sitiunt sanguinem. Unde, Apoc. XVII, 4, 6, mulier quæ Babyloniam significat, vestita dicitur esse coccino, quia ebria erat de sanguine, sicut ibidem dicitur[2]. Deut. XXXIII, 24, 25 : *Tinget in sanguine*[3] *pedem suum. Ferrum et æs calceamentum ejus.* Ut dicit Vegetius in libro de *Re militari* : « Coccinis se vestiebant, ut adspectu ru- « bei acuerentur in prœlium. » I Machab. VI, 34 : *Elephantis ostenderunt sanguinem uvæ et mori, ad acuendos eos in prœlium.*

Verbum Domini clypeus est.

« *Igneæ habenæ currus,* » hoc est, curruum, in quibus scilicet arma et victualia portabantur, et in quibus falcatis quidam pugnabant : *habenas,* hoc est, lora quibus dirigebant tales currus colore aureo vestiebant, ut ipsi currus ad solem quasi ignem emittere viderentur ; et per hoc signaretur quod ex ira ignem spirarent in hostes. Simile, II Machab. IX, 7, de Antiocho, qui dicitur ignem animo spirasse in Judæos. De talibus dicitur, Osee, VII, 4 : *Omnes adulterantes, quasi clibanus succensus a coquente.* Job, XLI, 11 et 12, dicitur de Behemoth : *De naribus ejus procedit fumus... Halitus ejus prunas ardere facit, et flamma de ore ejus egreditur.* « *In die præparationis ejus.* » Sensus est, quod non subito ita terribilis factus est, sed a prima fundatione et præparatione ejus terribilis est : et ideo

[1] I Petr. v, 5.

[2] Apocal. XVII, 4, 6 : *Et mulier erat circumdata purpura, et coccino,* etc. *Et vidi mulierem ebriam de sanguine sanctorum, et de sanguine martyrum Jesu.*

[3] Vulg. habet, *in oleo.*

per antiquam experientiam bellator et vastator est. Unde, Genes. x, 9 et 10, dicitur, quod Nemrod qui cœpit robustus venator esse coram Domino, principium regni sui habuit Babylon.

Deinde facit apostrophen, convertens se ad Ninivitas : « *Et,* » id est, quia, « *agitatores,* » scilicet ejus, hoc est, Ninive, « *consopiti sunt.* » Ac si dicat : Non est mirum quod Babylonii veniunt, quia agitatores, hoc est, incitatores ad bellum Assyriorum consopiti sunt, temulenti, et ebrii, et viribus destituti. Jerem. xxv, 27 : *Bibite, et inebriamini, et vomite : et cadite, neque surgatis.*

4 Deinde redit ad descriptionem terroris ex multitudine :

« *In itineribus conturbati sunt,* » Babylonii scilicet præ multitudine exercitus : ita scilicet quod unus impedit alium, et mixtim feruntur : quilibet enim alium præcurrere nititur. Isa. v, 26 et 27 : *Ecce festinus velociter veniet. Non est deficiens, neque laborans in eo.* « *Quadrigæ collisæ sunt in plateis,* » hoc est, quamvis *platea* dicitur a Græco πλάτος [1], quod est *latum*, tamen tot erunt quadrigæ, quod una ad alteram collidetur in impetu veniendi. Simile, Exod. xiv, 7 : *Tulit Pharao sexcentos currus electos, et quidquid in Ægypto curruum fuit, et duces totius exercitus.* Psal. xix, 8 : *Hi in curribus, et hi in equis.* Isaiæ, v, 28 : *Ungulæ equorum ejus ut silex, et rotæ ejus quasi impetus tempestatis.* « *Adspectus eorum quasi lampades,* » hoc est, flammæ : λάμπας enim Græce, latine *flamma* dicitur. Hieronymus : « Ita ut inflammato vultu prius « terreant quam ense feriant. » Simile, Apoc. i, 14 : *Oculi ejus tamquam flamma ignis.* « *Quasi fulgura discurrentia.* » Hoc dicit, quia micabant arma hoste discurrente per homines quasi fulgura discurrentia : micabant enim arma, et tonabant increpationes, et minæ. Unde, Ezech. i, 13, ubi ferocitatem Chaldæorum describit, dicit : *Hæc erat visio discurrens in medio animalium, splendor ignis, et de igne fulgur egrediens.*

Plateæ.

Et, supple, tunc Assur 5

« *Recordabitur fortium suorum,* » ut scilicet animet eos ad resistendum, sed dicetur ei illud Amos, ii, 14 : *Fortis non obtinebit virtutem suam.* Et hoc est quod sequitur : « *Ruent in itineribus suis,* » fortes scilicet : tantum enim expavescent quod in ipso itinere quo fugient, cadent. Deuter. xxviii, 7 : *Dabit Dominus inimicos tuos, qui consurgunt adversum te, corruentes in conspectu tuo.*

« *Velociter ascendent muros ejus,* » Ninive scilicet. Et est duplex sensus, scilicet, vel cives campum relinquentes et infra muros Ninive conclusi, velociter ad defendendum ascendent muros : vel hostes exterius obsidentes, velociter ascendent murum ad capiendam civitatem. Isa. xxii, 5 : *Scrutans murum, et magnificus super montem,* supple, est inimicus. « *Et præparabitur umbraculum,* » tentoria scilicet, quæ militem ab ardore solis protegunt et a tempestate imbrium in longa obsidione. Simile, Isa. ii, 6 : *Tabernaculum erit in umbraculum diei ab æstu, et in securitatem, et absconsionem a turbine, et a pluvia.*

« *Portæ fluviorum.* » Tangit hic capturam civitatis.

« *Portæ fluviorum apertæ sunt.* » 6
Portæ fluviorum dicuntur portæ civitatis Ninive, per quas undatim sicut flumina quædam, multitudo populi consuevit ingredi et egredi. Simile, Isa. ii, 2 : *Fluent ad eum omnes gentes.* Hæ dicuntur *apertæ*, quia prostratis curribus quæ in porta erant, apertura muri libe-

[1] Vel melius a πλατύς, εῖα, ύ (πλατ. R.).

rum hosti dedit introitum. Thren. II, 7 : *Tradidit in manus inimici muros turrium ejus.* Et post pauca, ℣. 9 : *Defixæ sunt in terram portæ ejus perdidit et contrivit vectes ejus.* Job, XXX, 14 : *Quasi rupto muro, et aperta janua, irruerunt super me, et ad meas miserias devoluti sunt.* « *Et templum ad solum dirutum.* » Hieronymus dicit, quod « templum erat « regnum, eo qnod venerabatur ut tem« plum : » amen potest dici quod templumt ad litteram fuit templum Nefroch, quod Ninus in venerationem filii sui ædificaverat, quod per Chaldæos dirutum est. Simile fecit Jehu, IV Reg. x, 25 et seq., ubi interfectis sacerdotibus et prophetis Baal, destruxerunt quoque ædes Baal, et fecerunt inde latrinas usque in diem hanc.

7 « *Et miles,* » hoc est, militia Assyriorum, « *captivus abductus est,* » a Babyloniis scilicet. Simile, Thren. I, 6 : *Facti sunt principes ejus velut arietes non invenientes pascua, abierunt absque fortitudine ante faciem subsequentis.* « *Et ancillæ ejus :* » *Ancillas* vocat villas et oppida et castra subjecta Ninive, « *minabantur,* » supple, in captivitatem « *gementes ut columbæ,* » hoc est, sicut columba intra semetipsam sonat, et apertum sonum non emittit, ita et coram hoste intus gement, et aperte gemere non audebunt. Isa. XXXVIII, 14 : *Sicut pullus hirundinis sic clamabo, meditabor ut columba.* Et hoc est quod sequitur : « *Murmurantes in cordibus suis,* » ore scilicet gemere non audentes. Isa. LIX, 11 : *Rugiemus quasi ursi omnes, quasi columbæ meditantes gememus.*

8 « *Et Ninive,* » supple, in talibus malis erit, et est nominativus absolutus, « *quasi piscina aquarum aquæ ejus.* » Sensus est : *Aquæ ejus,* hoc est, voluptates in quibus rigata fuit, erunt sicut piscina aquarum. Donatus per antiphrasim dicit : « Piscina dicitur, eo quod mi- Piscina.
« nime habeat pisces. » Et est sensus, quod sicut in paludibus fluviales aquæ corruptæ sunt et amaræ, ita quod pisces nutrire non possunt : ita voluptates et divitiæ in amaritudinem convertentur, ita quod cives ad voluptates nutrire non possint. Isa. XIX, 7 et 8 : *Nudabitur alveus rivi a fonte suo : et omnis sementis irrigua siccabitur, arescet, et non erit. Et mœrebunt piscatores.* « *Ipsi vero fugerunt,* » scilicet Ninivitæ. Isa. XXII, 3 : *Cuncti principes tui fugerunt simul, dureque ligati sunt.* Hoc facile est exponere de impetu Domini venientis ad judicium damnationis mundi cum exercitibus sanctorum Angelorum, et dæmonum : et sufficiunt eædem auctoritates.

« *State, state !* » Tangit hic impotentiam resistendi. Et dividitur in partes tres, in quarum prima tangit impotentiam rebellandi : in secunda, insultationem, ibi, « *Ubi est habitaculum leonum?* » Tertio ostendit, quod hæc virtute Domini perficiuntur, ibi, « *Ecce ego ad te.* »

In prima tria sunt : irrisio scilicet, deprædatio, et resistendi impotentia.

« *State, state !* » Irrisio est, vel sicut dicit Glossa, « mater civitas, scilicet « Ninive, clamat ad filios, videns se esse « destitutam : *State, state,* ad defensionem « scilicet. » Et tunc est dictum gementis : mater enim gemuit non stantibus defensoribus. Malach. III, 2 : *Quis stabit ad videndum eum?* Josue, VII, 13 : *Anathema in medio tui est, Israel : non poteris stare coram hostibus tuis, donec deleatur ex te qui hoc contaminatus est scelere.* Bis autem dicit : *State ! state !* quia vidit cadentes per culpam, et cadentes per pœnam. Unde Dominus in Psal. XCIII, 16, clamat : *Quis consurget mihi adversus malignantes ? aut quis stabit mecum adversus operantes iniquitatem ?* Rarus enim est qui stet.

Et hoc est quod sequitur : « *Et non est qui revertatur,* » ad ducem scilicet,

aut vexillum ducis, cunctis fugientibus. Isa. xxii, 3 : *Cuncti principes tui fugerunt simul.* Contra hoc, II Paralip. xx, 17 : *Confidenter state, et videbitis auxilium Domini super vos.* Reverti enim est fugientem ad ducem faciem convertere. Cant. vi, 12 : *Revertere, revertere Sulamitis.*

9 Illis autem fugientibus, hostibus dat licentiam diripiendi.

« *Diripite argentum,* » ad litteram, « *diripite aurum* » quod pretiosius est. Prov. i, 13 : *Omnem pretiosam substantiam reperiemus, implebimus domos nostras spoliis.* « *Et,* » id est, quia « *non est finis divitiarum,* » quas, supple, ex avaritia congregavit. Eccle. v, 9 : *Avarus non implebitur pecunia,* « *Ex omnibus vasis desiderabilibus,* » quæ scilicet ad speciem anaglyphi sibi fecerant : vel *vasa* dicit thecas in quibus repositi thesauri erant. Hæc enim omnia Babylonii diripuerunt. Baruch, iii, 18 : *Qui argentum thesaurizant, et aurum, in quo confidunt homines, et non est finis acquisitionis eorum.* Glossa etiam dicit, quod, « per hoc quod dicitur : *Diripite aurum,* « intelligantur Prædicatores et Doctores, « qui aurum sapientiæ mundi et argentum eloquentiæ diripiunt, et in « thesauros Domini et Ecclesiæ convertunt. Et vasa desiderabilia sunt animæ virorum illustrium, quas diripiunt « Doctores, et templo Dei, hoc est, « Ecclesiæ consecrant eas, sicut fuit « Constantinus et Augustinus, et alii. » Propter quod dicitur, Eccli. l, 10 : *Quasi vas auri solidum, ornatum omni lapide pretioso.* Act. ix, 15 : *Vas electionis est mihi iste.*

10 Et subdit de impotentia resistendi : primo in civitate, secundo in hominibus.

« *Dissipata est,* » supple, civitas Ninive. Et est dissipatio per discordiam intestinam, hoc est, sepis munientis destructio, quæ fuit per fortes bellatores, sapientes consiliarios, Prælatos in unitate populum continentes. Isa. iii, 1, 2 : *Ecce Dominator, Dominus exercituum, auferet a Jerusalem et a Juda validum et fortem, omne robur panis, et omne robur aquæ : fortem, et virum bellatorem, judicem, et prophetam, et ariolum, et senem.* Et post pauca, ℣℣. 4 et 5 : *Et dabo pueros principes eorum, et effeminati dominabuntur eis : Et irruet populus, vir ad virum.* Isa. v, 5 : *Auferam sepem ejus, et erit in direptionem* « *Et scissa* » per sectas et inimicitias manifestas, quæ scissura signum est proximi interitus. Amos, vi, 12 : *Percutiet domum majorem ruinis, et domum minorem scissionibus.* Hoc enim in omni congregatione signum destructionis est. Matth. xii, 25 : *Omne regnum divisum contra se desolabitur : et omnis civitas, et domus divisa contra se non stabit* [1]. « *Et dilacerata.* » per bella scilicet intestina, quibus scilicet se invicem lacerabant : laceratio enim dilaniatio est, qua unus alium dilaniat. Unde, infra, iii, 1, dicitur : *Dilaceratione plena, non recedet a te rapina.* Job, xiii, 14 : *Quare lacero carnes meas dentibus meis ?* Zachar. xii, 3 : *Omnes qui levabunt eum, concisione lacerabuntur.* Hoc etiam in Ecclesia destructionis signum est : quia scilicet dissipati sunt per invidiam, scissi per discordias, dilacerati per advocatos in causas et contentiones. Psal. xxxiv, 16 : *Dissipati sunt, nec compuncti.* Scissio vero significatur, I Reg. xv, 28, ubi scissum est pallium Samuelis, apprehendente eum Saul. Et dixit Samuel : *Scidit Dominus regnum a te hodie, et tradidit illud proximo tuo meliori te.* Habacuc, i, 4, dicitur de dilaceratione : *Propter hoc lacerata est lex, et non pervenit ad finem judicium.*

Disc[...] inter[...] affert[...] publ[...]

[1] Cf. Luc. xi, 17 : *Omne regnum in seipsum divisum desolabitur, et domus supra domum cadet.*

Quia impius prævalet adversus justum, propterea egreditur judicium perversum.

Et subdit de destitutione hominum :

Lues. « *Et cor tabescens.* » Quod lues vel sanies est in vivo, sanguis scilicet putrefactus, hoc tabes est in mortuo, et significat destitutionem cordis moribundi et intra semetipsum jam putridi et destituti. Tabes. Psal. CXI, 10 : *Dentibus suis fremet, et tabescet : desiderium peccatorum peribit.* I Reg. II, 33 : *Ut deficiat et tabescat anima tua, et pars magna domus tuæ morietur.* Hoc enim primum est, quod cor destituitur, et pavore tabescit. Sap. XVI, 29 : *Ingrati spes tamquam hibernalis glacies tabescet, et disperiet tamquam aqua supervacua.* « *Et dissolutio geniculorum.* » Quando juncturæ corporis timore solvuntur, primum hoc apparet in tremore geniculorum, ita quod crura hominem continere non possunt, Isa. VIII, 22 : *Ecce... dissolutio et angustia,... et non poterit avolare de angustia sua.* Isti sunt claudicantes in duas partes, nescientes in qua stare velint, vel ad quid se tenere. III Reg. XVIII, 21 : *Usquequo claudicatis in duas partes ?* Ad Hebr. XII, 12 et 13 : *Remissas manus, et soluta genua erigite, et gressus rectos facite pedibus vestris.* « *Et defectio in cunctis renibus.* » *Renes* sunt in quibus superiora inferioribus colliguntur, et sunt loca delectationum. Et sensus est, quod deficiet delectatio in eis, litteraliter scilicet in Ninivitis, et moraliter in mundanis. Psal. LXXII, 21 et 22 : *Renes mei commutati sunt, et ego ad nihilum redactus sum.* Ideo dicitur de forti muliere, Prov. XXXI, 17 : *Accinxit fortitudine lumbos suos.* Exod. XII, 11 : *Renes vestros accingetis.* « *Et facies omnium eorum sicut nigredo ollæ,* » ex pallore scilicet in nigrorem conversa præ nimio timore. Thren. IV, 2 : *Quomodo reputati sunt in vasa testea, opus manuum figuli ?* Isa. XIII, 8 : *Facies combustæ vultus eorum.*

11 Et subdit de insultatione :

« *Ubi est habitaculum leonum ?* » *Habitaculum leonum* vocat Niniven, ubi oppressores et prædones habitabant. Ezech. XIX, 2 et 3 : *In medio leunculorum enutrivit catulos suos, et eduxit unum de leunculis suis, et leo factus est : et didicit capere prædam, hominemque comedere.* Psal. X secundum Hebræos, 9 : *Insidiatur in abscondito quasi leo in spelunca sua.* Quasi dicat : Dirutum est habitaculum. Matth. XXII, 7 : *Missis exercitibus suis, perdidit homicidas illos, et civitatem illorum succendit.* « *Et pascua catulorum leonum,* » supple, non sunt. *Catulos leonum* vocat cives civitatis, et officiatos regis : quia præda tunc periit ab eis, sicut a prædonibus Ecclesiæ, et a prædonibus mundi peribit. Job, IV, 10 et 11 : *Rugitus leonis, et vox leænæ, et dentes catulorum leonum contriti sunt. Tigris periit, eo quod non haberet prædam, et catuli leonis dissipati sunt.* Tunc enim fiet quod dicitur, Job, XX, 15 : *Divitias, quas devoravit, evomet, et de ventre illius extrahet eas Deus :* et bene dico, « *Ubi est.* » « *Ad quam ivit leo,* » Nabuchodonosor scilicet, vel diabolus, expugnandam scilicet, « *ut ingrederetur illuc,* » sine scilicet aliquo resistente. Jerem. IV, 7 : *Ascendit leo de cubili suo, et prædo gentium se levavit : egressus est de loco suo, ut ponat terram tuam in desolationem.* I Petr. V, 8 : *Adversarius vester diabolus, tamquam leo rugiens circuit, quærens quem devoret* : « *Catulus leonis,* » scilicet Holophernes, vel alius nuntius Nabuchodonosor, vel diaboli : cui qui se sibi leones esse videbantur, resistere non poterant. Unde Rapsaces, Isa. XXXVI, 9, dicit : *Quomodo sustinebitis faciem judicis unius loci ex servis domini mei minoribus ?* Et prosequitur metaphoram : « *Et non est qui exterreat,* » leonem scilicet. Genes. XLIX, 9 : *Requiescens accubuisti ut leo, et quasi leæna, quis suscitabit eum ?*

12 « *Leo cepit sufficienter catulis suis,* » hoc est, filiis suis. Spoliis enim aliorum filios ditavit. Proverb. xxviii,15 : *Leo rugiens, et ursus esuriens, princeps impius super populum pauperem.* Psal. xxi, 14 : *Aperuerunt super me os suum, sicut leo rapiens et rugiens.* « *Et necavit leænis suis,* » hoc est, uxoribus, vel principibus, vel civitatibus sibi subjectis. Eccli. xiii, 23 : *Venatio leonis, et onager in eremo : sic sunt pascua divitum, pauperes.* Et ad litteram loquitur de rapacibus Ecclesiæ et mundi. « *Et implevit præda speluncas suas,* » scilicet domos suas, et suorum. Proverb. i, 13 : *Implebimus domos nostras spoliis.* « *Et cubile suum,* » supple, implevit « *rapina.* » Isa. iii, 14 : *Rapina pauperis in domo vestra.* Isa. v, 19 : *Rugitus ejus ut leonis, rugiet ut catuli leonum : et frendet, et tenebit prædam : et amplexabitur, et non erit qui eruat.*

13 Et subdit quod hæc omnia virtute Domini fient :

« *Ecce ego ad te,* » hoc est, contra te, supple, convertar ut impugnem te, ut scilicet fortitudine mea fiat, quod manus ministri iniqui exsequitur. Eccli. xxxvi, 12 : *Contere caput principum inimicorum, dicentium : Non est alius præter nos.* Jerem. li,25 : *Ecce ego ad te, mons pestifer, ait Dominus, qui corrumpis universam terram : et extendam manum meam super te.* « *Dicit Dominus exercituum,* » cujus infinita potentia, et immutabilia sunt verba, qui determinat, quid faciendum per exercitum Angelorum bonorum, inclinat et instigat malos ad nocendum per exercitum dæmonum : et ideo ter dicitur, Isa. vi, 3 : *Sanctus, sanctus, sanctus Dominus Deus Sabaoth,* hoc est, exercituum. « *Et succendam usque ad summum*[1], » ut scilicet ab infimo usque ad summum nihil remaneat, « *quadrigas tuas,* » ad litteram, quæ victualia et arma portabant : quæ quadrigæ significant quatuor animi passiones inordinatas, timorem scilicet, et spem, et gaudium, et tristitiam, et (ut dicit Augustinus) consensum, opus, consuetudinem, et præsumptionem, vel desperationem. Illæ enim quadrigæ vel igne furoris Domini, vel igne charitatis succendendæ sunt. Hoc significatur, II Reg. viii, 4, ubi David equos Syriæ subnervavit, et currus igne combussit. « *Et leunculos tuos comedet gladius.* » *Leunculos* vocat audaces, qui se fortes reputabant : *gladium* vero ultionem sententiæ divinæ. I Reg. xvii, 36 : *Leonem, et ursum interfeci.* Job, xxix, 17 : *Conterebam molas iniqui, et de dentibus illius auferebam prædam.* De gladio, Isa. i, 20 : *Gladius,* scilicet meus, *devorabit vos.* « *Et exterminabo de terra prædam tuam,* » ne ultra scilicet alios prædari possis. Isa. xxxiii, 1 : *Væ qui prædaris, nonne et ipse prædaberis ?* Isa. xiv, 4 : *Quomodo cessavit exactor, quievit tributum ?* « *Et non audietur ultra,* » a regnis scilicet subjectis, « *vox nuntiorum tuorum,* » exigentium scilicet tributum. Job, xxxix, 7 : *Clamorem exactoris non audit.* Judith, i, 11 : *Omnes uno animo contradixerunt, et remiserunt eos vacuos, et sine honore abjecerunt.*

Dispositione divina cuncta geruntur.

[1] Vulg. habet, *usque ad fumum,* et fere idem est sensus.

CAPUT III.

Ninive urbs sanguinum sub nomine adulteræ vastanda prædicatur : quod exemplo Alexandriæ a Babyloniis devastatæ confirmatur : nec erit qui Ninive condoleat, aut eam consoletur super ipsius devastatione.

1. Væ, civitas sanguinum, universa mendacii dilaceratione plena [1] ! non recedet a te rapina.
2. Vox flagelli, et vox impetus rotæ, et equi frementis, et quadrigæ ferventis, et equitis ascendentis,
3. Et micantis gladii, et fulgurantis hastæ, et multitudinis interfectæ, et gravis ruinæ : nec est finis cadaverum, et corruent in corporibus suis.
4. Propter multitudinem fornicationum meretricis speciosæ, et gratæ, et habentis maleficia, quæ vendidit gentes in fornicationibus suis, et familias in maleficiis suis.
5. Ecce ego ad te, dicit Dominus exercituum, et revelabo pudenda tua in facie tua [2], et ostendam gentibus nuditatem tuam, et regnis ignominiam tuam.
6. Et projiciam super te abominationes, et contumeliis te afficiam, et ponam te in exemplum.
7. Et erit : Omnis qui viderit te, resiliet a te, et dicet : Vastata est Ninive. Quis commovebit super te caput? unde quæram consolatorem tibi?
8. Numquid melior es Alexandria populorum, quæ habitat in fluminibus? aquæ in circuitu ejus : cujus divitiæ, mare : aquæ, muri ejus.
9. Æthiopia fortitudo ejus, et Ægyptus, et non est finis : Africa et Libyes fuerunt in auxilio tuo.
10. Sed et ipsa in transmigrationem ducta est in captivitatem : parvuli ejus elisi sunt in capite omnium viarum, et super inclytos ejus miserunt sortem, et omnes optimates ejus confixi sunt in compedibus.
11. Et tu ergo inebriaberis, et eris despecta : et tu quæres auxilium ab inimico.
12. Omnes munitiones tuæ sicut ficus cum grossis suis : si concussæ fuerint, cadent in os comedentis.
13. Ecce populus tuus mulieres in medio tui : inimicis tuis adapertione pandentur portæ terræ tuæ, devorabit ignis vectes tuos.
14. Aquam propter obsidionem hauri tibi, exstrue munitiones tuas : intra in lutum, et calca, subigens tene laterem.
15. Ibi comedet te ignis, peribis gladio, devorabit te ut bruchus : congregare ut bruchus, multiplicare ut locusta.
16. Plures fecisti negotiationes tuas quam stellæ sint cœli : bruchus expansus est, et avolavit.
17. Custodes tui quasi locustæ, et parvuli tui quasi locustæ locustarum, quæ considunt in sepibus in die frigoris : sol ortus

[1] Ezech. XXIV, 9 : Habac. II, 12.

[2] Isa. XLVII, 3.

est, et avolaverunt, et non est cognitus locus earum ubi fuerint.

18. Dormitaverunt pastores tui, rex Assur : sepelientur principes tui, latitavit populus tuus in montibus et non est qui congreget.

19. Non est obscura contritio tua, pessima est plaga tua. Omnes qui audierunt auditionem tuam compresserunt manum super te : quia super quem non transiit malitia tua semper?

IN CAPUT III NAHUM

ENARRATIO.

« *Væ civitas sanguinum !* » Hic describitur captivitas in comparatione ad causam. Et dividitur in tres partes. Primo enim exaggerat pœnam per culpam. Secundo, ostendit destruibilitatem, et resistendi impotentiam, ibi, ℣. 8 : « *Numquid melior es ?* » Tertio, insultat jam destructæ, ibi, ℣. 14 : « *Aquam propter obsidionem.* »

In prima quatuor sunt paragraphi, in quorum primo exaggerat culpam, et maxime crudelitatis et idololatriæ. In secundo, determinat pœnam. In tertio ostendit, quod hæc pœna est per ultionem divinam. In quarto ostendit, quod propter abominationem non habebit consolationem humanam.

1 In primo duo sunt, scilicet peccatum exaggeratum, et signum.

« *Væ !* » temporalis scilicet pœnæ, et æternæ. Isa. I, 4 : *Væ genti peccatrici, populo gravi iniquitate !* « *Civitas sanguinum.* » Licet sanguis pluralem numerum non habeat secundum Grammaticos, tamen *sanguinum* dicit, ut significet quod multum et multis modis sanguinem fudit. IV Reg. XXIV, 4 : *Implevit Jerusalem cruore innocentium.* Psal. LXXVIII, 3 : *Effuderunt sanguinem eorum tamquam aquam in circuitu Jerusalem.* Multis modis etiam fudit, scilicet occidendo, et nutrimenta sanguinis diripiendo, pro pecunia prodendo, et injuste condemnando. II Reg. XVI, 7 : *Egredere, egredere, vir sanguinum, et vir Belial.* III Reg. XXI, 19 : *Occidisti, insuper et possedisti.* Psal. LIV, 24 : *Viri sanguinum, et dolosi non dimidiabunt dies suos.* Eccli. XXXIV, 25 : *Panis egentium vita pauperis est : qui defraudat illum, homo sanguinis est.* Osee, IV, 2 : *Sanguis sanguinem tetigit.* Sensus est : Væ tibi quæ civitas sanguinum es ! « *Universa mendacii,* » hoc est, mendacio et dolis dedita. Osee, XII, 1 : *Tota die mendacium, et vastitatem multiplicat.* Sap. I, 11 : *Os quod mentitur, occidit animam.* Dicitur autem *mendacium* falsa vocis significatio cum intentione fallendi. Et aliquando intentio fallendi refertur ad vocem tantum, ut scilicet aliud intelligatur quam significatur in voce : et tunc mendacium est vel libidinosum, vel jocosum. Aliquando refertur ad rem significatam, et hoc dupliciter : eo quod deceptio aliquando est ad profectum, aliquando ad nocumentum : si ad profectum, est mendacium officiosum ; si ad nocumentum, sic est perniciosum, et de hoc intelligitur. Et dicit *universa*, ut intelligatur, quod nullus in tanta multitudine fuit, propter quem tantæ civitati misericordia Dei parceret. Jerem. IX, 5 et 6 : *Docuerunt linguam suam loqui mendacium : ut inique agerent, laboraverunt. Habitatio tua in medio doli : in dolo renuerunt scire me, dicit Dominus.* Psal. V, 11 : *Linguis suis dolose agebant.* « *Dilaceratione plena* » dupliciter : activa scilicet, et materiali : activa, quia multos dilaceravit : materiali, quia quæ lacerando ab aliis distraxit ipsa possedit,

Mendacium multifariam dicitur.

et de his avaritiam suam implevit. Unde, Isa. xviii, 2, de Sanctis sustinentibus hæc dicuntur : *Ite, Angeli veloces, ad gentem convulsam, et dilaceratam.* Jerem. xxiii, 1 : *Væ pastoribus, qui dispergunt et dilacerant gregem pascuæ meæ !* « *Non recedet a te rapina.* » Vel interrogative, vel remissive potest legi. Et significat pertinaciam in malo. Et attendendum, quod quidam recedunt a peccato et sunt pœnitentes : et a quibusdam recedit peccatum, et sunt peccare impotentes. Avaritia vero peccatum est, quod nec recedit, nec ab ipso receditur : non recedit, quia senescente homine juvenescit avaritia ; ab ipso non receditur, quia lucrum continuum non satiat avaritiam, sed incitat. Eccle. v, 9 : *Avarus non implebitur pecunia.* Mich. vi, 10 : *Adhuc ignis in domo impii, thesauri iniquitatis.* Proverb. xxx, 16 : *Terra non satiatur aqua.* Propter hoc dicitur, Job, xviii, 9, de avaro, quod *exardescet contra eum sitis.*

Avaritiæ is inexplibilis.

2 Et subdit de signo, decem subjiciens signa :

« *Vox flagelli,* » hoc est, nihil auditur de Ninive nisi vox, quod flagellum sit pauperum. Isa. xxviii, 18 : *Flagellum inundans cum transierit, eritis ei in conculcationem.* Isa, xiv, 5 et 6 : *Contrivit Dominus baculum impiorum, virgam dominantium, cædentem populos in indignatione.* « *Et vox impetus rotæ,* » supple, auditur. Et per *rotam* intelligitur circuitus nuntiorum discurrentium per terras ad tributa colligenda. Isa. v, 28 : *Rotæ ejus quasi impetus tempestatis.* Hieronymus inducit hoc Psal. lxxvi, 19 : *Vox tonitrui tui in rota,* tonitruum vocans intonationes et comminationes populum pauperem ferientes. In qua rota adhuc ambulant officiati curiarum. Psal. xi, 9 : *In circuitu impii ambulant.* Job, i, 7 : *Circuivi terram, et perambulavi eam.* « *Et equi frementis,* » supple, auditur vox, hoc est, quod frementibus equis terram tibi subjicis, et duris ungulis conculcas. Habac. iii, 12 : *In fremitu conculcabis terram : in furore obstupefacies gentes.* Isa. v, 28 : *Ungulæ equorum ejus ut silex.* Hieronymus inducit illud Job, xxxix, 20 et 21 : *Gloria narium equi, terror. Terram ungula fodit.* Tali enim terrore quærit terrenum lucrum. « *Et quadrigæ ferventis,* » supple, vox auditur. Et *fervere* dicitur quadriga, propter velocitatem motus. Quadrigarum autem usus fuit ad portanda arma et victualia, his qui regi Assyriorum terras subjecerant. Exod. xiv, 6 et 7 : *Junxit ergo currum, et omnem populum suum assumpsit secum. Tulitque sexcentos currus electos, et quidquid in Ægypto curruum fuit.* Hæc dicitur *quadriga,* quia quatuor trahitur equis, et quatuor vehitur rotis. Equi sunt ambitio potestatis, libido dominandi, avaritia lucri, et crudelitas populi conterendi. De istis dicitur, Nahum, ii, 4 : *Quadrigæ collisæ sunt in plateis.* Unde, Judicum, v, 28, de Sisara interfecto dicitur : *Quare tardaverunt pedes quadrigarum illius ?* Quatuor rotæ sunt (ut dicit Hieronymus) quatuor inordinatæ passiones currum istum ferventer agitantes. Jerem. xlvii, 2 et 3 : *Clamabunt homines, ululabunt omnes habitatores terræ a strepitu pompæ armatorum, et bellatorum ejus, a commotione quadrigarum ejus, et multitudine rotarum illius.* « *Et equitis ascendentis,* » supple, vox auditur, quod scilicet mittit equites, qui violenter torqueant et homines concutiant. Hoc enim officium assumpserunt sibi milites. Unde et Joannes dixit eis, Luc. iii, 14 : *Neminem concutiatis, neque calumniam faciatis : et contenti estote stipendiis vestris.* De his dicitur, Exod. xiv, 28, quod mare operuit currus, et equites universi exercitus [1].

Quadriga.

[1] Exod. xiv, 28 : *Reversæque sunt aquæ, et operuerunt currus et equites cuncti exercitus Pharaonis, qui sequentes ingressi fuerant in mare : nec unus quidem superfuit ex eis.*

3 « *Et micantis gladii,* » supple, auditur vox, quod scilicet evaginato gladio terribiliter hominibus supervenit. Exod xv, 9 : *Evaginabo gladium meum, interficiet eos manus mea.* Ezech. xxi, 9 : *Gladius exacutus est, et limatus.* Ut cædat victimas, exacutus est : ut splendeat, limatus est. De hoc dicitur, Matth. xxvi, 52 : *Qui acceperint gladium, gladio peribunt.* « *Et fulgurantis hastæ,* » supple, auditur vox, hoc est, quod ira tua etiam distantes pungis. Hæc hasta dicitur *fulgurare,* quia non ex ratione, sed ex impetu pungit. Sap. v, 21 : *Acuet diram iram in lanceam.* Habac. iii, 11 : *Ibunt in splendore fulgurantis hastæ tuæ.* « *Et multitudinis interfectæ,* » supple, auditur vox, hoc est, vox vindictam expostulans in interfectores. Apoc. vi, 9 et 10 : *Vidi subtus altare animas interfectorum propter verbum Dei, et propter testimonium, quod habebant : et clamabant voce magna, dicentes : Usquequo, Domine (sanctus et verus) non judicas, et non vindicas sanguinem nostrum ?* Genes. iv, 10 : *Vox sanguinis fratris tui clamat ad me de terra.* « *Et gravis ruinæ,* » supple, auditur vox, quia scilicet te regnante et stante omnes ruunt. Daniel. v, 19 : Pater tuus, Nabuchodonosor... *quos volebat, interficiebat : et quos volebat, percutiebat.* Prov. xxviii, 12 : *Regnantibus impiis ruinæ hominum.* Unde, Isa. iii, 8, postquam de malitia principum dixit, subjunxit : *Jerusalem et Judas concidit.* Et paulo ante, ℣. 5 : *Irruet populus, vir ad virum, et unusquisque ad proximum suum.* « *Nec est finis cadaverum,* » hoc est, non ponis finem in occidendis. Habac. i, 17 : *Semper interficere gentes non parcet.* Sap. xviii, 16 : *Stans,* in terra scilicet, *replevit omnia morte.*

Et subdit de interminatione pœnæ pro his peccatis. Et est secundus paragraphus.

« *Et,* » supple, ideo « *corruent in corporibus suis,* » vel vitam corporalem amittendo, vel pro corporibus eorum quos occiderunt pœnam sustinendo. Dicit enim Hieronymus, quod « multa sunt peccata « etiam corpori nocentia, ut luxuria, « ebrietas. » Ad Roman. viii, 10 : *Corpus quidem mortuum est propter peccatum.*

Peccata quædam etiam corpori officiunt.

4 Et hoc est quod sequitur :

« *Propter multitudinem fornicatianum,* » spiritualium scilicet, et corporalium. I ad Corinth. vi, 18 : *Omne peccatum, quodcumque fecerit homo, extra corpus est : qui autem fornicatur, in corpus suum peccat.* Psal. lxxii, 27 : *Perdidisti omnes qui fornicantur abs te.* « *Meretricis.* » A *merendo* dicitur *meretrix,* eo quod omnia spe lucri temporalis faciat, sicut et isti : erant enim de illis, de quibus dicitur, Sap. xv, 12 : *Æstimaverunt conversationem vitæ,* hominis scilicet, *compositam esse ad lucrum, et oportere undecumque etiam ex malo acquirere.* « *Speciosæ,* » ut magis alliciat : delectabile enim speciosum magis tentat. Genes. iii, 6 : *Vidit igitur quod bonum esset lignum, ad vescendum, et pulchrum oculis, adspectuque delectabile.* « *Et gratæ,* » propter vehementiam scilicet delectationis. Et loquitur prosequens metaphoram meretricis, quarum una magis delectabilis est quam altera. II Petr. ii, 14 : *Oculos habentes plenos adulterii, et incessabilis delicti. Pellicientes animas instabiles.* » *Et habentis maleficia.* » Ad litteram, maleficos sive magos habebant, qui eos in errore detinebant, sicut et Pharao in Ægypto [1]. Tamen simile maleficio est delectatione libidinis, ambitione honoris, spe lucri temporalis, in peccatis homines detineri : propter quod Sanctis dicitur in Psal. lvii, 12 : *Quæ non exaudiet vocem incantantium, et venefici incantantis sapienter.* De malis autem, Isa. xlvii, 12 : *Sta cum incantatoribus tuis, et cum multitudine maleficorum tuorum, in quibus*

Meretrix

[1] Cf. Exod. vii, 11 et seq.

laborasti ab adolescentia tua, si forte quid prosit tibi. Nec tantum illiciebatur ad meretricium, sed etiam alios exposuit : « *Quæ vendidit gentes in fornicationibus suis,* » in omnibus enim gentibus, in quibus potestatem habuit, subjectos sibi spe lucri ad idololatriam exposuit : similiter in moribus subjectos sibi ad libidines excitavit. « *Et familias in maleficiis suis,* » supple, vendidit. *Familiæ* autem dicuntur domestici et propinqui. Hoc significatur, II Machab. IV, 12, ubi Simon gymnasium et ephebiam in Jerusalem constituit sub ipsa arce, et optimos quosque cepit epheborum in lupanaribus ponere [1]. Hoc expresse videmus in Prælatis Ecclesiarum, qui sibi subjectos verbo et exemplo inducunt ad libidines.

5 Et subdit in tertio paragrapho, quod hæc ultione divina perficientur :

« *Ecce ego ad te,* » supple, veniam, id est, contra te, « *dicit Dominus exercituum,* » ut scilicet virtute divina fiat, quod virtute humana non credis esse futurum. Jerem. XLIX, 19 : *Quis enim similis mei? et quis sustinebit me? et quis est iste pastor, qui resistat vultui meo?* « *Et revelabo pudenda tua,* » hoc est, de quibus verecundaris, nuditatem scilicet, et paupertatem, et infirmitatem : auxilio enim divino destitutus et gratia, et pauper, et nudus et infirmus est. Ezech. XVI, 37 : *Nudabo ignominiam tuam coram eis, et videbunt omnem turpitudinem tuam.* « *In facie tua,* » ut scilicet et tu videas quæ ante videre nolebas. Psal. XLIX, 21 : *Arguam te, et statuam contra faciem tuam.* « *Et ostendam Gentibus nuditatem tuam,* » ut omnes scilicet videant quam turpitudinem imitantes in te decepti sunt. Turpiter enim deceptus est, qui fallaci specie mulieris, vel delectatione gulæ, vel pretio nummi deceptus est. Eccli. XXXVI, 2 : *Alleva manum tuam super gentes alienas, ut videant potentiam tuam.* « *Et regnis ignominiam tuam,* » supple, ostendam. Ignominia est quod propter sui abominationem et turpitudinem gnostica virtus, hoc est, cognoscitiva refugit accipere. Ad Roman. I, 26 : *Tradidit illos Deus in passiones ignominiæ.* Psal. LXXXII, 17 : *Imple facies eorum ignominia.* Regna autem majora sunt quam gentes, quia unum regnum multas gentes continet. Et est sensus, quod omnibus, bonis et malis, ignominia peccatorum ostendetur. Ezech. XVI, 22 : *Eras nuda, et ignominia plena.*

« *Et projiciam super te,* » sicut onus 6
scilicet, « *abominationes,* » quas scilicet fecisti, ut in pœna sentias, quod in culpa cognoscere nolebas. Ezech. XVI, 51 et 52 : *Justificasti sorores tuas in omnibus abominationibus tuis, quas operata es. Ergo et tu porta confusionem tuam. Abominatio* autem dicitur peccatum, quod propter sui immunditiam naturæ humanæ resistit. Ad Roman. I, 26 : *Tradidit illos Deus in passiones ignominiæ.* Psal. LII, 2 : *Abominabiles facti sunt* [2]. « *Et contumeliis te afficiam,* » hoc est, doloribus te afficiam pro contumeliosis peccatis. Sap. IV, 18 et 19 : *Illos autem Dominus irridebit : et erunt post hoc decidentes sine honore, et in contumelia inter mortuos in perpetuum.* « *Et ponam te in exemplum,* » ut omnes scilicet suæ correctionis in te exemplum recipiant : quia ad alios corrigi nolebas, quos pro peccatis punivi. Ptolomæus in *Proverbiis :* « Qui ad alios non corrigitur, « alii corrigentur ad ipsum. » Deut. XXIX, 23 : *Ponet te in exemplum subversionis Sodomæ et Gomorrhæ.* II Paralip. VII, 20 : *Tradam eam in parabolam, et in exemplum cunctis populis.*

Abominatio.

Alienis malis corrigi nolle, periculosum est.

[1] II Machab. IV, 12 : *Ausus est* Simon *sub ipsa arce gymnasium constituere, et optimos quosque epheborum in lupanaribus ponere.*

[2] Idem, Isa. LIX, 2 et seq.

7 Et subdit in quarto paragrapho, quod non habebit consolatorem :

« *Et erit.* » Confirmatio prophetalis est : est enim vice adverbii confirmandi, sicut et in Evangelio legitur vel ponitur, Amen. I Reg. IX, 6 : *Omne, quod loquitur, absque ambiguitate venit.* « *Omnis qui viderit te,* » supple, sic condemnatam, et depopulatam, et deturpatam, « *resiliet a te,* » hoc est, compassionem retrahet, sciens quod juste condemnata es. Luc. XVI, 26 : *Inter nos et vos chaos magnum firmatum est : ut hi, qui volunt illuc transire ad vos, non possint, neque inde huc transmeare.* Thren. I, 2 : *Non est qui consoletur eam ex omnibus charis ejus.* « *Et dicet,* » cum magno gaudio unus alteri : « *Vastata est Ninive.* » Jerem. LI, 31 : *Currens obviam currenti veniet : et nuntius obvius nuntianti, ut annuntiet regi Babylonis quia capta est civitas ejus a summo usque ad summum.* Et sic lætitia Sanctorum erit in destructione mundi. « *Quis commovebit super te caput ?* » Compatientium signum est caput movere ad tribulatum. Job, XVI, 4 et 5 : *Utinam esset anima vestra pro anima mea : consolarer et ego vos sermonibus, et moverem caput meum super vos.* Hieronymus : « Quis tuus poterit esse consolator, qui « in tua potestate nullius miserebaris ? » Costabenluce in libro de *Spiritu et Anima* dicit, quod « homo in angustia vel « dubio constitutus movet caput ut facilius spiritus transeat ad logisticam, « hoc est, cellam rationis, quo melius videat effugium vel medium evasionis. » Et hoc est quod sequitur : « *Unde quæram consolatorem tibi ?* » Quasi dicat : Quæ omnes offendisti, nullum habebis consolatorem. Thren. I, 9 : *Deposita est vehementer, non habens consolatorem.* Et, ibidem, ℣. 16 : *Idcirco ego plorans, et oculus meus deducens aquas : quia longe factus est a me consolator, convertens animam meam.*

8 « *Numquid melior es ?* » Hic ostendit, quod Ninive destructioni resistere non possit, et argumentatur per locum a majori. Magis enim videbatur quod Alexandria resistere posset loci munitione et bellatorum multitudine quam Ninive, et resistere non potuit quin caperetur a rege Babylonico : ergo et Ninive capietur. In hac ratione tria facit. Primo enim ostendit, quod Alexandria magis parata fuit ad resistendum, et non restitit. Secundo concludit, quod minime resistet, ibi, « *Et tu ergo inebriaberis* .» Tertio, consequentiæ ostendit rationem, ibi, « *Ecce populus tuus.* »

In primo duo sunt. Primo enim ostendit quod munita Alexandria fuerit. Secundo, quod capta sit, ibi, « *Sed et ipsa in transmigrationem.* »

In prima tria sunt. In primo facit quæstionem de comparatione civitatum Alexandriæ et Ninive. Secundo, Alexandriæ ostendit munitionem ex situs firmitate. Tertio, fortitudinem ex adjutorum et bellatorum multitudine.

« *Numquid melior es Alexandria ?* » Objectio est contra litteram : quia temporibus Prophetæ nulla fuit Alexandria, quæ postea destructo regno Medorum ab Alexandro Macedone, *Alexandria* dicta est. Unde translatio Hieronymi habet sic : « Numquid melior es ab Amon « in fluminibus. » Septuaginta sic : « Apta corda, pars Amon qui habi- « tas in fluminibus. » Hieronymus : « Hebræus qui me in Scripturis erudivit, « hanc litteram ita legi posse asseruit : « Numquid melior es quam No Amon ? « Et ait hebraice dici No Alexandriam : « Amon autem multitudinem sive popu- « los, et esse ordinem lectionis : Num- « quid melior est Alexandria populosa « sive populorum ? » Ad objectionem ergo dicendum est, quod temporibus Prophetæ non dicebatur, sed postea a translatoribus (quia nomen ejus mutatum fuerat) Alexandria nominata est, ut noto nomine, melius intelligeretur. *No* enim nomen antiquum a memoria exciderat.

« *Numquid melior es* » (o Ninive) « *Alexandria populorum?* » hoc est, populosa. Quasi dicat : Non es. Si enim propter multitudinem parcendum est, illa populosior est : et cum illi non sit parcitum, nec tibi parcetur. Ad Roman. xi, 20 et 21 : *Noli altum sapere, sed time. Si enim Deus naturalibus ramis non pepercit, ne forte nec tibi parcat.* Ad Hebr. ii, 23 : *Si inobedientia accepit justam mercedis retributionem : quomodo nos effugiemus, si tantam neglexerimus salutem?* Simile est, Isa. xx, 6, ubi destructa Ægypto et Alexandria, dixerunt Judæi : *Ecce hæc erat spes nostra, ad quos confugimus in auxilium, ut liberarent nos a facie regis Assyriorum : et quo modo effugere poterimus nos?* Destructo enim potentiore, de resistentia desperat infirmior. Et subjungit de munitione loci : « *Quæ habitat in fluminibus.* » Hieronymus : « In una « parte super Nilum, rivum Ægypti : « in secunda munitur lacu Mareotico : « in tertia et quarta cingitur Mari Rubro, et sic in fluminibus undique af« fluentibus habitat. » Unde, Ezech. xxix, 3, de rege Ægypti dicitur : *Draco magne, qui cubas in medio fluminum tuorum, et dicis : Meus est fluvius.* No autem sive Alexandria, metropolis fuit Ægypti. « *Aquæ in circuitu ejus,* » supple, sunt munientes eam, scilicet Nilus et Mareoticus lacus, et Mare Rubrum. Ezech. xxvii, 32 et 33 : *Quæ est ut Tyrus, quæ obmutuit in medio maris? quæ in exitu negotiationum tuarum de mari implesti populos multos.* Et hoc est quod sequitur : « *Cujus divitiæ, mare.* » Navigationibus enim mercatorum impleta fuit multis divitiis, sicut Tyrus[1]. Deuter. xxx, 19 : *Inundationem maris quasi lac sugent, et thesauros occultissimos arenarum.* « *Aquæ, muri ejus,* » hoc est, pro muro sunt ei. Exod. xiv, 22 : *Erat aqua quasi murus a dextra eorum et læva.* Dives ergo erat et munita.

...atores ... manet ...reptio.

...xandria ...dique ...s cingi-...ur.

Et subdit de adjutoribus et numero 9
bellatorum :

« *Æthiopia fortitudo ejus,* » hoc est, adjutrix ei confortans eam, « *et Ægyptus,* » supple, fortitudo ejus fuit. Et ne parum hoc videatur, addit : « *Et non est finis,* » supple, adjutorum ex Æthiopia et Ægypto venientium. Isaiæ, ii, 8 : *Repleta est terra ejus equis, et innumerabiles quadrigæ ejus.* « *Africa,* » hoc est, Africani, « *et Libyes,* » hoc est de Libya venientes, « *fuerunt in auxilio tuo,* » supple, o Alexandria.

Alexandria imago est mundi.

Istud facile est exponere de habitantibus in mundo. Illi enim Alexandria volunt esse in mundo, scilicet lucere. Alexandria enim interpretatur *tenebrarum angustias auferens :* isti enim nullas angustias sustinere volunt. Et populosa est ista Alexandria : multi enim sunt qui in talibus gaudent, contra quod dicitur, Job, xxxi, 26 et 27 : *Si vidi solem cum fulgeret, et lunam incedentem clare : et lætatum est in abscondito cor meum.* Et in Psal. lv, 4 : *Ab altitudine diei timebo.* Timendum enim est, quando lux prosperitatis exaltatur. Hi habitant in fluminibus, hoc est, in affluentiis vanitatis et delectationis, quæ sunt flumina Babylonis, super quæ Sancti plorant. Psal. cxxxvi, 1 : *Super flumina Babylonis, illic sedimus et flevimus.* In hæc flumina (ut dicit Hieronymus) Pharao, rex Ægypti, qui diabolum significat, omne masculinum Hebræorum precipitari fecit[1]. Masculinum enim Hebræorum perfectum est in Sanctis, quod diabolus dicitur trahere ad delicias et vanitates. Hi aquis se muniunt, hoc est, affluentibus divitiis. Psal. lxi, 11 : *Divitiæ si affluant, nolite cor apponere.* Horum fortitudo Æthiopia est, et Ægyptus. Ægyptus enim *mœror,* Æthiopia *tenebrosa* interpretatur. In obscuris enim peccatis vivere cupiunt, quæ ad mœrorem æternum inducunt. Sap. xvii, 2 : *Vinculis tenebrarum*

Ægyptus. Æthiopia.

[1] Cf. Ezech. xxvii, 1 et seq. ad finem.

[2] Cf. Exod. i, 16 et seq.

et longæ noctis compediti, inclusi sub tectis. Horum non est finis. Eccle. I, 15 : *Stultorum infinitus est numerus.* Horum auxiliatores sunt Africa, quæ *fertilis* interpretatur, et Libya, quæ *introiens* et *veniens* interpretatur : quia fertilitas rediviva et semper veniens nutrit in deliciis. Jerem. XLVIII, 11 : *Fertilis fuit Moab ab adolescentia sua, et requievit in fæcibus suis.* Hieronymus hæc exponit de Ecclesia, quæ tenebras excludit per lumen doctrinæ. Sapient. XVIII, 1 : *Sanctis tuis maxima erat lux.* Quæ in fluminibus gratiarum habitat. Joan. VII, 38 : *Qui credit in me, sicut dicit Scriptura, flumina de ventre ejus fluent aquæ vivæ.* Aqua in circuitu, expiationes significat sacramentorum. Ezech. XXXVI, 25 : *Effundam super vos aquam mundam.* Hujus divitiæ mare, hoc est, amaritudo pœnitentiæ et tribulationis, quæ divites faciunt in virtute. II ad Corinthios, XII, 9 : *Libenter gloriabor in infirmitatibus meis, ut inhabitet in me virtus Christi.* Eccli. XLIV, 3 : *Homines magni virtute, et prudentia sua præditi.* Et, ibidem, ℣. 6 : *Homines divites in virtute, pulchritudinis studium habentes.* Aquæ muri ejus, quia tribulatione munitam et tutam reddunt Ecclesiam. Genes. VII, 17 : *Aquæ elevaverunt arcam in sublime a terra.* Æthiopia fortitudo ejus, hoc est, tenebrosi peccatores ad Ecclesiam conversi. Et Ægyptus, hoc est, de mœrore sæculi ad sinum Ecclesiæ conversi. Psal. LXVII, 32 : *Venient legati ex Ægypto : Æthiopia præveniet manus ejus Deo.* Africa et Libya auxiliantur ei, hoc est, fertiles in virtute, et nova devotione semper venientes et introeuntes. Isa. LX, 3 : *Ambulabunt Gentes in lumine tuo.* Et, post pauca, ℣. 5 : *Videbis, et afflues, mirabitur et dilatabitur cor tuum, quando conversa fuerit ad te multitudo maris, fortitudo Gentium venerit tibi.*

Africa.

Et subdit, quod hæc talis et tanta captivata sit : 10

« *Sed et ipsa in transmigrationem,* » qua scilicet de patria in exsilium migravit, « *ducta est in captivitatem.* « In patria enim captivatum esse grave est, et multo gravius est esse in exsilio captivum. Et hoc est quod in transmigratione prima, qua transmigravit de terra sua, postea durius ducta est in captivitatem ; sicut et homo spiritualiter per amissionem gratiæ migrat de Ecclesia, et postea a diabolo captivatur, ut quasi vinculis trahatur ad omnem suam voluntatem. Thren. I, 3 : *Migravit Judas propter afflictionem, et multitudinem servitutis : habitavit inter Gentes,* hoc est, gentilem conversationem imitantes, *nec invenit requiem.* Ezech. XII, 11 : *In transmigrationem et in captivitatem ibunt.*

Quam fœde autem in captivitate tractentur, subdit : « *Parvuli ejus,* » hoc est, Alexandriæ, « *elisi sunt,* » hoc est, ad lapides et ligna elidendi trucidati, « *in capite omnium viarum,* » hoc est, in omnibus compitis. Hieronymus : « Quia cum pede sequi non possent « recedentes, ne vivi remanerent, in « compitis ab hostibus elisi sunt : et « si prægnantes fuerunt, scissæ sunt. » IV Reg. VIII, 12 : *Civitates eorum munitas igne succendes, et juvenes eorum interficies gladio, et parvulos eorum elides, et prægnantes divides.* Dicit autem, quod hoc factum est *in compitis,* hoc est, ubi via patriæ a via exsilii dividebatur. « *Et super inclytos ejus,* » illustres scilicet et divites, « *miserunt sortem,* » quis quem haberet captivum. Marc. XV, 24 : *Mittentes sortem super eis, quis quid tolleret.* « *Et omnes optimates ejus,* » hoc est, principes sine distinctione, « *confixi sunt,* » hoc est, simul fixi sive ligati, « *in compedibus,* » ut scilicet nullus evaderet. Psal. CXLIX, 8 : *Ad alligandos reges eorum in compedibus, et nobiles eorum in manicis ferreis.* Ultioni enim

divinæ nihil resistere potest. Ad Roman. IX, 19 : *Voluntati ejus quis resistit ?*

Et attende, quod hoc onus super Alexandriam sub typo Ægypti (cujus metropolis fuit Alexandria) describunt Isaias, XVIII, XIX et XX, et Jeremias, XLV, et Ezechiel, XXIX, XXX, XXXI et XXXII. Hieronymus dicit, quod « etiam « inclyti de Ecclesia transmigrantes a « gratia in captivitatem diaboli detine- « buntur, et sortem mittent dæmones « quis quem tollet, unum scilicet ad « fornicandum, alium ad avaritiam, « alium ad superbiam, et sic de aliis, et « optimates, hoc est, præcipui in pec- « catis per consuetudinem peccandi, « quasi compedibus duræ necessitatis « ad voluntatem diaboli ligati sunt. » Isa. XXII, 3 : *Cuncti principes tui fugerunt simul, dureque ligati sunt.*

ecator ncipium dæmo- nis.

11 Et ex his arguit, subdens :

« *Et tu ergo inebriaberis,* » calice scilicet iræ Dei. *Inebriatio* autem notat pœnæ multitudinem, et ad intima transeuntem, et ad tantam angustiam perducentem quod sensum rationis avertat. Thren. III, 15 : *Replevit me amaritudinibus, inebriavit me absinthio.* Jerem. XXV, 27 : *Bibite, et inebriamini, et vomite : et cadite, neque surgatis a facie gladii, quem ego mittam inter vos.* « *Et eris despecta,* » quæ modo inclyta es. Abdiæ, ℣. 2 : *Ecce parvulum dedi te in Gentibus : contemptibilis tu es valde.*

Quantum autem dejecta sit, subdit : « *Et,* » id est, quia « *tu quæres auxilium ab inimico.* » *Auxilium* vocat vitæ sustentationem, quam a Babyloniis cogentur mendicare. Vel, auxilium vocat, quia alios invocabunt ad auxilium contra Babylonios, et non invenient. Thren. IV, 17 : *Defecerunt oculi nostri ad auxilium nostrum vanum, cum respiceremus attenti ad gentem, quæ salvare,* nos scilicet, *non poterat.*

Quam facile autem capienda sit, subdit : 12

« *Omnes munitiones tuæ,* hoc est, nobilitas, divitiæ, amici, in quibus te munitam esse confidis, supple, sunt « *sicut ficus cum grossis suis,* » qui propter raritatem plus desiderantur, et citius excutiuntur : et ita tuæ munitiones plus desideratæ ab hostibus facile capientur. Unde, Judicum, IX, 11, dicit ficus : *Numquid possum deserere dulcedinem meam, fructusque suavissimos ?* Mich. VII, 1 : *Præcoquas ficus desideravit anima mea.* Et subdit quam facile cadunt quo magis ab hostibus desiderantur : « *Si concussæ fuerint,* » tempestate scilicet invadentis hostis, « *cadent in os comedentis,* » sive devorantis hostis, scilicet qui aviditate prædæ dentes exacuit ad devorandum. Apocal. VI, 13 : *Stellæ de cœlo ceciderunt super terram, sicut ficus emittit grossos suos, cum a vento magno movetur.*

Hoc autem ostendit, subdens : 13

« *Ecce populus tuus, mulieres,* » hoc est, ut effœminati sunt, nihil virilitatis habentes respectu Alexandrinorum, « *in medio tui,* » ubi fortior esse deberet. Isa. III, 4 : *Dabo pueros principes eorum, et effœminati dominabuntur eis.* Supple, et ideo, « *inimicis tuis,* » supple hominibus, et dæmonibus, « *adapertione pandentur,* » ut undique possint ingredi, « *portæ terræ tuæ,* » hoc est, omnium civitatum quæ sunt in terra vestra. Jerem. IX, 21 : *Ascendit mors per fenestras nostras, ingressa est domos nostras.* « *Devorabit ignis,* » libidinis quidem in peccatis, et iræ Dei in pœnis, « *vectes tuos,* » hoc est, Prælatos qui repagula contra hostes esse deberent. Isa. XLV, 2 : *Portas æreas conteram, et vectes ferreos confringam.* Prælatus præceptis et comminationibus sonans, ostium æreum est : officio autem, quod tamen non exercet, vectis ferreus est, præcipue quando rigidus et in-

flexibilis est. Psal. cvi, 16 : *Contrivit portas æreas, et vectes ferreos confregit.*

14 « *Aquam.* » Hic quasi captam deridet Niniven. Et habet duas partes. Primo enim insultat civitati, et postea regi, ibi, « *Dormitaverunt pastores tui.* »

In primo duo sunt. Insultat enim civitati quantum ad munimenta ædificiorum, et quantum ad congregationes bellatorum, ibi, « *Congregare ut bruchus.* »

« *Aquam propter obsidionem hauri tibi* : » ne scilicet potus desit hominibus et animalibus obsessis. Simile, Isa. xxii, 11 : *Lacum fecistis inter duos muros ad aquam piscinæ veteris,* supple, congregandam. Simile, Isa. vii,3, ubi dicitur, quod Achaz erat ad extremum aquæductus piscinæ superioris. Considerabat enim qualiter piscina superior civitati influens, abundantiam aquæ præberet civitati obsessæ. « *Exstrue munitiones tuas,* » in turribus scilicet et pinnis muri, et propugnaculis, ut scilicet hosti resistere possint, et tu in pace intus reserveris. Psal. cxxi, 7 : *Fiat pax in virtute tua, et abundantia in turribus tuis.* Isa. v, 2 : *Ædificavit turrim in medio ejus.* Cantic. iv, 4 : *Sicut turris David collum tuum, quæ ædificata est cum propugnaculis* : *mille clypei pendent ex ea, omnis armatura fortium.*

Qualiter autem hoc facere possit, subdit : « *Intra in lutum,* » ex quo scilicet fiunt lateres, « *et calca,* » hoc est, commisce et apta lutum ut glutinosum et tenax sit, « *subigens,* » hoc est, magnus in partes luti subinferens, « *tene* » hoc est, comprehende « *laterem,* » hoc est, lutum formatum in laterem, ex quo scilicet ruinosa murorum reparare possis. Genes. xi, 3 : *Habueruntque lateres pro saxis, et bitumen pro cæmento.* Isa. xvi, 7 : *His, qui lætantur super muro cocti lateris, loquimini plagas suas.*

Et innuens quod irrisio sit, scilicet ac si dicat, Cum hæc omnia feceris, nihil valebit, subdit : 15

« *Ibi,* » hoc est, in illis munitionibus, « *comedet te,* » hoc est, devorabit te, « *ignis,* » scilicet iræ Dei, et Nabuchodonosor. Deuter. xxxii, 22 : *Ignis succensus est in furore meo, et ardebit usque ad inferni novissima : devorabitque terram cum germine suo.* Simile, Thren. ii, 3 : *Succendit in Jacob quasi ignem flammæ devorantis in gyro.* « *Peribis,* » in corpore scilicet, « *gladio,* » regi scilicet Babylonis. Job, xix, 29 : *Fugite a facie gladii, quoniam ultor iniquitatum gladius est.*

Et modum devorandi subdit : « *Devorabit te ut bruchus.* » Hieronymus : « Sicut humus a brucho, ita in gladio « furentis exercitus devoraberis. » Bruchus enim nihil relinquit viroris. Isa. i, 20 : *Gladius devorabit vos, quia os Domini locutum est.* Deuter. xxxii, 41 : *Si acuero ut fulgur gladium meum, et arripuerit judicium manus mea : reddam ultionem hostibus meis.* Hieronymus dicit, quod « hæc spiritualiter « miseræ animæ dicuntur, cui propter « obsidionem tentationum a diabolo « emissarum, aqua Scripturæ haurienda est. » Genes. xxiv, 43 : *Da mihi pauxillum aquæ ad bibendum ex hydria tua.* Hydria enim hauritur aqua, et significat studium Scripturarum.

Peccatri animæ q sint neci saria ?

In lutum per propriæ utilitatis considerationem intrandum est. Job, x, 9 : *Memento, quæso, quod sicut lutum feceris me, in pulverem reduces me.* Lutum hoc calcandum est per castigationem carnis. I ad Corinthios, ix, 27 : *Castigo corpus meum, et in servitutem redigo.* Manus huic luto subigenda est ut formetur ad virtutem. Job, x, 8 : *Manus tuæ fecerunt me, et plasmaverunt me totum in circuitu.* Later corporis tenendus et restringendus est, ne lubricitate et mollitie fluat in vitia. Psal. xxxi, 9 : *In camo et fræno maxillas eorum constringe, qui non approximant ad te.*

Et nisi hæc fiant, gladius ultionis divinæ devorabit eam, ut bruchus, qui significat vermem conscientiæ.

Et subdit de irrisione quantum ad congregationem bellatorum : « *Congregare ut bruchus.* » Congregatio bruchi significat congregationem plebeii populi. « *Multiplicare ut locusta.* » Locusta quæ salit et longius volat, congregationem significat adjutorum longe lateque distantium. Joel, I, 4 : *Residuum locustæ comedit bruchus.*

16 Et hoc quidem facere poteris, supple, quia

« *Plures fecisti negotiationes tuas,* » quas scilicet agebas super subjectos et confœderatos, « *quam sint stellæ cœli.* » Hyperbole est, hoc est, innumerabiles fecisti sicut stellæ innumerabiles sunt. Ezechiel. XXVII, 33 : *In exitu negotiationum tuarum de mari implesti populos multos.* De omnibus enim subjectis et finitimis ad lucrum negotiabatur Assyrius. Et hoc quidem quod sic te congregas et tuos, non valebit : « *Bruchus expansus est,* » hoc est, sicut bruchus natis alis expansus est ad volandum, ita populus tuus propter peccata traditus est ad transmigrandum. « *Et avolavit,* » hoc est, velociter, in captivitatem abiit. Psal. LIV, 8 : *Ecce elongavi fugiens : et mansi in solitudine.*

17 « *Custodes tui quasi locustæ,* » supple, sunt. Et *custodes* vocat inferiores Prælatos, quibus commissæ erant villæ civitatis circumquaque. Proverb. XXX, 27 : *Regem locusta non habet, et egreditur universa per turmas suas.* « *Et parvuli tui,* » filii scilicet : consumunt enim omne quod viride est. Psal. CIV, 34 : *Dixit, et venit locusta, et bruchus, cujus non erat numerus.* « *Quasi locustæ locustarum, quæ considunt,* » hoc est, simul sedent, « *in sepibus,* » hoc est, ruinosis et vilibus munitionibus et cito capiendis. Isa. V, 5 : *Auferam sepem ejus, et erit in direptionem.* « *In die frigoris,* » hoc est, præsentis necessitatis, ut ab hoste defendantur. « *Sol ortus est,* » hoc est, claritas et ardor zeli Dei ad vindicandum. Jacob. I, 11 : *Exortus est sol cum ardore, et arefecit fœnum.* « *Et avolaverunt,* » in captivitatem scilicet, « *et non est cognitus locus earum,* » destructis scilicet villis, et ædificiis, « *ubi fuerint* : destructi enim sunt sine spe reædificationis. Psal. XXXVI, 36 : *Transivi, et ecce non erat : et quæsivi eum, et non est inventus locus ejus.* Eccli. XLIII, 19 : *Sicut locusta demergens descensus ejus.* « Hoc (ut dicit Hieronymus) de « voluptuosis dicitur, qui omne viride « consumunt sicut locustæ, et in sepi- « bus, hoc est, in beneficiis Ecclesiæ re- « sident tempore frigoris, quo infriguit « charitas, et invaluit carnalitas Prælato- « rum. »

Voluptuosi sunt locustis similes.

« *Dormitaverunt.* » Insultat hic regi et principibus, et improperat eis duo, scilicet quod voluptatibus detenti in vigilantia curæ pastarolis dormitaverunt, et quod populus eorum negligentia dispersus sit. Et subjungit quod ideo maxima plaga percussi sunt : 18

« *Dormitaverunt pastores tui,* » hoc est, principes qui cura et vigilantia pascere debebant populum, dormitaverunt per inertiam voluptatibus consopiti. Matth. XXV, 5 : *Dormitaverunt omnes, et dormierunt.* Proverb. VI, 9 : *Usquequo piger dormies?* « *Rex Assur.* » Et arguit regem quod tales Prælatos negligentes instituit. Et hoc videtur in Ecclesiæ Prælatis qui tales instituunt. Contra quod dicitur, Luc. II, 8 : *Pastores erant in regione eadem vigilantes, et custodientes vigilias noctis super gregem suum.* Rex autem Assur magnus rex fuit super alios regnans. Isa. X, 12 : *Visitabo super fructum magnifici cordis regis Assur.* Supple, et ideo, « *sepelientur principes tui,* » interfecti scilicet a Babyloniis vel a dia-

Principes sunt causa peccati populi.

bolo. Principes enim tales causa sunt peccati populi, sicut dicitur, Osee, VII, 5 : *Cœperunt principes furere a vino*, erroris scilicet et insaniæ. Et statim sequitur : *Extendit manum suam cum illusoribus*, supple, populus. Unde, ibidem dicitur, ℣. 3 : *In malitia sua lætificaverunt regem, et in mendaciis principes.* Hinc est quod, Numer. XXV, 4, præcipitur, quod mali principes suspendantur contra solem, ut scilicet pœna eorum clare visa, populus emendetur[1].

Interfectis autem principibus, populum dispergi necesse est. Et hoc est quod sequitur : « *Latitavit populus tuus,* » fugiens scilicet « *in montibus,* » et in cavernis scilicet petrarum. Et simile, Matth. XXVI, 31 : *Percutiam pastorem, et dispergentur oves gregis.* Sicut et nunc videmus, quod pastoribus interfectis in peccato, grex per silvestria dispergitur. III Regum, XXII, 17 : *Non habent isti dominum : revertatur unusquisque in domum suam.* « *Et non est qui congreget,* » populum scilicet sicut oves errantem, sicut bonus pastor dicitur congregare. Isa. XL, 11 : *Sicut pastor gregem suum pascet : in brachio suo congregabit agnos, et in sinu suo levabit, fœtas ipse portabit.* Zachar. XI, 4 et 5 : *Pasce pecora occisionis : quæ qui possederant occidebant, et non dolebant, et vendebant ea, dicentes : Benedictus Dominus ! divites facti sumus.*

19 Non enim quærebant salutem ovium, sed lucra : propter quod sequitur, quod plagati sunt plaga manifesta :

« *Non est obscura contritio tua :* » nota enim est per totum mundum. II Regum, XII, 12 : *Ego faciam verbum istud in conspectu omnis Israel, et in conspectu solis.* Quæ confusio illos potissimum manet, qui non abscondentes peccata sua alios scandalizant. Isa. III, 9 : *Peccatum suum quasi Sodoma prædicaverunt, nec absconderunt.* « *Pessima est plaga tua.* » Glossa, « quæ manu medici non potest « curari : » non quidem ex impotentia medici, sed quia infirmus contraria facit medicinæ. Jerem. X, 19 : *Væ mihi super contritione mea, pessima plaga mea !* Jerem. XXX, 12 et 13 : *Insanabilis fractura tua, pessima plaga tua : non est qui judicet judicium tuum ad alligandum : curationum utilitas non est tibi.*

« *Omnes qui audierunt auditionem tuam,* » hoc est, famosum interitum tuum et durum. Isa. XXI, 3 et 4 : *Corrui cum audirem, turbatus sum cum viderem : emarcuit cor meum, tenebræ stupefecerunt me.* « *Compresserunt manum super te,* » admirantes scilicet et plaudentes super interitu tuo. Ezechiel. XXI, 12 : *Clama, et ulula, fili hominis,... plaude super femur,* quia gladius factus est in populo meo. Et post pauca, ℣. 14 : *Percute manu ad manum, et duplicetur gladius, ac triplicetur gladius interfectorum.* Isa. LV, 12 : *Omnia ligna regionis plaudent manu. Ligna regionis* vocat populos prius oppressos, qui de morte gaudent oppressoris.

Tyrannorum læta semper sunt parentalia.

Et subjungit causam. Ac si dicat : Nec est mirum,

« *Quia super quem non transiit,* » opprimendo scilicet, « *malitia tua semper.* » Hieronymus : « Nullus tuo vul« neri donavit lacrymas, quia nullus est « super quem non fuerit malitia tua, « quæ non est permanens, sed transito« ria : hoc enim consolatio est. » Jerem. XXII, 18 : *Non plangent eum : Væ, frater ! et væ, soror ! Non concrepabunt ei : Væ, domine ! et væ, inclyte !* Simile, Isa. XIV, 7 et 8 : *Conquievit et siluit omnis terra, gavisa est, et exsultavit : abietes quoque lætatæ sunt super te, et cedri Libani : ex quo dormisti, non ascendet qui succidat nos.* Unde Titus Livius narrat

[1] Numer. XXV, 4 : *Iratus Dominus ait ad Moysen : Tolle cunctos principes populi, et tu pende eos contra solem in patibulis : ut avertatur furor meus ab Israel.*

quod in morte Neronis, qui multos offenderat et Rempublicam pessime rexerat, cum multi lætarentur, et sperarent ex morte ejus ad meliora proficere, cornicula sedens in turri montis Tarpeii convertens se ad civitatem, clara voce clamavit : Semper erit bene. Quod versu comprehendens Ovidius, dixit :

Montis Tarpeii qui sedit culmine cornix,
Est bene non potuit dicere, dixit : *Erit.*

Ac si dicat : Ablato omnis boni obstaculo, in futurum ad meliora proficiet Respublica.



INDEX

IN NAHUM PROPHETAM.



D. ALBERTI MAGNI,

EPISCOPI RATISBONENSIS, DOCTRINA TOTO ORBE CELEBERRIMI, ORDINIS PRÆDICATORUM,

IN HABACUC PROPHETAM ENARRATIO.

Prologus divi Hieronymi in Habacuc prophetam [1].

Quatuor prophetæ in duodecim prophetarum volumine continentur : e quibus tres in principio λῆμμα, id est, *pondus* titulum habent, Nahum, Habacuc, et Malachias. Porro Zacharias, in medio et circa finem duos hujuscemodi ponit titulos, et quibus unus est : *Onus verbi Domini in terra Hadrach, et Damasci requiei ejus* [2]. Alter in fine : *Onus verbi Domini super Israel* [3]. De Nahum, orationibus tuis jam liber editus est : de Zacharia et Malachia, si vita comes fuerit, disseretur. Nunc Habacuc habemus in manibus, qui vel ex eo quod amabilis Domini est, vocatur *amplexatio :* vel quod in certamen et luctam, et (ut ita dicam) amplexum cum Deo congreditur, *amplexantis*, id est, luctantis sortitus est nomen. Nullus enim tam audaci voce ausus est Deum ad disceptationem justitiæ provocare, et dicere ei : Cur in rebus humanis, et in mundi istius πολιτείᾳ, tanta rerum versatur iniquitas? *Vociferabor ad te, vim patiens, et non salvabis? Quare ostendisti mihi iniquitatem et laborem videre* [4]?... *Lacerata est lex, et non pervenit usque ad finem judicium: quia impius prævalet adversus justum, ideo* [5] *egreditur judicium perversum* [6]. Vides quod temeraria vox sit, et quodam modo blasphemantis Creatorem suum ad judicium provocare : et vas fragile adversus figulum, cur tale vel tale factum sit, disputare? Necnon et hoc animadvertendum, quod assumptio vel pondus, quæ gravia esse jam diximus, prophetæ visio est : et adversum Montani dogma perversum, intelligit quod videt, nec ut amens loquitur, nec more insanientium fœminarum dat sine mente sonum. Unde et Apostolus jubet ut si prophetantibus

[1] Ex prooemio commentariorum Hieronymi in Habacuc (Biblia Rob. Stephani, Parisiis, MDXXXII).

[2] Zachar. IX, 1.

[3] Ibid. XII, 1.

[4] Vulg. habet, Habac. I, 3 : *Quare ostendisti mihi iniquitatem et laborem, videre prædam,* etc.

[5] Vulg. *propterea.*

[6] Habac. I, 2 et seq.

aliis, alii fuerit revelatum, taceant qui prius loquebantur[1]. Et statim : *Non enim est*, inquit, *dissensionis Deus, sed pacis*[2]. Ex quo intelligitur, cum quis ex voluntate reticet, et alteri locum dat ad loquendum, posse et loqui et tacere cum velit. Qui autem in ἐκστάσει, id est, invitus loquitur, nec tacere nec loqui in sua potestate habet.

Illud quoque disce (quia semel a me violenter exigis, ut quasi quosdam gradus et scalas ad altiora nitenti, historiam tibi interpreter) prophetiam esse contra Babylonem et Nabuchodonosor, regem Chaldæorum, ut quomodo prior propheta Nahum, quem Habacuc sequitur, vaticinium habuit contra Niniven et Assyrios, qui vastaverunt decem tribus quæ vocantur Israel : ita Habacuc prophetiam habeat adversus Babylonem et Nabuchodonosor, a quibus Juda et Jerusalem, templumque subversa sunt.

Et ut scias eo tempore fuisse Habacuc, quo jam duæ tribus, quæ vocabantur Juda, ductæ erant in captivitatem, Daniel docere te poterit[3] : ad quem in lacum leonum Habacuc cum prandio mittitur, quamquam apud Hebræos hæc ipsa non legatur historia. Igitur sive quis recipiat scripturam illam, sive non recipiat, utrumque pro nobis est. Aut enim recipit, et jam post factam rem liber Habacuc texitur : aut non recipit, et quasi propheta scribit quæ ventura cognoscit.

Interim[4] secundum litteram causatur adversus Deum propheta : cur Nabuchodonosor templum Dei vastet et Judam ? cur Jerusalem, quondam urbs Domini, destruatur ? Quare clamet populus, et non exaudiatur, vociferetur ad Dominum oppressus a Chaldæis, et non salvetur ? Quare etiam ipse propheta vel populus, ex cujus persona nunc loquitur, ad hoc vixerit, et hucusque perductus sit, ut iniquitatem hostium et suum laborem videat ? cur injustitia prævaleat adversum se ? Et hoc dicit præ mentis augustia, nesciens aurum in igne conflari, et tres pueros de camino ignis puriores exisse quam intraverant. Sed et hoc generaliter accipere possumus, quod ex persona humanæ impatientiæ loquatur, ut in querulam vocem et plenam doloris erumpat, dicens : « Quare respicis contemptores, et taces, conculcante impio justiorem se[5] ? » Hæc autem loquitur, nesciens judicia Dei investigabilia, et profundum divitiarum sapientiæ et scientiæ ejus, quod non ita videat Deus, ut videt homo. Homo tantum præsentia respicit, Deus futura et æterna cognoscit. Et quomodo si ægrotus et æstuans febribus aquam frigidam postulet, et dicat ad medicum : « Vim patior, crucior, uror, exanimor : usquequo, medice, clamabo, et non exaudies ? » Et respondeat ei sapientissimus et clementissimus medicus : « Scio quo

[1] Cf. I ad Corinth. XIV, 23 et seq.
[2] I ad Corinth. XIV, 33.
[3] Cf. Daniel. XIV, 32 et seq.
[4] Istud sumitur ex principio commentariorum D. Hieronymi in Habacuc.
[5] Vulg. habet, Habacuc, I, 13 : *Quare respicis super iniqua agentes, et taces devorante impio justiorem se?*

tempore dare debeam quod postulas : et non misereor modo, quia misericordia ista crudelitas est, et voluntas tua contra te petit. » Ita et Deus noster sciens clementiæ suæ pondera atque mensuras, interdum non exaudit clamantem, ut eum probet, et magis provocet eum ad rogandum, et quasi igne excoctum justiorem et puriorem faciat. Quod intelligens Apostolus secundum id quod misericordiam consecutus est a Domino, ait : Sed non deficimus in tribulationibus [1]. Et benedicit Dominum in omni tempore. Et scit quod qui perseveraverit usque in finem, hic salvus erit : et gloriatur in labore, et cum Jeremia dicit : Tribulationem et miseriam invocabo [2] : ut quomodo alius invocat Deum, sic sanctus vir et bellator invictus ad exercendum se et probandum, tribulationem et miseriam venire desiderat.

Josiam, regem Juda, cujus temporibus Sophonias prophetasse invenitur, Deo præ omnibus regibus Judæ placuisse, historia quarti libri Regum et secundi Paralipomenon demonstrat [3]. Josias simulacra, quæ pater suus Amon, vel avus Manasses in templo Dei collocaverat, dejecta comminuisse monstratur : in quibus etiam serpentem æreum a Moyse factum, quem errori inductus populus, superstitione idolorum detentus, admiserat. Idem custodisse pascha, et intermissis temporibus multis solus celebrasse monstratur. Ideo Deus per prophetam, temporibus memorati regis, quæ proventura erant ostendens, gentibus quidem lectione comprehensis affuturum judicium, populo vero Israel salutem, et civitati Jerusalem restaurationem tunc temporis tribuendam textu lectionis denuntiavit.

PROLOGI DIVI HIERONYMI IN HABACUC PROPHETAM EXPLICATIO.

« Quatuor Prophetæ. » In isto prologo sex dicit Hieronymus : Primum est de principio, quod est onus : secundum, de nomine, quod est Habacuc, ibi, « Qui vel ex eo. » Tertium, de intellectu prophetiæ contra Montanum hæreticum, ibi, « Necnon et hoc animadvertendum. » Quartum, de materia, ibi, » Illud quoque disce. » Quintum, de tempore prophetiæ, ibi, « Et ut scias eo tempore fuisse Habacuc. » Sextum, de modo connexionis prophetiæ, ibi, « Interim secundum literam causatur. »

« Quatuor Prophetæ, » non simpliciter inter omnes, « in duodecim Prophetarum volumine sunt [4], » supple, qui onera ponunt ; extra autem hos et Isaias multa ponit onera. Qualiter autem isti quatuor onus ponant, subdit : « E quibus, » scilicet duodecim, « tres in principio, » supple, librorum suorum, « λῆμμα [5], » Hebræum est, « id est,

[1] Vulg. habet, II ad Corinth. IV, 16 : *Propter quod non deficimus*, etc.

[2] Cf. Jerem. XX, 16.

[3] IV Reg. XXII, 2 et seq., et II Paralip. XXXIV, 2 et seq.

[4] Biblia Rob. Stephani habet *continentur*.

[5] משׂא, *Onus*. Ce mot, dit M. l'abbé Trochon (La Sainte Bible, les Petits Prophètes, Lethielleux, Paris, 1883), a été l'objet d'une discussion. Si on le dérive de נשׂא, élever, porter, on lui donnera le sens de *fardeau*, et on l'interprétera dans le sens de menace, comme le Targum,

pondus, » latine, « titulum habent, » hoc est, in principiis librorum, ubi ponunt prophetiæ suæ titulos ; per quod significatur quod oppressionem et tribulationem alicujus gentis prophetant. *Pondus* enim et *onus* et *massa* et *assumptio* tribulationem significant, quæ diversi interpretes sic transtulerunt ; sicut et Job, xvi, 8, dicitur : *Nunc autem oppressit me dolor meus, et in nihilum redacti sunt omnes artus mei.* Et qui sunt illi, subdit : « Nahum, » qui onus Assyriorum, « Habacuc, » qui onus Chaldæorum, « et Malachias, » qui onus Israel et sacerdotum.

Et subdit de quarto : « Porro Zacharias in medio, » hoc est, nono capite, « et circa finem, » hoc est, ante finem capitis duodecimi, « duos hujuscemodi ponit titulos, » onus scilicet : « e quibus, » scilicet titulis, « unus est, » capite ix, 1 : « *Onus verbi Domini in terra Hadrach, et Damasci requiei ejus,* » quia ibi contra Assyrios prophetat : « alter in fine, » hoc est, xi, 1, scilicet, « *Onus verbi Domini super Israel,* » scilicet prophetat : quia ibi prophetat con tra Israel et sacerdotes.

Et subdit de expositione horum : « De Nahum orationibus tuis, » o Paula, « jam liber editus est, » expositionis scilicet : « de Zacharia et Malachia, si vita comes fuerit, » ad propositum scilicet, « disseretur, » per expositionem faciendam. Zachariam enim et Malachiam Exuperio Tolosano Episcopo exposuit [1]. Nunc Habacuc, » hoc est, expositionem Habacuc, « habemus in manibus, » hoc est, in operationibus : quam tamen expositionem non Paulæ, sed Chromachio direxit [2].

Et subdit de nomine Prophetæ :

« Qui, » scilicet, Habacuc, « vel ex eo quod amabilis Domini est, vocatur, » hoc est, interpretatur « *amplexatio :* » amantium enim est amplexari. Deuter. xxxiii, 12 : *Et Benjamin ait : Amantissimus Domini habitabit confidenter in eo : quasi in thalamo tota die morabitur.* Cant. ii, 6 : *Læva ejus sub capite meo, et dextera illius amplexabitur me.* « Vel, » supple, dicitur *amplexatio*, « quod in certamen, » verborum scilicet, « et luctam » rationum scilicet justitiæ, « et ut ita dicam, » supple, cum reverentia, « amplexum, » hoc est apprehensionem cum Deo, ac si manus ad manus cum Deo se apprehendat, sicut fecit Jacob cum Angelo, Genes. xxxii, 24 et seq., et Osee ii, 4. « Deo congreditur, » disputando scilicet. Job, xiii, 3 : *Ad Omnipotentem loquar, et dis-* Habacuc.

Aquila, S. Jérôme, qui fait une bonne remarque à propos de ce mot : « Numquam præferri « in titulo, nisi grave aliquid et ponderis, labo- « risque plenum esset, quod videretur. » In Habac. i, 1. Cette interprétation a été admise jusqu'à nos jours, et elle est soutenue avec force par Hengstenberg, Strauss, Kurz, Keil, Pusey. Mais d'un autre côté, on fait remarquer que, dans des prophéties telles que celle de Zacharie, ix, 12, le contenu de ces prédictions ne peut être représenté comme un fardeau et une menace que par une subtilité de critique. Des maximes, telles que Proverb. xxx et xxxi, sont aussi appelées Massaim. Il est évident que, Exod. xx, 7, Isa. xlii, 2, le radical בשא peut signifier aussi avec l'ellipse de קול, élever la voix, par suite appeler. On aura donc de bons motifs pour soutenir, avec Hupfeld, Delitzsch, Kleinert, que *sentence, déclaration,* est la signification commune, naturelle, et propre de ce mot, tant pour le verbe que pour le nom ; c'est ce qui ressort indubitablement du IV Reg. ix, 25.

Dans Jérémie, xxiii, 33, l'ambigité attachée au mot, quand on lui donne le sens de *fardeau* est stigmatisée comme impie, et par conséquent rejetée. Les Septante favorisent cette seconde explication. S'ils traduisent « massa » par ὅρασις, ὅραμα, ῥῆμα, dans Isa. xiii, et suiv., xxx, 6, partout ailleurs, ainsi que Symmaque et Théodotion, ils le rendent par λῆμμα. La Peschito lui donne un sens analogae. Malgré ces raisons qui semblent considérables, il ne faut pas cependant abandonner l'interprétation de S. Jérôme. Les passages bibliques cités peuvent en effet sans difficultés, conserver le sens de fardeau et de menace.

[1] Patrol. latina, T. XXV, col. 815, 1578.

[2] Ibid.

putare cum Deo cupio. His, supple, duabus rationibus, « amplexantis, » id est, luctantis, « sortitus est nomen. »

Et subdit rationem : « Nullus enim, » supple, Prophetarum, « tam audaci voce. » Audacia hic dicitur non præsumptio, non timens timenda, sed confidentia reverentiam altioris non attendens : sicut sæpe Sancti ex confidentia reverentiam divinæ majestatis, quasi non attendentes audacter loquuntur. « Ausus est Deum ad disceptationem, » hoc est, disputationem « justitiæ provocare. »

Audacia Prophetæ.

Contra hoc videtur esse instantia : quia dicitur, Job, XXI, 7 : *Quare ergo impii vivunt, sublimati sunt, confortatique divitiis ?* Jerem. XII, 1 : *Quare via impiorum prosperatur, bene est omnibus qui prævaricantur et inique agunt ?* Genes. XVIII, 25 : *Non est hoc tuum, qui judicas omnem terram.* Et ibidem : *Absit a te, ut rem hanc facias, et occidas justum cum impio.* Ad hoc dicendum, quod singuli de reverentia aliquid præmiserunt, antequam in talia verba prorumperent. Abraham quidem, ibidem, ℣. 27 : *Loquar ad Dominum meum, cum sim pulvis et cinis.* Job, XXI, 6 : *Ego quando recordatus fuero, pertimesco, et concutit carnem meam tremor.* Jerem. XII, 1 : *Justus quidem tu es, Domine, si disputem tecum.* Iste autem in prima disputatione nihil præmittit de reverentia, sed statim prorumpit in vocem querelæ, dicens, I, 2 : *Usquequo, Domine,* etc. In secunda vero disputatione jam instructus a responso Domini, antequam prorumpat in disputationem, præmittit, ibidem, ℣. 13 : *Mundi sunt oculi tui, ne videas malum.* Et ideo solus in hac audacia esse dicitur.

« Et dicere ei, » Domino scilicet per sensum, non per verba : « Cur in rebus humanis, » publicis scilicet, « et mundi istius pompa [1], » quia judices magis pompa quam juris ordine præsunt, « tanta rerum versetur [2] iniquitas, » qua scilicet bonus opprimitur et malus exaltatur? hoc enim innuitur his verbis : *Usquequo, Domine, clamabo* cum bonis, *et non exaudies ?* Cum dicatur in Psal. X secundum Hebræos, 17 : *Desiderium pauperum exaudivit Dominus : præparationem cordis eorum audivit auris tua.* Proverb. X, 24 : *Desiderium suum justis dabitur.* « *Vociferabor,* » hoc est, querulis vocibus scilicet, « *ad te vim patiens,* » cum bonis, « *et non salvabis ?* » Isa. XXXVIII, 14 : *Sicut pullus hirundinis sic clamabo, meditabor ut columba.* Et iterum : « *Quare ostendisti iniquitatem et laborem,* » bonorum scilicet, « *videre,* » hoc est, annuntiare prævisam ? Libentius enim fausta quam infausta prænuntiaret. Et hæc fuit causa quare fugit Jonas, ne scilicet ex comparatione pœnitentiæ Ninive, condemnationem populi sui non pœnitentis annuntiare videretur. Et iterum, audacter dicit : « *Lacerata est lex,* » justa scilicet conversa in abusum tyrannidis, « *et non pervenit usque ad finem judicium,* » hoc est, usque ad debitam causæ decisionem. Et hujus subjungit causam esse Domini dissimulationem : « *Quia impius prævalet adversus justum,* » te scilicet dissimulante. « *Ideo egreditur judicium perversum,* » in causarum scilicet decisione. Dicit enim Glossa, ad Roman. I, 32, super illud : *Non solum qui ea faciunt, sed etiam qui consentiunt facientibus,* quod « consentit, qui non contradicit. »

Positis exemplis, arguit quod audacter dicta sunt, subdens : « Vides, » o Paula vel Chromachi, « quam temeraria vox sit, » hoc est, esse videatur, « et quodammodo blasphemantis, » supple, sit vox hæc, « Creatorem suum ad judicium, » disceptationis scilicet, « provocare. » Job, XV, 3 : *Arguis verbis eum qui non est æqualis tibi, et loqueris quod tibi non expedit.* Et post pauca, ℣. 5 : *Imitaris linguam blasphemantium.* Blas-

[1] Biblia Rob. Stphani habet πολιτείᾳ.

[2] Ibidem, *versatur.*

phemia enim est impositio falsi criminis in Deum, quod facit qui vias Domini æquas non esse dicit. Ezech. XVIII, 25 : *Et dixistis : Non est æqua via Domini.* « Et vas fragile, » terreum scilicet, « adversus figulum, » qui potestatem habet luti [1], « cur tale vel tale factum sit, » urceus vel amphora, fœdum vel pulchrum, « disputare. » Ad Roman. IX, 20 et 21 : *O homo, tu quis es, qui respondeas Deo ? Numquid dicit figmentum ei, qui se finxit : Quid fecisti me sic ? An non habet potestatem figulus luti, ex eadem massa facere aliud quidem vas in honorem, aliud vero in contumeliam ?*

Montani damnata hæresis.

Et subdit de intellectu Prophetæ contra Montanum :

« Necnon et hoc animadvertendum, » supple, est, « quod assumptio vel pondus, » sive onus, quo scilicet intitulatur prophetia, « quæ gravia esse jam diximus, » hoc est, gravitatem significare, « Prophetæ, » scilicet Habacuc, « visio est, » hoc est, certa per intellectum comprehensio : « et adversus Montani » hæretici « dogma perversum, » qui dixit, quod Prophetæ arreptitio spiritu in exstasi mentis nescientes quid loqueretur, locuti sunt : « intelligit » iste Propheta « quod videt.» Daniel. x, 1 : *Intelligentia est opus in visione.* « Nec ut amens » loquitur, id est, qui in mente non habeat quod dicit. I ad Corinth. XIV, 19 : *In Ecclesia volo quinque verba sensu meo loqui,... quam decem millia verborum in lingua.* « Nec more insanientium fœminarum, » quæ facilius quam viri gaudio vel tristitia insaniunt, « dat sine mente sonum, » hoc est, sine intellectu. Psal. LXXXIV, 9 : *Audiam quid loquatur in me Dominus Deus.*

Hoc autem probat per Apostolum, subdens : « Unde et Apostolus [2], jubet, » hoc est, præcipit, « ut si prophetantibus aliis, » hoc est, aliis quibusdam in Ecclesia, « alii, » prius scilicet non prophetanti, « fuerit revelatum, » a spiritu scilicet prophetico, « taceant qui prius loquebantur, » supple, et dent locum ei qui revelationem accepit. « Et statim, » subjunxit scilicet Apostolus : « *Non enim est* (inquit) *dissensionis Deus, sed pacis* [3] : » et intelligitur, quod non est dissensio inter Spiritum revelantis Dei, et spiritum hominis cui fit revelatio : ut scilicet, quando Spiritus Dei monet ad loquendum, spiritus hominis loqui nolit : sed concordia est inter utrumque spiritum. Et ex hoc arguit, subdens : « Ex quo, » scilicet dicto Apostoli, « intelligit [4], cum quis, » hoc est, aliquis, « ex voluntate » libera « reticet, » quando vult, « et alii locum dat ad loquendum » pro libera voluntate, supple, talem « posse et loqui et tacere cum velit. « Qui autem in exstasi, [5] » hoc est, in excessu mentis ut arreptitii, id est, « invitus, » alio scilicet cogente, « loquitur, nec tacere nec loqui in sua potestate habet. »

Et subdit quarto de materia :

« Illud quoque disce, » o Paula vel Chromachi, « quia semel a me violenter exigis, » hoc scilicet tibi exponi, « ut quasi quosdam gradus, » hoc est, per quosdam gradus, « et scalas, » hoc est, per quasdam scalas, « ad altiora nitenti, » eo quod per historiam ascenditur ad allegoriam, et per historiam et allegoriam ad tropologiam, et per hæc tria ad anagogiam, per nisum sive conatum studentis, « historiam tibi, » qui primus gradus est, « interpreter, » hoc est, exponam. Et alludit ei quod est, Genes. XXVIII, 12, ubi Angeli ab inferioribus ascenderunt in cœlum per scalas : sicut et exploratores ascenderunt ad superiora domus Raab (Josue II, 6). Sic Judith in superiora domus ascendit (Judith, VIII, 5).

[1] Jerem. XVIII, 6 : *Ecce sicut lutum in manu figuli, sic vos in manu mea, domus Israel.*

[2] Cf. I ad Corinth. XIV, 23 et seq.

[3] I ad Corinth. XIV, 33.

[4] Bibl. Roberti Stephani habet *intelligitur.*

[5] Ibid. ἐκστάσει.

Sic gradibus ascenditur ad templum (Ezech. xl, 6). Scias, inquam, « prophetiam » hanc, supple, esse « contra Babylonem » historialiter, « et Nabuchodonosor, regem Chaldæorum, » de quorum scilicet onere prophetat.

Et ex hoc elicit ordinem ad immediate præcedentem Prophetam, subdens : « Ut quomodo prior Propheta Nahum, » de quo habitum est, « quem Habacuc sequitur, secundum ordinem Hæbræorum, « vaticinium habuit contra Niniven, » metropolim scilicet, ubi erat sedes regni, « et Assyrios, » id est, regnum Assyriorum, « qui vastaverunt decem tribus[1] qui vocantur Israel, » eo quod plures tribus filiorum Israel habebant : « ita et Habacuc, » iste scilicet Propheta, « prophetiam » habeat historialiter « adversus Babylonem, » metropolim scilicet, et sedem regni, « et Nabuchodonosor, » regem scilicet Chaldæorum, « a quibus, » rege et regno Chaldæorum, « Juda, » hoc est, duæ tribus, « et Jerusalem, » metropolis duarum tribuum, « templumque subversa sunt[2]. »

Israel.

Et subdit, probans hoc esse tempus istius prophetiæ :

« Et ut scias eo tempore fuisse Habacuc. » Quia enim reges non habet in titulo, per conjecturas oportuit probari tempus prophetiæ ejus, « quo jam duæ tribus, quæ Juda vocabantur, » quamvis enim essent Juda et Benjamin et Levi, tamen quia Levi sacerdotium habuit, et ideo regibus non subjacebat, et Benjamin principatum non habuit, sed Juda, ideo a Juda regnum denominatur, « ductæ erant in captivitatem, » a Chaldæis scilicet, « Daniel, » hoc est, liber Danielis « docere te poterit[3] : « ad quem, » scilicet Danielem, « in lacum leonum Habacuc cum prandio mittitur : » quod non fieret, nisi Daniel cum duabus tribubus in Babylonem fuisset translatus.

Juda.

bacuc ndium fiert nieli.

Et quia infirmitatem habet hæc probatio, ideo subdit : « Quamquam apud Hebræos, » apud quos primus fons veritatis esse deberet, « hæc ipsa non legatur historia, » de Habacuc scilicet, et lacu leonum. Et ideo aliter confirmat, subdens : « Igitur sive quis recipit scripturam illam, » Danielis scilicet, xiv, 32, « sive non recipit, » eo scilicet quod in canone Hebræorum non est, « utrumque pro nobis est, » hoc est, contra nos non est. Et hoc probat, subdens subdivisionem : « Aut enim recipit, et, » supple, sequitur, quod « jam post factam rem, » hoc est, translationem duarum tribuum, « liber Habacuc texitur, » et sic habetur propositum : « aut non recipit, » alia pars divisionis, « et, » supple, tunc sequitur, quod « quasi Propheta scribit, » onera scilicet Babyloniorum, « quæ ventura cognoscit, » et sic, supple, iterum habetur propositum : quia tunc onus Babylonis describit propter afflictionem duarum tribuum, quæ jam præteriit.

Sexto subdit excusationem quorumdam quæ ponuntur in littera, quæ primo narrat, secundo excusat, tertio excusationem per auctoritatem Apostoli confirmat. Narrando quinque ponit :

« Interim secundum litteram causatur, » hoc est querulatur « adversus Deum Propheta, » hoc est, adversus Dei dispositionem, « cur Nabuchodonosor, » profanus scilicet, « templum vastet et Judam, » hoc, est, regnum duarum tribuum vastare permittatur ? Secundo : « Cur Jerusalem, urbs Domini quondam » a Domino electa, « destruatur, » hoc est, destrui permittatur ? Tertio : « Quare clamet populus Judæorum, » scilicet oppressus, « et non audiatur, » hoc est, exaudiatur a Domino ? Et hoc ulterius exponit, subdens, supple, cur « Vociferetur ad Dominum, » populus scilicet « oppressus a Chaldæis, » im-

[1] Cf. IV Reg. xvii, 3 et seq.

[2] Cf. IV Reg. xxv, 1 et seq. ad finem.

[3] Cf. Daniel. xiv. 32 et seq.

piis scilicet, et injustis, « et non salvetur ? » Et quarto : « Quare et ipse Propheta, » Habacuc scilicet, « vel populus, ex cujus persona nunc loquitur, ad hoc vixerit, » hoc est, ad hoc permissus sit vivere : « et, » id est, « hucusque productus sit, » supple, in vita, « ut iniquitatem hostium, » opprimentium scilicet, « et suum, » hoc est, suorum, Judæorum scilicet, « viderit [1] laborem, » hoc est, oppressionem ? Et quinto : « Cur injustitia prævaleat adversum se, » hoc est, suos ? Chaldæi enim justitiam non habebant adversum Judæos.

Et horum subdit tres excusationes per ordinem :

« Et hæc dicit præ mentis augustia. » Mens autem improprie sumitur: mens enim Sancti non premitur, cum perturbatio non cadat in sapientem, ut dicit Socrates. « Nesciens, » hoc est, formam nescientis assumens. Simile, I ad Corinth. IV, 6 : *Hæc autem, fratres, transfiguravi in me et Apollo, propter vos.* « Aurum in igne conflari, » hoc est, depurari. Sapient. III, 6 : *Tamquam aurum in fornace probavit eos.* « Et tres pueros « de camino ignis, » hoc est, de fornace Babylonis, « puriores exisse, » in quantum jam probati erant, « quam intraverant : » tunc enim non erant probati [2].

Cur Deus permittat justos affligi ab impiis?

Secunda excusatio :

« Sed et hoc generaliter accipere possumus, » hoc est, intelligere, quia acceptiva virtus est intellectus, « quod ex persona humanæ impatientiæ loquatur, » Impatientia hic dicitur a privatione actus patientiæ, non a privatione habitus. Et cum duplex sit actus patientiæ, unus substantialis, et alter accidentalis : substantialis quidem (ut dicit Tullius) est æquanimis adversariorum perpessio sive toleratio : accidentalis autem est in turbatione (quæ propassio est) dissimulatio doloris, et hunc secundum actum privat, cum dicitur, « humanæ impatientiæ, » et non primum. Conceditur enim Sanctis, cum in turbatione passionis sunt, internum animi dolorem per querelas non excedentes ostendere : sicut et Dominus fecit, Matth. XXVI, 38 : *Tristis est anima mea usque ad mortem.* Et hoc est quod sequitur : « Ut in querulam vocem et plenam doloris, » hoc est, plenum dolorem significantem, « erumpat, » vi scilicet doloris cogente. Baruch, III, 1 : *Anima in angustiis, et spiritus anxius clamat ad te,* Domine. « Dicens : Quare respicis contemptores ? » respectu scilicet prosperitatis, « et taces, » hoc est, dissimulas, « conculcante impio justiorem se [3] ? »

Patientiæ duplex est actus.

Et subjungit excusationem tertiam :

« Hoc autem loquitur nesciens, » hoc est, nescientis sive non advertentis figuram assumens, « judicia Dei investigabilia, » supple, esse, « et profundum divitiarum sapientiæ, » in ordine scilicet divinorum, « et scientiæ, » in dispositione humanorum, « ejus, » id est Dei. Ad Roman. XI, 33 : *O altitudo divitiarum sapientiæ, et scientiæ Dei! quam incomprehensibilia sunt judicia ejus, et investigabiles viæ ejus !* « Quod non ita videt Deus, » hoc est, videndo dispensat, « ut videt homo. » Job, X, 4 : *Numquid oculi carnei tibi sunt : aut sicut videt homo, et tu videbis?* « Homo tantum præsentia respicit, » I Regum, XVI, 7 : *Homo videt ea quæ parent, Dominus autem intuetur cor.* « Deus futura et æterna cognoscit, » et, supple, præsentia ad æterna obtinenda dispensat.

« Et quomodo si ægrotus. » Inducit simile ad declarandum quod dixit, « et æstuans febribus. » Æstus enim febris sitim provocat et desiderium contrarii, frigidi scilicet, et humidi. « Aquam frigidam postulet, » quæ tunc in præsenti æstum febris exstinguat, quamvis in posterum

[1] Bibl. Rob. Stephani habet *videat.*

[2] Cf. Daniel. III, 20 et seq.

[3] Vulg. habet, Habacuc, I, 13 : *Quare respicis super iniqua agentes, et taces devorante impio justiorem se?*

adaugeat, « et dicat ad medicum, » rationes scilicet assignans quare postulet aquam : « Vim patior, » a dolore scilicet. Isa. XXXVIII, 14 : *Domine, vim patior, responde pro me.* « Crucior, » febri scilicet, « exanimor, » æstu scilicet : « usquequo, medice, clamabo, et non exaudies ? » Quasi dicat : Videris esse durus. « Et respondeat ei sapientissimus, » in consideratione circumstantiarum febris, « et clementissimus, » ad ægrotum, « medicus : Scio quo tempore dare debeam quod postulas, » sanitatem scilicet : « et non misereor modo, » quia modo obesset, « quia misericordia ista crudelitas, » supple, esset, « et voluntas tua, » quæ scilicet ex æstu febris facta est, « contra te petit, » hoc est, contra sanitatem tuam. Et simile adaptat, subdens : « Ita et Dominus noster, » supple, facto facit, et si non verbo dicit, « sciens clementiæ suæ pondera, » quid scilicet et cui dispenset, « atque mensuras, » scilicet, quando dispenset. Sapient. XI, 21 : *Omnia in mensura, et numero, et pondere disposuisti.* « Interdum non exaudit clamorem, » secundum scilicet præsentem subventionem.

Et hujus subjungit duas causas :

« Ut eum probet, » hoc est, probatum ostendat, « et magis provocet eum ad rogandum. » Ex hoc enim quod differtur exauditio, devotius oratur. Et hoc explanat, subdens : « Et quasi igne excoctum justiorem et puriorem faciat. » Psal. XVI, 3 : *Igne me examinasti, et non est inventa in me iniquitas.* Ad hæc confirmanda inducit auctoritatem Apostoli : « Quod intelligens Apostolus secundum id quod misericordiam consecutus est a Domino, » I ad Timoth. I, 13 : *Misericordiam Dei consecutus sum, quia ignorans feci :* « ait, » II ad Corinth. IV, 16 : « Sed non defecimus [1], » supple, in tribulatione. Littera nostra sic habet, « Juxta quod misericordiam consecuti « sumus, non deficimus, sed abdicamus « occulta dedecoris. » Et tunc quod sequitur : « Et benedicit *Dominum in omni tempore* [2], » est de Psal. XXXIII, 1 [3]. « Et scit, » supple, illud Matth. X, 22 et XXIV, 13, « quia *qui perseveraverit usque in finem, hic salvus erit* : « et gloriatur, » supple, Apostolus, « in labore et dolore, » II ad Corinth. XII, 9 : *Libenter gloriabor in infirmitatibus meis.* « Et cum Jeremia, » XX, 16, secundum Septuaginta, « dicit : Tribulationem et misericordiam invocabo. » Quod explanans, subdit : « Ut quomodo alius invocat Deum, » supple, pro prosperis, « sic sanctus vir et bellator invictus, » Sap. X, 12 : *Certamen forte dedit illi ut vinceret,* « ad exercendum se, » supple, in virtute, « et comprobandum, » hoc est, probatum ostendendum, « tribulationem » in corpore ; « et miseriam » in paupertate « invenire desiderat. » Psal. CXIV, 3 et 4 : *Tribulationem et dolorem inveni, et nomen Domini invocavi.* [4]

[1] Vulg. habet, II ad Corinth. IV, 16 : *Propter quod non deficimus.* Bibl. autem Rob. Stephani, « Sed non deficimus in tribulationibus. »

[2] Bibl. Rob. Stephani : « Et benedicit Dominum in omni tempore. »

[3] Psal. XXXIII, 1 : *Benedicam Dominum in omni tempore*, etc.

[4] Explicatio ultimi paragraphi, *Josiam, regem Juda*, etc. ad finem, deest in edit. Lugdunensi et in mss.

CAPUT I.

Miratur propheta impium prosperari, et prævalere adversus justum : nam adversus Judæos suscitat Dominus Chaldæos, qui victoriam non Domino, sed idolo suo tribuunt.

1. Onus quod vidit Habacuc propheta.
2. Usquequo, Domine, clamabo, et non exaudies? vociferabor ad te, vim patiens, et non salvabis?
3. Quare ostendisti mihi iniquitatem et laborem, videre prædam et injustitiam contra me? et factum est judicium, et contradictio potentior.
4. Propter hoc lacerata est lex, et non pervenit usque ad finem judicium : quia impius prævalet adversus justum, propterea egreditur judicium perversum.
5. Adspicite in gentibus, et videte [1] : admiramini, et obstupescite : quia opus factum est in diebus vestris, quod nemo credet cum narrabitur.
6. Quia ecce ego suscitabo Chaldæos, gentem amaram et velocem, ambulantem super latitudinem terræ, ut possideat tabernacula non sua.
7. Horribilis et terribilis est : ex semetipsa judicium et onus ejus egredietur.
8. Leviores pardis equi ejus, et velociores lupis vespertinis : et diffundentur equites ejus : equites namque ejus de longe venient, volabunt quasi aquila festinans ad comedendum.
9. Omnes ad prædam venient, facies eorum ventus urens : et congregabit quasi arenam, captivitatem.
10. Et ipse de regibus triumphabit, et tyranni ridiculi ejus erunt : ipse super omnem munitionem ridebit, et comportabit aggerem, et capiet eam.
11. Tunc mutabitur spiritus, et pertransibit, et corruet : hæc est fortitudo ejus dei sui.
12. Numquid non tu a principio, Domine, Deus meus sancte meus, et non moriemur? Domine, in judicium posuisti eum : et fortem, ut corriperes, fundasti eum.
13. Mundi sunt oculi tui, ne videas malum, et respicere ad iniquitatem non poteris. Quare respicis super iniqua agentes, et taces devorante impio justiorem se?
14. Et facies homines quasi pisces maris, et quasi reptile non habens principem.
15. Totum in hamo sublevavit, traxit illud in sagena sua, et congregavit in rete suum. Super hoc lætabitur, et exsultabit.
16. Propterea immolabit sagenæ suæ, et sacrificabit reti suo, quia in ipsis incrassata est pars ejus, et cibus ejus electus.
17. Propter hoc ergo expandit sagenam suam, et semper interficere gentes non parcet.

[1] Act. XIII, 41.

IN CAPUT I HABACUC

ENARRATIO.

« *Onus quod vidit Habacuc.* » Ista prophetia in duas partes dividitur : titulum scilicet, et tractatum.

Titulus continet tria : materiam scilicet, modum revelationis, et auctoritatem.

1 Materia intelligitur per hoc quod dicit :

« *Onus,* » quod significat massam tribulationis opprimentem, quam prophetat super Babylonios[1]. Jerem. XXIII, 33 : *Vos estis onus : projiciam quippe vos, dicit Dominus.* Psal. XXXVII, 5 : *Sicut onus grave gravatæ sunt super me.* Thren. I, 14 : *Vigilavit jugum iniquitatum earum : in manu ejus convolutæ sunt, et impositæ collo meo.* « *Quod vidit,* » hoc est, certitudinaliter per intellectum accepit. Isa. I, 1 : *Visio Isaiæ.* Ab hac visione Prophetæ *Videntes* dicebantur[2]. Daniel. X, 1 : *Intelligentia est opus in visione.* Eccli. XLVIII, 27 : *Spiritu magno vidit ultima.* « *Habacuc propheta.* » Describit seipsum a nomine et dignitate, unde certitudinem veritatis ostendit : amplexans enim Deum, tangit eum, et tactu certificatur et apprehensione : quam apprehensionem sequi se dicit Apostolus, ad Philip. III, 12 et 13 : *Sequor, si quo modo comprehendam in quo comprehensus sum a Christo Jesu. Fratres, ego me non arbitror epprehendisse.* Cant. VIII, 2 : Dilecte mi, *apprehendam te.* « *Propheta.* » Dicit dignitatem et certificat spiritum revelantem. Sapient. VII, 27, Spiritus sapientiæ *per nationes in animas sanctas se transfert, amicos Dei et Prophetas constituit.*

rophetæ r videntes nt dicti ?

« *Usquequo, Domine.* » Hic incipit prophetia, et habet tres partes. Primo enim proponit querelas populi impatientis. Secundo contemplatur, ut audiat responsiones consolantis, infra, II, 1, ibi, « *Super custodiam meam stabo.* » Tertio, gratias agit pro beneficio liberationis, infra, III, 1, ibi, « *Domine, audivi.* » 2

Prima in tres dividitur. Primo enim proponit querelas. Secundo, ex responso Domini describit querelarum causas, ibi, ℣. 5 : « *Adspicite in gentibus.* » Tertio rogat, ut temperentur causæ dolorum, ibi, ℣. 12 : « *Numquid non tu a principio, Domine ?* »

Querelæ tres habent diversitates. Primo enim querulatur, quod per præsentem liberationem non exauditur : secundo, quod Sancti a malis opprimuntur : tertio, quod ordo omnis justitiæ confunditur.

« *Usquequo, Domine, clamabo ?* » supple, ad te per cordis devoti intentionem. Psal. XII, 1 : *Usquequo, Domine, oblivisceris me in finem ? Usquequo avertis faciem tuam a me ?* « *Et non exaudies,* » hoc est, ut ita audias quod extra tribulationem me ponas. Job, XXX, 20 et 21 : *Clamo ad te, et non exaudis me : sto, et non respicis me. Mutatus es mihi in crudelem, et in duritia manus tuæ adversaris mihi.* Thren. III, 8 : *Et cum clamavero, et rogavero, exclusit orationem meam.* Sed quia anxius, non tantum corde, sed etiam ore clamat, subdit : « *Vociferabor ad te,* » hoc est, diversis vicibus querelam ostendam, « *vim patiens,* » et ideo necessitatem querulandi habens. Isa. XXXVIII, 14 : *Domine, vim patior, responde pro me.* Psal. XXVI, 6 : *Circuivi et immolavi in tabernaculo tuo hostiam vociferationis.* « *Et non salvabis.* » Jerem. XIV, 9 : *Quare futurus es velut vir vagus, ut fortis qui non potest salvare ?*

[1] Cf. supra notam 2 in explicatione Prologi.

[2] I Reg. IX, 9 : *Qui propheta dicitur hodie, vocabatur olim Videns.*

3 « *Quare ostendisti mihi?* » Secunda diversitas querelarum, « *iniquitatem,* » malorum scilicet opprimentium, « *et laborem,* » bonorum scilicet oppressorum? Sensus est : Quare permisisti me tamdiu vivere ut ista viderem? Simile, III Regum, XIX, 4, ubi Elias exagitatus a Jezabel, petivit animæ suæ ut moreretur [1]. Tob. III, 6, ad exprobrationem uxoris dixit Tobias : *Et nunc, Domine, secundum voluntatem tuam fac mecum, et præcipe in pace recipi spiritum meum.* I Machab. II, 7 : *Væ mihi, ut quid natus sum videre contritionem populi mei et videre contritionem civitatis sanctæ?* Et, post pauca, ℣℣. 12 et 13 : *Ecce sancta nostra, et pulchritudo nostra, et claritas nostra desolata est : et coinquinaverunt eam gentes. Quo ergo nobis adhuc vivere?* Quid autem sit videre iniquitatem et laborem, subdit : « *Videre prædam,* » quo scilicet Sancti deprædati sunt. Isa. LIX, 15 : *Qui recessit a malo, prædæ patuit.* Et hic fuit labor. « *Et injustitiam contra me,* » supple, factam. Et hæc fuit iniquitas. Eccle. IV, 1 et 2 : *Vidi calumnias quæ sub sole geruntur, et lacrymas innocentium, et neminem consolatorem : nec posse resistere eorum violentiæ, cunctorum auxilio destitutos : et laudavi magis mortuos quam viventes.*

Et subdit tertiam diversitatem :

[Quare respicis contemptores [2] ?] respectu scilicet prosperitatis et felicitatis temporalis. Jerem. XII, 1 : *Quare via impiorum prosperatur : bene est omnibus qui prævaricantur, et inique agunt?* Job. XII, 6 : *Abundant tabernacula prædonum.* Et ibidem, XXI, 7 : *Quare ergo impii vivunt, sublimati sunt, confortatique divitiis?* [Et taces,] hoc est, dissimulas, cum judicare possis : [conculcante impio,] rege Babyloniorum, vel diabolo, [justiorem se :] quamvis enim coram te nullus sit justus. Isa. LXIV, 6 : *Facti sumus ut immundus omnes nos, quasi pannus menstruatæ universæ justitiæ nostræ.* Tamen conculcatus justior est conculcante coram hominibus. Isa. LVII, 11 : *Non cogitasti in corde tuo, quia ego tacens, et quasi non videns.*

Quod autem ex hoc confundatur omnis ordo justitiæ, ostendit subdens : [Et facies,] per hoc, supple, videre [homines,] ad imaginem tuam factos, [quasi pisces maris,] supple, esse, hoc est, quod non aliam vel majorem curam habeas de hominibus quam de piscibus, in quibus major devorat minorem, quasi ex lege. I ad Corinth. IX, 9 et 10 : *Numquid de bobus cura est Deo? An propter nos utique hoc dicit?* Glossa : « Quamvis Deus curam habeat de omnibus, tamen de irrationabilibus curam non habet, ut ponat eis legem sicut hominibus. » [Et quasi reptilia non habentia ducem,] hoc est, legem justitiæ, qua ducantur et regantur : sed feruntur secundum concupiscentias et iras suas. Proverb. XXX, 27 : *Regem locusta non habet, et egreditur universa per turmas.*

« *Et factum est judicium,* » scilicet perversum. Et hoc exponens, subdit : « *Et contradictio potentior,* » supple, quam justitia. Et est sensus, quod judicio recto et justitiæ contradicitur, et contradicens potentior est, invalescit et obtinet. Amos, V, 10 : *Odio habuerunt corripientem in porta et loquentem perfecte abominati sunt.* Quod plangit Jeremias, XV, 10 : *Væ mihi! mater, quare genuisti me, virum rixæ, virum discordiæ in*

[1] III Reg. XIX, 4 : *Sufficit mihi, Domine, tolle animam meam,* etc.

[2] Hæc verba quæ sequuntur : « Quare respicis contemptores, et taces conculcante impio justiorem se? Et facies homines quasi pisces maris, et quasi reptilia non habentia ducem, non habentur in Vulgata, sed fere eadem inveniuntur ℣℣. 13 et 14 : *Quare respicis super iniqua agentes, et taces devorante impio justiorem se? Et facies homines quasi pisces maris, et quasi reptile non habens principem.* Forsitan est repetitio, vel transmutatio textus, quamquam exponat D. Albertus suo loco, ℣℣. 13 et 14.

Veritatis et falsitatis bellum irreconcibiabile.

universa terra? « Bellum enim irreconciliabile est (ut dicit Augustinus) inter « veritatem et errorem, dum se et veritas « tenet et impietatis error obnititur. »

4 Et quod ex hoc ordo rerum confundatur, subdit :

« *Propter hoc lacerata est lex* » omnis, scilicet naturalis, divina, et positiva, et breviter omnis regula judicii. Isa. XXIV, 5 et 6 : *Transgressi sunt leges, mutaverunt jus, dissipaverunt fœdus sempiternum. Propter hoc maledictio vorabit terram.* Et bene dicit, *lacerata*, quia lex justitiæ plena est et clara, nisi per interpretationem violentam laceretur ad injustitiam. Isa. X, 1 et 2 : *Væ qui condunt leges iniquas, et scribentes injustitiam scripserunt, ut opprimerent in judicio pauperes, et vim facerent causæ humilium populi mei!* « *Et,* » supple, quia lacerata est lex, « *non pervenit usque ad finem,* » supple, debitum, « *judicium.* » Glossa : « Finis judici est juste judicare, « hoc est, per sententiam jus suum uni- « cuique tribuere : » cujus oppositum fit, Isaiæ, LIX, 9 : *Propter hoc elongatum est judicium a nobis, et non apprehendet nos justitia.* Et repetit causam, ut sciatur hunc sequi effectum : « *Quia impius prævalet adversus justum, propterea egreditur judicium perversum,*» per iniquas scilicet sententias, per quas (sicut dicit Glossa) innocens Christus occiditur, et Barabbas latro dimittitur [1]. Isaiæ, I, 23 : *Pupillo non judicant, et causa viduæ non ingreditur ad illos.* Job, IX, 24 : *Terra data est in manus impii, vultum judicum ejus operit.*

5 « *Adspicite in gentibus.* » Responsio Domini est respondentis ad querelas inductas. Respondet autem primo in universali, secundo determinando ad particulare, ibi, « *Quia ecce ego.* »

« *Adspicite.* » Ac si dicat : Tu miraris quod impius prævalet adversus justum, sed tu et alii prophetæ nolite mirari, quia « *adspicite,* » supple, ea quæ fiunt « *in gentibus,* » quod scilicet nulli parco iniquo. Ad Hebr. II, 2 : *Omnis inobedientia justam accepit mercedis retributionem.* « *Et videte,* » hoc est, considerate, et meas vindictas et iniquitates illorum. Isa. XXXIV, 1 et 2 : *Accedite gentes, et audite, et populi attendite : audiat terra, et plenitudo ejus, orbis, et omne germen ejus : quia indignatio Domini super omnes gentes.* « *Admiramini,* » opera scilicet mea, et illorum, « *et obstupescite.* » Admiratio est suspensio in magnitudine facti : stupor autem cordis, insensibilitas et motus secundum sistolem, eo quod nec causam nec modum nec rationem facti potest invenire. Jerem. V, 30 : *Stupor et mirabilia facta sunt in terra.* Eccli. XLIII, 31 : *Terribilis Dominus, et magnus vehementer, et mirabilis potentia ipsius.* Quid autem mirantur subdit : « *Quia opus factum est in diebus vestris,* » supple, tam grande in potentia, tam profundum in sapientia, « *quod nemo credet cum narrabitur,* » præ magnitudine scilicet ipsius. Simile, Joel, I, 2 : *Audite hoc, senes, et auribus percipite, omnes habitatores terræ : si factum est istud in diebus vestris, aut in diebus patrum vestrorum?* Hoc autem est quod una gens prævalet ad orbis castigationem, quæ statim propria iniquitate ruitura sit. Isa. X, 6 : *Ad gentem fallacem mittam eum, et contra populum furoris mei mandabo illi ut auferat spolia, et dividat prædam, et ponat illum in conculcationem quasi lutum platearum.* Ac si dicat : Primo quidem omnes spoliabit, postea conculcabitur ut lutum.

Hoc autem opus determinat in quinque, patientia scilicet ferocitatis, regimine propriæ voluntatis, impetu nocendi, 6

[1] Cf. Matth. XXVII, 26 et seq.

et ad rapinam velocitatis aviditate, et universalitate spoliationis, crudelitate inspectionis et universalitate subjectionis orbis.

« *Quia ecce ego suscitabo Chaldæos,* » hactenus quiescentes et quasi dormien-

Chaldæus. tes, qui interpretatione nominis vicem dæmonis habent. Chaldæi enim *feroces* interpretantur. Simile, Isaiæ, XIII, 17 et 18 : *Ecce ego suscitabo super eos Medos, qui argentum non quærant, nec aurum velint, sed sagittis parvulos interficient.* « *Gentem amaram,* » hoc est, ad amaritudinem perducentem. Ruth, I, 20 : *Vocate me Mara (id est amaram), quia amaritudine valde replevit me Omnipotens.* Thren. III, 15 : *Replevit me amaritudinibus, inebriavit me absinthio.* « *Et velocem,* » Glossa « ad implenda præcepta « Dei. » Ex quo videtur, quod meruerunt : sed ad hoc dicendum, quod hoc quod præcepit Deus, veloces erant ad implendum, sed non ea intentione, qua Deus hoc præcepit. Deus enim ad correctionem præcepit Gentium castigationem : illi autem aviditate prædæ, et ambitione dominandi exsecuti sunt. Isa. x, 7 : *Ipse autem non sic arbitrabitur, et cor ejus non ita existimabit : sed ad conterendum erit cor ejus, et ad internecionem gentium non paucarum.* Proverb. I, 16 : *Pedes illorum ad malum currunt, et festinant ut effundant sanguinem,* scilicet innoxium. « *Ambulantem super latitudinem terræ,* » hoc est, non contentam finibus suis, sed volentem occupare totam terræ latitudinem. Job, I, 7 : *Circuivi terram, et perambulavi eam.* Isa. v, 8 : *Væ qui conjungitis domum ad domum, et agrum agro copulatis usque ad terminum loci! Numquid habitabitis vos soli in medio terræ?*

Quod autem intentione prædandi hoc faciant, subdit : « *Ut possideat taberna-*

Merito destituitur suis qui abutitur *cula non sua,* » rapiendo scilicet et ejiciendo alios a possessionibus suis. Hoc autem juste permisit Deus et voluit : quia qui suis abutitur, justum est ut a suis dejiciatur. Isa. XXII, 19 : *Expellam te de statione tua, et de ministerio tuo deponam te.* Sic angelus domicilium cœli, Adam vero paradisi perdidit habitaculum. Psal. LI, 7 : *Propterea Deus destruet te in finem, evellet te, et emigrabit te de tabernaculo tuo : et radicem tuam de terra viventium.*

7

Et subdit, quod incredulitate propriæ voluntatis sequetur sententiam :

« *Horribilis,* » hoc est, horrendas pœnas inferens, « *et terribilis est,* » minis scilicet et inclamationibus. Isa. XXI, 3 et 4 : *Corrui cum audirem, conturbatus sum cum viderem : emarcuit cor meum.* Job, XVI, 10 : *Collegit furorem suum in me, et comminans mihi infremuit contra me dentibus suis : hostis meus terribilibus oculis me intuitus est.* « *Ex semetipsa judicium,* » supple, de faciendis, hoc est, nullius consilio sapientis, sed propria regetur voluntate. II Machab. x, 28 : *Illi autem ducem belli animum habebant.* Imperium enim propriæ malitiæ exsequuntur. « *Et onus ejus,* » supple, quod imponunt aliis gravissimæ servitutis, « *egredietur,* » supple, et ideo nec consilio sapientium, nec prece bonorum, nec mansuetudine vel misericordia propria flectetur. Simile, III Reg. XII, 11 : *Pater meus posuit super vos jugum grave, ego autem addam super jugum vestrum : pater meus cecidit vos flagellis, ego autem cædam vos scorpionibus.* Act. XV, 10 : Hoc est *jugum, quod neque patres nostri, neque nos, portare potuimus.*

Et subdit, quam de facili inducantur 8
ad malum :

« *Leviores pardis equi ejus.* » Equus hic præceps in malum et effrænis impetus dicitur, quo mali facile inducuntur ad mala : quod significat per pardum qui velox est, et varius : velox præcipiti voluntate, et varius dolositate. Daniel. VII, 6 : *Ecce alia bestia quasi pardus, et alas habebat quasi avis,* propter scilicet velo-

citatem, et doli varietatem. Osee, XIII, 8 : *Bestia agri scindet eos.* « *Et velociores lupis vespertinis.* » Lupus in die occultatur, et de vespere famelicus egreditur, ideo propter famem prædæ tyranni hujus sæculi *lupi vespertini* dicuntur. Sophon. III, 3 : *Principes ejus in medio ejus quasi leones rugientes: judices ejus non relinquebant in mane.* De omnibus his simul, Jerem. V, 6 : *Percussit eos leo de silva, lupus ad vesperam vastavit eos, pardus vigilans super civitates eorum : omnis, qui egressus fuerit ex eis, capietur.* Sunt ergo leones crudelitate, lupi prædæ aviditate, pardi insequendi velocitate. « *Et diffundentur equites ejus,* » ut scilicet ubique rapiant. Jerem. L, 11 : *Effusi estis sicut vituli super herbam.* Vituli enim per totum effusi, undique viride decerpunt : et hoc faciunt tyranni in temporalibus, et dæmones in spiritualibus.

Lupus vespertinus tyrannus in subditos.

Et quod implacabiles sint, subdit :

« *Equites namque ejus de longe venient, volabunt,* » aviditate prædæ scilicet, « *quasi aquila festinans ad comedendum :* » de qua dicit Avicenna, quod « ad quingentas leucas odoratur cada- « ver et prædam. » Deuteron. XXVIII, 49 et seq. : *Adducet Dominus super te gentem de longinquo, et de extremis terræ finibus in similitudinem aquilæ volantis cum impetu : cujus linguam intelligere non possis : gentem procacissimam, quæ non deferat seni, nec misereatur parvuli, et devoret fructum jumentorum tuorum, ac fruges terræ tuæ : donec intereas.*

9 Et subdit de avaritia :

« *Omnes ad prædam venient.* » Jerem. VI, 13 : *A minore usque ad majorem omnes avaritiæ student.* « *Facies eorum,* » hoc est, præsentia, « *ventus urens,* » per effectum scilicet. Omnia enim sicca et arida relinquunt, sicut ventus urens. Hoc Joel, in cap. I, per multa describitur, et in fine concluditur sic, cap. II, 3 : *Ante faciem ejus ignis vorans, et post eum exurens flamma.*

Et subdit de multitudine captivorum, et subjugatorum diabolo et tyrannis :

« *Et congregabit quasi arenam, captivitatem,* » hoc est, multos captivos, hyperbolice per multitudinem arenæ significatos. Unde gloriando dicit, Isa. X, 14 : *Sicut colliguntur ova, quæ derelicta sunt, sic ego universam terram congregavi.*

Et ne credatur, quod aliquis resistat ei potentia, subdit de effectu potentiæ ejus, ut verum sit quod dicitur, Eccli. XLVIII, 13 : *In diebus suis non pertimuit principem, et potentia nemo vicit illum.* 10

« *Et ipse de regibus triumphabit,* » et non tantum de regibus, « *et tyranni,* » de viribus propriis scilicet præsumentes, « *ridiculi ejus erunt,* » hoc est, derisibiles faciet superando eos. Unde, Isa. X, 13, gloriatur dicens : *Abstuli terminos populorum, et principes eorum deprædatus sum, et detraxi quasi potens in sublimi residentes.* Isa. XLV, 2 : *Ego ante te ibo, et gloriosos terræ humiliabo.*

Et ne confidat aliquis de munitionibus, subdit :

« *Ipse super omnem munitionem ridebit,* » sive sit terrea munitio, sive spiritualis in scientiis et opibus. Has enim non curat : astutior enim est et fortior omni munitione. Thren. II, 5 : *Dissipavit munitiones ejus, et replevit in filia Juda humiliatum et humiliatam.* Isaiæ, XXXVI, 1 : *Ascendit Sennacherib, rex Assyriorum, super omnes civitates Juda munitas, et cepit eas.* « *Et comportabit aggerem,* » hoc est, terram ad implenda fossata, « *et capiet eam.* » Munitio enim spiritualis cito capitur per terrenorum appetitum, et per comportationem divitiarum. Ezech. XXVI, 8 : *Circumdabit te munitionibus, et comportabit aggerem in gyro.*

« *Tunc mutabitur spiritus ejus,* » supple, in superbiam, sicut mos superborum est, quod in prosperis elevantur. II ad Thess. 11

II, 4 : *Extollitur supra omne quod dicitur Deus, aut quod colitur.* Et reatu superbiæ spiritus humanus, qui in ipso est, mutabitur in spiritum feræ, sicut est mos superborum, quod ferales efficiuntur. Daniel. IV, 13 : *Cor ejus ab humano commutetur, et cor feræ detur ei.* Psal. XLVIII, 13 : *Homo, cum in honore esset, non intellexit : comparatus est jumentis insipientibus.* « *Et pertransibit,* » a gloria scilicet in ignominiam Deo condemnante. Psal. XXXVI, 36 : *Transivi, et ecce non erat.* Psal. CII, 16 : *Spiritus pertransibit in illo, et non subsistet : et non cognoscet amplius locum suum.* « *Et corruet,* » in mortem scilicet et in infernum. Isa. XIII, 12 : *Quomodo cecidisti de cœlo, Lucifer, qui mane oriebaris ? corruisti in terram, qui vulnerabas gentes ?* Apocal. XVIII, 2 : *Cecidit, cecidit Babylon magna : et facta est habitatio dæmoniorum.* Nec est mirum quod corruit, quia nullus stat in pede superbiæ. Psal. XXXV, 12 et 13 : *Non veniat mihi pes superbiæ, et manus peccatoris non moveat me. Ibi ceciderunt,* etc.

Superbia feroces facit.

Superbia instabilis.

Et causam ruinæ subdit per ironiam : « *Hæc est fortitudo ejus,* » falsa scilicet et mendax. Jerem. IX, 23 : *Non glorietur fortis in fortitudine sua.* Amos, II, 14 : *Fortis non obtinebit virtutem suam.* « *Dei sui,* » hoc est, quam (ut credit) dat sibi deus suus Bel vel draco : sicut et fortes sæculi ab his quæ colunt, putant se habere fortitudinem, sicut a divitiis, pompa, potentatu, et hujusmodi : sed quo fortiores sunt, eo citius cadunt. Luc. XI, 22 : *Si fortior eo superveniens vicerit eum, universa arma ejus auferet, in quibus confidebat, et spolia ejus distribuet*[1]. Isaiæ, I, 31 : *Erit fortitudo vestra ut favilla stuppæ, et opus vestrum quasi scintilla : et succendetur utrumque simul, et non erit qui exstinguat.*

12 « *Numquid ?* » Instructus a Domino de his de quibus quærebatur, humiliter redit ad confessionem veritatis, et sub modo et habitu humilitatis mitigationem petit dispensationis. Et ideo tria dicuntur hic, scilicet veritatis confessio, liberationis petitio, et publicæ justitiæ per dissimulationem confusio.

« *Numquid non tu a principio,* » supple, es? Proverb. VIII, 22 : *Dominus possedit me in initio viarum suarum, antequam quidquam faceret a principio.* Ad Hebr. I, 10 : *Tu in principio, Domine, terram fundasti, et opera manuum tuarum sunt cœli.* « *Domine Deus, meus,* » supple, qui me creasti. Glossa, « cujus « clementia subsistimus. » Ad Hebr. I, 3 : *Portans omnia verbo virtutis suæ.* Act. XVII, 28 : *In ipso vivimus, et movemur, et sumus.* « *Sancte meus,* » hoc est fortis meus. Exod. XV, 11 : *Quis similis tui in fortibus, Domine ? quis similis tui, magnificus in sanctitate ?* Jerem. X, 6 : *Non est similis tui, Domine : magnus es tu, et magnum nomen tuum in fortitudine.* « *Et non moriemur,* » te protegente scilicet sub tanto hoste. Ezech. XVIII, 31 et 32 : *Quare moriemini, domus Israel ? Quia nolo mortem morientis, dicit Dominus Deus, revertimini, et vivite !* Sap. I, 12 et 13 : *Nolite zelare mortem in errore vitæ vestræ, neque acquiratis perditionem in operibus manuum vestrarum : quoniam Deus mortem non fecit, nec lætatur in perditione vivorum.*

Exposita fide, et elevata spe, confitetur dispensationis veritatem, subdens :

« *Domine, in judicium* » correptionis scilicet, « *posuisti eum,* » Nabuchodonosor scilicet, vel diabolum, vel quemcumque tyrannum : ut scilicet judicium correptionis per eum facias, sicut per instrumentum ultionis tuæ, Isaiæ, X, 5 : *Virga furoris mei et baculus ipse est.* Et, post pauca, ℣. 6 : *Ad gentem fallacem mittam eum, et contra populum furoris mei mandabo illi.* Et hoc est quod subdit exponendo : « *Et,* » id est, « *fortem,* » cui

[1] Cf. Matth XII, 29.

nullus possit resistere, « *ut corriperes,* » supple, per eum alias gentes, « *fundasti eum,* » diabolum scilicet, vel Nabuchodonosor. Dicit autem *fundatum,* ne facile subverteretur a potestate : quia si potestatem amisisset, corripere non posset. Amos, II, 9 : *Altitudo cedrorum altitudo ejus, et fortis ipse quasi quercus* .Jerem. XII, 2 : *Plantasti eos, et radicem miserunt : proficiunt et faciunt fructum.* Et in hoc confitetur intentionem Domini disciplinantis filios. Ad Hebr. XII, 7 : *Quis filius, quem non corripit pater?* Psal. LXXXVIII, 33 : *Visitabo in virga iniquitates eorum, et in verberibus peccata eorum.* Sap. XII, 2 : *Eos, qui exerrant, partibus corripis : et de quibus peccant, admones et alloqueris : ut relicta malitia, credant in te, Domine.* II Machab. VI, 13 : *Multo tempore non sinere peccatoribus ex sententia agere, sed statim ultiones adhibere, magni beneficii est indicium.*

rat vigilia matutina, et ecce respexit Dominus super castra Ægyptiorum per columnam ignis et nubis, interfecit exercitus eorum : et subvertit rotas curvum, ferebanturque in profundum. Psal. XXIV, 19 : *Respice inimicos meos, quoniam multiplicati sunt, et odio iniquo oderunt me.* « *Et taces,* » hoc est, dissimulando ad modum tacentis te habes, « *devorante impio justiorem se* : » quamvis nullus sit justus apud te. Psal. CXLII, 2 : *Non justificabitur in conspectu tuo omnis vivens :* tamen devoratus secundum humanam justitiam, justior est devorante : et tu ad hoc taces, quod mirum videtur. Proverb. XXV, 19 : *Dens putridus, et pes lassus, qui sperat super infideli in die angustiæ.* Et, post pauca, ℣. 26 : *Fons turbatus pede, et vena corrupta, justus cadens coram impio.* Et cum videantur esse mirabilia coram Deo, et injusta coram homine, ex his videtur turbari ordo et regimen humanæ vitæ.

13 Et ideo subdit ex parte Dei ordinantis, veræ fidei confessionem :

Deus peccata non probat.

« *Mundi sunt oculi tui.* » Glossa, « quibus nihil placet immundum, » « *ne videas malum,* » per approbationem scilicet. In signum hujus, Genes. IV, 5, dicitur : *Ad Cain vero, et ad munera illius non respexit.* « *Et respicere ad iniquitatem non poteris :* » et bene dicit, *respicere.* Respectus enim est ad ea quæ retro sunt, post Deum autem sunt peccatores et peccata. In signum hujus, Genes. XIX, 26 : *Uxor Lot respiciens retro conversa est in statuam salis.* Ad Philip. III, 13 : *Quæ quidem retro sunt obliviscens, ad ea vero quæ sunt priora, extendens meipsum.*

Hæc veritatis confessione posita, omni humilitate revertitur ad quæstionem et admirationem dispensationis mundi :

« *Quare respicis super iniqua agentes* [1], » respectu scilicet illo, de quo dicitur, Exod. XIV, 23 et 24 : *Jam advene-*

« *Et facies,* » in ordine rerum scilicet, **14**
« *homines* » rationabiles, « *quasi pisces maris,* » in sagenam scilicet impiorum congregandos. Jerem. XVI, 16 : *Ecce ego mittam piscatores multos, dicit Dominus, et piscabuntur eos.* « *Et quasi reptile non habens principem,* » supple, facies homines, quod scilicet non habet ordinem, nisi conculcandi et projiciendi. Psal. XXI, 7 : *Ego sum vermis, et non homo : opprobrium hominum, et abjectio plebis.*

Et qualiter hoc sit, subdit : **15**

« *Totum in hamo suo sublevavit.* » *Hamus* est aculeus sub esca latens, et significat eos qui spe mercedis temporalis vel falsæ promissionis seducuntur. Eccle. IX, 12 : *Sicut pisces capiuntur hamo, et sicut aves laqueo comprehenduntur : sic capiuntur homines in tempore malo, cum*

Hamus.

[1] Cf. expositionem jam factam super ℣. 3 cum nota ibidem.

eis extemplo supervenerit. Nota autem quod hamo capiuntur unus et unus, quia et Nabuchodonosor et diabolus trahunt unum et unum, et postea plures. Et hoc est quod sequitur : « *Traxit illud in sagena sua.* » *Sagenam* vocat magnam extensionem acquisitionis et variam. Eccle. VII, 27 : *Sagena cor ejus, vincula sunt manus illius.* « *Et congregavit in rete suum.* » *Rete* significat varias implexiones tentationum et occasionum peccandi. Job, XVIII, 8 : *Immisit in rete pedes suos, et in maculis ejus ambulat.* Ambulare autem, est quotidie magis ac magis involvi.

Sagena. Rete.

« *Super hoc lætabitur,* » supple, corde, « *et exsultabit,* » corpore etiam. Proverb. II, 14 : *Lætantur cum malefecerint, et exsultant in rebus pessimis.*

16 « *Propterea immolabit sagenæ suæ.* » Glossa vult, quod sagenam vocat deum suum, cujus auxilio putabat multiplicari sibi subjectos et captivos. « *Et sacrificabit reti suo,* » hoc est, partes dabit militibus et ministris, quibus alios capiet. Ezech. XVII, 20 : *Et expandam super eum rete meum, et comprehendetur in sagena mea.* Causam autem delectationis subdit : « *Quia in ipsis,* » sagena scilicet, et reti, « *incrassata est pars ejus,* » hoc est, dilatum est regnum ejus, Nabuchodonosor, vel diaboli. Deuter. XXXII, 15 : *Incrassatus est dilectus, et recalcitravit : incrassatus, impinguatus, dilatatus.* « *Et cibus ejus electus.* » Electos enim divites et potentes et nobiles devorat. Jerem. LI, 34 : *Absorbuit me quasi draco, replevit ventrem suum teneritudine mea.* Job, XL, 18 : *Absorbebit fluvium et non mirabitur : et habet fiduciam quod influat Jordanis in os ejus.*

« *Propter hoc ergo,* » supple, quia **17**
delectatur in talibus, « *expandit sagenam suam* » hoc est, latam et diffusam ministrorum et exercituum expansionem, quod tam diabolo quam Nabuchodonosor competit. Matth. XIII, 47 : *Simile est regnum cælorum sagenæ missæ in mare, et ex omni genere piscium congreganti.* « *Et semper interficere gentes non parcet,* » crudelitate scilicet propria semper sanguinem sitiens. Isaiæ, X, 7 : *Ad conterendum erit cor ejus, et ad internecionem gentium non paucarum.*

CAPUT II.

Prophetæ a Domino responsum exspectanti præcipitur ut scribat visionem, ac longanimiter ipsius eventum exspectet : destructio Babylonis propter multa ipsorum scelera describitur, et quod idola eis non proderunt.

1. Super custodiam meam stabo, et figam gradum super munitionem, et contemplabor ut videam quid dicatur mihi, et quid respondeam ad arguentem me.
2. Et respondit mihi Dominus, et dixit : Scribe visum, et explana eum super tabulas, ut percurrat qui legerit eum.
3. Quia adhuc visus procul : et apparebit in finem, et non mentietur : si moram fecerit, exspecta illum, quia veniens veniet, et non tardabit.
4. Ecce qui incredulus est, non erit

recta anima ejus in semetipso : justus autem in fide sua vivet [1].
5. Et quomodo vinum potantem decipit, sic erit vir superbus, et non decorabitur : qui dilatavit quasi infernus animam suam, et ipse quasi mors, et non adimpletur : et congregabit ad se omnes gentes, et coacervabit ad se omnes populos.
6. Numquid non omnes isti super eum parabolam sument, et loquelam ænigmatum ejus : et dicetur : Væ ei qui multiplicat non sua ! usquequo et aggravat contra se densum lutum?
7. Numquid non repente consurgent qui mordeant te, et suscitabuntur lacerantes te, et eris in rapinam eis?
8. Quia tu spoliasti gentes multas, spoliabunt te omnes qui reliqui fuerint de populis, propter sanguinem hominis, et iniquitatem terræ civitatis, et omnium habitantium in ea.
9. Væ qui congregat avaritiam malam domui suæ, ut sit in excelso nidus ejus, et liberari se putat de manu mali!
10. Cogitasti confusionem domui tuæ, concidisti populos multos, et peccavit anima tua.
11. Quia lapis de pariete clamabit : et lignum, quod inter juncturas ædificiorum est, respondebit.
12. Væ qui ædificat civitatem in sanguinibus [2], et præparat urbem in iniquitate !
13. Numquid non hæc sunt a Domino exercituum ? Laborabunt enim populi in multo igne, et gentes in vacuum, et deficient.
14. Quia replebitur terra, ut cognoscant gloriam Domini, quasi aquæ operientes mare.
15. Væ qui potum dat amico suo mittens fel suum, et inebrians ut adspiciat nuditatem ejus!
16. Repletus es ignominia pro gloria : bibe tu quoque, et consopire. Circumdabit te calix dexteræ Domini, et vomitus ignominiæ super gloriam tuam.
17. Quia iniquitas Libani operiet te, et vastitas animalium deterrebit eos de sanguinibus hominum, et iniquitate terræ, et civitatis, et omnium habitantium in ea.
18. Quid prodest sculptile, quia sculpsit illud fictor suus, conflatile, et imaginem falsam? quia speravit in figmento fictor ejus, ut faceret simualcra muta.
19. Væ qui dicit ligno : Expergiscere : Surge, lapidi tacenti ! Numquid ipse docere poterit? Ecce iste coopertus est auro et argento : et omnis spiritus non est in visceribus ejus.
20. Dominus autem in templo sancto suo [3] : sileat a facie ejus omnis terra !

IN CAPUT II HABACUC

ENARRATIO.

« *Super custodiam meam stabo.* » Tangitur hic plena revelatio quæstionum inductarum, et habet duas partes. Prima est descriptio revelationis, et ejus cui fit revelatio. Secunda, descriptio rei revelatæ, ibi, ℣. 5 : « *Et quomodo vinum.* »

Prima duos paragraphos habet : descriptionem scilicet Prophetæ, cui fit revelatio, ibi, « *Et respondit mihi Dominus :* » et descriptionem revelationis.

[1] Joan. III 36 ; ad Roman I, 17 ; ad Galat. III, 11 ; ad Hebr. X, 38.

[2]. Ezech. XXIV, 9 ; Nahum, III, 1.

[3]. Psal. X, 5.

In primo sex dicuntur, scilicet custodia ab impedimentis contemplandi, etc.

1 « *Super custodiam meam stabo.* » *Meam*, hoc est, mei : *stabo*, hoc est, stans erectus in virtute, custodiam me ne phantasiis errorum decipiar, ne peccatis obnubiler, ne pondere corporis opprimar. De primo, Genes. xv, 11 : *Descenderunt volucres super cadavera*, scilicet sacrificiorum Abrahæ, hoc est, muscæ et vespæ : *et abigebat eas Abram.* Muscæ istæ et vespæ significant phantasias errorum contemplanti se ingerentes. Eccle, x, 1 : *Muscæ morientes perdunt suavitatem unguenti :* devotionem enim perdunt hujusmodi phantasiæ. De secundo, Sap. I, 4 : *In malevolam animam non introibit sapientia, nec habitabit in corpore subdito peccatis.* De tertio, Sap. IX, 15 : *Corpus quod corrumpitur, aggravat animam, et terrena inhabitatio deprimit sensum multa cogitantem.*

Secundum est :

« *Et figam gradum meum,* » hoc est, pedem meum, affectus scilicet et intellectus, « *super munitionem,* » meam scilicet. Duo muniunt Prophetam : veritas scilicet, et virtus : gradus intellectus stat super veritatem, gradus affectus super virtutem. Sic Salomon, III Regum, VIII, 54 : *Utrumque genu in terram fixerat*, ut firmius coram Domino oraret. Sic Esdras et Nehemias super gradum ligneum stabant quem fecerant ad loquendum [1]. Sic Daniel. x, 11, dicitur : *Sta in gradu tuo.*

Prophetæ duplex præsidium.

Et subdit tertium :

« *Et contemplabor,* » hoc est, virtutes contemplativas extendam et erigam. Isaiæ, XI, 5 : *Contemplare in specula.* Specula enim alta est, et erectionem virtutum contemplativarum significat. Baruch, v, 5 : *Sta in excelso, et circumspice ad orientem, et vide.* Lucæ, XXI, 28 : *Respicite, et levate capita vestra.*

Et subdit quartum :

« *Ut videam,* » hoc est, ut videndo discernam. Apocalyp. III, 18 : *Collyrio inunge oculos tuos ut videas.* Collyrium autem est cordis munditia. Matth. v, 8 : *Beati mundo corde : quoniam ipsi Deum videbunt.* Visio autem divina perficitur, ut ratio purificata ad fidem convertatur, Act. xv, 9 : *Fide purificans corda eorum :* et fides convertatur ad intellectum Scripturarum, Daniel. x, 1 : *Intelligentia est opus in visione* : intellectus vero gustu sapientiæ formetur, Proverb. XXXI, 18 : *Gustavit, et vidit quia bona est negotiatio ejus.* Psal. XXXIII, 9 : *Gustate, et videte*, et sic gustans Spiritui revelanti innitatur, Ezech. I, 12 : *Ubi erat impetus spiritus, illuc gradiebantur.* Psal. CXLII, 10 : *Spiritus tuus bonus deducet me in terram rectam.*

Et subdit quinto de auditu :

« *Quid dicatur mihi,* » ad mei scilicet et aliorum instructionem. Daniel. IX, 23 : *Tu ergo animadverte sermonem, et intellige visionem.* Intellige verba quæ ego loquor ad te. Ezech. III, 17 : *Audies de ore meo verbum.* I Reg. III, 10 : *Loquere, Domine, quia audit servus tuus.*

Et subdit sexto :

« *Et quid respondeam ad arguentem me.* » Ad hoc enim loquitur Dominus ut respondeatur ei per obedientiam. Job, XXXVIII, 3 : *Accinge sicut vir lumbos tuos : interrogabo te, et responde mihi.*

« *Et respondit mihi Dominus, et dixit.* » Ponit hic visus descriptionem in tribus, in explanatione scilicet, in temporis protelatione, in visus fidelitate et veritate. 2

« *Et respondit mihi Dominus,* » satisfaciens scilicet quærenti, « *et dixit,* » satisfaciens etiam quæstioni. Isa. XLVIII, 17 : *Ego Dominus Deus tuus docens te utilia.* Isa. L, 4 : *Dominus mane erigit*

[1] Cf. II Esdr. VIII, 7 : *Stetit autem Esdras scriba super gradum ligneum, quem fecerat ad loquendum : et steterunt juxta eum,* etc.

mihi aurem, ut audiam eum tamquam magistrum. « *Scribe visum,* » Spiritum Dei vivi scilicet in cordibus auditorum. II ad Corinth. III, 2 et 3 : *Epistola nostra vos estis, scripta in cordibus nostris, quæ scitur, et legitur ab omnibus hominibus : manifestati quod epistola estis Christi, ministrata a nobis, et scripta non atramento, sed spiritu Dei vivi.* Jerem. XXXI, 33 : *Dabo legem meam in visceribus eorum, et in corde eorum scribam eam.* « *Et explana eum,* » ut intelligantur mysteria quæ latent sub cortice literæ. II Esdræ, VIII, 8, legit Esdras in libro legis Dei distincte et aperte [1]. Sic fecit Christus discipulis, Lucæ, XXIV, 27 : *Incipiens a Moyse, et omnibus prophetis, interpretabatur illis in omnibus Scripturis, quæ de ipso erant.* « *Super tabulas.* » Cor rasum a peccatis, planatum virtute per studium veritatis, inscriptionem avidum recipere, *tabula* vocatur. Talibus in tabulis digitus Dei scripsit legem [2]. « *Ut percurrat,* » hoc est, currendo facile intelligat, « *qui legerit eum.* » Propter hoc dicitur, Isa. VIII, 1 : *Sume tibi librum grandem, et scribe in eo stylo hominis,* hoc est, ad facilem hominis intellectum. Daniel. XII, 4 : *Plurimi pertransibunt et multiplex erit scientia.*

r mun- n tabula t legis.

3 Et subdit de protelatione visus :

« *Quia adhuc visus procul,* » supple, est. Mystice enim non implebitur, nisi in fine temporum. Litteraliter vero non nisi impletis peccatis Babyloniorum. Isa. XXX, 27 : *Ecce nomen Domini venit de longinquo.* Numer. XXIV, 23 : *Heu! quis victurus est, quando ista faciet Dominus ?* Daniel. VII, 13, secundum Septuaginta : « Adspiciens a longe, ecce video Dei po- « tentiam venientem [3]. »

Et subdit de visus fidelitate et veritate : » *Et apparebit in finem,* » hoc est, finaliter, etsi ad tempus differatur. I Reg. IX, 6. *Omne quod loquitur, absque ambiguitate venit.* Tobiæ, XIV, 6 : *Non enim excidit verbum Domini.* « *Et non mentietur,* » ut aliquem scilicet decipiat. Ad Tit. I, 2 : *Quam promisit qui non mentitur, Deus.* Numer. XXIII, 19 : *Non est Deus quasi homo, ut mentiatur : nec ut filius hominis, ut mutetur.* Et ideo, supple, « *si moram fecerit,* » supple, visus ad tempus, « *exspecta illum* » securus. Genes. XLIX, 18 : *Salutare tuum exspectabo, Domine.* Thren. III, 24 : *Pars mea Dominus, dixit anima mea : propterea exspectabo eum.* « *Quia veniens veniet,* » hoc est, continuo appropinquans. Ad Hebr. X, 37 et 38 : *Adhuc modicum aliquantulum, qui venturus est, veniet, et non tardabit. Justus autem meus ex fide vivit : quod si subtraxerit se, non placebit animæ meæ.* « *Et non tardabit,* » sicut quidam putant. II Petr. III, 9 : *Non tardat Dominus promissionem suam, sicut quidam existimant : sed patienter agit propter vos, nolens aliquos perire, sed omnes ad pœnitentiam reverti.*

Et subdit de damno non credentium, et utilitate credentium visum : 4

« *Ecce qui incredulus est,* » supple, visui. Isa. XXI, 2 : *Qui incredulus est, infideliter agit.* Joan. III, 18 : *Qui non credit, jam judicatus est.* Et hoc est quod sequitur : « *Non est recta anima ejus.* » Plato dicit, quod « rectum pro- « prie est, quod applicatum recto undi- « que tangit et tangitur. » Deus autem rectus est, quem anima recta undique tangit et tangitur : et quod non est rectum, incurvatur ab ipso. Psal. LXXII, 1 : *Quam bonus Israel Deus, his qui recto sunt corde!* Cant. I, 3 : *Recti diligunt te.* Isa. XXVI, 7 : *Semita justi recta est,*

[1] II Esdræ, VIII, 8 : *Et legerunt in libro legis Dei distincte, et aperte ad intelligendum,* etc.

[2] Cf. Exod. XXXI, 18.

[3] Vulg. habet, Daniel. VII, 13 : *Adspiciebam in visione noctis, et ecce cum nubibus cœli quasi filius hominis veniebat,* etc.

rectus callis justi ad ambulandum. Proverb. xi, 6 : *Justitia rectorum liberabit eos, et in insidiis suis capientur iniqui.* « *In semeptipso.* » Hoc dicit, quia ipse sibi causa curvitatis est. Oratio Manassæ, sub medio : *Incurvatus sum multo vinculo ferreo, ut non possim attollere caput meum, et non est respiratio mihi.* « *Justus autem,* » sive rectus, « *in fide sua,* » hoc est, merito fidei suæ, « *vivet,* » ab hostibus liberatus. Matth. xxii, 32 : *Non est Deus mortuorum, sed viventium.* Joan. xi, 25 : *Qui credit in me, etiamsi mortuus fuerit, vivet.*

5 « *Et quomodo vinum.* » Tangit hic rem visam, et habet duas partes. Primo enim describit ambitionis et avaritiæ insatiabilitatem. Secundo, peccantibus in hoc peccato ponit maledictionem, ibi, « *Væ qui congregat avaritiam !* »

Prima tres habet paragraphos, scilicet libidinem illicientem, avaritiam insatiabilem, et peccantium derisionem.

« *Et quomodo vinum,* » calore scilicet, et vapore, « *potantem* » se « *decipit,* » ad insaniam scilicet convertendo. Prov. xxiii, 31 et 32 : *Ne intuearis vinum quando flavescit, cum splenduerit in vitro color ejus : ingreditur blande, sed in novissimo mordebit ut coluber.* « *Sic erit vir superbus.* » Nabuchodonosor scilicet, et quilibet alius, libidine scilicet dominandi, et cupiditate divitiarum ad insaniam deductus. Isa. xxviii, 7 : *Præ vino nescierunt, et præ ebrietate erraverunt.* Ad Ephes. v, 18 : *Nolite inebriari vino, in quo est luxuria.* Prov. xxxi, 4 : *Noli regibus, o Lamuel, noli regibus dare vinum : quia nullum secretum est ubi regnat ebrietas.* « *Et non decorabitur.* » Ebrius enim vomit et sordet, sic ebrius ambitione in insaniam bestiæ convertitur. De primo, Isa. xxviii, 8 : *Omnes mensæ repletæ sunt vomitu sordiumque, ita ut non esset ultra locus.* De secundo, Daniel. iv, 13 : *Cor ejus ab humano commutetur, et cor feræ detur ei.*

« *Quia dilatavit,* » supple, superbus vir dilatatione ambitionis et cupiditatis, « *quasi infernus,* » qui, Prov. xxx, 15 et 16, inter insatiabilia ponitur [1], « *animam suam,* » hoc est, animale desiderium suum. Isa. xxx, 33 : *Præparata est ab heri Tophet, a rege præparata, profunda, et dilatata. Nutrimenta ejus, ignis et ligna multa.* Isa. v, 14 : *Dilatavit infernus animam suam, et aperuit os suum absque ullo termino.* « *Et ipse quasi mors,* » supple, est, quæ scilicet non satiatur interfectis. Sap. xviii, 16 : *Stans,* in terra scilicet, *replevit omnia morte.* « *Et non adimpletur.* » Glossa : « Semper enim avarus eget. » Eccle. v, 9 : *Avarus non implebitur pecunia.*

Qualiter autem hoc faciat, subdit : « *Et,* » id est, « *congregabit ad se omnes gentes,* » ut omnibus scilicet dominetur. Judith, ii, 3 : *Dixit cogitationem suam in eo esse, ut omnem terram suo subjugaret imperio.* « *Et coacervabit ad se omnes populos,* » civitatum scilicet, et oppidorum : ut scilicet omnium spoliis suam satiaret avaritiam. Isa. x, 14, gloriando dicit : *Sicut colliguntur ova, quæ derelicta sunt, sic universam terram ego congregavi.* Ezech. xxxviii, 12 : *Ut diripias spolia, et invadas prædam... tu venis ?* Et, post pauca, ℣. 13 : *Ecce ad diripiendam prædam congregasti multitudinem tuam, ut tollas argentum, et aurum, et auferas suppellectilem, atque substantiam, et diripias manubias infinitas.*

Et subdit de peccati irrisione, et habet 6
duas partes, scilicet derisionem, et pœnam.

« *Numquid non omnes isti,* » afflicti

[1] Proverb. xxx, 15 et 16 : *Tria sunt insaturabilia, et quartum, quod numquam dicit : Sufficit. Infernus,* etc.

scilicet, et contriti per eum, « *super eum parabolam sument*, » hoc est, similitudinarium et derisivum sermonem? Isa. xiv, 4 : *Sumes parabolam istam contra regem Babylonis, et dices : Quomodo cessavit exactor, quievit tributum ?* « *Et loquelam ænigmatum ejus,* » supple, sument, hoc est, loquelam multarum parabolarum et ænigmatum sument ad deridendum eum. Isa. xxxvii, 22 : *Despexit te, et subsannavit te virgo filia Sion : post te caput movit filia Jerusalem.* « *Et dicetur*, » maledicendo scilicet tibi, et deridendo : « *Væ ei qui multiplicat non sua !* » id est, quia retinere non poterit quæ illicite acquisivit. Glossa inducit illud Jerem. xvii, 11 : *Perdix fovit quæ non peperit : fecit divitias, et non in judicio : in dimidio dierum suorum derelinquet eas, et in novissimo suo erit insipiens.* Unde dicitur, Luc. xii, 20 : *Quæ parasti, cujus erunt ?* Et quia dixit de parabola, ponit similitudinem : « *Usquequo et aggravat contra se densum lutum ?* » Lutum ex terra grave est, ex humore immundum est et polluens, ex densitate tenax est et detinens : et ita opera carnalia et mundana et divitiæ carnales et gravant et polluunt et detinent hominem ne ad Deum veniat. Sic Exod. i, 11, filii Israel Pharaoni serviebant in operibus luti et lateris. Psal. lxviii, 3 : *Infixus sum in limo profundi, et non est substantia.* Item, Psal. xvii, 43 : *Ut lutum platearum delebo eos.*

vitiæ luto mparantur.

7 Hoc autem quasi ex ratione nititur probare, subdens, et apostrophen ad Babylonem faciens :

« *Numquid non repente consurgent ?* » Dionysius : « *Repente* fit quod fit sine « præmeditatione, et præter spem, » sicut Medi et Persæ consurrexerunt contra Babylonem. Jerem. li, 1 et 2 : *Ecce ego suscitabo super Babylonem et super habitatores ejus, qui cor suum levaverunt contra me, quasi ventum pestilentem. Et mittam in Babylonem ventilatores, et ventilabunt eam.* « *Qui mordeant te,* » scilicet Medos et Persas primo affligendo. Prov. xxx, 14 : *Generatio quæ pro dentibus gladios habet, et commandit molaribus suis, ut comedat inopes de terra.* « *Et suscitabuntur lacerantes te*, » supple, secundo : hoc est, terras et regna ab obedientia tua revocando : ut lacerata in diversas partes, potestatem amittas, et sic tandem, tota « *eris in rapinam eis,* » Medis scilicet, et Persis. Isa. xiii, 17 et 18 : *Suscitabo super vos Medos, qui argentum non quærant, nec aurum velint : sed sagittis parvulos interficient.*

Meritum autem hujus pœnæ subjungit, ut justior sit condemnatio : 8

« *Quia tu spoliasti gentes multas*, » subjugando eas scilicet tibi : « *spoliabunt te omnes, qui reliqui fuerint de populis.* » *Reliqui de populis* humiles dicuntur, et dejecti et non reputati, qui propter paupertatem nihil relinquunt. Isa. xxxiii, 1 : *Væ qui prædaris, nonne et ipse prædaberis ? et qui spernis, nonne et ipse sperneris ?* « *Propter sanguinem hominis,* » hoc est, humanum, quem scilicet multum fudisti, et maxime Judæorum et Sanctorum. Osee, iv, 2 : *Sanguis sanguinem tetigit.* « *Et iniquitatem terræ,* » totius scilicet quam inique subjecisti. Isa. xxvi, 10 : *In terra Sanctorum iniqua gessit.* « *Civitatis,* » Jerusalem scilicet, vel congregationis Sanctorum. Isa. lxiv, 10 : *Civitas sancti tui facta est deserta, Sion deserta facta est, Jerusalem desolata est.* « *Et omnium,* » hoc est, rationabilium « *habitantium in ea.* » Cives enim Dei rationabiles, et sancti sunt : et hos turbare peccatum est. Psal. lxxxvi, 7 : *Sicut lætantium omnium habitatio est in te.* Tob. xiii, 20 : *Beatus ero si fuerint reliquiæ seminis mei ad videndam claritatem Jerusalem.*

9 « *Væ qui congregat !* » Ponit hic exaggerationem peccati sub interminatione maledictionis. Et quia in quatuor gloriabatur Nabuchodonosor, divitiis, munitionibus, oppressionibus, et idolis : ideo quatuor ponit maledictiones, quæ per ordinem patent in littera. Quælibet istarum habet duas partes, scilicet culpæ exaggerationem, et pœnæ interminationem.

« *Væ qui congregat,* » ex quacumque acquisitione. Sapient. xv, 12 : *Existimabant conversationem vitæ compositam esse ad lucrum, et oportere undecumque, etiam ex malo acquirere.* « *Avaritiam,* » hoc est, res avare acquisitas et avare retentas. Mala acquisitio fit per rapinam, furtum, usuras, fraudes : male retentum, necessitati pauperum subtractum. « *Malam,* » scilicet ex mala radice. I ad Timoth. vi, 10 : *Radix omnium malorum est cupiditas,* vel malam, ut dicit Glossa, quia est causa ruinæ domus. Et hoc est quod addit : « *Domui suæ.* » Eccle. v, 12 et 13 : *Est et alia infirmitas pessima quam vidi sub sole : divitiæ conservatæ in malum domini sui. Pereunt enim in afflictione pessima : generavit filium, qui in summa egestate erit.* Egens enim filius subversio domus est. Job, xviii, 14 : *Avellatur de tabernaculo suo fiducia ejus, et calcet super eum, quasi rex, interitus.* Et subdit de divitum mala intentione : « *Ut sit in excelso,* » gloriæ scilicet mundanæ, « *nidus ejus.* » Isa. xxii, 16 et 17 : *Excidisti in excelso memoriale diligenter, in petra tabernaculum tibi. Ecce Dominus asportari te faciet, sicut asportatur gallus gallinaceus.* Abdiæ, ℣. 3 : *Superbia cordis tui extulit te, habitantem in scissuris petrarum, exaltantem solium tuum.* Et subdit de falsa spe divitum : « *Et liberari se putat,* » supple, pretio avaritiæ, et fastu superbiæ, « *de manu mali,* » præsentis scilicet, vel futuri. Prov. vi, 34 et 35 : *Zelus et furor viri non parcet in die vindictæ, nec aquiescet cujusquam precibus, nec suscipiet pro redemptione dona plurima.* Job, xv, 31 : *Non credet frustra errore deceptus, quod aliquo pretio redimendus sit.*

Cupiditas omnium malorum radix.

Exaggerata culpa subdit pœnam : 10

« *Cogitasti confusionem,* » hoc est, causam confusionis, « *domui tuæ,* » id est, successioni tuæ. Isa. xiv, 21 : *Præparate filios ejus occisioni in iniquitate patrum suorum : non consurgent, nec hæreditabunt terram, neque implebunt faciem orbis civitatum,* supple, quia « *concidisti populos multos,* » rapinis scilicet, angariis, et perangariis, et aliquando occisionibus, ut eorum spoliis gloriosam tibi faceres domum. Isa. xiv, 20 : *Tu enim terram tuam disperdidisti, tu populum occidisti : non vocabitur in æternum semen pessimorum.* « *Et peccavit anima tua.* » Sensus est : Ex intentione et delectatione animæ tuæ peccasti in avaritia. Mich. ii, 1 et 2 : *Contra Deum est manus eorum. Et concupierunt agros, et violenter tulerunt, et rapuerunt domos : et calumniabantur virum et domum ejus, virum et hæreditatem ejus.*

« *Quia lapis de pariete clamabit,* » 11
hoc est, materia clamoris contra vos erit, eo quod per angarias pauperum positus est. Simile, Luc. xix, 40 : *Si hi tacuerint, lapides clamabunt.* « *Et lignum quod inter juncturas ædificiorum est.* » In domibus pulchris et tabulatis, ligna picta et aurata tegentia juncturas tabularum affigi consueverunt, quæ superflua sunt in ædificiis divitum, et male extorquentur laboribus pauperum. « *Respondebit,* » peccato vestro scilicet, clamando super vos. Sap. v, 18, 21 : *Armabit creaturam ad ultionem inimicorum, ... et pugnabit cum illo orbis terrarum contra insensatos.* Jerem. xxii, 13 et 14 : *Væ qui ædificat domum suam in injustitia, et cœnacula sua non in judicio ! Amicum suum opprimet frustra,*

et mercedem ejus non reddet ei. Qui dicit : Ædificabo mihi domum latam, et cœnacula spatiosa : qui aperit sibi fenestras, et facit laquearia cedrina, pingitque sinopide.

12 « *Væ qui ædificat civitatem !* » Babylonem scilicet, vel quamcumque. Et tangit gloriam Nabuchodonosor in civitatibus et munitionibus. « *In sanguinibus,* » hoc est, in sanguine et sudore pauperum, raptis ab eis. Daniel. IV, 27 : *Nonne hæc est Babylon magna, quam ego ædificavi in domum regni, in robore fortitudinis meæ, et in gloriam decoris mei ?* Unde prima civitas ante diluvium ædificata legitur a Cain, ut ex illa opprimeret pauperes, sicut fratrem suum ante occiderat[1]. Post diluvium autem prima ædificata fuit a Nemrod et posteris ejus, et vocata est Babylon[2], ut ex illa, sicut robusti, venationes agerent in innocentes. « *Et præparat urbem,* » munitam scilicet, « *in iniquitate,* » hoc est, ad iniquitatem exercendam. Urbs enim sonat præsidium. Isa. xxv, 2 : *Posuisti civitatem in tumulum, urbem fortem in ruinam.* Mich. III, 10 : *Qui ædificatis Sion in sanguinibus, et Jerusalem in iniquitate.*

Cain primus civitatum construxit.

Nemrod ædificavit Babylonem.

13 Et subdit pœnam post culpam :

« *Numquid non hæc sunt,* » supple, quæ dicturus sum, « *a Domino exercituum,* » supple, quasi sententiæ promulgatæ ? Isa. LIX, 15 et 16 : *Et vidit Dominus, et malum apparuit in oculis ejus, quia non est judicium. Et vidit quia non est vir : et aporiatus est, quia non est qui occurrat.* Quod autem sit a Domino, subdit : « *Laborabunt enim populi,* » afflicti scilicet temporaliter, et æternaliter. Sap. v, 7 : *Lassati sumus in via iniquitatis et perditionis, et ambulavimus vias difficiles.* « *In multo igne,* » quem sibi peccatis succenderunt. Isa. L, 11 : *Ecce vos omnes accendentes ignem, accincti flammis : ambulate in lumine ignis vestri, et in flammis quas succendistis : de manu mea factum est hoc vobis : in doloribus dormietis.* Isa. LXVI, 24 : *Vermis eorum non morietur, et ignis eorum non exstinguetur.* Propter hoc dicit Isaac in libro *Diffinitionum*, quod « tales deprimentur sub tristi orbe, « et concremabuntur in igne magno. » « *Et Gentes,* » hoc est, gentiliter viventes, « *in vacuum,* » supple, laborabunt congregando divitias. Eccle. v, 9 : *Avarus non implebitur pecunia : et qui amat divitias, fructus non capiet ex eis.* « *Et,* » id est, quia « *deficient* » et divites et divitiæ. Luc. XII, 20 : *Stulte, hac nocte animam tuam repetunt a te : quæ autem parasti, cujus erunt ?* Psal. LXXV, 6 : *Dormierunt somnum suum, et nihil invenerunt omnes viri divitiarum.*

Qualiter autem deficiat, subdit : 14

« *Quia replebitur terra,* » hoc est, homines habitantes in terra, « *ut cognoscant gloriam Domini,* » id est, ut cognoscibiliter omnibus appareat potentia majestatis Domini in contritione Babylonis. Isa. XL, 5 : *Revelabitur gloria Domini, et videbit omnis caro pariter quod os Domini locutum est.*

Et hujus gloriæ describit abundantiam, subdens : « *Quasi aquæ operientes mare,* » hoc est, fundum et alveum maris implentes, ita quod exuberet, sicut facit mare in effluxu. Et vult dicere, quod fama victoriæ super iniquos undique prædicabitur. Isa. x, 22 et 23 : *Consummatio abbreviata inundabit justitiam. Consummationem enim et abbreviationem Dominus Deus exercituum faciet in medio omnis terræ.* Eccli. XXIV, 43 : *Factus est mihi trames abundans, et fluvius meus appropinquavit ad mare.*

[1] Cf. Genes. IV, 17.

[2] Ibid. x, 10.

15 « *Væ qui potum dat !* » Tangit hic quod per oppressionem, calicem amaritudinis omnibus propinavit, et exaggerat culpam, et postea interminatur pœnam.

« *Væ qui potum dat,* » amaritudinis scilicet et afflictionis, « *amico suo !* » Amicus intelligitur omnis homo qui inimicitias non agit. Jerem. xxv, 15 et 16 : *Sume calicem vini furoris hujus de manu mea, et propinabis de illo cunctis gentibus, ad quas ego mittam te. Et bibent, et turbabuntur, et insanient a facie gladii quem ego mittam inter eos.* « *Mittens fel suum,* » id est, amaritudinem in potum, « *et inebrians,* » hoc est, ad tantam angustiam perducens ut insaniant sicut ebrii. Deuter. xxxii, 33 : *Fel draconum vinum eorum, et venenum aspidum insanabile.* Thren. iii, 15 : *Replevit me amaritudinibus, inebriavit me absinthio.* Hoc peccatum proprie tyrannorum est et malorum Prælatorum. « *Ut adspiciat nuditatem ejus,* » hoc est, in tantum spolians quod nudus appareat, etiam interulam non relinquendo. Job, xxiv, 10 : *Nudis et incedentibus absque vestitu, et esurientibus tulerunt spicas,* hoc est, pauperes manipulos.

16 Et subdit pœnam :

« *Repletus es ignominia pro gloria :* » et potest legi cum præcedenti vel cum consequenti. Si cum præcedenti, sensus est : Cujus adspicis nuditatem, repletus est ignominia pro gloria quam ei debuisti exhibere et facere. Isa. xx, 4 : *Minabit rex Assyriorum captivitatem Ægypti, et transmigrationem Æthiopiæ, juvenum et senum, nudam et discalceatam, et discoopertis natibus ad ignominiam Ægypti.* Cum sequenti legitur sic : Tu tyranne et depopulator, repletus es ignominia pro gloria quam habuisti. « *Bibe tu quoque.* » Jerem. xxv, 26, dicitur : *Et rex Sesach,* hoc est, Babylonis, *bibet post eos.* Osee, iv, 7 : *Gloriam eorum in ignominiam commutabo.* I Machab. i, 42 : *Secundum gloriam ejus multiplicata est ignominia ejus.* De potu, Jerem. xxv, 27 : *Bibite, et inebriamini, et vomite : et cadite, neque surgatis.* « *Et consopire,* » ut scilicet nec motum nec sensum habeas præ angustia sicut ebrius. Prov. xxiii, 34 : *Eris sicut dormiens in medio mari, et quasi sopitus gubernator, amisso clavo.*

Unde autem sic inebrietur, subdit : supple, quia « *Circumdabit te,* » supple, undique, « *calix,* » iræ scilicet, et furoris. « *Dexteræ Domini,* » hoc est, quem tota virtute dexteræ tibi propinavit. Isa. li, 17 : *Usque ad fundum calicis soporis bibisti.* « *Et vomitus ignominiæ,* » hoc est, ignominiosus, supple, erit « *super gloriam tuam.* » *Super* notat oppressionem ; *gloria* autem gloriationem, qua de spoliis gloriabatur ; *vomitus* vero violentam et difficilem redditionem eorum quæ abstulerat. Isa. xxviii, 8 : *Omnes mensæ repletæ sunt vomitu sordiumque, ita ut non esset ultra locus.* Job, xx, 15 : *Divitias, quas devoravit, evomet : de ventre illius extrahet eas Deus.*

Et ut justior sit pœna, repetit culpam : 17
« *Quia iniquitas Libani,* » hoc est, quam exercuisti in Libano, id est, in ædificato templo de lignis Libani, « *operiet te,* » in pœna scilicet. I ad Corinth. iii, 17 : *Si quis templum Dei violaverit, disperdet illum Deus.* « *Et vastitas animalium,* » quia scilicet vastati animalia ad ritus sacrificiorum pertinentia, « *deterrebit eos,* » id est, ad terrorem pœnarum æternarum te adducet. Alludit ei quod dicitur, Isa. xl, 16 : *Ecce Libanus non sufficiet ad succendendum, et animalia ejus non sufficient ad holocaustum.* « *De sanguinibus hominum,* » supple, effusis innocenter. Genes. ix, 5 : *Sanguinem animarum vestrarum requiram de manu cunctarum bestiarum.* Et, paulo post, ℣. 6 : *Quicumque effuderit humanum sanguinem, fundetur sanguis illius.* « *Et iniquitate terræ,* » quam

scilicet in omnes exercuisti. Isa. xxvi, 10 : *In terra Sanctorum iniqua gessit, et non videbit gloriam Domini.* « *Et civitatis,* » quam scilicet succendisti et evertisti. Isa. lxiv, 9 et 10 : *Ecce, Domine, respice, populus tuus omnes nos. Civitas sancti tui facta est deserta.* « *Et omnium habitantium in ea,* » quos de hæreditate eorum ejecisti et exagitasti. Isa. xi, 12 : *Deserta est omnis lætitia : translatum est gaudium terræ. Relicta est in urbe solitudo, et calamitas opprimet portas.* Isa. xxi, 2 : *Qui depopulator est, vastat.*

18 « *Quid prodest sculptile ?* » Detestatio est idololatriæ, et ostendit quod Nabuchodonosor idolum nihil profuit, et ostendit rationem : « *Quia sculpsit illud fictor suus.* » Et est sensus : Quid prodesse poterit quod fictore suo impotentius est? Et bene dico, quid prodest, non enim sculpsit Deum, sed in materia « *conflatile,* » et in forma « *imaginem falsam.* » Id enim quod vivit, non conflatile, sed generabile est : nec imago ejus et membrorum falsa est, sed quælibet figura vitæ quamdam significat operationem, et per membrum illud exhibet eam, et exercet : in idolo autem omnes figuræ falsæ sunt, quia nihil operationis exhibent. Sic est de idolis Episcoporum et Prælatorum quæ hodie fiunt, qui nullam sui gradus exhibent operationem. Zach. xi, 17 : *O pastor, et idolum, derelinquens gregem !* Sap. xiii, 10 : *Infelices sunt, et inter mortuos spes illorum est, qui appellaverunt deos opera manuum hominum.* « *Quia speravit in figmento fictor ejus* : » quod valde est irrationabile, quia figmento fictor potentior est. Tamen hoc videmus, quod Prælati qui fiunt manibus hominum, ad hoc fiunt quod fictores aliquid sperant ab eis. Sap. xiii, 18 : *Pro sanitate quidem infirmum deprecatur, et pro vita rogat mortuum, et in adjutorium inutilem invocat.* « *Ut faceret simulacra muta.* »

...navus ...scopus ...um est.

Dupliciter *muta* dicuntur, quia scilicet invocantibus non respondent, nec verbo nec effectu exauditionis. III Reg. xviii, 26 et seq., de prophetis Baal dicitur, quod prophetantibus illis sive orantibus, venerat tempus quo sacrificium offerri solebat : nec audiebatur vox, nec aliquis respondebat, nec attendebant orantes. Vel, dicuntur *muta* sicut linea muta, qua posita non ratiocinamur, ut dicit Euclides. Posito enim idolo pro Deo, nihil ratiocinari potest de divinitate ipsius. I ad Corinth. x, 19 et 20 : *Quid ergo? dico quod idolis immolatum sit aliquid? aut quod idolum sit aliquid? Sed quæ immolant Gentes, dæmoniis immolant,* et non Deo.

Simulacra muta.

Supple, et ideo 19

« *Væ,* » supple, ei « *qui dicit ligno : Expergiscere !* » cum scilicet sit mortuum et mutum quod evigilare non potest, et nullum actum divinitatis ad exteriora exercere. Isa. xliv, 19 et 20 : *De reliquo ligni idolum faciam, ante truncum ligni procidam, pars ejus cinis est : cor insipiens adoravit illud.* Et væ, supple, illi qui dicit : « *Surge, lapidi tacenti !* » hoc est, mortuo et muto. Daniel. xiv, 6 : *Iste intrinsecus luteus est, et forinsecus æreus, neque comedit aliquando.* Idola enim nec surgere, hoc est, sursum se agere, nec juvare aliquem possunt. Job, xli, 15 : *Cor ejus indurabitur tamquam lapis, et stringetur quasi malleatoris incus.* « Tales sunt (ut dicit Eustratius) « mali Prælati locum Dei obtinentes, « nihil nisi idolum pastoris exhibentes, « qui non bestiis similes, sed arborei « sunt et lapidei, nihil vitæ nec sensus « habentes. » I Reg. xxv, 37 : *Emortuum est cor ejus intrinsecus, et factum est quasi lapis.* Et hoc est quod sequitur : « *Numquid ipse docere poterit,* » lapis scilicet, vel lapideus? Dei enim vel ejus qui loco Dei est, docere est. Matth. xxiii, 8 et 9 : *Unus est Magister vester,... qui in cœlis est.* Sapient. vii, 21 : *Omnium*

enim artifex docuit me sapientia. Similiter episcopatus officium doctrinæ est : simia autem, quæ similitudo hominis est, ut dicit Aristoteles, non docet, etsi in cathedra aliquando sedeat. Bernardus ad Eugenium : « Audi canticum meum, « simia in tecto, rex fatuus in solio ju- « dicii. »

« *Ecce iste,* » lapis scilicet, « *coopertus est auro, et argento,* » ut pretiositate metalli opinionem divinitatis mentiatur, « *et omnis spiritus non est,* » hoc est, nullus spiritus est « *in visceribus ejus,* » hoc est, in intrinsecis ejus, et vitalibus : quia etsi tales apud exteriores vivere videantur, intus tamen mortui sunt in conscientia. I ad Timoth. v, 6 : *Vidua quæ in deliciis est, vivens mortua est.* Exod. xii, 30 : *Neque erat domus in qua non jaceret mortuus.*

20 Per contrarium autem dicit de Domino :

« *Dominus autem,* » supple, est « *in templo sancto suo,* » corporis scilicet quod assumpsit, et uteri virginalis quem sacravit, et sanctæ animæ quam inhabitat. Jerem. vii, 4 : *Templum Domini, templum Domini, templum Domini est.* Est etiam in templo, quod domus orationis est, per propitiationem et per sacramentorum effectum. Psal. xvii, 7 : *Exaudivit de templo sancto suo vocem meam.* « *Sileat,* » ita scilicet quod de nullo alio deo umquam fiat mentio, « *a facie ejus,* » hoc est, a præsentia ejus, « *omnis terra :* » per metonymiam, hoc est, omnes habitantes in terra. Jerem. x, 7 : *Inter cunctos sapientes Gentium, et in universis regnis eorum nullus est similis tui.* Pariter insipientes et fatui probabuntur : doctrina unitatis eorum lignum argento involutum. Propter quod dicitur, ad Philip. ii, 10 et 11, quod abjectis idolis, *in nomine Jesu omne genu flectatur cœlestium, terrestrium, et infernorum, et omnis lingua confiteatur quia Dominus Jesus Christus in gloria est Dei Patris.* Ipse enim non tantum spiritum habet, sed spiritus est omnia vivificans. Joan. vi, 64 : *Spiritus est, qui vivificat.* Joan. i, 4 : *In ipso vita erat.* Glossa Ambrosii, « sicut in causa. » « Idolum autem (ut dicit Hieronymus) « etsi dæmonem habeat extra præsiden- « tem, tamen per dæmonem intus non « vivificatur. » Psal. xcv, 5 : *Omnes dii Gentium dæmonia : Dominus autem cœlos fecit.*

CAPUT III.

1. ORATIO HABACUC PROPHETÆ, PRO IGNORANTIIS.

2. Domine, audivi auditionem tuam, et timui.
Domine opus tuum, in medio annorum vivifica illud :
in medio annorum notum facies :
cum iratus fueris, misericordiæ recordaberis.
3. Deus ab austro veniet,
et Sanctus de monte Pharan :
Operuit cœlos gloria ejus,
et laudis ejus plena est terra.
4. Splendor ejus ut lux erit,
cornua in manibus ejus :
ibi abscondita est fortitudo ejus.

5. Ante faciem ejus ibit mors :
et egredietur diabolus ante pedes ejus.
6. Stetit, et mensus est terram.
adspexit, et dissolvit gentes :
et contriti sunt montes sæculi,
incurvati sunt colles mundi, ab itineribus æternitatis ejus.
7. Pro iniquitate vidi tentoria Æthiopiæ,
turbabuntur pelles terræ Madian.
8. Numquid in fluminibus iratus es, Domine?
aut in fluminibus furor tuus?
vel in mari indignatio tua?
qui ascendes super equos tuos,
et quadrigæ tuæ salvatio.
9. Suscitans suscitabis arcum tuum,
juramenta tribubus quæ locutus es :
fluvios scindes terræ.
10. Viderunt te, et doluerunt montes :
gurges aquarum transiit :
dedit abyssus vocem suam,
altitudo manus suas levavit.
11. Sol et luna steterunt in habitaculo suo,
in luce sagittarum tuarum ibunt,
in splendore fulgurantis hastæ tuæ.
12. In fremitu conculcabis terram :
in furore obstupefacies gentes.
13. Egressus es in salutem populi tui,
in salutem cum christo tuo :
percussisti caput de domo impii,
denudasti fundamentum ejus usque ad collum.
14. Maledixitsi sceptris ejus,
capiti bellatorum ejus,
venientibus ut turbo ad dispergendum me :
exultatio eorum, sicut ejus qui devorat pauperem in abscondito.
15. Viam fecisti in mari equis tuis,
in luto aquarum multarum.
16. Audivi et conturbatus est venter meus :
a voce contremuerunt labia mea.
Ingrediatur putredo in ossibus meis,
et subter me scateat :
ut requiescam in die tribulationis,
ut ascendam ad populum accinctum nostrum.
17. Ficus enim non florebit,
et non erit germen in vineis :
Mentietur opus olivæ,
et arva non afferent cibum :
abscindetur de ovili pecus,
et non erit armentum in præsepibus.

18. Ego autem in Domino gaudebo :
et exultabo in Deo Jesu meo
19. Deus Dominus fortitudo mea,
et ponet pedes meos quasi cervorum :
et super excelsa mea deducet me
victor in psalmis canentem.

IN CAPUT III HABACUC

ENARRATIO.

« *Domine, audivi.* » Capituli istius titulus est : « Oratio Habacuc, pro ignora« tionibus [1]. » Et differt ignoratio ab ignorantia. *Ignorantia* enim privationem scientiæ debitæ dicit et voluntariam, propter quod peccatum est. I ad Corinth. XIV, 38 : *Si quis ignorat, ignorabitur.* Ad Roman. II, 4, super illud, *An ignoras quoniam benignitas Dei ad pœnitentiam te adducit ?* dicit Glossa : « Gravissime peccas si ignoras. » *Ignoratio* autem privationem actus dicit, qui est non advertere et pertractare et considerare, quod frequenter accidit Sanctis, propter dolorem vel turbationem, quod advertere et pertractare non possunt judicia Dei. Unde, Job, XIX, 4 : *Nempe, etsi ignoravi, mecum erit ignorantia mea.* Et quia Habacuc ex compassione populi non potuit advertere judicia Dei quæ abyssus multa sunt [2], aliquid videbatur temere locutus contra ea, quando dixit : *Taces devorante impio justiorem se* [3]. Job, XLII, 3 : *Insipienter locutus sum, et quæ ultra modum excederent scientiam meam.* Propter hoc istud capitulum per modum orationis inducit pro venia ignorationum. Psal. XXIV, 7 : *Delicta juventutis meæ, et ignorantias meas ne memineris.*

« *Domine, audivi.* » In tres partes di- 2
viditur capitulum. In prima ostendit excellentiam operum divinorum, in secunda destructionem Babyloniorum, ibi, ℣. 7 : « *Pro iniquitate vidi tentoria Æthiopiæ.* » In tertia liberationem sanctorum, ibi, ℣. 15 : « *Viam fecisti in mari equis tuis.* »

In prima tria facit, miratur scilicet magnitudinem divinorum operum. Secundo, ostendit terribilitatem eorum, ibi, « *Deus ab Austro veniet.* » Tertio, describit effectum, ibi, « *Abscondita est fortitudo ejus.* »

In primo, præterita miratur. In secundo, futura similia precatur. In tertio, Dei judicia justa esse confitetur.

« *Domine,* » universorum scilicet. Esther, XIII, 11 : *Dominus omnium es,* etc. « *Audivi,* » exterius, et interius : intus a spiritu, extra per Scripturam. Luc. X, 24 : *Multi prophetæ et reges, voluerunt videre quæ vos videtis, et non viderunt.* Abdiæ, ℣. 1 : *Auditum audivimus a Domino, et legatum ad Gentes misit.* « *Auditionem tuam,* » materialiter, hoc est, talia in quibus tua apparet potentia, scilicet, quod semper contrivisti superbos et liberasti humiles. Isa. XXI, 3 et 4 : *Corrui cum audirem, conturbatus sum cum viderem. Emarcuit cor meum.* Et hoc est quod sequitur : « *Et timui.* » Septuaginta : « Domine, audivi auditum « tuum, et timui. Domine, consideravi « opera tua, et obstupui, » scilicet, in destructione malorum et liberatione bo-

[1] Vulg. habet, uti patet ex titulo : « *Oratio Habacuc prophetæ, pro ignorantiis.* »

[2] Psal. XXXV, 7 : *Judicia tua abyssus multa.*

[3] Cf. superius, Habacuc. I, 13.

norum, in cataclismo diluvii[1], in Pentapoli[2]. in liberatione filiorum Israel de Ægypto[3], in dejectione Luciferi de cœlo[4]. Quæ omnia simul dicit Petrus, II Petr. II, 4 et seq. Et concludit sic, ℣. 9 : *Novit Dominus pios de tentatione eripere : iniquos vero in diem judicii reservare cruciandos.* Ad Hebr. II, 3 : *Si omnis prævaricatio, et inobedientia accepit justam mercedis retributionem : quomodo nos effugiemus, si tantam neglexerimus salutem?* Hæc enim magna opera Domini sunt, sustinere iniquos ut purgentur electi, et postea in æternum condemnentur mali. Psal. CX, 2 : *Magna opera Domini, exquisita in omnes voluntates ejus.* Sapient. XVII, 1 : *Magna sunt judicia tua, Domine, et inenarrabilia verba tua.* Et quod dicit : « *Timui,* » intelligitur de timore admirationis et reverentiæ : sicut discipuli videntes Dominum transfiguratum, timuerunt[5]. Psal. LIV, 6 : *Timor et tremor venerunt super me.*

Et petit similia fieri in futuro, sicut factum est in præterito, subdens :

« *Domine, opus tuum,* » supple, quod audivi, tantæ majestatis est et potentiæ, ut nulli adscribi possit nisi tibi. Eccli. XLIII, 26 et 27 : *Qui navigant mare, enarrent pericula ejus : et audient es auribus nostris admirabimur. Illic præclara opera, et mirabilia.* Mare enim mundum significat, navigatio maris passiones Sanctorum, præclara opera apparent in gubernatione mundi, et liberatione ab iniquis, et maxime in opere Incarnationis, quod specialiter opus Dei est, in quo totum mundum liberavit. Isa. XXVI, 12 : *Omnia opera nostra operatus es in nobis, Domine.* Psal. LXXIII, 12 : *Operatus est salutem in medio terræ.* Eccli. XLIII, 30 : *Gloriantes, ad quid valebimus ? Ipse enim Omnipotens super omnia opera sua.*

Sed quia antiqua potentiæ opera tempore afflictionis Sanctorum videbantur esse sopita et mortua propter longam dissimulationem, ideo subdit petendo :

« *In medio annorum vivifica illud.* » *Medium annorum* vocat, quia sicut a principio mundi sunt magna opera ostensa, et in fine ostendenda, in mundi condemnatione, petit quod in medio tempore in quo Sancti tribulantur ab iniquis ex Dei dissimulatione, vivificetur opus in destructione malorum, et liberatione bonorum. Simile, Isaiæ, LI, 9 : *Consurge, consurge, induere fortitudinem, brachium Domini: consurge sicut in diebus antiquis, in generationibus sæculorum. Numquid non tu percussisti superbum, vulnerasti draconem ?*

Et ad consolationem Sanctorum subdit prophetando :

« *In medio annorum notum facies,* » supple, opus tuum, hoc est, in medio mundi decursu notam facies destructionem Babyloniorum, et eorum qui torquent Sanctos. Eccli. XXXVI, 7 et seq. : *Glorifica manum, et brachium dextrum. Excita furorem, et effunde iram. Tolle adversarium, et affige inimicum.* « *Cum iratus fueris* » supple, tuis, ut corripias eos, « *misericordiæ recordaberis,* » in liberatione et purgatione ipsorum. II Machab. VI, 16 : *Corripiens in adversis populum suum non derelinquit.* Thren. III, 22 : *Misericordiæ Domini, quia non sumus consumpti : quia non defecerunt miserationes ejus.* Psal. LXXVI, 10 : *Aut obliviscetur misereri Deus, aut continebit in ira sua misericordias suas.* Bernardus : « Jucundum plane judicium, ut « ille iniquus omnium humilium mallea- « tor, etiam nolens fabricet eis coronas « perpetuas, dum omnes tentat et ab « omnibus superatur. » Psal. CXXVIII, 2 et 3 : *Sæpe expugnaverunt me a juven-*

[1] Cf. Genes. VII, 11 et seq.
[2] Genes. XV, 24 et seq.
[3] Exod. XV, 1 et seq.
[4] Isa. XIV, 12.
[5] Matth. XVII, 6 : *Et audientes discipuli, ceciderunt in faciem suam, et timerunt valde.*

tute mea : etenim non potuerunt mihi, supple, prævalere. *Supra dorsum meum fabricaverunt peccatores : prolongaverunt iniquitatem suam*, supple, non meam.

3 Et subdit unde hoc judicium et hæc misericordia oriatur :

« *Deus ab austro veniet.* » Per austrum intelligitur regio luminis et caloris. Job, xxxvii, 17 : *Nonne vestimenta tua calida sunt, cum perflata fuerit terra austro ?* Et vult dicere quod pleno lumine veritatis et pleno calore charitatis orietur. Job, xxxviii, 24 : *Per quam viam spargitur lux, dividitur æstus super terram ?* « *Et sanctus,* » hoc est, fortis cui nihil resistere possit, « *de monte Pharan.* » Pharan *os videntis* interpretatur. Deuter. xxxiii, 2 : *Apparuit de monte Pharan, et cum eos anctorum millia.* Etenim Pharan proximus mons monti Sinai, in quo data est lex, sicut dicta Prophetarum proxima sunt legi. Eccli. xxxvi, 17 et 18 : *Da testimonium his qui ab initio creaturæ tuæ sunt, et suscita prædicationes quas locuti sunt in nomine tuo Prophetæ priores. Da mercedem sustinentibus te, ut Prophetæ tui fideles inveniantur.* Septuaginta : « De monte umbroso et condenso. » Et significatur obscuritas eloquii prophetalis et condensitas multiplicis intellectus.

Pharan.

In qua autem gloria oriatur subdit :

« *Operuit cœlos gloria ejus.* » Septuaginta, « majestas. » Et per *cœlos* intelligit cœlestes Angelos qui mittuntur ad consolationem bonorum, et in destructionem malorum. Judic. v, 20 : *De cœlo dimicatum est contra eos : stellæ manentes in ordine et cursu suo, adversus Sisaram pugnaverunt.* Baruch, iii, 34 et 35 : *Stellæ autem dederunt lumen in custodiis suis, et lætatæ sunt : vocatæ sunt, et dixerunt : Adsumus : et luxerunt ei cum jucunditate, qui fecit illas.* Ad Hebr. i, 14 : *Omnes sunt administratorii spiritus, in ministerium missi propter eos qui hæreditatem capiunt salutis.* « *Et laudis ejus plena est terra.* » Omnis enim terra laudat Deum de vindicta malorum. Unde, contrito rege Babyloniorum, Isa. xiv, 7, dicitur : *Conquievit et siluit omnis terra, gavisa est et exsultavit.* Apocal. xviii, 20 : *Exsulta super eam, cœlum, et sancti Apostoli, et Prophetæ : quoniam judicavit Deus judicium vestrum de illa.*

« *Splendor ejus.* » Tangit gloriam exercitus venientis ad imperium Domini. 4

« *Splendor ejus,* » in gloria scilicet, et apparatu exercitus : in armis, scutis, et hujusmodi. Vel forte melius, *splendor* dicitur claritas justitiæ quæ tunc apparebit. Malach. iv, 2 : *Orietur vobis timentibus nomen meum Sol justitiæ, et sanitas in pennis ejus.* I ad Corinth. iv, 5 : *Illuminabit abscondita tenebrarum, et manifestabit consilia cordium.* Et hoc est quod sequitur : « *Ut lux erit,* » vel quasi lux. Et quamvis hoc de Cyro possit intelligi, tamen verius intelligitur de Christo : uterque tamen fuit lux, hoc est, consolatio multorum. Isa. xlix, 6 : *Dedi te in lucem Gentium, ut sis salus mea usque ad extremum terræ.* Joan. i, 9 : *Erat lux vera, quæ illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum.*

« *Cornua in manibus ejus.* » *Cornua*, quia ventilant et corona capitis sunt in animali, regna significant, quæ litteraliter Cyro subdenda esse dicuntur, et spiritualiter Christo. Psal. lxxiv, 6 : *Nolite extollere in altum cornu vestrum.* Hoc significatur, II Paralip. xviii, 10, ubi dicitur, quod Sedecias fecit sibi cornua, et dixit : *His ventilabis Syriam, donec conteras eam.* Zachar. i, 18 et 19 : *Levavi oculos meos, et vidi : et ecce quatuor cornua. Et dixi ad Angelum qui loquebatur in me : Quid sunt hæc? et dixit ad me : Hæc sunt cornua quæ ventilaverunt Judam, et Israel, et Jerusalem.* Et intelligit de potestatibus regnorum.

Psal. LXXIV, 7 : *Omnia cornua peccatorum confringam, et exaltabuntur cornua justi*, Cyri scilicet et Christi. Glossa tamen allegorice exponit hoc de Christo, dicens quod cornua sunt trophæa crucis, et quod sit sensus : Cornua in manibus ejus, id est, manus ejus in cornibus, per figuram quæ dicitur hypallage. Christi enim manus affixæ fuerunt angulis crucis. Zachariæ, XIII, 6 : *Quid sunt plagæ istæ in medio manuum tuarum?* Isaiæ, XLIX, 16 : *Ecce in manibus meis descripsi te*. Vocat enim descriptionem, vulnerum infixionem.

[Co]rnua in [m]anibus Christi.

Quanta autem fortitudo sit, subjungit, et probat per effectum, dicens :

« *Ibi abscondita est fortitudo ejus.* » Sensus est : Abscondita fortitudo ejus est ibi, hoc est, latens fortitudo Dei est in Cyro, qui primo nihil reputabatur, vel in Christo, *qui semetipsum exinanivit formam servi accipiens*[1]. Hic est enim fortis, de quo dicitur, Lucæ, XI, 22 : *Si fortior eo superveniens vicerit eum, universa arma ejus auferet, et spolia ejus distribuet*[2]. Si autem de Cyro intelligitur, concordantia est, Jeremiæ, XLVI, 12 : *Fortis impegit in fortem, et ambo pariter conciderunt*, Nabuchodonosor scilicet primo, et Cyrus postea.

5 Effectum autem fortitudinis subdit :

« *Ante faciem ejus ibit mors.* » *Mortem* vocat Nabuchodonosor vel diabolum, eo quod mortem induxit. Habacuc, II, 5 : *Ipse quasi mors, et non adimpletur*. Osee, XIII, 14 : *Ero mors tua, o mors, morsus tuus ero, inferne.*

Qualiter autem hoc fiat, subdit, et suppletur, quia

« *Egredietur diabolus ante pedes ejus.* » *Pedes* ponuntur pro conculcatione ; *diabolus* autem est deorsum fluens, et significat contrariam potestatem sive humanam sive dæmonis ; *egressus* significat ejectionem. Et est sensus : Potestas contraria conculcata ejicietur præsentia Cyri, vel Christi. Deuteron. XXXIII, 27 : *Ejiciet a facie tua inimicum, dicetque : Conterere.* Ad Roman. XVI, 20 : *Deus pacis conteret Satanam sub pedibus vestris velociter.*

Et ne credatur tantum facere insultum 6
et recedere, subdit :

« *Stetit,* » ut victor scilicet perstitit. Sap. X, 3 : *Steterunt contra hostes, et de inimicis se vindicaverunt.* Psal. XCIII, 16 : *Quis stabit mecum adversus operantes iniquitatem?* « *Et mensus est terram,* » regna scilicet quæ prius subjecta fuerunt Nabuchodonosor vel diabolo, suis per mensuram distribuit. Isaiæ, IX, 3 : *Lætabuntur coram te, sicut qui lætantur in messe, sicut exsultant victores capta præda, quando dividunt spolia.* Proverb. XXXI, 15 : *De nocte surrexit, deditque prædam domesticis suis.*

Et ne aliquis credat quod resistentem habuerit de subjectis diabolo vel Nabuchodonosor, subdit :

« *Adspexit, et dissolvit Gentes,* » hoc est, terribili adspectu et irato vultu respexit in adjutores dæmonis, vel Nabuchodonosor, quo convertit corda eorum in formidinem, ut statim se subjicerent. Exod. XIV, 24 et 25 : *Respiciens Dominus super castra Ægyptiorum, per columnam ignis et nubis, interfecit exercitum eorum : et subvertit rotas curruum.* Esther, XV, 10 : *Cumque elevasset faciem, et ardentibus oculis furorem pectoris indicasset, regina corruit.* Si de Christo intelligitur, tunc est adspectus misericordiæ, quo dissolvit gelata corda

Adspectus Christi.

[1] Ad Philip. II, 7.

[2] Cf. Matth. XII, 29 : *Quomodo potest quisquam intrare in domum fortis, et vasa ejus diripere, nisi prius alligaverit fortem? et tunc domum illius diripiet.*

Gentilium ut ad fidem converterentur. Luc. XXII, 61 et 62 : *Conversus Dominus respexit Petrum... Et egressus foras Petrus flevit amare.* Psal. LXXXV, 16 : *Respice in me, et miserere mei.* « *Et contriti sunt montes sæculi,* » hoc est, a sæculo fundati principes et reges mundi. Isaiæ, XLV, 2 : *Ego ante te ibo, et gloriosos terræ humiliabo.* Isaiæ, XL, 4 : *Omnis mons et collis humiliabitur.*

« *Incurvati sunt colles mundi.* » *Colles* dicuntur inferiores potestates quæ incurvatæ reverenter subjecerunt se et Cyro et Christo. Isaiæ, LX, 12 : *Gens et regnum, quod non servierit tibi, peribit : et gentes solitudine vastabuntur.* « *Ab itineribus æternitatis ejus.* » *Itinera* vocat profectus et Cyri et Christi. Michææ, V, 2 : *Egressus ejus sicut ab initio, a diebus æternitatis* : omnia enim hæc ab æterno præordinata sunt.

7 Hoc autem in quibusdam ostendit, et in omnibus intelligit, cum subdit :

« *Pro iniquitate vidi tentoria Æthiopiæ,* » supple, turbata, quia resistere non valebant : qui quia nigri sunt et *tenebrosi* interpretantur, peccatores significant et obstinatos : qui tamen potentiæ Dei et Cyri subjicientur, turbati in pœnitentiam. Psal. LXVII, 32 : *Æthiopia præveniet manus ejus Deo.* Sophon. III, 10 : *Ultra flumina Æthiopiæ, inde supplices mei : filii dispersorum meorum deferent munus mihi.* Sophon. II, 12 : *Sed et vos, Æthiopes, interfecti gladio meo eritis.* « *Turbabuntur pelles terræ Madian.* » *Pelles* tentoria de pellibus significant, et tentoria exercitus. Et est sensus : Exercitus Madianitarum resistere volentes turbabuntur, vel ad fugam, vel ad subjectionem, sicut turbati sunt coram Gedeone[1]. Madian autem interpretatur *judicium hominis*, et significat eos, qui humano judicio et sapientia sæculi judicant de divinis, qui sapientia Dei turbabuntur. Isaiæ, IX, 4 : *Jugum oneris ejus, et virgam humeri ejus, et sceptrum exactoris ejus superasti, sicut in die Madian.*

Madian.

« *Numquid in fluminibus iratus es, Domine?* » Tangit hic de destructione Babylonis dupliciter, in captura scilicet civitatis, et interfectione principis et militum ejus, ibi, « *Dedit abyssus vocem suam.* » 8

In primo duo sunt, scilicet argumentum de præterito, et conclusio similis de futuro, ibi, « *Fluvios scindes terræ.* »

In prima harum sunt tria : scilicet ablatio falsæ opinionis, constructio veritatis, et spes de futuris.

« *Numquid in fluminibus?* » Ista quæstio supponit falsam quamdam opinionem. Posset enim aliquis dicere, quod quando divisit Dominus aquas maris[3], et quando divisit fluenta Jordanis[2], factum fuisset casu vel virtute stellarum, ut quando scilicet Dominus esset benevolus aquis, faceret eas fluere : et quando iratus, exsiccaret eas, et non fecisset ad peccatores perdendos et sanctos liberandos. Et hoc jam quidam dixerunt, sicut narrat Abraham Judæus in libro de *Magnis conjunctionibus Jovis et Saturni.* Quod elidens Propheta, dicit :

Deus aquis non irascitur.

« *Numquid in fluminibus?* » hoc est, aquis fluentibus non habentibus in se virtutem standi, « *iratus es, Domine,* » ut stare faceres et dividi contra naturam fluxus, quam primo indidisti eis? Quasi dicat : Non. Visibile enim elementum est et indignationem tuam non meretur : sed hoc in aquis fecisti, ut tuis auferres impedimenta transitus, et hostes involveres in mediis fluctibus, et deterreres viso tanto miraculo. « *O Domine, numquid tu iratus es in fluminibus?* » hoc est,

[1] Cf. Judic. VII, 21.
[3] Exod. XIV, 21.
[2] Josue, III, 16.

Jordanis fluentis, ut scilicet inferiorem partem in mare Mortuum faceres defluere, et superiorem ad instar montis stare, ex ira quam haberes ad aquas, quibus non cuperes tenere fluxum suum? Quasi dicat : Non, sed propter tuos hoc fecisti. Isaiæ, XLIII, 2 : *Cum transieris per aquas, tecum ero, et flumina non operient te.* Et quod subdit : « *Aut in fluminibus furor tuus?* » Notat flumina Ægypti, Nilum, et alia quæ in sanguinem versa sunt, et ebullierunt ranas. Hoc enim non fecit ex ira quam haberet ad aquas, sed ex ira quam habuit ad eos qui aquis utebantur, et qui innocentem sanguinem in aquis suffocaverant. Sap. XVI, 16 : *Negantes te nosse impii, per fortitudinem brachii tui flagellati sunt : novis aquis, et grandinibus, et pluviis persecutionem passi.*

Et subdit :

« *Vel in mari,* » quod vento stante et urente abstulisti [1], « *indignatio tua,* » supple, est? Quasi dicat : Non. Isaiæ, LI, 10 : *Numquid non tu siccasti mare, aquam abyssi vehementis : qui posuisti profundum maris viam, ut transirent liberati?*

Hoc autem probat subdens :

« *Qui ascendes super equos tuos,* » Angelos scilicet et homines, vectores tuæ virtutis, talibus scilicet impedimentis ablatis. Hieronymus inducit illud quod habetur, IV Reg. VI, 17 : *Ecce mons plenus equorum, et curruum igneorum, in circuitu Elisei.* Et non est dubium quin equi illi fuerint Angeli ad bella Domini præparati, vectores virtutis Dei, et ab ipso ad bella directi. Et hoc est quod sequitur : « *Et quadrigæ tuæ salvatio.* » Unde, II Machab. III, 25, cum Heliodorus vellet spoliare ærarium templi, *apparuit quidam equus terribilem habens sessorem, optimis operimentis adornatus : isque cum impetu Heliodoro priores calces illisit : qui autem ei sedebat, videbatur habere arma aurea.* Et non est dubium quin equus fuerit Angelus, et sessor virtus divina. Similiter, II Machab. XI, 8, cum Judas et sui prompto animo a Jerusalem ad bellandum procederent, *apparuit præcedens eos eques in veste candida, armis aureis hastam vibrans :* per quod idem significatur. Unde, postea sequitur, ℣. 10 : *Ibant igitur prompti, de cœlo habentes adjutorem.* Dicuntur autem *quadrigæ,* quia quatuor virtutibus vecti, divina scilicet, angelica, cœlesti, et terena : quia, sicut dicitur, Sap. XVI, 17 : *Vindex est orbis justorum,* et ideo cum Deo consurgunt Angeli, cœlum, et terra, et hac quadriga impugnantur impios.

[Margin: ...geli sunt divinæ ...utis vectores.]

[Margin: Quadriga Dei adversus impios.]

Et hoc ostendit, subdens : supple, sic de cœlo mittens auxilium, 9

« *Suscitans suscitabis arcum tuum.* » Alia translatio : « Intendens intendes. » Intensus enim arcus fortissime ferit. Et per arcum intelliguntur omnia instrumenta bellica, quæ omnia intenduntur et acuuntur in hostes, quando de cœlo habetur auxilium. Isaiæ, V, 28 : *Omnes arcus ejus extenti.* Job, XXIX, 20 : *Arcus meus in manu mea instaurabitur.* Et dicit, « *suscitans suscitabit,* » notans quod hæc adjutoria continuo Deus suis ministrat. Epist. Judæ, ℣℣. 14 et 15 : *Ecce venit Dominus in sanctis millibus suis facere judicium contra omnes, et arguere omnes impios de omnibus operibus impietatis eorum.* « *Juramenta tribubus,* » supple, sic suscitabis, « *quæ locutus es,* » patribus scilicet. Per alia enim adjutoria implevit quod juravit : ut scilicet destructis impiis, Sanctis terram eorum sorte distribueret. Exod. XXXII, 13 : *Recordare Abraham, Isaac, et Israel, servorum tuorum, quibus jurasti per semetipsum, dicens : Multiplicabo semen vestrum sicut stellas cœli, et universam terram hanc,*

[1] Cf. Exod. XIV, 21.

de qua locutus sum, dabo semini vestro, et possidebitis eam semper. Hæc expositio litteralis est.

Mystice autem, flumina quibus irascitur Dominus, sunt flumina concupiscentiarum et vanitatum. Mare autem cui irascitur, insania mundi est. Nahum, I, 4 : *Increpans mare, et exsiccans illud, et omnia flumina ad desertum deducens.* Flumina quibus non irascitur, flumina sunt gratiarum et doctrinarum. Joan. VII, 38 : *Flumina de ventre ejus fluent aquæ vivæ.* De insania mundi, Isaiæ, LVII, 20 : *Impii quasi mare fervens, quod quiescere non potest.* Mare cui non irascitur, amaritudo pœnitentiæ est. Psal. LXXVII, 23 : *Ex Basan convertam, convertam in profundum maris.* Arcus Scriptura est in manu Prædicatorum. Genes. IX, 13 : *Arcum meum ponam in nubibus, et erit signum fœderis inter me, et inter terram.* Nubes enim, Prædicatores et Doctores sunt. Intenditur arcus, quando auctoritates acutæ ad corda compungenda emittuntur. Psal. CXXVI, 4 : *Sicut sagittæ in manu potentis.* Isaiæ, XLIX, 2 : *Posuit me sicut sagittam electam : in pharetra sua abscondit me.* Equi vero ministeria sunt Angelorum cum Prædicatoribus missa. Quadrigæ vero quatuor expositiones Scripturarum. Ezech. I, 15 : *Apparuit rota una super terram juxta animalia, habens quatuor facies.*

Resumatur ergo littera. Quia post argumentum quod præmisit de præterito, similia fore arguit in futuro, dicens :

« *Fluvios scindes terræ,* » hoc est, ex quo hoc in aquis fecisti in præterito propter tuos, etiam in futuro *fluvios terræ* Babylonis, quibus munitur civitas, « *scindes,* » hoc est, divides, ne scilicet timore profunditatis viam impediant transeuntibus. Isaiæ, XI, 15 : *Levabit manum suam super flumen in fortitudine spiritus sui : et percutiet eum in septem rivis, ita ut transeant per eum calceati. Et erit via residuo populo meo.*

« *Viderunt te,* » supple, o Deus, hoc **10**
est, potentiam tuam, « *et doluerunt montes.* » Vera littera est : « Et tremuerunt. » Et tangit hoc quod habetur, Numer. XXI, 14 et 15, quod scilicet scopuli et montes Arnon et Moabitarum motu tremoris exsultaverunt in occursum filiorum Israel, et inclinatione sua viam transeuntibus dederunt. Unde, ibidem dicitur, ℣℣. 14 et 15 : *Sicut fecit in mari Rubro, sic faciet in torrentibus Arnon. Scopuli torrentium inclinati sunt, ut requiescerent in Ar,* supple, filii Israel, *et recumberent in finibus Moabitarum.* Et hoc est quod sequitur : « *Gurges aquarum transiit,* » hoc est, cessavit ante filios Israel. Psal. CXIII, 5 : *Quid est tibi mare, quod fugisti ? et tu, Jordanis, quia conversus es retrorsum ?* Isaiæ, LI, 10 : *Tu siccasti mare, aquam abyssi vehementis.*

« *Dedit abyssus vocem suam,* » in præterito scilicet. *Abyssus* dicitur *dare vocem* per effectum, non ita ut loquatur. Et hoc, Numer. XVI, 32 et 33, innuitur, ubi terra se aperuit, et Dathan et Abiron vivos degluttivit, et in abyssum traxit. Iterum dedit vocem suam, Exod. XV, 5, ubi dicitur : *Abyssi operuerunt eos, descenderunt in profundum quasi lapis,* quando scilicet Ægyptii in abysum descenderunt. « *Altitudo manus suas levavit.* » *Altitudinem* ponit pro montibus, qui tunc in hoc dicuntur *manus levasse,* quando trepidaverunt, sicut dicitur, Numer. XXI, 14 et 15. Psal. XCII, 4 et 5 : *Mirabilis in altis Dominus. Testimonia tua credibilia facta sunt nimis.* Utrumque horum dicitur, Isa. VII, 11 : *Pete tibi signum a Domino Deo tuo, in profundum inferni, sive in excelsum supra.*

11 Et ad hoc subjungit alia argumenta quæ majora sunt :

« *Sol et luna steterunt in habitaculo suo,* » hoc est, in locis suis. Josue, x, 12 et 13 : *Sol, contra Gabaon ne movearis, et luna contra vallem Aialon. Steteruntque sol et luna, donec ulcisceretur se gens de inimicis suis.* Ex omnibus illis argumentis preteritis infert, quod ita facient in futuro contra Babylonios. Et suppletur, ergo « *In luce sagittarum tuarum,* » hoc est, apertis sagittis tuis quibus excæcabis eos, « *ibunt,* » supple, Cyrus et Darius, hoc est, proficient « *in splendore fulgurantis hastæ tuæ.* » *Hastam* vocat fulgura percutientia et proforantia desuper. Psal. CXLIII, 6 : *Fulgura coruscationem, et dissipabis eos : emitte sagittas tuas, et conturbabis eos.* Job, XXXVII, 29 et 30 : *Si voluerit extendere nubes quasi tentorium suum, et fulgurare lumine suo desuper, cardines quoque maris operiet,* hoc est, totum mundum subjiciet. Sapient. v, 22 : *Ibunt directe emissiones fulgurum, et tamquam a bene curvato arcu nubium exterminabuntur, et ad certum locum insilient.* Et est ac si dicat : Si volueris fulgurare contra Babylonios, sicut in præterito fecisti cum Moyse et Josue, tunc proficientes ibunt Cyrus et Darius, et sic, supple

Fulgur hasta est Dei.

12 « *In fremitu conculcabis terram,* » hoc est, regnum Babyloniorum, et ipsos Babylonios conteres. Proverb. xx, 2 : *Sicut rugitus leonis, ita et terror regis,* hoc est, Dei, qui rex summus est. Jerem. VIII, 16 : *A Dan auditus est fremitus equorum ejus : a voce hinnituum pugnatorum ejus commota est omnis terra : et venerunt, et devoraveruut terram, et plenitudinem ejus, urbem et habitatores ejus.* Sic ergo arguit ex præterito quid faciet de futuro : « *In furore obstupefacies Gentes.* »

Iterum revertitur ad præterita, ut similia concludat in futuro facienda. 13

« *Egressus es in salutem populi tui.* » Deus dicitur *egredi,* quando virtutem suam manifestat : tunc enim in exterioribus apparet. Zachar. XIV, 3 : *Egredietur Dominus, et prœliabitur contra gentes illas, sicut prœliatus est in die certaminis.* Et vocat *egressum* plagas et virtutes quas ostendit in Ægypto propter populi salutem : « *In salutem cum Christo tuo.* » *Christum* vocat sive Christos, Moysen et Aaron, quos ad hoc unxit ut duces essent populi. Psal. CIV, 15 : *Nolite tangere christos meos : et in Prophetis meis nolite molignari.* Item, Psal. LIX, 12 : *Non egredieris, Deus, in virtutibus nostris,* hoc est, nonne? *In salutem* autem dicit, quia per hos suos salvavit.

Egrediens autem quid fecerit, subdit :

« *Percussisti caput de domo impii.* » *Caput* vocat primogenita Ægypti : *domum impii,* domos Ægypti Pharaoni impio subjectas. Exod. XII, 30 : *Neque enim erat domus in qua non jaceret mortuus.* Et ab hac plaga populus Dei liberatus est. Et subdit adhuc quid egrediens fecit : « *Denudasti fundamentum ejus usque ad collum.* » *Fundamentum* vocat totum exercitum Pharaonis in mari Rubro deletum. In illo enim fundavit totam spem suam Pharao. *Usque ad collum* autem dicit, quia a minore usque ad maximum omnes deleti sunt, et terra denudata est ab eis, sicut dicitur, Exod. XIV, 28.

Quod autem totum a Domino factum sit, subdit. Et suppletur, quia 14

« *Maledixisti sceptris ejus.* » *Sceptra* vocat cohortes principum qui cum Pharaone egrediebantur : quia omnes deleti sunt. Isaiæ, XXVI, 21 : *Ecce enim Dominus egredietur de loco suo, ut visitet iniquitatem habitatoris terræ contra eum.*

« *Capiti bellatorum ejus*, » supple, maledixisti, hoc est, Pharaoni. Exod. xv, 19 : *Ingressus est enim eques Pharao cum curribus et equitibus ejus in mare : et reduxit super eos Dominus aquas maris.* « *Venientibus*, » scilicet, sceptris et capite, « *ut turbo*, » hoc est, in impetu iræ et furoris. Isaiæ, xxv, 4 : *Spiritus robustorum quasi turbo impellens parietem.* « *Ad dispergendum me*, » hoc est, ad interficiendum. Exod. xv, 9 : *Dixit inimicus : Persequar et comprehendam, dividam spolia, implebitur anima mea : evaginabo gladium meum, interficiet eos manus mea.*

Quid autem eos ad hoc incitaverit subdit : et suppletur, quia « *Exsultatio eorum*, » Ægyptiorum scilicet fuit. Proverb. ii, 14 : *Lætantur cum malefecerint, et exsultant in rebus pessimis.* « *Sicut ejus, qui devorat pauperem*, » hoc est, devorare intendit, « *in abscondito*, » hoc est, in dolo. Psal. x secundum Hebræos, 9 : *Insidiatur ut rapiat pauperem : rapere pauperem dum attrahit eum.*

15 Sic autem, supple, destruens impios, liberasti tuos.

« *Viam fecisti in mari*, » divisiones scilicet maris. Psal. cxxxv, 13 : *Qui divisit mare Rubrum in divisiones.* « *Equis tuis*, » vectoribus scilicet tuis, hominibus et angelis qui te vehunt. Isaiæ, lxiii, 12 et 13 : *Qui scidit aquas ante eos, ut faceret sibi nomen sempiternum : qui eduxit eos per abyssos, quasi equum in deserto non impingentem.* « *In luto aquarum multarum*, » quod scilicet in fundo maris fuit, ita scilicet quod nec profunditate abyssi, nec tenacitate luti teneri poterant virtute Domini pro eis faciente. Psal. cxvii, 16 et 17 : *Dextera Domini fecit virtutem, dextera Domini exaltavit me : dextera Domini fecit virtutem. Non moriar, sed vivam.* Item, Psal. lxviii, 16 : *Non me demergat tempestas aquæ, neque absorbeat me profundum, neque urgeat super me puteus os suum.* Hæc omnia narrat de præterito, ut similia arguat facienda in futuro. Et hæc omnia sub eisdem auctoritatibus non est difficile exponere de Christo, vel adaptare de Christo per Apostolos procedente ad dæmonum subversionem, et mundi liberationem. Et hæc expositio est in Glossis.

« *Audivi* » supple, hæc quæ dicta 16
sunt a Patribus. Psal. lxxvii, 3 : *Quanta audivimus et cognovimus ea : et patres nostri narraverunt nobis.* « *Et conturbatus est venter meus*, » hoc est, omnia interiora mea in tot scilicet passionibus Sanctorum. II ad Thimoth. iii, 12 : *Omnes, qui pie volunt vivere in Christo Jesu, persecutionem patientur.* Isa. xxi, 3 : *Corrui cum audirem, conturbatus sum cum viderem. Ventrem* autem dicit, quia in ipso omnia interiora continentur : totum enim concavum corporis dicitur hic venter. Et vult dicere, quod interiora vitalia consonanter in hoc conturbata sunt. Isaiæ, xvi, 11 : *Venter meus ad Moab quasi cithara sonabit.* Jeremiæ, xxxi, 20 : *Conturbata sunt viscera mea super eum : miserans miserebor ejus.* « *A voce*, » supple, auditus talis, « *contremuerunt labia mea.* » Quasi dicat : Quia scio quod filii similia sustinebunt. Eccli. ii, 1 et 2 : *Fili, accedens ad servitutem Dei, sta in justitia et timore, et præpara animam tuam ad tentationem. Deprime cor tuum, et sustine.* Quod autem dicit : « *Contremuerunt labia*, » naturale est, ut dicit Galenus. Turbatis enim visceribus, tremit inferius labium propter collimitationem ad viscera. Et innuit, quod tremula voce pronuntiet quæ scit futura, propter populi compassionem.

Ex his tamen quia consolatio sequitur, cum Sanctis eligit affligi, ut cum

Sanctis consoletur. Et ideo tria dicit : electionem scilicet tribulationis, descriptionem ejusdem, et consolatoriam liberationem.

« *Ingrediatur putredo in ossibus meis.* » Glossa, Libenter patiar quod passus est Job, qui dicit, xxx, 17 et 18 : *Nocte os meum perforatur doloribus : et qui me comedunt, non dormiunt. In multitudine eorum consumitur vestimentum meum.* Et hoc est quod sequitur : « *Et subter me scateat.* » Hieronymus : « Non solum in carne, « sed in medullis ossium et stratus, « putredine corporis et vermibus scateat : ut cum pro peccatis sustinuero « angustias omnes captivitatis, requiescam cum Abraham, Isaac, et Jacob. » Job, x, 14 : *Putredini dixi : Pater meus es, mater mea, et soror mea, vermibus.* Intendit autem, quod squalore carceris ossa catenis et medullæ læduntur, et stratus et vestes vermibus scatent et putredine.

ristitia ropter um pa- nter fe- renda.

Sed quia nullus eligit pœnam propter pœnam, sed pœnam propter consolationem, ideo sequitur :

« *Ut,* » supple, purgatus tribulatione, « *requiescam in die tribulationis,* » supple, finitæ. Tobiæ, iii, 21 : *Hoc autem pro certo habet omnis qui te colit, quia vita ejus, si in probatione fuerit, coronabitur : si autem in tribulatione fuerit, liberabitur : et si in corruptione fuerit, ad misericordiam tuam venire licebit.* « *Ut,* » supple, sic « *ascendam* » per gradus virtutum « *ad populum accinctum nostrum,* » hoc est, ad populum Sanctorum, accinctum fide et patientia ad omnes afflictiones evincendas, ut scilicet consors et similis sim Sanctorum. Jacob. v, 11 : *Ecce beatificamus eos qui sustinuerunt.* Ad Roman. viii, 17 et 18 : *Si tamen compatimur, ut et conglorificemur. Existimo enim quod non sint condignæ passiones hujus temporis ad futuram gloriam, quæ revelabitur in nobis.* Ad Hebr. x, 33 : *In altero quidem, opprobriis et tribulationibus spectaculum facti, in altero autem, socii taliter conversantium effecti.* Ad Hebr. xii, 23 : *Accessistis ad Ecclesiam primitivorum, qui conscripti sunt in cœlis.*

Et subdit de tribulationis descriptione: 17
« *Ficus enim non florebit.* » Per *ficum* omnis dulcedo quæ in populo fuit intelligitur, quæ per tortores et tyrannos ablata est. Joel, i, 7 : *Ficum meam decorticavit : nudans spoliavit eam, et projecit.* Apocal. vi, 13 : *Stellæ de cœlo ceciderunt super terram, sicut ficus emittit grossos suos cum a vento magno movetur.* « *Et non erit germen in vineis.* » Per *germen vinearum* significatur omnis materia gaudii, quæ universaliter ablata est per tyrannos. *Vinum* enim (ut dicit Psal. ciii, 15) *lætificat cor hominis.* Judicum, ix, 13 : *Numquid possum deserere vinum meum quod lætificat Deum et homines ?* Joel, i, 12 : *Confusum est gaudium a filiis hominum.*

« *Mentietur opus olivæ.* » Per *olivam* significatur omne quod ungit, lucet, et pascit, cibum condiendo : quod tunc mentitur, quando laboribus et expensis usque ad fructus collectionem deducitur, et fructus aufertur quem promiserat. Deuter. xxviii, 40 : *Olivas habebis in omnibus terminis tuis, et non ungeris oleo : quia defluent, et peribunt.* Propter hoc paucos in Ecclesia videmus unctos oleo compunctionis ad sanitatem. Marc. vi, 13 : *Ungebant oleo multos ægros, et sanabant.* Pauciores unctos oleo exsultationis ad contemplationem. Ad Hebr. i, 9 : *Unxit te Deus, Deus tuus, oleo exsultationis præ participibus tuis* [1]. Paucissimos unctos charismate sanctitatis ad vitæ perfectionem. Psal. lxxxviii, 21, 23 : *Oleo sancto meo unxi eum... Nihil*

[1] Cf. Psal. xliv, 8.

proficiet inimicus in eo. « *Et arva non afferent cibum:* » Ac si dicat : Non tantum quæ dulcedinis et gaudii et exsultationis sunt, ablata sunt : sed etiam quæ necessitatis. *Arva* vero significant cultum humani cordis ad fruges justitiæ proferendas. Joel, I, 11 : *Periit messis agri.* Deuteron. XXVIII, 38 : *Sementem multam jacies in terram, et modicum congregabis : quia locustæ devorabunt omnia.* Isaiæ, XVII, 11 : *Ablata est messis in die hæreditatis, et dolebit graviter.*

« *Abscindetur de ovili pecus,* » hoc est, oves, quod pecus lanam in vestem, lac in cibum, carnem in delicias, corium in calceamentum consuevit ministrare : et significat congregationes mansuetorum et virtuosorum, quæ ab Ecclesia perierunt. Job, I, 16 : *Ignis Dei cecidit de cœlo, et tactas oves puerosque consumpsit.* Ignis Dei, ignis deorum nostrorum est, hoc est, concupiscentia Prælatorum, de sublimi dignitatis eorum descendens per exemplum, et quidquid religionis est in Ecclesia, totum consumens. « *Et non erit armentum in præsepibus.* » *Armentum* majus animal est, ut vaccæ et boves et asini et hujusmodi, quæ significant Prædicatores et Prælatos : quorum officium est terram Ecclesiæ colere, et vomere prædicationis exarare. Proverb. XIV, 4 : *Ubi plurimæ segetes,* supple, apparent, *ibi manifesta est fortitudo bovis.* Hæc ab Ecclesia ablata sunt. Job, I, 14 et 15 : *Boves arabant, et asinæ pascebantur juxta eos : et irruerunt Sabæi, tuleruntque omnia.* Sabæi interpretantur *convertentes* seu *clamantes* et *eloquentes,* et significant advocatos et judices Ecclesiæ, qui boum labores in Ecclesia penitus abstulerunt. Et nota quod dicit, « *in præsepibus.* » Præsepibus enim, hoc est, stipendiis Ecclesiæ manentibus, nullum bovis opus vel utilitas apparet.

Et subdit de consolatione : 1

« *Ego autem.* » Ac si dicat : Omnia quæ descripta sunt, libenter sustineo; quia per hoc scio, quod « *in Domino gaudebo,* » hoc est, in Dei consolatione. Michææ, VII, 9 : *Iram Domini portabo : quoniam peccavi ei, donec judicet causam meam.* Isa. XXXVIII, 16 et 17 : *Domine, si sic vivitur, et in talibus vita spiritus mei, corripies me, et vivificabis me. Ecce in pace amaritudo mea amarissima.* « *Et exsultabo in Deo Jesu meo,* » hoc est, Salvatore meo. Tobiæ, III, 22 : *Post tempestatem tranquillum facis, et post lacrymationem et fletum exsultationem infundis.* Psal. LXV, 12 : *Transivimus per ignem et aquam, et eduxisti nos in refrigerium.* Et gaudium est cordis, exsultatio vero corporis : quia, sicut dicit Augustinus, « gaudium « est diffusio animi in conceptu boni, » et ideo refertur ad dotes animæ. Exsultatio autem componitur ab *ex,* et *ultra :* quia id quod est in corde, in signo corporeo manifestatur : et ideo ad dotes corporis refertur. Luc. II, 47 : *Exsultavit spiritus meus in Deo salutari meo.* Isa. LXI, 10 : *Gaudens gaudebo in Domino, et exsultabit anima mea in Deo meo.* Gaud Exsul

Causam autem gaudii subdit : et suppletur, quia 1

« *Deus Dominus fortitudo mea,* » supple, est Deus providentia : providet enim mihi bona. I Petr. V, 7 : *Omnem sollicitudinem vestram projicientes in eum, quoniam ipsi cura est de vobis.* Psal. LIV, 23 : *Jacta super Dominum curam tuam. Dominus* potestate superpositionis dicitur, propter hoc quod suos eligit et exaltat. Psal. XXIX, 2 : *Exaltabo te, Domine, quoniam suscepisti me : nec delectasti inimicos meos super me.* Item, Psal. IX, 15 : *Qui exaltas me de portis mortis.* « *Fortitudo mea,* » hoc est, causa fortitudinis meæ, qua scilicet vincere possum tribulationes et tortores. Psal. XVII, 2 : *Diligam te, Domine, fortitudo*


mea. II Reg. xxii, 2 et 3 : *Dominus petra mea, et robur meum, et salvator meus. Deus fortis meus, sperabo in eum.* Isa. xl, 31 : *Qui sperant in Domino, mutabunt fortitudinem.* « *Et ponet,* » hoc est, disponet confortando « *pedes meos,* » quibus ad patriam redire debeo, « *quasi cervorum,* » hoc est, faciet veloces, ut cervorum pedes. Psal. xvii, 34 : *Qui perfecit pedes meos tamquam cervorum, et super excelsa statuens me.* Dicitur natura esse cervi, quod semper recurrit ad locum generationis. Et petit Propheta ut veloces pedes habeat ad recurrendum ad originem. Cantic. viii, 14 : *Fuge, dilecte mi, et assimilare capreæ hinnuloque cervorum super montes aromatum.* Caprea longe videt, et est sensus : Longe contemplare patriam, et pedes tui veloces sint ad redeundum super montes virtutum et æternorum gaudiorum, qui montes sunt aromatum. Psal. xli, 2 : *Quemadmodum desiderat cervus ad fontes aquarum, ita desiderat anima mea ad te, Deus.*

[Natura cervi.]

« *Et super excelsa mea.* » Ad litteram, terra promissionis montuosa et excelsa est, et significat vertices angelicos super quos deducuntur beati. Isaiæ, xxxiii, 16 et 17 : *Iste in excelsis habitabit, munimenta saxorum sublimitas ejus : panis ei datus est, aquæ ejus fideles sunt. Regem in decore suo videbunt oculi ejus.* « *Deducet me victor :* » victor scilicet hostium, et meus ductor. Joan. xvi, 33 : *Confidite, ego vici mundum.* Deuter. xxxi, 8 : *Dominus qui ductor est vester, ipse erit tecum,* etc. Isaiæ, lxiii, 14 : *Sic adduxisti populum tuum, ut faceres tibi nomen gloriæ.* Isaiæ, lviii, 14 : *Sustollam te super altitudines terræ, et cibabo te hæreditate Jacob, patris tui.* « *In Psalmis canentem.* » Psalmus hymnus est. Hymnus autem laus Dei cum cantico. Et quia hymnus ille in decachordo psalterio decantabatur, perfectionem operis significat. Et est sensus : In jubilo cordis, et laude oris pro perfectione virtutis et operis, de exsilio me reducit ad patriam. Ad Ephes. v, 19 : *Loquentes vobismetipsis in psalmis, et hymnis, et canticis spiritualibus, cantantes et psallentes in cordibus vestris Domino.* Hoc canticum proprie *Celeuma* vocatur, ut dicit Glossa super epistolam ad Hebræos, super illud Apostoli, ad Hebr. xi, 13 et 14 : *A longe eas adspicientes, et salutantes, et confitentes quoniam peregrini et hospites sunt super terram. Qui enim hæc dicunt, significant se patriam inquirere.*

[Psalmus Hymnus.]

[Celeuma.]



INDEX

IN HABACUC PROPHETAM



D. ALBERTI MAGNI,

EPISCOPI RATISBONENSIS,

DOCTRINA TOTO ORBE CELEBERRIMI,

ORDINIS PRÆDICATORUM,

IN SOPHONIAM PROPHETAM

ENARRATIO.

Prologus divi Hieronymi in Sophoniam prophetam [1].

Tradunt Hebræi, cujuscumque prophetæ pater aut avus ponatur in titulo, ipsos quoque prophetas fuisse. Unde et Amos, unus de duodecim prophetis, qui dixerat : Non sum propheta, nec filius prophetæ, sed pastor caprarum vellicans sycomoros [2], patris nomen in titulo non habet [3]. Hoc si verum est, Sophonias propheta, nomine (ut ita dicam) prophetico, et gloriosa majorum suorum stirpe generatus est : habuit enim patrem Chusi, avum Godoliam, proavum Amariam, atavum Ezechiam : et talem quadrigam ipse, velut extremus auriga, complevit.

Nomen Sophoniæ, alii *speculam*, alii *arcanum Domini* transtulerunt. Sive igitur specula, sive absconditum Domini interpretatur, utrumque prophetæ convenit. Dicitur enim ad Ezechielem : Fili hominis, speculatorem te posui domui Israel [4]. Iste ergo propheta qui erat in specula et in sublimibus constitutus, et noverat mysteria Domini, filius erat Chusi, qui interpretatur *humilitas*. Habebat quoque avum Godoliam, qui dicitur *magnitudo Domini :* et proavum Amariam, qui et ipse vertitur *in sermonem Domini :* et atavum Ezechiam, qui sonat *fortitudo Domini*. De fortitudine itaque Domini natus est sermo Domini : et de sermone Domini nata est magnitudo Domini : et de magnitudine nata est humilitas : ut cum pervenerit aliquis ad perfectum, dicat : Quia non sum dignus vocari apostolus [5]. Et illud in Psalmis : *Domine, non est exaltatum cor meum, neque elati sunt oculi mei* [6].

[1] Ex principio Comment. Hieronymi in Sophoniam.

[2] Vulg. habet, Amos, VII, 14 : *Non sum propheta, et non sum filius prophetæ : sed armentarius ego sum, vellicans sycomoros.*

[3] Cf. Amos, I, 1.

[4] Vulg. habet, Ezechiel, III, 17 : *Fili hominis, speculatorem dedi te domui Israel.* Cf. etiam, Ezech. XXXIII, 7.

[5] Vulg. I ad Corinth. IX, 15 : *Ego sum minimus Apostolorum, qui non sum dignus vocari Apostolus.*

[6] Psal. CXXX, 1.

PROLOGI DIVI HIERONYMI IN SOPHONIAM PROPHETAM EXPLANATIO.

« Tradunt Hebræi. » Iste Prologus in duas partes dividitur. Prima est de commendatione Prophetæ. Secunda, de tempore prophetiæ ipsius et materia, ibi, « Josiam regem. »

Prima pars duas habet commendationes, scilicet a genere, et a nomine. A nomine incipit, ibi, « Nomen Sophoniæ. »

« Tradunt Hebræi. » Traditio est veridica patrum relatio. « Cujuscumque Prophetæ pater aut avus, » propinquus scilicet, vel remotus, « in titulo ponatur, » ipsius scilicet Prophetæ, « ipsos quoque, » patres scilicet, et avos, » Prophetas fuisse. » Hujus rationem dicit Augustinus esse, « quia tunc cum propa« gatione seminis fiebat propagatio reli« gionis. » Eccli, XLIV, 11 et 12 : *Cum semine ipsorum permanent bona. Hæreditas sancta nepotes eorum, et in testamentis stetit semen eorum.*

Hoc autem probat per signum, subdens : « Unde et Amos, unus de duodecim Prophetis, » tertius scilicet, « qui dixerat, » Amos, VII, 14 : « Non sum Propheta, neque filius Prophetæ, » hoc est, ex Prophetis genealogiam non duxi, « sed pastor caprarum, » translatio Septuaginta : nostra habet, *armentarius, vellicans sycomoros*, a σῦκον Græco, quod est *ficus ;* et μόρον quod est *fatua.* Et est sensus, quod fructus ruborum in deserto vellicatos comedere cogebatur. « Patris nomen in titulo non habet, » inspirationem enim propheticam habuit, et non genealogiam.

Ex hoc arguit, subdens :

« Hoc si verum est, » imo quia verum est, « Sophonias Propheta, » quem scilicet præ manibus habemus, « nomine (ut ita dicam) prophetico » hoc est, præsago ad gratiam prophetalem. Simile, Genes. XXVII, 36 : *Juste vocatum est nomen ejus Jacob : supplantavit enim me en altera vice.* « Et gloriosa majorum suorum stirpe, » patris scilicet, et avorum, « generatus est, » in paternam scilicet, et avitam gratiam et dignitatem. Et attende, ubi nos habemus, *qui nomine*[1], Hieronymus in originali ponit, *quinone,* intendens quod quinario nominis sui et quatuor patrum nominibus præsignatus est ad prophetandum. Quinone enim tantum valet quantum quinario. *Quinonem* autem hunc exponens, subdit : « Habuit enim patrem Chusi, » supple, nomine, « avum Godoliam, » patris patrem, « proavum Amasiam, » avi patrem, « atavum Ezechiam, » patrem scilicet proavi, « et talem quadrigam, » qua scilicet vecta est ad eum gratia prophetalis. Isa. XVI, 20 : *Et adducent omnes fratres vestros de cunctis gentibus donum Domino in equis, et in quadrigis, et in lecticis,* etc. « Ipse, » scilicet Sophonias, « velut extremus, » id est, optimus : extremum enim in bonis, optimum est. « Auriga » hoc est, sicut auriga avitam gratiam ad finem deducens, « complevit. » IV Reg. II, 12 : *Pater mi, pater mi, currus Israel, et auriga ejus.*

Et rationem dictorum ex nominum interpretatione ostendit, subdens :

« Nomen Sophoniæ, alii, » supple, interpretes, « *speculam,* » supple, interpretati, « alii *arcanum Domini* transtulerunt » in latinum. Et utramque adaptat interpretationem, subdens : « Sive igitur specula, » supple, transferatur, « sive absconditum Domini, » hoc est, arcanum « interpretetur, utrumque Prophetæ convenit, » hoc est, gratiam prophetalem designat. Et probat primum : « Dicitur enim ad Ezechielem : « Fili hominis speculatorum domui Israel te Sophonias.

[1] In Biblia Rob. Stephani deest *qui.*

posui [1]. Nostra littera habet, *dedi te*. Speculator enim est enuntiatione, arcanum vero Domini per inspirationem.

Et de interpretatione nominum paternorum, subdit :

« Iste ergo Propheta, » Sophonias scilicet, « qui erat in specula, et, » id est, « in sublimibus, » contemplationis scilicet, « constitutus. » Isa. XXI, 8 : *Super speculam Domini ego sum, stans jugiter per diem.* IV Reg. IX, 17 : *Speculator qui stabat super turrim Jezrahel.* Et hoc quoad primam interpretationem dictum est. « Et noverat mysteria Dei, » quoad interpretationem secundam. I ad Corinth. II, 10 : *Spiritus omnia scrutatur, etiam profunda Dei.* « Filius erat Chusi, » qui interpretatur *humilitas*. Jacob. IV, 6 : *Humilibus dat gratiam.* « Habebat quoque avum, » patrem patris scilicet, « Godoliam, qui dicitur *magnitudo Domini*. » Matth. V, 19 : *Qui fecerit et docuerit, hic magnus vocabitur in regno cœlorum.* « Et proavum Amariam, » avi scilicet patrem, « qui et ipse vertitur, » scilicet per interpretationem, « *in sermonem Domini*. » Et nota quod in originali Hieronymus dicit, « Amariam » et non Amasiam, unde et in interpretationibus Hebraicorum nominum Amarias *verbum Domini*, Amasias vero *indignans Domini* dicitur interpretari. « Et atavum Ezechiam, » supple, habuit, « qui sonat, » per interpretationem scilicet, « *fortitudo Domini*. » Psal. XXVII, 8 : *Dominus fortitudo plebis suæ, et protector salvationum Christi sui est.*

Chusi. Godolias. Amarias. Amasias. Ezechias.

Et hæc quæ dicta sunt recolligit, incipiens a primo, qui narratione ultimus fuit :

« De fortitudine itaque Domini natus est sermo Domini. » Sermonem enim Dei non pronuntiat, nisi quem spiritus confortat. Unde de Elia cujus sermo ardebat ut facula [2], dicitur, Eccli. XLVIII, 13 : *Potentia nemo vicit illum.* « Et de sermone Domini nata est magnitudo Domini, » quia sermo Domini magnum facit. Unde Virgo qui Verbum Domini concepit, dixit, Lucæ, I, 49 : *Quia fecit mihi magna qui potens est.* « Et de magnitudine Domini nata est humilitas. » Eccli. III, 20 : *Quanto magnus es, humilia te in omnibus.* Et quod quinonis dicti finis sit humilitas, probat, subdens : « Ut cum pervenerit aliquis ad perfectum, » magnitudinis scilicet in virtute, « dicat » cum Apostolo, I ad Corinth. XV, 9 : *Ego sum minimus Apostolorum, qui non sum dignus vocari Apostolus.* « Et » supple, dicat « illud Psal. CXXX, 1 : *Domine, non est exaltatum cor meum, neque elati sunt oculi mei.* »

In originali Hieronymus, non ponit plus de prologo. Unde quæ sequuntur ex Glossa addita sunt, et tangunt tempus prophetiæ et materiam.

« Josiam, regem Judæ, » hoc est, duarum tribuum, « cujus temporibus Sophonias prophetasse invenitur [3], Deo præ omnibus regibus Judæ placuisse, » propter religionem scilicet, « historia quarti libri Regum, » ubi sic dicitur, XXII, 2 : *Fecit Josias quod placitum erat coram Domino, et ambulavit per omnes vias David patris sui*, « et secundi Paralipomenon demonstrat, » ubi sic dicitur XXXIV, 2 : *Fecit Josias quod rectum erat in conspectu Domini, et ambulavit in viis David patris sui : non declinavit neque ad dexteram, neque ad sinistram.* Quare autem Deo placuerit, subdit : « Josias simulacra, quæ pater suus Amon, » de quo II Paral. XXXIII, 20 et seq., « et avus Manasses, » de quo ibidem, « in templo Dei collocaverant, » ut scilicet

[1] Ezech. III, 17 : *Fili hominis, speculatorem dedi te domui Israel.*

[2] Eccli. XLVIII, 1 : *Et surrexit Elias propheta, quasi ignis, et verbum illius quasi facula ardebat.*

[3] Sophon. I, 1 : *Verbum Domini, quod factum est Sophoniæ... in diebus Josiæ, filii Amon, regis Juda.*

templum profanarent, sicut dicitur Ezech. VIII, 6 et seq., « dejecta, » supple, de aris, « comminuisse monstratur [1] : « in quibus, » hoc est, inter quæ idola, « etiam serpentem æneum a Moyse factum [2] confregit : » « cui, » scilicet serpenti, « errore inductus populus, » quia serpentem pro Deo venerabatur, « superstitione idolorum detentus, » facilis enim erat ad idololatriam, « admiserat, » hoc est, super errorem serpentis admiserat idolorum venerationem. « Idem, » scilicet Josias, « custodisse Pascha, » et iterum, scilicet custodisse, « intermissa ab aliis » scilicet regibus de solemnitatibus et cultu, « temporibus multis, » quibus scilicet regnaverunt Amon et Manasses « solus celebrasse fertur [3].

Serpentem æneum Josias confregit.

« Ideo Deus, » hoc est, merito tanti viri, « temporibus memorati regis, » hoc est, Josiæ, « quæ proventura erant, ostendens » per propheticam revelationem, « Gentibus quidem lectione comprehensis, » Æthiopibus scilicet, Aquilonaribus, Assyriis, et Ninivitis, quos secundo capite nominat, « affuturum judicium, » supple, prophetat, hoc est, damnationem : « populo vero Israel, » decem tribuum, « salutem » supple, promittit, « et civitati Jerusalem, » metropoli duarum tribuum, « restaurationem, » hoc est, reædificationem, « tunc temporis, » scilicet, quando regna Gentium damnabuntur, « tribuendam textu lectionis, » in tertio scilicet capitulo, « denuntiavit, » quod non nisi prophetico spiritu cognoscere potuit.

CAPUT I.

Quo tempore Sophonias prophetaverit : qui primum peccatoribus universis, deinde Judæis comminatur, ob idololatriam et Dei contemptum, divinam ultionem : Jerusalem quoque lucernis scrutanda dicitur, et quam erit amara dies ultionis Domini.

1. Verbum Domini quod factum est ad Sophoniam, filium Chusi, filii Godoliæ, filii Amariæ, filii Ezeciæ, in diebus Josiæ, filii Amon, regis Judæ.
2. Congregans congregabo omnia a facie terræ, dicit Dominus :
3. Congregans hominem et pecus, congregans volatilia cœli et pisces maris : et ruinæ impiorum erunt, et disperdam homines a facie terræ, dicit Dominus.
4. Et extendam manum meam super Judam, et super omnes habitantes Jerusalem : et disperdam de loco hoc reliquias Baal, et nomina æditorum cum sacerdotibus :
5. Et eos qui adorant super tecta militiam cœli, et adorant et jurant in Domino, et jurant in Melchom :
6. Et qui avertuntur de post tergum Domini, et qui non quæsierunt Dominum, nec investigaverunt eum.
7. Silete a facie Domini Dei, quia juxta est dies Domini, quia præparavit Dominus hostiam, sanctificavit vocatos suos.

[1] Cf. II Paralip. XXXIV, 4, 7 ; IV Reg. XXIII, 14.

[2] Numer. XXI, 9.

[3] IV Reg. XXIII, 21 et seq., et II Paralip. XXXV, 1 et seq.

8. Et erit : In die hostiæ Domini, visitabo super principes, et super filios regis, et super omnes qui induti sunt veste peregrina :

9. Et visitabo super omnem qui arroganter ingreditur super limen in die illa : qui complent domum Domini Dei sui iniquitate et dolo.

10. Et erit in die illa, dicit Dominus, vox clamoris a porta Piscium, et ululatus a secunda, et contritio magna a collibus.

11. Ululate, habitatores Pilæ : conticuit omnis populus Chanaan, disperierunt omnes involuti argento.

12. Et erit in tempore illo : Scrutabor Jerusalem in lucernis, et visitabo super viros defixos in fæcibus suis : qui dicunt in cordibus suis : Non faciet bene Dominus, et non faciet male.

13. Et erit fortitudo eorum in direptionem, et domus eorum in desertum : et ædificabunt domos, et non habitabunt[1] : et plantabunt vineas, et non bibent vinum earum.

14. Juxta est dies Domini magnus : juxta est, et velox nimis : vox diei Domini amara, tribulabitur ibi fortis.

15. Dies iræ dies illa, dies tribulationis et angustiæ, dies calamitatis et miseriæ, dies tenebrarum et caliginis, dies nebulæ et turbinis[2].

16. Dies tubæ et clangoris super civitates munitas, et super angulos excelsos.

17. Et tribulabo homines, et ambulabunt ut cæci, quia Domino peccaverunt : et effundetur sanguis eorum sicut humus, et corpora eorum sicut stercora.

18. Sed et argentum eorum et aurum eorum non poterit liberare eos in die iræ Domini[3] : in igne zeli ejus devorabitur omnis terra[4], quia consummationem cum festinatione faciet cunctis habitantibus terram.

IN CAPUT I SOPHONIÆ

ENARRATIO.

« *Verbum Domini quod factum est.* » Ista Prophetia dividitur in titulum, et tractatum ibi, ℣. 2 : « *Congregans congregabo.* »

In titulo dicuntur modus revelationis, auctor, virtus verbi revelati, nomen Prophetæ, et genus, et tempus Prophetiæ.

« *Verbum* » notat quod per modum oraculi facta est revelatio. Job, IV, 12 : *Ad me dictum est verbum absconditum, et quasi furtive suscepit auris mea venas susurri ejus.* « *Domini,* » qui est auctor revelationis : construitur enim in vi causæ efficientis. I Reg. III, 10 : *Loquere, Domine, quia audit servus tuus.* « *Quod factum est.* » Virtutem verbi revelati notat. Verbum enim Domini in facto plus est quam in dicto, et ad factum plus refertur quam ad auditum. Sap. XVIII, 15 : *Omnipotens sermo tuus de cœlo, a regalibus sedibus,... in mediam terram prosilivit.* « *Ad Sophoniam,* » Præpositio *ad* notat appropinquationem verbi ad animum prophetæ et intellectum. Deut. XXX, 14, et ad Roman. X, 8 : *Prope est verbum*

[1] Amos, V, 11.
[2] Jerem. XXX, 7 ; Joel, II, 11 ; Amos, V, 18.
[3] Ezech. VII, 19.
[4] Infra, III, 8.

in ore tuo, et in corde tuo. Jacob. I, 21: *In mansuetudine suscipite insitum verbum.* Glossa, « per naturam. » Sophonias nomen Prophetæ est, et *specula* (sicut in antehabitis dictum est [1]) interpretatur. Ezech. III, 17: *Speculatorem dedi te domui Israel.* Et subdit de genere : « *Fi-*
Chusi. *lium Chusi,* « qui *humilitas*, vel *Æthiops meus* interpretatur, corde humilis et extra, jugi castigatione carnis. Matth. XI, 29: *Discite a me, quia mitis sum, et humilis corde.* Cant. I, 4: *Nigra sum, sed formosa.* Et iterum, ℣. 5: *Nolite me considerare quod fusca sim, quia decoloravit me sol,* hoc est, lumine veritatis et calore charitatis, verus sol istam in-
Godolias. duxit nigredinem. « *Filii Godoliæ,* » qui *magnitudo Domini* interpretatur, eo quod magnus fuit virtute. Job, I, 3: *Erat vir ille magnus inter omnes Orientales.* Bernardus: « Magnus est, cui dignitas sæ« culi si arrisit non irrisit : nec minor est « illo qui incidens in adversa, non excidit « vel parum a sapientia. » Ad Roman. VIII, 30: *Quos justificavit, illos et magnifica-*
Amarias. *vit* [2]. « *Filii Amariæ,* » qui *sermo Domini* interpretatur. Sermo enim Domini solus facit magnum. Eccli. L, 1, dicitur de Simone, Oniæ filio, quod fuerit sacerdos magnus [3]. Et subjungitur, quod fuerit excel-
Ezechias. sus in verbo gloriæ. « *Filii Ezeciæ* [4], » qui *fortitudo Domini* interpretatur, quæ ex virtute est. Unde, Daniel. X, 19, dicitur : *Loquere, Domine mi, quia confortasti me.* Exod. XV, 11: *Quis similis tui in fortibus, Domine? quis similis tui, magnificus in sanctitate?*

Et subdit de tempore prophetiæ. « *In*
Josias. *diebus Josiæ,* » de quo, IV Reg. XXII, 1 et seq. Et *elevatio domini* interpretatur : intelligitur autem de elevatione sanctitatis et contemplationis. Psal. VIII, 2: *Elevata est magnificentia tua super*
Amon. *cœlos, Domine.* « *Filii Amon,* » qui *fides* interpretatur. Fides enim purificat et elevat intellectum in Deum, et facit adhærere veritati. Act. XV, 9 : *Fide purificans corda eorum.* Omnia hæc faciunt ad auctoritatem prophetiæ. Et addit : « *Regis Judæ,* » quia « merito boni regis « sæpe fit revelatio, » ut dicit Chrysostomus. Per Judam autem intelliguntur duæ tribus, Juda scilicet, et Benjamin : quibus conjuncta fuit tribus sacerdotalis, de cujus commendatione satis dictum est in prologo.

« *Congregans congregabo.* » Hic inci- 2
pit prophetia quæ habet quatuor partes, in quarum prima sub differentiis peccantium et peccatorum comminatur pœnam. In secunda provocat ad pœnitentiam sub timore condemnationis gentium aliarum, infra, II, 1, ibi, « *Convenire, congregamini.* » In tertia reprehendit malitiam obstinatam, infra, III, 1, ibi, « *Væ provocatrix, et redempta civitas!* » In quarta pœnitentibus promittit consolationem infra, III, 8, ibi, « *Quapropter exspecta me, dicit Dominus.* »

Prima pars in duas dividitur. Primo enim comminatur pœnam. Secundo, indicit ululatum punitis ad pœnæ magnitudinem ostendendam, ibi, ℣. 11 : « *Ululate, habitatores Pilæ.* »

In prima quinque sunt paragraphi. In primo enim puniendorum congregatio. Secundo, ponitur virtutis punientis descriptio, ibi, « *Et extendam manum meam,* » In tertio, punitorum confusio, ibi, « *Silete.* » In quarto, puniendorum secundum peccata distinctio, ibi, « *Et erit : In die hostiæ Domini.* » In quinto, punitorum planctus et amaritudo, ibi, « *Et erit In die illa, dicit Dominus, vox clamoris.* »

« *Congregans congregabo.* » Inculcatio verbi generalem notat congregationem,

[1] Cf. Prologum S. Hieronymi, ejusque explicationem.

[2] Vulg. habet, *glorificavit.*

[3] Eccli. L, 1 : *Simon, Oniæ filius, sacerdos magnus,* etc.

[4] Idem est, ut putant plurimi, ac Ezechias rex.

et certam in futuro : vel congregationem ad puniendum in anima, vel congregationem ad puniendum in corpore. Jerem. xii, 3 : *Congrega eos quasi gregem ad victimam, et sanctifica eos in die occisionis.* « *Omnia*, » homines scilicet, animalia, et terrænascentia. Habacuc, i, 15 : *Totum in hamo suo sublevavit, traxit illud in sagena sua, et congregavit in rete suum.* « *A facie terræ*, » hoc est, a præsentia terræ. Psal. ciii, 35 : *Deficiant peccatores a terra, et iniqui ita ut non sint.* « *Dicit Dominus*, » confirmatio sermonis est : quia quod dicit Dominus, absque dubio implebitur. Matth. v, 18 : *Iota unum, aut unus apex non præteribit a lege.*

3 « *Congregans hominem.* » Hominem vocat malum quidem, sed civilem. « *Et pecus,* » qui in pecorinum sensum mutatus est. Psal. xlviii, 13 et 21 : *Homo cum in honore esset, non intellexit : comparatus est jumentis insipientibus.* Isaiæ, xxiv, 22 : *Congregabuntur congregatione unius fascis in lacum, et claudentur ibi in carcere.* « *Congregans volatilia cœli*, » hoc est, superbos et instabiles, « *et pisces maris,* » per quos voluptuosi significantur, qui in aquis concupiscentiarum nutriuntur. Psal. viii, 9 : *Volucres cœli, et pisces maris, qui perambulant semitas maris.* Matth. xiii, 30 : *Colligite primum zizania, et alligate ea in fasciculos ad comburendum.* Hieronymus : « Etiam bruta animalia « sentient iram Dei, et subversis urbibus « et interfectis hominibus solitudo erit, et « raritas bestiarum et volucrum. » « *Et*, » supple, congregatis omnibus, « *ruinæ impiorum erunt* » in damnationem corporis et animæ. Isa. iii, 8 : *Ruit Jerusalem, et Judas concidit : quia linguæ eorum et adinventiones eorum contra Dominum, ut provocarent oculos majestatis ejus.* « *Et*, » id est, « *disperdam homines a facie terræ,* » hoc est, a præsentia terræ, per captivitatem scilicet. Job, xl, 6 et 7 : *Disperge superbos in furore tuo, et respiciens omnem arrogantem humilia. Respice cunctos superbos, et confunde eos, et contere impios in loco suo.* Genes. iv, 14 : *Ecce ejicis me hodie a facie terræ, et a facie tua abscondar, et ero vagus et profugus in terra.* « *Dicit Dominus*, » confirmatio est sermonis. Ad Roman. iii, 4 : *Est autem Deus verax : omnis autem homo mendax.*

« *Et extendam manum meam.* » « Ma- 4
« nus extenditur (ut dicit Hieronymus) ad « percutiendum. » Isa, ix, 21 : *In omnibus his non est aversus furor ejus, sed adhuc manus ejus extenta.* « *Super Judam*, » hoc est, super duas tribus, quantum ad sacerdotes et principes, « *et super omnes habitantes Jerusalem*, » quantum ad populum, ut scilicet similes in peccatis simili pœna feriantur. Jerem, v, 30 et 31 : *Stupor et mirabilia facta sunt in terra : Prophetæ prophetabant mendacium, et sacerdotes applaudebant manibus suis : et populus meus dilexit talia.* Ad Roman, i, 32 : *Qui talia agunt, digni sunt morte : et non solum qui ea faciunt, sed etiam qui consentiunt facientibus.* Et idcirco omnes percutientur. Sap. xviii, 16 : *Stans replevit omnia morte.* Amos, viii, 3 : *Multi morientur : in omni loco projicietur silentium.* Isa, xxiv, 2 : *Et erit sicut populus, sic sacerdos.* Deuter. xxxii, 25 : *Foris vastabit eos gladius, et intus pavor, juvenem simul ac virginem, lactentem cum homine sene.*

Et per differentias subjungit, quod nulli parcit :

« *Et disperdam de loco hoc,* » templo scilicet, et Jerusalem, et Juda, « *reliquias Baal,* » qui deus Sidoniorum fuit, et *absque jugo* vel *vorator* interpretatur, et fuit idolum quod posuerant statim juxta ostium templi. Ezech. viii, 3 : *Ubi erat statutum idolum zeli ad provocandam æmulationem.* Spiritualiter autem vorator in templo Dei est, quando ministri altaris jugum disciplinæ abjicientes, ad

Vorator e templo Dei projiciatur.

gulam et luxuriam convertuntur. Daniel. xiv, 5 : *An non vides quanta comedat, et bibat quotidie ?* Isa. xxii, 12 et 13 : *Vocabit Dominus Deus exercituum in die illa ad fletum, et ad planctum, et ad calvitium, et ad cingulum sacci : et ecce gaudium et lætitia, occidere vitulos, et jugulare arietes, comedere carnes, et bibere vinum.* Psal. lxxvii, 30 et 31 : *Adhuc escæ eorum erant in ore ipsorum, et ira Dei ascendit super eos. Et occidit pingues eorum.* « *Et nomina æditurorum,* » hoc est, custodum ædis sive templi, « *cum sacerdotibus.* » *Æditiuos* vocat sacerdotes minoribus officiis deputatos, *sacerdotes* autem majores. Psal. lxxvii, 64 : *Sacerdotes eorum in gladio ceciderunt.* Et nota, quod primi interficiuntur sacerdotes majores et minores : quia sicut fuerunt exemplum perditionis, ita primi erunt in pœnis. Levitic. x, 3 : *Sanctificabor in iis qui appropinquant mihi, et in conspectu omnis populi glorificabor.* Ezech. ix, 6, dixit Angelus percutientibus : *A sanctuario meo incipite.*

5 « *Et,* » supple, disperdam « *eos qui adorant super tecta militiam cœli.* » Tecta in Palæstina fuerunt plana, cum carratiis facta : et in illis propter altitudinem figuras stellarum posuerunt, et solem et lunam, et stellas adoraverunt, sicut improperat Dominus, Jerem. v, 17 et 18 : *Nonne vides quid isti faciunt in civitatibus Juda, et in plateis Jerusalem ? filii colligunt ligna, et patres succendunt ignem, et mulieres conspergunt adipem, ut faciant placentas reginæ cœli, et libent diis alienis, et me ad iracundiam provocent.* Super tecta autem spiritualiter sacrificant, qui peccata sua publicant et exaltant. Isa. iii, 9 : *Peccatum suum sicut Sodoma prædicaverunt, nec absconderunt.* Unde et Dominus, Matth. x, 27, de bonis dicit : *Quod in aure auditis, prædicate super tecta,* hoc est, publice. Et subdit de his qui partim idola, et partim Deum venerati sunt, qui significant hypocritas : « *Et adorant,* » divisa scilicet adoratione, « *et jurant,* » in confirmatione sermonis et causarum, « *in Domino,* » et cum hoc, « *et jurant in Melchom,* » quod fuit idolum Moabitarum, et interpretatur *rex eorum,* hoc est, tantum confidebant de divinitate Melchom, quantum de divinitate Domini. Tales sunt qui verbo Deum adorant, et diabolum facto. III Reg. xviii, 21 : *Usquequo claudicatis in duas partes ?* Matth. xv, 8 : *Populus hic labiis me honorat, cor autem eorum longe est a me*[1]. Melchom

« *Et qui avertuntur de post tergum Domini,* » qui sunt communiter peccatores, Dominum non sequentes. Isa. lix, 13 : *Aversi sumus ne iremus post tergum Dei nostri.* Zachar. vii, 11 : *Averterunt scapulam recedentem.* Homo enim cæcus est, et nisi manu terga Domini tangat et ducatur, in foveam cadit. Job, xxiii, 11 : *Vestigia ejus secutus est pes meus, viam ejus custodivi.* « *Et qui non quæsierunt Dominum,* » supple, per rectam intentionem. Hi sunt qui oculum mentis non purum, et intentionem tenebrosam habent. Matth. vi, 23 : *Si oculus tuus fuerit nequam, totum corpus tuum tenebrosum erit.* Zachar. xi, 17 : *Oculus dexter ejus tenebrescens obscurabitur.* « *Nec investigaverunt eum,* » scilicet per studium virtutis. Job, viii, 8 : *Interroga generationem pristinam, et diligenter investiga patrum memoriam.* Patres enim per studium virtutis investigaverunt Deum. 6

« *Silete.* » Hic ponitur punitorum confusio, et ideo indicitur eis silentium, ne saltem loqui audeant confusi in pœnis : tum quia prope est judicium, tum quia 7

[1] Cf. Isa. xxv, 13.

parati sunt ad mortem per malum meritum, tum quia parati sunt occisores eorum.

« *Silete,* » hoc est, obmutescite, « *a facie Domini Dei,* » hoc est, a præsentia majestatis ejus. I Reg. II, 9 : *Impii in tenebris conticescent.* Matth. XXII, 12 : *At ille obmutuit* « *Quia juxta est dies Domini,* » claræ scilicet justitiæ qua condemnabimini. Jacob. V, 9 : *Ecce judex ante januam assistit.*

Et subjungit, quod parati sunt ad mortem per malum meritum : « *Quia præparavit Dominus hostiam,* » per ordinem scilicet justitiæ. Dicit enim Hieronymus, quod « mensuras habet justitia Dei, » scilicet per complementum iniquitatis. Isa. XXXIV, 5 : *Inebriatus est in cœlo gladius meus,* hoc est, in ratione cœlestis justitiæ, quod ulterius dissimulari non poterit. Hæc est exsecutio gladii, qua peccatis nostris exigentibus exacuitur. Deuter. XXXII, 41 : *Si acuero ut fulgur gladium meum.* Isa. XXXIV, 6 : *Gladius Domini repletus est sanguine, incrassatus est adipe,* hoc est, repletus est peccatis ex corruptione sanguinis procedentibus, et repletus est adipe, hoc est, dulcedine et delectatione quam habent in peccatis. Psal. LXXII, 7 : *Prodiit quasi ex adipe iniquitas eorum.* Sic ergo præparata est hostia, quæ justitiæ Dei sanctificanda est. « *Sanctificavit vocatos suos,* » hoc est, sanctificavit contra vos et confortavit vocatos suos, hoc est, Babylonios, quos vocavit ut vos mactent et perdant. Habacuc, I, 12 : *Domine, in judicium posuisti eum : et fortem, ut corriperes, fundasti eum.* Et ita diabolus ex peccato nostro confortatur contra nos.

Justitia Dei mensuram habet.

8 « *Et erit.* » Quartus paragraphus in quo tangitur puniendorum secundum peccata distinctio.

« *Et erit.* » Confirmationis indicium est. Genes. XLI, 32 : *Fiat sermo Domini, et velocius impleatur.* « *In die hostiæ Domini,* » hoc est, qua sacrificanda est hostia Domini ad interfectionem. Job, XX, 27 : *Revelabunt cœli iniquitatem ejus, et terra consurget adversus eum.* Hæc enim dicitur *dies,* revelatio scilicet iniquitatis ad justitiam. « *Visitabo super principes,* » qui scilicet causa fuerunt peccati in populo. Sapient. VI, 7 : *Potentes potenter tormenta patientur.* « *Et super filios regis,* » ad litteram Josiæ, qui tres erant et omnes puniti et captivati [1] : vel quia usque ad illud tempus de stirpe David reges fuerunt, et postea defecerunt : vel hoc dicit contra nobiles qui sicut stemmate, ita alios excedunt vitiis. Psal. CXLIX, 8 : *Ad alligandos reges eorum in compedibus, et nobiles eorum in manicis ferreis.* « *Et super omnes qui induti sunt veste peregrina.* » *Peregrina vestis* est quadrupliciter, scilicet, a lege, Levit. XIX, 19 : *Veste, quæ ex duobus texta est, non indueris,* scilicet non indueris veste lana linoque contexta : et significat hypocritas, qui duplicibus vestiti sunt : linum mollitiei carnalis concupiscentiæ habent intus, lanam autem innocentiæ exhibent foris. Et est *peregrina vestis* a statu sive professione, sicut matrona habet habitum meretricis, vel clericus habitum laici, vel monachus habitum sæcularis. Numer. XV, 38 et 39 : *Loquere filiis Israel, et dices ad eos, ut faciant sibi fimbrias per quatuor angulos palliorum, ponentes in eis vittas hyacinthinas : quas cum viderint, recordentur omnium mandatorum Domini.* Sic habitus uniuscujusque religionis in signum luctus inventus est, et quando mutatur in aliud, peregrinus est. Et dicitur *peregrinus* a professione, non enim apparet in eo, quod primo professus est : tales sunt monachi calceis nodatis et caligis sericatis et strictis, et tunicis coronatis induti. Tertio modo, *peregrina vestis* est a consuetudine : et hoc est quando in incisione et figura contra con-

Vestis peregrina.

[1] Cf. IV Reg. XXIII, 31 et seq.

suetudinem vestis mutatur, sicut quando Sacerdotes incisuram sumunt militum, vel etiam ribaldorum, et monachi similiter. II Machab. IV, 13: *Erat hoc non initium, sed incrementum quoddam, et profectus gentilis, et alienigenæ conversationis.* Et, post pauca, ℣. 16: *Eorum instituta æmulabantur, ac per omnia his consimiles esse cupiebant, quos hostes et peremptores habuerant.* Quarto modo, *peregrina vestis* est a fortuna, quando pauper vult vestiri sicut dives, et ignobilis sicut nobilis. Matth. XI, 8 : *Ecce qui mollibus vestiuntur, in domibus regum sunt.* Contra quod dicitur, I ad Timoth. VI, 8 : *Habentes alimenta, et quibus tegamur, his contenti simus.* Omnes istos visitat Dominus. Psal. LVIII, 6 : *Intende ad visitandas omnes gentes : non miserearis omnibus, qui operantur iniquitatem.*

9 « *Et visitabo super omnem, qui arroganter ingreditur super limen in die illa.* » Ad litteram loquitur de his qui ob venerationem idoli Dagon Philisthinorum limen calcare noluerunt, sed quasi pompam exhibentes limini, pedem transposuerunt. I Reg. V, 5 : *Propter hanc causam non calcant sacerdotes Dagon, et omnes qui ingrediuntur templum ejus, super limen.* Hanc, observationem Judæi ab Allophylis acceperunt. Vel, *arroganter ingreditur super limen* qui non dimisso capite, tonso pectore, oris supplicatione, ingreditur in templum, et irreverenter accedit ad sacra. Propter quod, Exod. III, 5, dicitur Moysi : *Ne appropies, inquit, huc : solve calceamentum de pedibus tuis : locus enim in quo stas, terra sancta est.* Amos, VI, 1 : *Væ qui opulenti estis in Sion, et confiditis in monte Samariæ : optimates capita populorum, ingredientes pompatice domum Israel !* Et de mulieribus, Isa. III, 16 et 17 : *Pro eo quod elevatæ sunt filiæ Sion, et ambulaverunt extento collo, et nutibus oculorum ibant, et plaudebant,*

Sacra religiose tractanda.

ambulabant pedibus suis, et composito gradu incedebant : decalvabit Dominus verticem filiarum Sion. Hanc visitationem faciet in die illa, quando clara scilicet ut dies erit justitia. I ad Corinth. IV, 5 : *Illuminabit abscondita tenebrarum, et manifestabit consilia cordium.* « *Qui complent domum Domini Dei sui iniquitate,* » super illos, supple, visitabit. Et tangit specialiter Sacerdotes, qui omne judicium, pœnam et dispensationem sacramentorum convertunt ad iniquum lucrum. Jerem. VII, 11 : *Numquid ergo spelunca latronum facta est domus ista, in qua invocatum est nomem meum in oculis vestris ?* Joan. II, 16 : *Nolite facere domum Patris mei, domum negotiationis.* « *Et dolo.* » Hoc videtur tangere advocatos. Jerem. IX, 8 : *Sagitta vulnerans lingua eorum, dolum locuta est.*

Cupidit[as] abomin[an]da.

« *Et erit.* » Quintus paragraphus in quo per clamorem, generalitatem significat mali. « *In die illa, dicit Dominus, vox clamoris,* » ejulantium scilicet in pœnis, « *a porta Piscium.* » *Porta Piscium* erat versus Joppen, in qua pisces de mari allati vendebantur. « *Et ululatus a secunda.* » *Secunda* porta secundi muri dicitur ex opposito. Et est sensus : A porta usque ad portam per longitudinem urbis, ita quod ubique clamor sit. Isa. XXII, 2 et 3 : *Clamoris plena, urbs frequens, civitas exsultans,* supple, quondam : sed nunc supple, *interfecti tui, non interfecti gladio, nec mortui in bello. Cuncti principes tui fugerunt simul, dureque ligati sunt.* « *Et contritio magna a collibus.* » Duo colles erant in Jerusalem, scilicet mons templi qui Moria dicebatur, et mons Sion in quo erat sedes regni : et vult dicere quod a superiori parte civitatis ubi potentes habitabant, clamor descendit usque ad ima, hoc est, a ditioribus et potentioribus usque ad pauperes. Sap. VI, 7 : *Potentes potenter tormenta patientur.* Majores enim primo contriti 10

sunt a Nabuchodonosor, et populus postea ductus est in captivitatem. Et hoc etiam fit a diabolo, qui primo occupat majores, et postea minores.

11 « *Ululate.* » Hic inducit ululatum, ut magnitudinem mali ostendat. Et habet quinque paragraphos, in quorum primo generalis inducitur contritio, quæ est causa ululatus. In secundo aliam inducit causam, scilicet districtissimam visitationem, ibi, « *Et erit in tempore illo.* » In tertio dicit, quod malum est cui resisti non potest per aliquam fortitudinem, ibi, « *Et erit fortitudo eorum.* » In quarto quod prope et non longe est judicium, ibi, « *Juxta est dies Domini.* » In quinto, quod donis se liberare non possunt, ibi, « *Sed et argentum eorum, et aurum.* »

« *Ululate, habitatores Pilæ.* » *Pila* dicitur hic per metaphoram ad similitudinem pilæ, in qua ptisanæ contunduntur, et est instrumentum concavum. *Pilum* autem dicitur instrumentum quoddam rotundum, quod desuper ferit ut ptisanæ contundantur in concavo. Unde, Proverb. XXVII, 22 : *Si contuderis stultum in pila quasi ptisanas feriente desuper pilo, non auferetur ab eo stultitia ejus.* Et sic ædificata fuit civitas Jerusalem : quædam enim pars erat in monte, quædam in valle quæ dicebatur Mello, et illam vocat *pilam* ad similitudinem prædictæ pilæ. Est enim pila æquivocum multa significans. Unde versus :

Est pila pes pontis, pila ludus, pila taberna,
Pila terit pultes, sed pila geruntur in hostes.

Et est sensus, quod descendente contritione a collibus, populus in vallibus habitans tamquam in pila nimio ululabit dolore. Et subdit causam, et suppletur, quia « *Conticuit omnis populus Chanaan.* » *Chanaan* vocat populum Jerusalem, non propter naturam, sed propter imitationem. Daniel. XIII, 56 : *Semen Chanaan et non Juda, species decepit te.* Ezech. XVI, 3 : *Radix tua, et generatio tua de terra Chanaan : pater tuus Amorrhæus, et mater tua Cethæa.* Chanaan enim interpretatur *transmutatus :* illi enim transmutati fuerunt in pœnis. Dicuntur ergo *conticuisse :* quia etiam gemere et suspirare in pœnis non audebant. I Reg. II, 9 : *Impii in tenebris conticescent.* Et quia divites primi sunt in pœnis, propter hoc nominat illos. « *Disperierunt,* » scilicet per peccatum et captivitatem, « *omnes involuti argento,* » hoc est, qui divitiis circumvoluti erant sicut veste : vel forte sapientes et loquentes intelligit, qui sapientia et eloquentia se liberare non poterant. Thren. IV, 2 : *Filii Sion inclyti, et amicti auro primo, quomodo computati sunt in vasa testea, opus manuum figuli ?*

Chanaan.

« *Et erit.* » Secundus paragraphus in quo tangit severissimam visitationem. 12
Præmittit autem confirmationem propheticam, ut indubitabilis sit sermo :

« *Et erit in tempore illo,* » judicii illius scilicet. Psal. LXXIV, 3 : *Cum accepero tempus, ego justitias judicabo.* « *Scrutabor,* » per singula scilicet peccata, « *Jerusalem,* » per metonymiam, hoc est, habitantes in Jerusalem, « *in lucernis,* » hoc est, illuminationibus, ut omnia occulta manifestentur. I ad Corinth. IV, 5 : *Veniet Dominus, qui et illuminabit abscondita tenebrarum, et manifestabit consilia cordium.* Luc. XV, 8 : *Accendit lucernam, et everrit domum, et quærit diligenter.* Et hoc quod dixit, exponit, subdens : « *Et,* » id est, « *visitabo super viros defixos in fæcibus suis.* » *Visitatio* est luminibus Domini occultorum manifestatio. *Viri* autem viriles in peccatis defixi pertinaces in fæcibus suis, in stercorosis et fœtidis peccatis. Isa. XXVI, 21 : *Dominus egredietur de loco suo, ut visitet iniquitatem habitatoris terræ contra eum.* Jerem. XLVIII, 11 : *Fertilis fuit Moab ab adolescentia sua, et requievit in*

fæcibus suis. Joel, I, 17 : *Computruerunt jumenta in stercore suo.* Quid autem in fæcibus defigat, subdit : « *Qui,* » hoc est, quia illi « *dicunt in cordibus suis,* » hoc est, cum consensu cordis, ut scilicet verbo et operi cor consentiat. Psal. XIII, 1 : *Dixit insipiens in corde suo : Non est Deus.* « *Non faciet bene Dominus, et non faciet male,* » hoc est, non est providentia apud Deum, nec retribuit malis mala, nec bonis bona. Job, XXII, 13 et 14, dicitur : *Quid enim novit Deus ? et quasi per caliginem judicat. Nubes latibulum ejus, nec nostra considerat.* Hi licentiose perpetrant omnia mala, quia non credunt judicium. Sap. II, 21 et 22 : *Hæc cogitaverunt, et erraverunt : excæcavit enim illos malitia eorum. Et nescierunt sacramenta Dei, nec mercedem speraverunt justitiæ.*

Vulgo receptus error.

13 « *Et erit.* » Tertius paragraphus : « *fortitudo eorum in direptionem,* » hoc est, divitiæ in quibus se fortes esse putabant, ab hostibus diripientur. Psal. LXXXVIII, 42 : *Diripuerunt eum omnes transeuntes viam.* Nahum, II, 9 : *Diripite argentum, diripite aurum : et non est finis divitiarum.* « *Et domus eorum in desertum,* » supple, erunt. Hieronymus, « ut nec parietina relinquantur, sicut fit de « domibus sæculi post mortem divitum. » Isa. VI, 11 : *Desolentur civitates sine habitatore, et domus sine homine.* « *Et* » tamen dicta Prophetarum non attendentes, « *ædificabunt domos,* » sperantes quod habitaturi sint in eis, « *et non habitabunt,* » in eis scilicet. Amos, V, 11 : *Domos quadro lapide ædificabitis, et non habitabitis in eis.* Psal. LI, 7 : *Evellet te, et emigrabit te de tabernaculo tuo.* Job, XVIII, 14 : *Avellatur de tabernaculo suo fiducia ejus, et calcet super eum, quasi rex, interitus.* « *Et plantabunt vineas,* » hoc est, materiam gaudiorum sæcularium, « *et non bibent vinum earum.* » Amos, V, 11 et 12 : *Vineas plantabitis amantissimas, et non bibetis vinum earum. Quia cognovi multa scelera vestra, et fortia peccata vestra.*

« *Juxta est dies.* » Quartus paragraphus. Ne dicat quod in longum prophetet, et quod post mortem eorum ventura sunt quæ dicit, dicit quod « *Juxta est dies Domini magnus.* » *Magnus* quia multos involvit, et magnos punit. Isa. XIV, 1 : *Prope est ut veniat tempus ejus, et dies ejus non elongabuntur.* Et hoc est quod sequitur : « *Juxta est et velox nimis,* » appropinquando scilicet continuo. Habacuc, II, 3 : *Veniens veniet, et non tardabit.* Luc. XII, 20 : *Hac nocte animam tuam repetunt a te.* 14

Et subdit de qualitatibus diei : « *Vox diei Domini amara,* » hoc est, vox quæ auditur de die Domini quæ post mortem est uniuscujusque, et in fine mundi de omnibus, est amara : quia tunc dulcis Dominus per naturam, peccatis nostris ad amaritudinem provocabitur, ut dicit Hieronymus. Eccli. XLI, 1 et seq. : *O mors, quam amara est memoria tua homini habenti pacem in substantiis suis,* etc. « *Tribulabitur ibi fortis.* » Amos, II, 14 : *Fortis non obtinebit virtutem suam.* Psal. XXXII, 16 : *Gigas non salvabitur in multitudine virtutis suæ.*

Extremi judicii tempus horrendum.

« *Dies iræ,* » scilicet Dei, « *dies illa.* » Tunc enim Deus irascetur inimicis. Apoc. VI, 16 et 17 : *Dicunt montibus et petris : Cadite super nos, et abscondite nos a facie sedentis super thronum, et ab ira Agni : quoniam venit dies magnus iræ ipsorum, et quis poterit stare ?* « *Dies tribulationis,* » in corpore scilicet, « *et angustiæ,* » in corde. Isa. XXXVII, 3 : *Dies tribulationis, et correptionis, et blasphemiæ dies hæc.* « *Dies calamitatis et miseriæ.* » *Calamitas* est inedia ex defectu fructus calami suborta, *miseria* vero omnis boni destitutio. Hæc enim erunt in judicio Domini, quando 15

mali separabuntur ab omni bono. Job, XVIII, 12 : *Attenuetur fame robur ejus, et inedia invadat costas illius.* Psal. LVIII, 7 : *Famem patientur ut canes, et circuibunt civitatem,* mendicantes scilicet, et nemo dabit eis. « *Dies tenebrarum et caliginis* : » *tenebrarum* in ratione, et *caliginis* in opere : in ratione enim non videbunt consilium, et in opere non habebunt effugium. Isa. LIX, 10 : *Impegimus meridie quasi in tenebris, in caliginosis quasi mortui.* « *Dies nebulæ et turbinis :* » *nebulæ* ad litteram, quia pulvis elevatus videtur esse nebula : *turbinis* vero, quia impetum faciet hostis ut turbo. Nahum, I, 3 : *Dominus in tempestate et turbine viæ ejus, et nebulæ pulvis pedum ejus.* Hæc referuntur ad caliginem involventem impios in judicio. Joel, II, 1 et 2 : *Prope est dies tenebrarum, et caliginis, dies nubis, et turbinis.*

16 « *Dies tubæ et clangoris.* » *Tuba* dicitur cornea qua convocantur exercitus cohortes minores. *Clangor* autem est sonus tubæ majoris, qua omnes hostes convocantur. Job, XV, 21 : *Sonitus terroris semper in auribus illius.* Jerem. IV, 21 : *Usquequo videbo fugientem, audiam vocem buccinæ ?* I ad Corinth. XV, 52 : *Canet enim tuba, et mortui resurgent incorrupti.* « *Super civitates munitas,* » victas scilicet. Jerem. IV, 26 : *Omnes urbes ejus destructæ sunt a facie Domini, et a facie iræ furoris ejus.* « *Et super angulos excelsos,* » hoc est, super principes qui sicut anguli retinent parietes, ita ipsi tenebant populum in peccatis. Simile, Isa. XIX, 13 : *Deceperunt Ægyptum, angulum populorum ejus.* Isa. X, 33 : *Excelsi statura succidentur.*

17 Et quod dixit, exponit, subdens :

« *Et tribulabo homines,* » humum scilicet sapientes, hoc est, peccatores. Apoc. XVIII, 9 : *Et flebunt, et plangent se super illam reges terræ qui cum illa fornicati sunt, etc.* « *Et ambulabunt ut cæci,* » effugium scilicet non videntes, nec pœnitentiam agentes. Isa. LIX, 10 : *Palpavimus sicut cæci parietem, et quasi absque oculis attrectavimus.* Et horum omnium causam subdit : « *Quia Domino peccaverunt,* » hoc est, contra Dominum. Isa. III, 8 : *Lingua eorum et adinventiones eorum contra Dominum, ut provocarent oculos majestatis ejus.* Isa. LIX, 12 : *Multiplicatæ sunt iniquitates nostræ coram te, et iniquitates nostræ responderunt nobis.* « *Et effundetur sanguis eorum sicut humus,* » hoc est, viliter sicut pulvis humi spargitur. Isa. XXXIV, 7 : *Inebriabitur terra eorum sanguine, et humus eorum adipe pinguium.* « *Et corpora eorum sicut stercora,* » supple, conculcabuntur. Psal. XVII, 43 : *Ut lutum platearum delebo eos.* Isa. XIV, 19 : *Tu projectus es de sepulcro tuo, quasi stirps inutilis, pollutus, et obvolutus.* Vult enim dicere quod abjicientur insepulti sicut stercora. Jerem. XXII, 19 : *Sepultura asini sepelietur, putrefactus et projectus extra portas Jerusalem.*

Quartus paragraphus : « *Sed et argentum eorum, et aurum eorum non poterit liberare eos.* » II Regum, XXI, 4 : 18
Non est nobis super auro et argento quæstio, supple, ulla. Et, post pauca, ℣. 5 : *Ut neque unus quidem residuus sit de stirpe ejus.* Proverb. VI, 34 et 35 : *Zelus et furor viri non parcet in die vindictæ, nec acquiescet cujusquam precibus, nec suscipiet pro redemptione dona plurima.* Job, XV, 31 : *Non credet frustra errore deceptus, quod aliquo pretio redimendus sit.* « *In die iræ Domini.* » Isa. XXXIV, 8 : *Dies ultionis Domini,* scilicet in corde meo, *annus retributionum,* supple, venit, quia « *in igne zeli ejus,* » hoc est, Dei, « *devorabitur omnis terra,* » Idem. infra, III, 8 : *In igne zeli mei devorabitur omnis terra.* Deuteronom. XXXII, 22 : *Ignis succensus est*

in furore meo, et ardebit usque ad inferni novissima, devorabitque terram cum germine suo. « *Quia consummationem,* » hoc est, vindictam omnia consumentem, « *cum festinatione,* » hoc est, cito « *faciet,* » scilicet Dominus, « *cunctis habitantibus terram,* » per amorem scilicet, et delectationem. Isa. x, 23 : *Consummationem et abbreviationem Dominus Deus exercituum faciet in medio omnis terræ.*

CAPUT II.

Hortatur propheta populum ut ad Deum convertatur, priusquam ira Domini ei superveniat, omnesque mansuetos terræ ut Dominum quærant : denuntians destructionem imminere Philisthæis, Moabitis, Ammonitis, Æthiopibus et Assyriis.

1. Convenite, congregamini, gens non amabilis,
2. Priusquam pariat jussio quasi pulverem transeuntem diem, antequam veniat super vos ira furoris Domini, antequam veniat super vos dies indignationis Domini.
3. Quærite Dominum, omnes mansueti terræ, qui judicium ejus estis operati : quærite justum, quærite mansuetum, si quomodo abscondamini in die furoris Domini.
4. Quia Gaza destructa erit, et Accaron eradicabitur.
5. Væ qui habitatis funiculum maris, gens perditorum ! Verbum Domini super vos, Chanaan, terra Philistinorum : et disperdam te, ita ut non sit inhabitator.
6. Et erit funiculus maris requies pastorum, et caulæ pecorum :
7. Et erit funiculus ejus, qui remanserit de domo Juda : ibi pascentur, in domibus Ascalonis ad vesperam requiescent, quia visitabit eos Dominus Deum eorum, et avertet captivitatem eorum.
8. Audivi opprobrium Moab, et blasphemias filiorum Ammon, quæ exprobraverunt populo meo, et magnificati sunt super terminos eorum.
9. Propterea vivo ego, dicit Dominus exercituum, Deus Israel, quia Moab ut Sodoma erit, et filii Ammon quasi Gomorrha, siccitas spinarum, et acervi salis, et desertum usque in æternum : reliquiæ populi mei diripient eos, et residui gentis meæ possidebunt illos.
10. Hoc eis eveniet pro superbia sua, quia blasphemaverunt et magnificati sunt super populum Domini exercituum.
11. Horribilis Dominus super eos, et attenuabit omnes deos terræ : et adorabunt eum viri de loco suo, omnes insulæ gentium.
12. Sed et vos, Æthiopes, interfecti gladio meo eritis.
13. Et extendet manum suam super aquilonem, et perdet Assur, et ponet speciosam in solitudinem, et in invium, et quasi desertum.
14. Et accubabunt in medio ejus gre-

ges, omnes bestiæ gentium[1] : et onocrotalus et ericius in liminibus ejus morabuntur : vox cantantis in fenestra, corvus in superliminari, quoniam attenuabo robur ejus.

15. Hæc est civitas gloriosa habitans in confidentia, quæ dicebat in corde suo : Ego sum, et extra me non est alia amplius. Quomodo facta est in desertum, cubile bestiæ? Omnis qui transit per eam sibilabit, et movebit manum suam.

IN CAPUT II SOPHONIÆ

ENARRATIO.

« *Convenite.* » Hic movet ad pœnitentiam, exemplum pœnitentium inducens, ut magis timeant. Et ideo dividitur in partes duas. Primo enim ad pœnitentiam movet. Secundo, exemplum inducit, ibi, ỷ. 4 : « *Quia Gaza destructa erit.* »

In prima tria sunt. In primo enim convocat ad cor unum, in quo pœniteant. Secundo, qualiter convertantur, docet. Tertio, quem interpellent, et propter quid.

1 « *Convenite,* » in unum scilicet cor, et unam animam, et unum spiritum. Act. IV, 32 : *Multitudinis autem credentium erat cor unum, et anima una.* Ad Ephes. IV, 3 : *Solliciti servare unitatem spiritus in vinculo pacis.* « *Congregamini,* » ad Ecclesiæ scilicet unitatem. Non enim sufficit Deo reconciliari, nisi aliquis reconcilietur Ecclesiæ : congregatio enim proprie est ovium ad caulas. Unde *congregatio* dicitur, quasi gregum aggregatio. Genes. XLIX, 2 : *Congregamini, et audite, filii Jacob, audite Israel, patrem vestrum.*

Quod autem congregatione opus sit, subdit : « *Gens non amabilis,* » hoc est, qui fecistis vos amore Dei indignos per peccatum. Secundum Septuaginta, « gens inerudita. » Deuter. XXXII, 28 et 29 : *Gens absque consilio est et sine prudentia. Utinam saperent, et intelligerent, ac novissima providerent.* II Paral. ultimo, in oratione Manassæ, sub finem : *Excitavi iracundiam tuam, et malum coram te feci.* Et, post pauca : *Indignum salvabis me secundum magnam misericordiam tuam.*

Et subdit aliquid de comminatione, si non faciant : 2

« *Priusquam pariat jussio.* » *Jussionem* appellat præceptum, quod in dispositione Dei jam secundum præceptum præscientiæ Dei non prædestinationis de puniendis peccatoribus ordinatum fuit. Hoc enim per pœnitentiam revocari poterit antequam procedat in opus : si autem operi mancipatum fuerit, revocari non poterit. « *Priusquam pariat jussio :* » parit enim jussio per effectum operis, et tunc revocari non potest, sicut dicitur, Jerem. XVIII, 10[2]. Postquam autem in opere completa est jussio, pœnitentiam non habet locum. Ad Hebr. XII, 17 : *Non enim invenit pœnitentiæ locum, quamquam cum lacrymis inquisisset eam.*

Sententia Dei irrevocabilis.

Quid autem pariat jussio, sequitur : « *Quasi pulverem transeuntem diem.* » Sic ordinanda est littera. Diem vitii scilicet talis quod facit nos transire quasi pulverem, in captivitatem scilicet vel

[1] Isa. XXXIV, 11.

[2] Jerem. XVIII, 10 : *Si fecerit,* scilicet populus, *malum in oculis meis, ut non audiat vocem meam, pœnitentiam agam super bono quod locutus sum ut facerem ei.*

Nabuchodonosor, vel diaboli, in qua scilicet dispergamini, sicut pulvis ante faciem venti. Psal. xxxiv, 5 : *Fiant tamquam pulvis ante faciem venti, et Angelus Domini coarctans eos.* Sic enim sufflatione diaboli per diversa peccata disperguntur impii. Psal. I, 4 : *Non sic impii, non sic : sed tamquam pulvis quem projicit ventus a facie terræ.*

Et hoc explanans, subdit :

« *Antequam veniat super vos,* » supple, opprimendos, « *ira,* » hoc est, vindicta « *furoris Domini,* » ferventis scilicet indignationis in damnationem vestram. Job, xx, 23 : *Emittat in eum iram furoris sui, et pluat super illum bellum suum :* quod bellum est in continua successione pœnarum. Et subdit, qualiter convenire debeant, et ut Sanctos assumant, qui pro eis intercedant : « *Antequam veniat super vos dies indignationis Domini.* » *Indignatio* est in aversione vultus, *aversio* vero vultus subtractionem gratiæ significat, post quam non est locus pœnitentiæ. Psal. xxix, 6 : *Ira in indignatione ejus.* Indignatio enim est quando nec dignatur respicere. Proverb. xvi, 14 : *Indignatio regis, nuntii mortis : et vir sapiens placabit eam.*

Indignatio.

3 « *Quærite Dominum.* » Hic tangit qualiter convertantur, et ut Sanctos assumant, qui pro eis intercedant.

« *Quærite Dominum* » corde, ore, et opere. Isa. LV, 6 : *Quærite Dominum, dum inveniri potest : invocare eum, dum prope est.* Matth. VII, 7 : *Petite, et dabitur vobis : quærite, et invenietis : pulsate, et aperietur vobis.* Daniel. III, 41 et 42 : *Et nunc sequimur te in toto corde, et timemus te, et quærimus faciem tuam. Ne confundas nos.* « *Omnes mansueti terræ.* » Augustinus : « Mansuetus est « qui injuria neminem provocat, nec aliena provocatur injuria. » Ille est qui in pœnitentia nihil reluctatur, vel contradicit. Et mansuetudo est idem quod mititas. Matth. v, 4 : *Beati mites: quoniam ipsi possidebunt terram.* Moyses erat mansuetissimus omnium virorum qui erant super terram [1]. Matth. XI, 29 : *Discite a me, quia mitis sum, et humilis corde.* Jacob. I, 21 : *In mansuetudine suscipite insitum, verbum, quod potest salvare animas vestras.* « *Qui judicium ejus estis operati.* » Cum mansuetudine jungit obedientiam : judicium enim Domini est, quod faciendum judicavit omnibus. Psal. CXVIII, 121 : *Feci judicium et justitiam : non tradas me calumniantibus me.* Qui enim judicium operatus est pro se, non habet quod timeat, et ille pro alio intercedere potest. Isaiæ, XXVI, 8 : *In semita judiciorum tuorum, Domine, sustinuimus te : nomen tuum, et memoriale tuum in desiderio animæ.*

Mansuetus.

Et subdit duo respondentia duobus præcedentibus :

« *Quærite justum,* » supple, qui judicium ejus estis operati. Jeremiæ, XXIII, 6 : *Hoc est nomen, quod vocabunt eum, Dominus justus noster.* Psal. x, 8 : *Justus Dominus, et justitias dilexit.* « *Quærite mansuetum.* » qui etiam peccatores pœnitentes in mansuetudine recipit, cujus exemplum est, Lucæ, XVI, 20 et seq., in filio prodigo, quem in omni mansuetudine recepit pater. Daniel. III, 42 et 43 : *Fac nobiscum juxta mansuetudinem tuam, et secundum multitudinem misericordiæ tuæ : et erue nos.* « *Si quomodo,* » per pœnitentiam scilicet, « *abscondamini,* » a pœna scilicet, « *in die furoris Domini.* » Isaiæ, IV, 5 et 6 : *Super omnem gloriam protectio. Et tabernaculum in umbraculum diei ab æstu, et in securitatem, et in absconsionem a turbine, et a pluvia.* Isaiæ, XXXII, 2 : *Erit vir sicut qui absconditur a vento, et celat se a tempestate.*

Et subdit de exemplo non pœnitentium, 4

[1] Cf. Numer. XVI, 1 et seq. Eccli. XLV, 1 et seq.

inducens quinque genera hominum, sub quatuor tamen differentiis, scilicet Philisthæos: Ammonitas et Moabitas simul, ibi, « *Audivi opprobrium Moab* : » et tertio, Æthiopes, ibi, « *Sed et vos Æthiopes :* » et quarto, Assyrios, ibi, « *Et extendet manum suam super Aquilonem.* »

De Philisthæa dupliciter loquitur, scilicet sub distinctione civitatum, et in communi de terra.

« *Quia Gaza destructa erit.* » Gaza metropolis est Philistinorum, quæ non pœnituit, et ideo destructa fuit : interpretatur autem *fortitudo ejus*, et superbiam significat. Jacob. IV, 6 : *Deus superbis resistit.* Tob. IV, 14 : *Superbiam numquam in tuo sensu, aut in tuo verbo dominari permittas : in ipsa enim initium sumpsit omnis perditio.* Prudentius :

Frangit Deus omne superbum.

Ascalon. « *Et Ascalon,* » quæ est secunda civitas Philisthinorum, « *in desertum,* » supple, erit. Ascalon *impensa* sive *ignis infamis* interpretatur: significat autem avaritiam, nam congregata ex avaritia in desertum erunt. Lucæ, XII, 20 : *Quæ parasti, cujus erunt?* Eccle. V, 12 et 13 : *Est et alia infirmitas pessima, quam vidi sub sole : divitiæ conservatæ in malum domini sui. Pereunt enim in afflictione pessima.* Psal. LXXV, 6 : *Dormierunt somnum suum, et nihil invenerunt omnes viri divitiarum.* Job, XXVII, 16 et 17 : *Si comportaverit quasi terram argentum, et sicut lutum præparaverit vestimenta: præparabit quidem, sed justus vestietur illis : et argentum innocens dividet.* « *Azotum,* » supple, sitam « *in meridie ejicient,* » Chaldæi scilicet, vel
Azotum. dæmones. Azotum interpretatur *ignis uberum*, vel *ignis generationis*, et significat luxuriam quæ in meridie vult esse, hoc est, media die : quia tunc calor nativus accenditur in juventute scilicet, quando in summa luce floret juventus. Job, XXXI, 12 : *Ignis est usque ad perditionem devorans, et omnia eradicans genimina.* Hæc ejicietur ab omni bonorum consortio. Matth. XXV, 30 : *Ejicite eum in tenebras exteriores : ibi erit fletus, et stridor dentium.* « *Et Accaron eradicabitur.* » Alludit nominis interpretationi : quia Accaron *eradicata* interpretatur, Accaron.
et pigritiam sive acediam significat. Pigri enim eradicandos se putant. Sap. IV, 4 : *A nimietate ventorum eradicabuntur.* Psal. LI, 7 : *Evellet te, et emigrabit de tabernaculo tuo, et radicem tuam de terra viventium.*

Post destructionem civitatum in spe- 5
ciali, subdit de destructione terræ in communi :

« *Væ qui habitatis funiculum maris !* » *Funiculus* hæreditas dicitur, propter hoc quod hæreditas funiculo mensuratur : terra enim Philisthinorum juxta mare sita fuit, et significat eos qui in mundo sollicite quærunt hæreditatem, in qua numquam invenient requiem : et tamen delectantur in ea. Eccli. XLIII, 26 : *Qui navigant mare, enarrent pericula ejus.* Deuter. XXXIII, 19 : *Inundationem maris quasi lac sugent.* « *Gens perditorum,* » hoc est de numero perditorum. Tales enim omnes jam in causa perditi sunt, quia a Deo recedunt. Psal. LXXII, 27 : *Perdidisti omnes qui fornicantur abs te.*

Qualiter autem sit eis væ, subdit : et suppletur quia « *Verbum Domini super vos,* » supple, est, ut opprimens, « *Chanaan,* » hoc est, o Chanaan : Philisthæi enim pars terræ Chananææ sunt, ut dicit Chanaan.
Hieronymus : et *transmutata* interpretatur : mundani enim semper fraudum collusione transmutantur. Osee, XII, 7 : *Chanaan, in manu ejus statera dolosa, calumniam dilexit.* Et hoc ulterius explanans, subdit : « *Terra Philisthinorum.* » Dixerat enim in communi *Cha-* Philisthæi.
naan, quæ magna terra est, et multis possessa, quibus Deus non comminatur : et ad distinctionem illorum, addit *terram Philisthinorum*, qui *potione cadentes* interpretantur, et significant eos qui facile,

ut potum, gluttiunt iniquitatem. Job, xxxiv, 7 : *Qui bibit subsannationem quasi aquam.* Et quare dixerit *Væ !* exponit : « *Et disperdam te,* » in captivitatem scilicet et pœnam, « *ita ut non sit habitator,* » supple, in civitatibus tuis. Simile, Isa. vi, 11 : *Desolentur civitates absque habitatore, et domus sine homine.*

6 Pœnam autem illorum convertit in consolationem bonorum :

« *Et erit funiculus maris,* » hoc est, terra Philisthinorum, « *requies pastorum,* » hoc est, pastores Judæi de Babylonica captivitate redeuntes, pascent pecora in terra Philistinorum, quæ in prata conversa est, propter carentiam cultorum. Moraliter tunc exponitur hoc de pastoribus Ecclesiæ, qui labores sæcularium possident, qui quasi in mari, hoc est, in amaritudine sæculi fluctuant. Psal. civ, 44 : *Dedit illis regiones gentium, et labores populorum possederunt.* « *Et caulæ pecorum,* » supple, erunt domus eorum in parietina redacta. Isa. vii, 25 : *Erit in pascua bovis, et in conculcationem pecoris.* Secundum mysterium, caulæ istæ significant Ecclesias collegiatas, in quibus oves Dei pascuntur et congregantur. Ezech. xxxiv, 15 : *Ego pascam oves meas, et ego eas accubare faciam.*

7 Et quod dixit, ulterius exponit :

« *Et erit funiculus,* » scilicet maris, sive terra Philisthinorum, « *ejus,* » scilicet possessio, « *qui remanserit,* » de captivitate scilicet revertens, « *de domo Juda,* » hoc est, de duabus tribubus, vel Ecclesia. Isa. lxi, 5 : *Stabunt alieni, et pascent pecora vestra.* Et hoc est quod sequitur : « *Ibi pascentur,* » supple, pecora, « *in domibus Ascalonis,* » hoc est, quæ quondam fuerunt Ascalonis, urbis superbæ et inclytæ : nunc autem in possessionem Judæorum, vel Ecclesiæ redactæ. Psal. xv, 6 : *Funes ceciderunt mihi in præclaris : etenim hæreditas mea præclara est mihi.* « *Ad vesperum requiescent.* » Postquam scilicet tota die in pratis pastæ sunt, in domos Ascalonis ad vesperam tamquam ad caulas reducentur, quæ vespera finem mundi significat, quæ a Christo incepit, quando Ecclesiæ congregari et ædificari cæperunt : quod significatur, Luc. xxiv, 29 : *Mane nobiscum,* Domine : *quoniam advesperascit, et inclinata est jam dies.* Quo autem operante hoc fiat, subdit : « *Quia visitavit eos,* » Judæos scilicet vel Ecclesiam, hoc est, lumine suæ misericordiæ invisit, « *Dominus Deus eorum.* » Lucæ, i, 78 : *Per viscera misercordiæ Dei nostri : in quibus visitavit nos, oriens ex alto.* « *Et avertet captivitatem eorum,* » ut scilicet de cætero non captiventur, et ab ista captivitate liberentur. Jerem. xxix, 14 : *Reducam captivitatem vestram, et congregabo vos de universis gentibus, et de cunctis locis.* Psal. cxxv, 1 : *In convertendo Dominus captivitatem Sion, facti sumus sicut consolati.*

« *Audivi.* » Tangit hic destructionem 8
Moabitarum et Ammonitarum, qui etiam populo Dei infesti fuerunt, cum destrueretur a Chaldæis. Dicit autem hic tria. Primo enim improperat peccatum. Secundo, interminatur pœnam. Tertio, tangit fructum disciplinæ, Dei scilicet confessionem.

« *Audivi,* » hoc est, animadverti per vindictam, « *opprobrium Moab,* » quo scilicet exprobraverunt populo meo. Isaiæ, xvi, 6 : *Audivimus superbiam Moab, superbus est valde : superbia ejus et arrogantia ejus, et indignatia ejus plus quam fortitudo ejus.* Moab enim *ex patre* interpretatur, et significat eos qui Moab.
ex patre diabolo sunt, qui semper exprobrant bonis, et persequuntur eos. Psal. lxviii, 13 : *Adversum me loquebantur qui sedebant in porta, et in me psallebant qui bibebant vinum.* « *Et*

blasphemias filiorum Ammon, » supple, audivi. Ammon autem *populus inutilis* interpretatur, et significat eos qui vanitatibus dediti sunt, qui Sanctis improperant : unde in inferno dicunt, Sap. v, 3 : *Hi sunt, quos habuimus aliquando in derisum et in similitudinem improperii.* « *Quæ,* » scilicet opprobria et blasphemias, « *exprobraverunt populo meo.* » Opprobrium enim populi Dei, blasphemia est in Deum. Psal. LXVIII, 10 : *Opprobria exprobrantium tibi, ceciderunt super me.* « *Et magnificati sunt super terminos eorum,* » hoc est, divitiis et possessionibus magnificati sunt, attrahentes sibi terminos Sanctorum. Hoc idem litteraliter describitur, Jerem. XLIX, 1, ubi sic dicitur : *Numquid non filii sunt Israel ? aut hæres non est ei ? Cur igitur hæreditate possedit Melchom Gad, et populus ejus in urbibus ejus habitavit ?* Melchom deus fuit Moabitarum, et sensus est, quod Moabitæ injuste usurpaverunt sibi terminos filiorum Israel, cum superstites essent hæredes veri, qui in captivitatem ducebantur. Moraliter autem significat eos qui Sanctos persequuntur ut res eorum obtineant. Thren. v, 2 : *Hæreditas nostra versa est ad alienos, domus nostræ ad extraneos.*

Ammon.

9 Et subjungit de interminatione pœnæ, et dicit tria, scilicet malorum punitionem : et ex pœna malorum sanctorum consolationem : et pœnæ ad culpam proportionem.

« *Propterea,* » scilicet quia hoc fecerunt, « *vivo ego,* » hoc est, per vitam meam juro : sicut enim vita Dei stabilis et immutabilis est, sic et dictum. Numer. XXIII, 19 : *Non est Deus quasi homo, ut mentiatur : nec ut filius hominis, ut mutetur.* « *Dicit Dominus exercituum,* » hoc est, cui cœlestes et terrestres et infernales exercitus obediunt, ideo dicitur ter sanctus, Isaiæ, VI, 3 : *Sanctus, sanctus, sanctus Dominus Deus* Sabaoth, hoc est, *exercituum.* « *Deus Israel,* » semper enim Deus bonorum est. Ad Hebr. XI, 16 : *Non confunditur Deus vocari Deus eorum.* « *Quia Moab ut Sodoma erit,* » hoc est, sicut absque posteris Sodoma periit, sic peribit Moab, et omnes qui ex patre diabolo sunt. Isaiæ, XIV, 20 et 21 : *Non vocabitur in æternum semen pessimorum. Præparate filios ejus occisioni in iniquitate patrum suorum : non consurgent,* etc. « *Et filii Ammon,* » inutilis scilicet populus erit, « *quasi Gomorrha,* » quæ *cæcitas* interpretatur : quia ad tenebras exteriores mittentur. Psal. XLVIII, 20 : *In æternum non videbit lumen.* Matth. XXII, 13 : *Mittite eum in tenebras exteriores : ibi erit fletus, et stridor dentium.*

Gomorrha.

Et hanc desolationem exaggerat, subdens : « *Siccitas spinarum,* » supple, erit terra eorum : in siccis enim et amaris locis spinæ crescunt, quæ puncturas et sollicitudines mundi significant. Matthæi, XIII, 7 : *Alia ceciderunt in spinas, et creverunt spinæ, et suffocaverunt ea.* Et infra, ℣. 22 : *Qui seminatus est in spinis, hic est qui verbum audit, et sollicitudo sæculi istius, et fallacia divitiarum suffocat verbum, et sine fructu efficitur.* Isaiæ, VII, 24 : *Vepres et spinæ erunt in universa terra.* Ad Hebr. VI, 8 : *Terra proferens spinas ac tribulos, reproba est, et maledictæ proxima, cujus consummatio in combustionem.* « *Et acervi salis.* » Ubi sal spargitur, terra in sterilitatem redigitur, et significat quod terra eorum perpetuo sterilis erit propter malitiam eorum. Psal. CVI, 34 : *Terram fructiferam in salsuginem, a malitia inhabitantium in ea.* Judic. IX, 45, capta urbe Sichem, Abimelech sparsit in ea sal, in signum perpetuæ sterilitatis [1]. Significat autem quod tales ut sal per exemplum suæ pœnæ

Sollicitudo sæculi verbum Dei suffocat.

[1] Jud. IX, 45 : *Porro Abimelech omni die illo oppugnabat urbem,* scilicet Sichem : *quam cepit, interfectis habitatoribus ejus, ita ut sal in ea dispergeret.*

condiunt alios, ne silentia audeant perpetrare : sicut et Genes. xix, 26, uxor Lot conversa est in statuam salis. Propter quod dicitur, Matth. v, 13 : *Vos estis sal terræ. Quod si sal evanuerit, in quo salietur ?* Sap. x, 7 : *Quibus in testimonium nequitiæ fumigabunda constat sdeserta terra.* Et post pauca : *Et incredibilis animæ memoria stans figmentum salis.* « *Et desertum usque in æternum,* » supple, erit terra eorum, ut scilicet nec ab hominibus bonis, nec ab Angelis incolatur. Sap. v, 24 : *Ad eremum perducet omnem terram iniquitas illorum, et malignitas evertet sedes potentium.* Matth. xxiii, 38 : *Ecce relinquetur vobis domus vestra deserta.*

De hac autem destructione, subdit consolationem Sanctorum : « *Reliquiæ populi mei,* » hoc est, pauci post captivitatem a gladio, fame, et peste relicti, « *diripient eos,* » supple, de captivitate non revertentes. Isaiæ, xi, 14 : *Per mare simul prædabuntur filios Orientis : Idumæa et Moab præceptum manus eorum, et filii Ammon obedientes erunt.* Et hoc exponens, subdit : « *Et residui gentis meæ,* » hoc est, de gente mea, « *possidebunt illos,* » hoc est, terram eorum : quia Sanctis reservatis post persecutionem illam finaliter condemnabuntur, et sic Sancti ditabuntur, et meritis propriis et victoria super inimicos. Sap. x, 19 et 20 : *Justi tulerunt spolia impiorum, et decantaverunt, Domine, nomen sanctum tuum.* Genes. xxxi, 1 : *Tulit Jacob omnia quæ fuerunt patris nostri, et de illius facultate ditatus, factus est inclytus.* Isaiæ, ix, 3 : *Lætabuntur coram te, sicut qui lætantur in messe : sicut exsultant victores capta præda, quando dividunt spolia.*

Sanctis impiorum cedit conflictatio.

10 Et subdit de proportione pœnæ ad culpam, ut justa videatur condemnatio : « *Hoc eis eveniet,* » in pejus scilicet, « *pro superbia sua,* » quam scilicet Deus sustinere non potest. Job, xl, 6 : *Disperge superbos in furore tuo, et respiciens omnem arrogantem humilia.* « *Quia blasphemaverunt* » supple, Deum, falsum crimen imponentes ei, scilicet, quod non posset salvare. Matth. xii, 31 et 32 : *Spiritus blasphemiæ non remittetur,... neque in hoc seculo, neque in futuro* [1]. Isaiæ, i, 4 : *Dereliquerunt Dominum, blasphemaverunt sanctum Israel.* « *Et magnificati sunt,* » divitiis scilicet et potentatu, « *super populum Domini exercituum,* » opprimentes scilicet et spoliantes eum : hanc enim magnificentiam punit Dominus. Jacob. ii, 6 : *Nonne divites per potentiam opprimunt vos, et ipsi trahunt vos ad judicia?* Job, xxiii, 6 : *Nolo multa fortitudine contendat mecum, nec magnitudinis suæ mole me premat.*

Et ne credatur durum judicium, subdit de fructu : **11**

« *Horribilis Dominus,* » in pœnis scilicet, est « *super eos,* » pœnas scilicet horribiles inferendo. Sap. vi, 6 : *Horrende et cito apparebit vobis.* Ad Hebr. x, 31 : *Horrendum est incidere in manus Dei viventis.* « *Et* » supple, ideo « *attenuabit,* » id est, annullabit et infirmabit, « *omnes deos terræ* » hoc est, omne id quod colitur ab homine. Hoc enim deus ejus est. Jerem. x, 11 : *Dii, qui cœlos et terram non fecerunt, pereant de terra.* « *Et adorabunt eum viri,* » virilem scilicet animam assumentes, et idolis renuntiantes, « *de loco suo,* » supple, unusquisque, in quo scilicet se in Deum fundavit, et Deum recognovit. Genes. xxviii, 17 : *Terribilis est locus iste! non est hic aliud nisi domus Dei, et porta cœli.* Psal. cii, 22 : *Benedicite Domino, omnia opera ejus, in omni loco dominationis ejus.* « *Omnes insulæ gentium,* » supple, adorabunt. *Insulæ* sunt

[1] Cf. Marc. iii, 28 et 29.

in salo maris positæ, et fluctibus maris tunsæ, et significant Sanctos in persecutione viventes. Isaiæ, XLIX, 1 : *Audite, insulæ : et attendite, populi de longe.* Isaiæ, LXVI, 19 : *Mittam ad insulas longe, ad eos qui non audierunt de me, et non viderunt gloriam meam. Et annuntiabunt gloriam meam Gentibus.*

12 « *Sed et vos, Æthiopes.*» Tertio tangit destructionem Æthiopum, qui sicut dicitur Isaiæ, XI, 11, in persecutione populi Dei fuerunt, et *caliginosi* et *tenebrosi* interpretantur.

Æthiopes. « *Sed et vos, Æthiopes,* » peccatis tenobrosi et ignorantia caliginosi, populi mei persecutores. Sapient. XVII, 17 : *Una catena tenebrarum omnes erant colligati.* « *Interfecti gladio meo eritis,* » hoc est, sententia judicii. Exod. XV, 9 : *Interficiet eos manus mea.* Job, XIX, 29 : *Fugite a facie gladii, quoniam ultor iniquitatum gladius est : et scitote esse judicium.*

13 « *Et extendet manum suam.* » Hæc est quarta gens a Domino destruenda, Assyrii scilicet. Et tria dicit, scilicet qualiter destruet, et quid destruet, et quantum.

« *Et extendet manum suam,* » ad percutiendum scilicet. Isaiæ. V, 25 : *Non est aversus furor ejus, sed adhuc manus ejus extenta.* «*Super Aquilonem, et perdet Assur,* » hoc est, partes aquilonares,
Assyria. in quibus est Assyria, et Chaldæa quæ populum Dei vexaverunt. Assyria enim *extollens vigilias* interpretatur, et significat eos qui vigilant ut studiose perpetrent mala. Michææ, II, 1 : *Væ qui cogitatis inutile, et operamini malum in cubilibus vestris ! In luce matutina faciunt illud, quoniam contra Deum est manus eorum.* Quid autem destruet, subdit : « *Et ponet speciosam* » hoc est, Niniven mundum significantem, « *in solitudinem,*» ut scilicet non incolatur, « *et in invium,*» ut scilicet nec Angeli, nec Sancti transeant per eam, « *et quasi desertum,*» ut scilicet a gratia et ab omni bono deseratur. Isa. XIII, 20 : *Non habitabitur usque in finem, et non fundabitur usque in generationem.* Isa. XXXIV, 11 : *Extendetur super eam mensura, ut redigatur ad nihilum, et perpendiculum in desolationem.*

Et subdit quintum, probans hæc per signa desolationis. Et duo dicit, scilicet desolationem, et desolatorum irrisionem. 14

« *Et accubabunt in medio ejus greges,*» in signum scilicet desolationis, « *omnes bestiæ gentium.* » *Bestias gentium* vocat greges animalium, et bestias (quæ quasi vastiæ dicuntur) eo quod ceu barbaræ gentes terram vastant, et significat quod terra in pascua et solitudinem convertenda sit. Isa. VII, 25 : *Erit in pascua bovis, et in conculcationem pecoris,* « *Et onocrotabus,* » quod dicitur ab ὄνος quod est *asinus,* et κροτέω, *crocito,* quia voce terribili crocitat ut asinus. Et dicit Hieronymus, quod « duo sunt genera hu- Onocrotalus.
« jus avis : unum aquatile quod infixo in
« limum mollem rostro, stridorem emittit
« terribilem : aliud solitudinis, quod infixo
« rostro in cortices terribiliter sonat.» « *Et ericius,* » spinosum scilicet animal, « *in liminibus ejus morabuntur,*» quæ animalia in solitudine morari consueverunt, et dæmones significant : onocrotalus quidem dæmonem superbiæ, qui in eis terribiliter intonat : ericius autem dæmonem iræ et furoris, qui spinis verborum et verberum mites compungit. Isa. XXXIV, 11 : *Possidebunt illam onocrotalus, et ericius.* «*Vox cantantis in fenestra.*» Hieronymus varias volucres intelligit, quæ solent in desertis urbibus morari : ut ubi fenestræ decoræ fuerunt, nunc aves immundæ clament ad se invicem. Apocal. XVIII, 2 : *Facta est habitatio dæmoniorum, et custodia omnis spiritus immundi, et custodia omnis volucris im-*

mundæ, et odibilis. Isa. xxxiv, 14 : *Occurrent dæmonia onocentauris, et pilosus clamabit alter ad alterum.* « *Corvus in superliminari,* » supple, manebit. Corvus gulosum pœnitentiam procrastinantem significat, unde vox ejus est, *cras, cras*, propter quod, Genes. vi, 6 et 7, de arca emissus reversus non est, sed in cadavere requievit. Isa. xxxiv, 11 : *Ibis et corvus habitabunt in ea.* Et subdit horum omnium causam : « *Quoniam attenuabo,* » potentia scilicet virtutis meæ, « *robur ejus,* » divitias scilicet et potestatem, in quibus robur habuit. Isaiæ, x, 16 : *Mittet dominator Dominus exercituum in pinguibus ejus tenuitatem.*

15 Et subdit de irrisione :

« *Hæc est civitas gloriosa,* » supple, quondam. Osee, iv, 7 : *Gloriam eorum in ignominiam commutabo.* « *Habitans in confidentia,* » virium suarum scilicet. Ezech. xxviii, 2 : *Elevatum est cor tuum, et dixisti : Deus ego sum, et in cathedra Dei sedi.* « *Quæ dicebat in corde suo,* » consentiens scilicet in dictum. Psal. xiii, 1 : *Dixit insipiens in corde suo : Non est Deus.* « *Ego sum,* » supple, singulariter splendens, « *et extra me non est alia amplius,* » quæ mihi scilicet valeat comparari. Apoc. xviii, 7 : *Sedeo regina, et vidua non sum, et luctum non videbo.* « *Quomodo facta est in desertum,* » ex tanta scilicet cadens gloria in tantam ignominiam, ut ab omnibus tamquam horribilis deseratur. Psal. lxxii, 19 : *Quomodo facti sunt in desolationem? Subito defecerunt : perierunt propter iniquitatem suam.* « *Cubile bestiæ,* » hoc est, in quo bestiæ cubant. Isa. xiii, 21, et xxxiv, 13, penitus idem est. Unde ibi dicitur : *Replebuntur domus eorum draconibus, et habitabunt ibi struthiones.* « *Omnis qui transit per eam,* » sanctus scilicet, vel Angelus, « *sibilabit,* » magnitudinem pœnæ ostendens, et irridens : « *et movebit manum suam,* » plausu scilicet indicium peccati faciens. Thren. ii, 15 : *Plauserunt super te manibus omnes transeuntes per viam : sibilaverunt, et moverunt caput suum.* Psal. li, 8 et 9 : *Videbunt justi, et timebunt, et super eum ridebunt, et dicent : Ecce homo, qui non posuit Deum adjutorem suum.*

CAPUT III.

Arguit Jerusalem, et præcipue rectores ejus, quibus minatur celerem Dei vindictam, quod neque beneficiis neque flagellis sint ad ipsum conversi : de felicitate novæ legis, ac multiplicatione credentium, pœnaque iniquorum prædicitur.

1. Væ provocatrix, et redempta civitas, columba!
2. Non audivit vocem, et non suscepit disciplinam : in Domino non est confisa, ad Deum suum non appropinquavit.
3. Principes ejus in medio ejus quasi leones rugientes [1] : judices ejus lupi vespere, non relinquebant in mane.
4. Prophetæ ejus vesani, viri infideles : sacerdotes ejus polluerunt

[1] Ezech. xxii, 27; Mich. iii, 11.

sanctum, injuste egerunt contra legem.

5. Dominus justus in medio ejus non faciet iniquitatem : mane mane judicium suum dabit in lucem, et non abscondetur : nescivit autem iniquus confusionem.

6. Disperdidi gentes, et dissipati sunt anguli earum : desertas feci vias eorum, dum non est qui transeat : desolatæ sunt civitates eorum, non remanente viro, neque ullo habitatore.

7. Dixi : Attamen timebis me, suscipies disciplinam : et non peribit habitaculum ejus, propter omnia in quibus visitavi eam : verumtamen diluculo surgentes corruperunt omnes cogitationes suas.

8. Quapropter exspecta me, dicit Dominus, in die resurrectionis meæ in futurum, quia judicium meum ut congregem gentes, et colligam regna, et effundam super eos indignationem meam, omnem iram furoris mei : in igne enim zeli mei devorabitur omnis terra [1].

9. Quia tunc reddam populis labium electum, ut invocent omnes in nomine Domini, et serviant ei humero uno.

10. Ultra flumina Æthiopiæ, inde supplices mei : filii dispersorum meorum deferent munus mihi.

11. In die illa non confunderis super cunctis adinventionibus tuis, quibus prævaricata es in me, quia tunc auferam de medio tui magniloquos superbiæ tuæ, et non adjicies exaltari amplius in monte sancto meo.

12. Et derelinquam in medio tui populum pauperem et egenum : et sperabunt in nomine Domini.

13. Reliquiæ Israel non facient iniquitatem, nec loquentur mendacium, et non invenietur in ore eorum lingua dolosa, quoniam ipsi pascentur, et accubabunt, et non erit qui exterreat.

14. Lauda, filia Sion : jubila, Israel : lætare, et exsulta in omni corde, filia Jerusalem.

15. Abstulit Dominus judicium tuum, avertit inimicos tuos : rex Israel Dominus in medio tui, non timebis malum ultra.

16. In die illa dicetur Jerusalem : Noli timere : Sion, non dissolvantur manus tuæ.

17. Dominus Deus tuus in medio tui fortis, ipse salvabit : gaudebit super te in lætitia, silebit in dilectione sua, exsultabit super te in laude.

18. Nugas, qui a lege recesserant, congregabo, quia ex te erant : ut non ultra habeas super eis opprobrium.

19. Ecce ego interficiam omnes qui afflixerunt te in tempore illo : et salvabo claudicantem, et eam quæ ejecta fuerat congregabo : et ponam eos in laudem, et in nomen, in omni terra confusionis eorum,

20. In tempore illo quo adducam vos, et in tempore quo congregabo vos. Dabo enim vos in nomen, et in laudem omnibus populis terræ, cum convertero captivitatem vestram coram oculis vestris, dicit Dominus.

[1] Supra, I, 18.

IN CAPUT III SOPHONIÆ

ENARRATIO.

« *Væ provocatrix!* » In capitulo isto, primo improperat obstinationem in peccato, ad quam concludit captivitatem futuram. Secundo, ex captivitate promittit consolationem, ibi, ℣. 9 : « *Quia tunc reddam.* »

In prima parte duo sunt, improperatio scilicet obstinationis, et conclusio captivitatis, ibi, ℣. 8: « *Quapropter exspecta me.*

In prima duo sunt, scilicet obstinatio peccati, et justitia punientis Dei, ibi, « *Dominus justus in medio ejus.* »

Obstinationem improperat duobus modis, in genere scilicet, et in specie, ibi, « *Principes ejus.* »

In genere sex modis, provocatione scilicet, ingratitudine, inobedientia, indisciplinabilitate, spei defectione, indevotione.

1 « *Væ provocatrix!* » quæ dulcem et misereri volentem in amaritudinem provocavit. Deuter. xxxii, 21 : *Ipsi me provocaverunt in eo quod non est Deus, et irritaverunt in vanitatibus suis.* Et hæc provocatio proprie impietatis est : quia contra dulcem patrem est, ut dicit Tullius, quia pietas est benevolentia in parentes. « *Et redempta civitas.* » Ingratitudo tangitur : quia cum sæpe redempta sit, grata non exstitit redemptori. Osee, vii, 13 : *Ego redemi eos : et ipsi locuti sunt contra me mendacia.* Quod autem dicit, « *Civitas,* » notat consensum in malum. Psal. liv, 10 : *Vidi iniquitatem, et contradictionem in civitate.* « *Columba,* » supple, olim, per patrum simplicitatem.

Pietas.

« *Non audivit vocem,* » per filiorum scilicet inobedientiam. De primo, Cantic. i, 14 : *Oculi tui columbarum.* De secundo, Psal. xvii, 46 : *Filii alieni mentiti sunt mihi, filii alieni inveterati sunt, et claudicaverunt a semitis suis.* Isa. i, 21 : *Quomodo facta est meretrix civitas fidelis, plena judicii? justitia habitavit in ea, nunc autem homicidæ.* « *Et non suscepit disciplinam,* » hoc est, indisciplinabilis fuit per flagella. Jeremiæ, v, 30 : *Frustra percussi filios vestros : disciplinam non receperunt.* Sap. xvii, 1 : *Indisciplinatæ animæ erraverunt.* 2

Et subdit de spei defectione : « *In Domino non est confisa,* » supple, civitas, etiam prementibus malis. Jerem. xvii, 5 : *Maledictus homo, qui confidit in homine, et ponit carnem brachium suum, et a Domino recedit cor ejus.* Sap. v, 15 : *Spes impii tamquam lanugo est, quæ a vento tollitur.* « *Ad Deum suum non appropinquavit,* » supple, per devotionem. Et est figura quæ dicitur *liptote* a Donato, minus enim dicit et plus significat. Per hoc enim quod dicit, quod *non appropinquavit,* notat quod a Deo se elongavit. Jerem. ii, 5 : *Elongaverunt a me, et ambulaverunt post vanitatem, et vani facti sunt.*

Liptote figura antiquitus dicta *Litotes*

3 Et subdit in speciali exprimens determinatas personas :

« *Principes in medio ejus quasi leones rugientes.* » Non enim desiderabant utilitatem publicam, sed rapinam. Proverb. xxviii, 15 : *Leo rugiens, et ursus esuriens, princeps impius super populum pauperem.* Psal. x secundum Hebræos, 9 : *Insidiatur in abscondito, quasi leo in spelunca sua. Insidiatur ut rapiat pauperem.* Dicit autem quod *in medio* fuerunt, quia oculi omnium diriguntur ad Prælatos. III Regum, i, 20 : *In te oculi respiciunt totius Israel.* « *Judices ejus lupi vespere,* » hoc est, vespertini qui avidiores sunt propter diurnum jejunium.

Leo rugiens princeps iniquus.

Eccli. XIII, 21 : *Si communicabit lupus agno aliquando, sic peccator justo.* Et hoc est quod sequitur : « *Non relinquebant in mane,* » aliis scilicet quod possent rapere : primus enim ita totum diripuit, quod secundus nihil invenit. Joan. X, 12 : *Lupus rapit, et dispergit oves.* Jerem. V, 6 : *Lupus ad vesperam vastavit eos.*

4 « *Prophetæ ejus vesani,* » hoc est, sanum spiritum non habentes. Osee, IX, 7 : *Scitote, Israel, stultum prophetam, insanum virum spiritualem.* « *Viri infideles.* » Hieronymus : « Loquebantur quasi « ex ore Dei, et contraria Deo prædica- « bant. » III Regum, XXII, 22 : *Ero spiritus mendax in ore omnium prophetarum ejus.* Jerem. XXIII, 14 : *In prophetis Jerusalem vidi similitudinem adulterantium, et iter mendacii : et confortaverunt manus pessimorum ut non converteretur unusquisque a malitia sua.* « *Sacerdotes ejus polluerunt sanctum,* » templum scilicet, in quo idola coluerunt. Jerem. XI, 15 : *Quid est, quod dilectus meus in domo mea fecit scelera multa ?* Isaiæ, LVII, 8 : *Juxta me discooperuisti, et suscepisti adulterum.* Hoc tangit sacerdotes in Ecclesia polluta facientes. Psal. LXXVIII, 1 : *Polluerunt templum sanctum tuum.* « *Injuste egerunt contra legem,* » transgrediendo scilicet præcepta. Malach. II, 8 : *Vos recessistis de via, et scandalizastis plurimos.* Daniel. IX, 9 et 10 : *Recessimus a te, et non audivimus vocem Domini Dei nostri, ut ambularemus in lege ejus.*

Propheta mendax.

5 Et subdit, qualiter Dominus justus hoc vindicabit :

« *Dominus justus.* » Dicit autem quatuor, scilicet justitiam Dei vindicantis, negligentiam peccatoris hoc non præmeditantis, asperitatem pœnæ punientis, indisciplinabilitatem peccatorum contra intentionem flagellantis.

« *Dominus justus.* » Psal. X, 8 : *Justus Dominus, et justitias dilexit.* « *In medio ejus,* » undique scilicet prospiciens. Ezech. XLIII, 7 : *Locus solii mei, et locus vestigiorum pedum meorum, ubi habito in medio filiorum Israel.* « *Non faciet iniquitatem,* » scilicet reddens eis pro meritis. Ad Roman. III, 5 : *Numquid iniquus est Deus, qui infert iram ?* Quasi dicat : Non. Ezech. XVIII, 25 : *Numquid via mea non est æqua, et non magis viæ vestræ pravæ sunt ?* « *Mane mane,* » hoc est, cito, velociter, « *judicium suum,* » condemnationis scilicet, « *dabit in lucem,* » hoc est, in manifestum. Isa. XVI, 5 : *Judicans et quærens judicium, et velociter reddens quod justum est.* I ad Corinth. IV, 5 : *Dominus, qui et illuminabit abscondita tenebrarum, et manifestabit consilia cordium.* Et hoc est quod sequitur : « *Et non abscondetur,* » judex scilicet, vel judicium ejus. II Reg. XII, 12 : *Tu enim fecisti abscondite : ego autem faciam verbum istud in conspectu omnis Israel, et in conspectu solis.* Psal. XLIX, 3 : *Deus manifeste veniet : Deus noster, et non silebit.*

Deus in medio populi.

Et subdit, qualiter stultus peccator hoc non præmeditatur : « *Nescivit autem iniquus,* » id est, scire noluit, « *confessionem,* » supple, futuram. Deuter. XXXII, 29 : *Utinam saperent, et intelligerent, ac novissima providerent.* Psal. XXXV, 4 : *Noluit intelligere ut bene ageret.*

Et subdit de severitate pœnæ corripientis : 6

« *Disperdidi gentes.* » Hieronymus, « a « soliis et possessionibus suis et cathe- « dris suis propter peccata. » Psal. XLIII, 3 : *Manus tua gentes disperdidit, et plantasti eos : afflixisti populos, et expulisti eos.* Eccli. X, 15 : *Subvertet peccatorem in finem.* Et hoc est quod sequitur : « *Et dissipati sunt anguli earum,* » hoc est, principes qui continebant eos sicut anguli parietes. Isaiæ, XIX, 13 : *Deceperunt Ægyptum, angulum populorum ejus.*

Et hoc exaggerat ulterius : « *Desertas feci vias eorum,* » quæ scilicet prius fuerunt tritæ frequenti habitatore, « *dum non est qui transeat,* » supple, modo per eas. Thren. I, 4 : *Viæ Sion lugent, eo quod non sint qui veniant ad solemnitatem.* Psal. I, 6 : *Iter impiorum peribit.* « *Desolatæ sunt civitates eorum,* » conventicula scilicet malorum. Isaiæ, XXV, 2 : *Posuisti civitatem in tumultum, urbem fortem in ruinam.* « *Non remanente viro,* » viriliter scilicet agente. Isa. VI, 11 : *Desolentur civitates absque habitatore, et domus sine homine.* « *Neque ullo habitatore,* » bono scilicet, vel Angelo. Unde Jeremiæ, LI, 9, dicunt Angeli : *Curavimus Babylonem, et non est sanata : derelinquamus eam, et eamus unusquisque in terram suam : quoniam pervenit usque ad cœlos judicium ejus.*

Obstinatio angelico præsidio indigna.

7 Et subdit quod hæc omnia faciens corrigere intendit, sed populus corrigi noluit:

« *Dixi,* » ipsa scilicet intentione flagelli : « *Attamen timebis me.* » Ac si dicat : Si noluisti timere propter beneficia, tamen timebis propter verbera : *timor* enim *Domini*, ut dicitur, Eccli. I, 27, *expellit peccatum.* « *Suscipies disciplinam,* » hoc est, per verbera correctionem, sicut et ille qui dixit Jerem. XXXI, 19 : *Postquam convertisti me, egi pœnitentiam.* Et ibidem, ℣. 18 : *Castigasti me, et eruditus sum, quasi juvenculus indomitus.* « *Et non peribit habitaculum ejus,* » hoc est, Jerusalem templum, vel Ecclesia, castigato scilicet populo. Psal. CXVII, 18 : *Castigans castigavit me Dominus, et morti non tradidit me.* II Machab. VI, 16 : *Corripiens in adversis, populum suum non derelinquit.* « *Propter omnia,* » supple, peccata, « *in quibus,* » hoc est, pro quibus, « *visitavi eam,* » visitatione scilicet verberum. Psal. LXXXVIII, 33 : *Visitabo in virga iniquitates eorum, et in verberibus peccata eorum.*

Et subdit qualiter econtra populus correctiones despexit : « *Verumtamen diluculo,* » hoc est, cito, « *surgentes,* » hoc est, in superbiam se erigentes, Job, XXIV, 14 : *Mane primo consurgit homicida :* « *corruperunt omnes cogitationes suas,* » quia de verberibus unde debebant cogitare correctiones, indurati sunt. Proverb. I, 25 : *Despexistis omne consilium meum, et increpationes meas neglexistis.*

Ex omnibus his concludit captivitatem futuram in quo corrigentur : « *Quapropter exspecta me.* » Duo dicit, populi scilicet captivitatem, et captivantium condemnationem. 8

« *Quapropter,* » quia per verbera corrigi nolebas, « *exspecta me,* » in carceribus scilicet, et pœnis, « *dicit Dominus.* » Osee, III, 3 : *Dies multos exspectabis me : non fornicaberis, et non eris viro.* Habacuc, II, 3 : *Si moram fecerit, exspecta illum.* Psal. XXVI, 14 : *Exspecta Dominum, viriliter age.* Mich. VII, 7 : *Ego autem ad Dominum adspiciam, exspectabo Deum salvatorem meum.* « *In die resurrectionis meæ in futurum,* » quando scilicet resurgam ad liberationem tuam, sicut feci a principio. Psal. LXXV, 9 et 10 : *Terra tremuit et quievit, cum exsurgeret in judicium Deus.* Et hoc potest legi de Resurrectione Christi. Psal. LXVII, 2 : *Exsurgat Deus, et dissipentur inimici ejus.* Tunc enim dissipati sunt Judæi, inimici Christi. Et hoc est quod sequitur : « *Quia judicium meum,* » quo scilicet judicabo mundum, vel adversarios Sanctorum, « *ut congregem gentes,* » scilicet adversus Babylonem, « *et colligam regna,* » Persarum scilicet, et Medorum, « *et effundam super eos,* » Babylonios scilicet, « *indignationem meam.* » Vel mystice in primo adventu congregantur gentes ad unam fidem, et colliguntur regna in unam potestatem Ecclesiæ. Melius tamen exponitur de ultimo adventu, quoniam congregabuntur omnes ad judicium. Joel, III, 2 : *Congregabo omnes gentes, et de-*

ducam eas in vallem Josaphat, et disceptabo cum eis ibi. Matth. xxv, 32 : *Congregabuntur ante eum omnes gentes : et separabit eos ab invicem, sicut pastor segregat oves ab hœdis.* Et huic congruit quod sequitur : « *Effundam super eos* « *indignationem meam,* » Babylonios scilicet, vel reprobos in die judicii. Thren. II, 4 : *Effudit quasi ignem indignationem suam.* « *Omnem iram furoris mei,* » supple, effundam : quia perpetuis incendiis condemnabo.

Quod qualiter fiat, subdit : « *In igne enim zeli mei,* » hoc est, in igneo zelo meo quo scilicet liberabo meos, et condemnabo impios, « *devorabitur omnis terra,* » id est, terram diligens. Deut. XXXII, 22 : *Ignis succensus est in furore meo, et ardebit usque ad inferni novissima : devorabitque terram cum germine suo.*
Ignis Spiritus sancti. Quidam tunc exponunt hoc de igne sancti Spiritus, qui combussit terrenum affectum in fidelibus. III Reg. XVIII, 24 : *Deus, qui exaudierit per ignem, ipse sit Deus.* II Machab. I, 22 : *Tempus affuit, quo sol refulsit, qui prius erat in nubilo, accensus est ignis magnus, ita ut omnes mirarentur.* Thren. I, 13 : *De excelso misit ignem in ossibus meis, et erudivit me.* Luc. XII, 49 : *Ignem veni mittere in terram, et quid volo nisi ut accendatur ?*

9 « *Quia tunc,* » post purgationem Babylonicæ captivitatis, vel persecutionis Antichristi, « *reddam populis,* » scilicet meis, » sicut habuerunt in patribus, « *labium electum.* » Est autem *labium electum* quod non nisi verba Dei sonat : vel *labium electum* est, quod omnibus linguis loquitur, sicut Apostoli fecerunt [1]. Hoc significatum est, Isa. VI, 5, ubi cum Isaias gemens, dixisset : *Vir pollutus labiis ego sum :* statim sequitur, ℣℣. 6 et 7 : *Volavit ad me unus de Seraphim, et in manu ejus calculus, quem forcipe tulerat de altari. Et tetigit os meum, et dixit : Ecce tetigit hoc labia tua, et auferetur iniquitas tua, et peccatum tuum mundabitur.* Psal. L, 17 : *Domine, labia mea aperies, et os meum annuntiabit laudem tuam.* Hoc enim labium electum est. « *Ut invocent omnes in nomine Domini,* » relictis scilicet omnibus idolis et simulacris, quæ quilibet corde suo confinxit colenda. Joel, II, 32 : *Omnis qui invocaverit nomen Domini, salvus erit.* Sophon. II, 11 : *Attenuabit omnes deos terræ : et adorabunt eum viri de loco suo, omnes insulæ gentium.* De hoc labio dicitur, Proverb. XII, 19 : *Labium veritatis firmum erit in perpetuum.* « *Et serviant ei humero uno,* » hoc est, concordi virtute onus ejus portantes. Matth. XI, 30 : *Jugum meum suave est, et onus meum leve.* Isti sunt asini Domini in simplicitate portantes jugum ejus. Genes. XLIX, 14 et 15 : *Issachar asinus fortis accubans inter terminos. Vidit requiem quod esset bona, et terram quod optima : et supposuit humerum suum ad portandum, factusque est tributis serviens.* Hoc expressius dicit littera Septuaginta, quæ habet, « sub uno jugo. »

Labium electum. — Veritatis firma confessio. — Asini Domini.

Post conversionem captivorum subjungit consolationem et dicit tria, scilicet congregationem consolandorum, purgationem peccatorum, ibi, « *In die illa.* » Gaudium et jubilum redemptorum, ibi, « *Lauda.* » 10

Flumina Æthiopiæ « *Ultra flumina Æthiopiæ,* » hoc est, de ultra flumina Æthiopiæ, « *inde supplices mei,* » supple, venient, reducti scilicet in Jerusalem. Vel, *flumina Æthiopiæ* (quæ *tenebrosa* interpretatur) flumina sunt concupiscentiæ, de ultra quæ peccatores ad Dominum convertuntur. Hoc significatur, III Reg. X, 1 et seq., ubi regina Saba de illis partibus venit audire sapientiam Salomonis. Significatur etiam (ut dicit Hieronymus) Act. VIII,

[1] Cf. Act. II, 4 et seq.

38, ubi vir Æthiops, eunuchus Candacis reginæ, baptizatus est a Philippo. Significatur etiam (ut idem dicit) Numer. xii, 1, ubi Æthiopissa nubit vero legifero. Hæc regio *Sabæa* vocatur. Isaiæ, LX, 6 : *Omnes de Saba venient, aurum et thus deferentes, et laudem Domino annuntiantes.* Unde etiam Saba *convertens* interpretatur. Et hoc est quod sequitur : « *Filii dispersorum meorum,* » congregati scilicet, « *deferent munus mihi,* » hoc est, laudis sacrificium. Psal. XXVI, 6 : *Circuivi, et immolavi in tabernaculo ejus hostiam vociferationis.* Isa. LXVI, 20 : *Adducent omnes fratres vestros de cunctis gentibus donum Domino.* Malach. I, 11 : *Ab ortu solis usque ad occasum, magnum est nomen meum in gentibus, et in omni loco sacrificatur, et offertur nomini meo oblatio munda.*

Saba.

11 « *In die illa.* » Tangit congregatorum purgationem et dicit quinque : præteriti peccati emendationem, occasionum peccati ablationem, consolandorum devotionem, devotorum puritatem, et depuratorum securitatem.

« *In die illa,* » claritatis scilicet gratiæ meæ, « *non confunderis super cunctis,* » hoc est, pro cunctis « *adinventionibus tuis,* » quia scilicet confusio pœnitentiæ abstulit confusionem æternæ pœnæ. Eccli. IV, 25 : *Est confusio adducens gloriam et gratiam.* Isa. LIV, 4 : *Noli timere quia non confunderis, neque erubesces : non enim te pudebit, quia confusionis adolescentiæ tuæ oblivisceris.* « *Quibus prævaricata es in me,* » legem scilicet transgrediendo. Lucæ, VII, 47 : *Remittuntur ei peccata multa : quoniam dilexit multum.*

Pœnitentia pudorem tollit criminis.

Et subdit de remotione occasionum peccati :

« *Quia tunc auferam de medio tui,* » scilicet vel interficiendo, vel convertendo, « *magniloquos superbiæ tuæ,* » eos scilicet qui magna loquuntur, et parva faciunt. Psal. XI, 4 : *Disperdat Dominus universa labia dolosa, et linguam magniloquam.* Job, XV, 12 : *Quid tumet contra Deum spiritus tuus, et quasi magna cogitans, attonitos habes oculos ?* Psal. LXXII, 9 : *Posuerunt in cœlum os suum,* « *Et non adjicies,* » supple, secundo, sicut antiquitus fecisti, « *exaltari amplius.* » hoc est, superbire, « *in monte sancto meo,* » in templo, vel in Ecclesia. Psal. CXXX, 1 : *Domine, non est exaltatum cor meum, neque elati sunt oculi mei. Neque ambulavi in magnis.* Et videtur loqui contra eos, de quibus dicitur, Amos, VI, 1 : *Ingredientes pompatice domum Israel.*

Et subdit de humilitate liberatorum : 12

« *Et derelinquam in medio tui populum pauperem,* » ad litteram : quia aliis captivatis quidam de pauperibus terræ derelicti sunt [1]. Similiter qui primitivi erant in Ecclesia, pauperes et simplices fuerunt. I ad Corinth. I, 26: *Videte vocationem vestram, fratres, quia non multi sapientes secundum carnem, non multi potentes, non multi nobiles.* Matth. V, 3 : *Beati pauperes spiritu : quoniam ipsorum est regnum cœlorum.* « *Et egenum.* » Egenus dicitur qui mendicat. II ad Corinth. VIII, 9: *Scitis gratiam Domini nostri Jesu Christi, quoniam propter vos egenus factus est, cum esset dives, ut illius inopia vos divites essetis.* « *Et sperabunt in nomine Domini,* » nihil præter Deum requirentes. Jerem. XVII, 7: *Benedictus vir qui confidit in Domino, et erit Dominus fiducia ejus.* Psal. LXX, 5: *Domine, spes mea a juventute mea.*

Paupertas religionis parens.

[1] Jerem. LII, 16 : *De pauperibus terræ reliquit Nabuzardan princeps militiæ vinitores, et agricolas.*

13 Et subdit de humiliatorum puritate :

« *Reliquiæ Israel non facient iniquitatem,* » in opere scilicet : et intelligitur *iniquitas* mortale peccatum, sine venialibus enim nemo est. I Joan. I, 8 : *Si dixerimus quoniam peccatum non habemus, ipsi nos seducimus, et veritas in nobis non est.* Hoc intelligi non potest de revertentibus de captivitate, nec de pauperibus qui remanserunt sub Godolia : quia utrique multas iniquitates commiserunt : sed intelligitur de primitivis in Ecclesia, vel de convertendis in tempore novissimo. Isaiæ, LX, 21 : *Populus tuus omnes justi, in perpetuum hæreditabunt terram.* In persona horum dicitur, Isa. XXXVIII, 3 : *Obsecro, Domine, memento, quæso, quomodo ambulaverim coram te in veritate, et in corde perfecto, et quod bonum est in oculis tuis fecerim.* « *Nec loquentur mendacium,* » maxime perniciosum. Ad Ephes. I, 11 : *Deponentes mendacium, loquimini veritatem unusquisque cum proximo suo.* Sap. I, 11 : *Os quod mentitur, occidit animam.* Ad Roman. IX, 1 : *Veritatem dico in Christo, non mentior,* etc. Ergo puri erunt opere, et puri ore.

Mendacium perniciosum.

Et subdit de corde :

« *Et non invenietur in ore eorum lingua dolosa,* » quæ aliud scilicet dicat, et aliud corde intendat, vel machinetur. I Petr. II, 22 : *Nec inventus est dolus in ore ejus.* Malach. II, 6 : *Lex veritatis fuit in ore ejus, et iniquitas non est inventa in labiis ejus : in pace, et in æquitate ambulavit mecum.*

Et quia cultus justitiæ est pax (ut dicitur Isaiæ XXXII, 17 [1]), ideo subdit de pacis securitate :

« *Quoniam ipsi pascentur,* » pabulo scilicet verbi, sacramenti, et temporalis subsidii. Joan. X, 9 : *Ingredietur, et egredietur, et pascua inveniet.* Ezech. XXXIV, 14 : *In pascuis uberrimis pascam eas, et in montibus excelsis Israel erunt pascua earum.* « *Et accubabunt.* » unusquisque scilicet in domicilio, vel in Ecclesia sua, vel in conscientia. Ezech. XXXIV, 15 : *Ego pascam oves meas : et ego eas accubare faciam, dicit Dominus Deus.* « *Et non erit qui exterreat,* » supple, inimicus. Nahum, I, 15 : *Non adjiciet ultra, ut pertranseat in te Belial : universus interiit.* Apocal. XXI, 4 : *Mors ultra non erit, neque luctus, neque clamor, neque dolor erit ultra.*

« Hæc dicit Dominus Deus [2]. » Gaudium dicit hic electorum, et dicit tria, scilicet gaudii materiam, et gaudii prædicatam famam, et inimicorum ignominiam. 14

« Hæc dicit Dominus Deus. » Confirmatio sermonis est. Ad Titum, 1, 2 : *Quam promisit qui non mentitur, Deus.* « *Lauda, filia Sion.* » Hoc dicit propter duas tribus : « *Jubila, Israel,* » propter decem. Vel *Sion* vocat contemplativos, *Israel* activos. Est autem *laus* præconium virtutis, quæ ostensa est in opere. Psal. CXLVII, 12 : *Lauda Deum tuum, Sion.* *Jubilus* vero vox inarticulata et illitterata, signum gaudii tanti, quod nec corde potest contineri, nec voce litterata et articulata valet exprimi. Psal. LXXXVIII, 16 : *Beatus populus qui scit jubilationem.* « *Lætare* » corde, « *et exsulta* » corpore, « *in omni corde,* » ut scilicet gaudium totum cor obtineat. Joan. XVI, 24 : *Petite, et accipietis, ut gaudium vestrum sit plenum.* « *Filia Jerusalem,* » hoc est, quæcumque anima pertinens ad Jerusalem, maxime supernam. Ad Galat. IV, 26 : *Illa quæ sursum est Jerusalem, libera est, quæ est mater nostra.* Zachar. IX, 9 : *Exsulta satis, filia Sion : jubila, filia Jerusalem.* Psal. LXXXIX, 15 : *Lætati sumus pro diebus, quibus nos humiliasti.*

Laus.

Jubilus.

Plenum gaudium.

[1] Isa. XXXII, 17 : *Et erit opus justitiæ pax, et cultus justitiæ,* etc.

[2] Hæc verba non habentur in Vulgata.

15 Et subdit tanti gaudii materiam, primo in ablatione mali :

« *Abstulit Dominus judicium tuum,* » hoc est, damnationem, qua damnata fuisti : cessante enim peccato cessat pœna condemnationis. Isaiæ, LI, 22 : *Ecce tuli de manu tua calicem soporis, fundum calicis indignationis meæ, non adjicias ut bibas illum ultra.* Michææ, VII, 9 : *Iram Domini portabo, quoniam peccavi ei, donec causam meam judicet, et faciat judicium meum.* « *Avertit inimicos tuos* » a te, supple, homines et dæmones, ne scilicet nocere possint. Psal. XXXVII, 17 : *Nequando supergaudeant mihi inimici mei.* Ad Roman. VI, 14 : *Peccatum vobis non dominabitur.* Et subdit de adeptione boni : « *Rex Israel Dominus in medio tui,* » supple, erit. Glossa inducit hoc Joan. XIV, 23 : *Ad eum veniemus, et mansionem apud eum faciemus.* Ezechiel. XLVIII, 35 : *Nomen civitatis ex illa die : Dominus ibidem.* « *Non timebis malum ultra.* » Job, V, 19 : *In sex tribulationibus liberabit te, et in septima non tanget te malum.* Sex tribulationes ad præsentem vitam pertinent, quæ sex diebus agitur, septima vero ad futuram : a quibus omnibus liberat Dominus.

Septima tribulatio justis non inferenda.

16 Et subjungit de hujus gaudii prædicata fama in tribus, scilicet divino gaudio in confortatione, et divino gaudio in consolatione, et divino gaudio in dilectione.

« *In illa die dicetur,* » late scilicet prædicato præconio. Isaiæ, XXIV, 16 : *A finibus terræ laudes audivimus, gloriam justi.* « *Jerusalem,* » hoc est, o Jerusalem, « *noli timere.* » Psal. XC, 10 : *Non accedet ad te malum, et flagellum non appropinquabit tabernaculo tuo.* Sapient. III, 1 : *Justorum animæ in manu Dei sunt, et non tanget illos tormentum mortis.* « *Sion, non dissolvantur manus tuæ.* » Effectum pro causa ponit. Dissolutio enim manuum per tremorem, effectus pavoris est. Isa. XXXV, 3 : *Confortate manus dissolutas.* Ad Hebr. XII, 12 : *Propter quod remissas manus, et soluta genua erigite.* II Paral. XX, 17 : *O Juda, et Jerusalem, nolite timere, nec paveatis : cras egrediemini contra eos, et Dominus erit vobiscum.*

17 Et hoc est quod sequitur : « *Dominus Deus tuus in medio tui fortis.* » Joan. I, 26 : *Medius vestrum stetit, quem vos nescitis.* Numer. XXIV, 8 : *Cujus fortitudo similis est rhinocerotis?* Job, IX, 19 : *Si fortitudo quæritur, robustissimus est.* « *Ipse salvabit.* » Matth. I, 21 : *Ipse enim salvum faciet populum suum a peccatis eorum.* Levit. XXVI, 11 : *Ponam tabernaculum meum in medio vestri, et non abjiciet vos anima mea. Ambulabo inter vos, et ero Deus vester, vosque eritis populus meus.*

Et subdit de consolatione :

« *Gaudebit super te in lætitia,* » hoc est, faciet te gaudere. Isa. LXII, 5 : *Gaudebit sponsus super sponsam, et gaudebit super te Deus tuus.*

Et subdit de dilectione in quatuor, scilicet dulcedine dilectionis, revocatione fratrum a peccatis, interfectione hostis, et reductione omnimoda et consolatione captivitatis.

« *Silebit,* » amplius scilicet non comminans, non terrens, non puniens, « *in dilectione sua,* » hoc est, pro dilectione sua. Osee, XIV, 5 : *Diligam eos spontanee, quia aversus est furor meus ab eis.* Joan. XV, 13 : *Majorem hac dilectionem nemo habet, ut animam suam ponat quis pro amicis suis.* « *Exsultabit super te in laude.* » Glossa : « Accipiet « laudem a te, tamquam pinguissimam « hostiam, vel gaudebit te esse laudabi- « lem. » Proverb. XXXI, 31 : *Date ei de fructu manuum suarum, et laudent eam in portis opera ejus.*

18 Et subdit de conversione fratrum :

« *Nugas,* » id est, vanos, « *qui a lege recesserant,* » et propter hoc vani facti sunt. Jerem. II, 5 : *Elongaverunt a me, et ambulaverunt post vanitatem, et vani facti sunt.* Psal. LXI, 10 : *Verumtamen vani filii hominum, mendaces filii hominum in stateris : ut decipiant ipsi de vanitate in idipsum.* « *Congregabo,* » ut scilicet ad te revertantur, et nullum gregis tui patiaris detrimentum. Baruch, V, 5 : *Vide collectos filios tuos ab oriente sole usque ad occidentem, in verbo Sancti, gaudentes Dei memoria.* « Quia ex te erant, » hoc est, ad te pertinebant ad minus per prædestinationem. Ad Roman. VIII, 29 : *Quos præscivit, et prædestinavit conformes fieri imaginis Filii sui,... hos et vocavit.* « *Ut non ultra habeas super eis opprobrium,* » hoc est, ne objiciantur tibi in opprobrium. Opprobrium est enim sanctis homo apostata : improperatur enim aliis. Proverb. VI, 12 : *Homo apostata, vir inutilis.* Psal. XLIII, 14 : *Posuisti nos opprobrium vicinis nostris.*

Apostata opprobrium est sui ordinis.

19 Et subdit de inimicorum dejectione :

« *Ecce ego interficiam omnes,* » supple, inimicos tuos, « *qui afflixerunt te.* » Glossa inducit illud Psal. C, 8 : *In matutino interficiebam omnes peccatores terræ.* Eccli. XLI, 11 et 12 : *Væ vobis viri impii, qui dereliquistis legem Domini Altissimi ! Et si nati fueritis, in maledictione nascimimi : et si mortui fueritis, in maledictione erit pars vestra.* Psal. XLIII, 8 : *Odientes nos confudisti.* « *In tempore illo,* » extremi scilicet judicii quo justitias judicabo. Psal. LXXIV, 3 : *Cum accepero tempus, ego justitias judicabo.*

Et subdit de congregatione captivorum et consolatione :

« *Et salvabo claudicantem,* » id est, quæ olim claudicaverat a semitis meis, partim mihi, partim idolis adhærendo : vel ore mihi, opere autem diabolo. III Regum, XVIII, 21 : *Usquequo claudicatis in duas partes ? si Dominus est Deus, sequimini eum.* Psal. XVII, 46 : *Inveterati sunt, et claudicaverunt a semitis suis.* « *Et eam, quæ ejecta fuerat,* » scilicet propter delectationes delectabilium et idolorum, « *congregabo,* » ad thorum scilicet, vel ad Ecclesiam. Jerem. III, 1 : *Tu fornicata es cum amatoribus multis : tamen revertere ad me, dicit Dominus, et ego suscipiam te.* Idem quod hic dicitur, dicitur Mich. IV, 6 : *In die illa, dicit Dominus, congregabo claudicantem : et eam, quam ejeceram, colligam : et quam afflixeram,* etc. Isa. LIV, 6 : *Ut mulierem derelictam et mœrentem spiritu vocavit te Dominus.* « *Et ponam eos in laudem,* » hoc est, ut laudentur ab omnibus. Isa. LXI, 9 : *Omnes, qui viderint eos, cognoscent illos, quia isti sunt semen cui benedixit Dominus.* « *Et in nomen,* » quantum ad famam. Eccli. XLI, 15 : *Boni nominis habenda est ratio. Curam habe de bono nomine : hoc enim magis permanebit tibi, quam mille thesauri pretiosi et magni.* « *In omni terra confusionis eorum,* » hoc est, ut ab illis laudentur a quibus ante vituperabantur. Isa. LXI, 7 : *Pro confusione vestra duplici et rubore, laudabunt partem suam.* Osee, I, 10 : *In loco ubi dicetur eis : Non populus meus vos : dicetur eis : Filii Dei viventis.*

Boni nominis habenda est ratio.

« *In tempore illo,* » revelatæ scilicet gratiæ. II ad Corinth. VI, 2 : *Ecce nunc tempus acceptabile, ecce nunc dies salutis.* « *Quo adducam vos,* » ad patriam scilicet vel ad fidem. Isaiæ, LXIII, 14 : *Sic adduxisti populum tuum ut faceres tibi nomen gloriæ.* « *Et in tempore quo congregabo vos,* » vel in unam patriam cœli, vel in cor unum et animam unam. Ezech. XXXIV, 13 : *Congregabo eas de terris.* Et, XXXVII, 21 : *Congregabo eos undique, et adducam eos ad humum suam.* **20**

« *Dabo enim vos in nomen.* » Isaiæ,

LXII, 2 : *Vocabitur tibi nomen novum, quod os Domini nominavit.* « *Et in laudem omnibus populis terræ,* » ut scilicet ab omnibus laudentur. Hoc est quod dicitur, Joan. XII, 26 : *Honorificabit eum Pater meus,* scilicet qni est in cœlis. Psal. CXLIX, 3 : *Laudent nomen ejus in choro,* hoc est, in toto concentu cœlestium, « *cum convertero captivitatem vestram,* » qua scilicet a diabolo vel a Nabuchodonosor captivi tenebamini. Psal. CXXV, 1 : *In convertendo Dominus captivitatem Sion, facti sumus sicut consolati.* « *Coram oculis vestris,* » ut magis scilicet gaudeatis. Isaiæ, LX, 5 : *Tunc videbis, et afflues : mirabitur, et dilatabitur cor tuum.* Joan. XVI, 23 : *Iterum videbo vos, et gaudebit cor vestrum.*

Et quia hæc secundum inferiores causas videntur non posse fieri, subdit de omnipotentia facientis : « *Dicit Dominus.* » Genes. XVIII, 14 : *Numquid Deo quidquam est difficile ?* Luc. I, 37 : *Non erit impossibile apud Deum omne verbum.*



INDEX

IN SOPHONIAM PROPHETAM.

D. ALBERTI MAGNI,

EPISCOPI RATISBONENSIS, DOCTRINA TOTO ORBE CELEBERRIMI,

ORDINIS PRÆDICATORUM,

IN AGGÆUM PROPHETAM ENARRATIO.

Prologus divi Hieronymi in Aggæum prophetam.

Jeremias propheta ob causam perjurii Sedeciæ (ut historia secundi libri Paralipomenon[1] indicat) qui fidem promissam Nabuchodonosor, regi Chaldæorum, non servaverat, populum Israel refert cum memorato rege Jerusalem, expugnata Jerusalem, captivum in Babylonem fuisse perductum. Sed cum memoratus populus multis temporibus idolis serviendo, et effusione sanguinis innocentum se graviter impiasset, volens Deus generationem universam ejusdem populi ob causas memoratas penitus deperire, septuaginta annorum captivitatem eumdem populum in regno Chaldæorum statuit sustinere : hac ratione, ut completo numero annorum, novus populus a memoratis peccatis immunis ad renovationem Jerusalem perveniret. Sexagesimo itaque secundo anno, regno Chaldæorum subverso, cui adhuc octo anni restabant ad regnandum, quod etiam sexta visio Danielis ostendit[2], cum propter causam sacrilegii, quod in eadem visione continetur, fuisset exstinctum, Darius qui Medis imperabat, ut septima visio Danielis ostendit[3], memoratorum regno successit. Cujus primo anno regni, ut decima visio Danielis manifestat[4], Daniel supputatis annis videns appropinquare tempus reversionis, quæ per Jeremiam[5] fuerat promissa, orans tam pro se quam pro populo, eamdem promissionem a Deo postulabat impleri. Cui per Gabrielem archangelum in eadem visione juxta preces ejusdem, universa completa esse Deus dixit[6]. Nam moriente supradicto Dario, rege Medorum, et succedente in regno Cyro, rege Persarum, promissione Dei completa, per eumdem regem populum Israel in Jerusalem re-

[1] Cf. II Paralip. xxxv. 10 et seq., et IV Reg. xxiv. 17.
[2] Cf. Daniel, v, 1 et seq.
[3] Ibid. ℣℣. 30 et 31.
[4] Ibid. ix, 1 et seq.
[5] Jerem. xxv, 11 et xxix, 10.
[6] Daniel. ix, 21 et seq.

ductum, historia secundi libri Paralipomenon [1], et initium Esdræ prophetæ [2], confirmant. Cumque a populo Israel et senioribus templum Dei ædificari cœpisset, mortuo Cyro rege, ac regnante Dario, rege Persarum, qui memorato Cyro successerat, vicinæ gentes civitatis Jerusalem (ut idem Esdras refert [3]) restaurationem templi et civitatis resistendo impedire cœperunt. Qua ratione deterritus populus Israel, reparationem supradicti templi Domini necdum juxta promissionem concessam esse credebat.

Propter quod in secundo anno regni memorati Darii, regis Persarum, Aggæus propheta a Deo missus, Zorobabel qui de tribu erat Juda, qui potestatem regni suscepturus erat, et Jesum, filium Josedec, summum sacerdotem admonet, ut credant completo numero annorum tempus restaurationis Jerusalem advenisse : hoc etiam addito, ne incredulitatem populi vellent imitari, de quo Deus per eum dicit : Populus hic dicit : Nondum venit tempus ut ædificetur domus Dei [4].

Omnia autem quæ textu hujus prophetiæ continentur, reversionem populi, ædificationem templi, renovationem civitatis, observantiam sacerdotalem, et interitum regnorum gentium exterarum significant.

PROLOGI DIVI HIERONYMI IN AGGÆUM PROPHETAM EXPLICATIO.

« Jeremias Propheta. » Prologus iste dividitur in partes duas. In prima determinat causam suscepti operis. In secunda materiam per partes exsequitur, ibi, « Omnia autem quæ in textu. »

Prima in duas, scilicet, causam suscepti operis, et operis susceptionem, ibi, « Propter quod in secundo anno. »

In prima tria dicuntur, ex quibus causa colligitur, scilicet populi captivitas, populi captivati a rege captivante libertas, ibi, « Sexagesimo itaque anno : » et instans a finitimis gentibus ædificationem templi impedientibus necessitas, ibi, « Cumque a populo Israel. »

In prima harum tria sunt : causa scilicet captivitatis ex parte regis, causa prolongatæ captivitatis ex parte populi, et ratio causæ.

« Jeremias Propheta [5] ob causam perjurii Sedeciæ regis. » Juravit enim regi Nabuchodonosor, qui eum regem instituit, ut sub ipso regnaret, et tributa solveret : et hoc juramentum violavit, et ab eo recessit, « ut historia libri Paralipomenon secundi indicat [6]. » « Qui, » scilicet Sedecias, « fidem promissam, » et supple, juramento firmatam, « Nabuchodonosor, regi Chaldæorum, non servaverat. » Contra hoc quod dicitur, Isaiæ, xxiv, 5 et 6 : *Transgressi sunt leges, mutaverunt jus, dissipaverunt fœdus sempiternum. Propter hoc maledictio vorabit terram.* « Populum Israel refert, » scilicet Jeremias, « cum memorato rege Israel, » hoc est, Sedecia, « expu-

Sede
Juran
viol

[1] Cf. II Paralip. xxxvi, 22 et 23.

[2] Cf. I Esdræ, i, 2 et 3.

[3] Cf. I Esdræ, iv et v.

[4] Vulg. habet, Aggæi, i, 2 : *Populus iste dicit : Nondum venit tempus domus Domini ædificandæ.*

[5] Cf. Jerem. xxi, xxv et seq.

[6] Cf. II Paralip. xxxvi, 10 et seq., et IV Reg. xxiv, 17.

gnata Jerusalem, » a rege scilicet Babylonis, « captivum, » regem scilicet et populum, « in Babyloniam fuisse perductum [1]. »

Et subdit de causa prolongatæ captivitatis :

« Sed cum memoratus populus, » Israel scilicet, « multis temporibus, » ante captivitatem et in captivitate. Isaiæ, LXV, 20 : *Peccator centum annorum maledictus erit.* « Idolis serviendo, » Jerem. II, 13 : *Me dereliquerunt fontem aquæ vivæ, et foderunt sibi cisternas dissipatas.* « Et effusione sanguinis innocentum, » ut scilicet peccatum peccato cumularent. IV Regum, XXIV, 4 : *Et implevit* (Manasses) *Jerusalem cruore innocentium usque ad os.* Osee, IV, 2 : *Sanguis sanguinem tetigit.* « Se graviter inquinasset, » hoc est, ad incrementum impietatis deduxisset. II ad Timoth. III, 13 : *Mali homines, et seductores proficient in pejus : errantes, et in errorem mittentes.* « Volens ergo Deus, » supple, ne indigni promissiones suas hæreditarent, « generationem universam ejusdem populi, » materialiter, hoc est, generatos universos, « ob causas memoratas, » supple, idololatriæ, et homicidii « penitus deperire. » Psal. LIV, 24 : *Viri sanguinum et dolosi non dimidiabunt dies suos.* « Septuaginta annorum captivitatem [2] eumdem populum, » Israel scilicet cum rege, « in terra Chaldæorum, » qui *feroces* interpretantur, « statuit, » decreto scilicet immobili, « sustinere, » ut scilicet pœnis peccatum vindicaretur. Genes. VI, 13 : *Repleta est terra iniquitate a facie eorum, et ego disperdam eos cum terra.*

Et subdit rationem causæ : « Hac ratione, » hoc est, dispositione justitiæ divinæ, « ut completo numero annorum, » septuaginta in quibus scilicet patres peccatores morerentur, « novus populus, » ex illis scilicet natus immunis a memoratis peccatis, eo quod parentes non imitati sunt, « ad renovationem Jerusalem, » hoc est, ad novam reædificationem, « perveniret. » Simile, Numer. XIV, 31 et 32 : *Parvulos vestros, de quibus dixistis quod prædæ hostibus forent, introducam : ut videant terram, quæ vobis displicuit : vestra* autem *cadavera jacebunt in solitudine.*

Et subdit de liberatione a rege captivante :

« Sexagesimo itaque secundo anno, » supple, regis Chaldæorum, computando scilicet a Nabuchodonosor, ex quo monarchiam obtinuit, regno Chaldæorum subverso per Cyrum scilicet et Darium occiso Balthasar [3], « cui, » scilicet regno, « adhuc octo anni ad regnandum restabant, » de septuaginta scilicet promissis a Jeremia, « quod etiam sexta visio Danielis ostendit, » quæ Daniel. V, 1 et seq., describitur, « propter causam sacrilegii » quia scilicet idola laudabat et in vasis Domini bibebat, « quæ, » scilicet causa sacrilegii, « in eadem visione continetur, fuisset exstinctum, » hoc est, interfectum. Sicut enim, Genes. VII, 7, de datis ad pœnitentiam centum viginti annis diminuti sunt viginti anni, eo quod mundus originalis non pœnituit, sed in peccatis crevit : ita de septuaginta annis regni Chaldæorum octo diminuti sunt, propter incrementum malitiæ Chaldæorum. « Darius rex qui Medis imperabat, » cum Cyro scilicet avunculo suo, rege Persarum, « ut septima visio Danielis ostendit [4], memoratorum, » scilicet Chaldæorum, « regno successit. » Daniel. V, 30 et 31 : *Eadem nocte interfectus est Balthasar rex Chaldæus. Et Darius Medus successit in regnum, annos natus sexaginta duos.*

« Cujus, » scilicet Darii, « primo anno regni, » supple, Medorum et Persarum, « ut decima visio manifestat Danielis, » nono capitulo descripta a Daniel, « sup-

[1] Cf. Jerem. XXV, 9 et seq.
[2] Cf. Jerem. XXIX, 1 et seq.
[3] Cf. Daniel. V, 1 et seq.
[4] Cf. Daniel. V, 25 et seq

putatis annis, » captivitatis scilicet, « videns appropinquare tempus reversionis, » de captivitate scilicet, « quæ, » scilicet reversio, « per Jeremiam fuerat promissa. » Jerem. XXIX, 10 : *Cum cœperint impleri in Babylone septuaginta anni, visitabo vos : et suscitabo super vos verbum meum bonum, ut reducam vos ad locum istum.* « Orans, » scilicet ipse Daniel, « tam pro se quam pro populo, » concaptivo scilicet, « eamdem promissionem, » liberationis scilicet, « a Deo postulabat impleri. » Unde Daniel. IX, 2 et 3 : *Ego Daniel intellexi in libris numerum annorum, de quo factus est sermo Domini ad Jeremiam Prophetam, ut complerentur desolationis Jerusalem septuaginta anni. Et posui faciem meam ad Dominum Deum meum rogare et deprecari in jejuniis, sacco, et cinere.* « Cui, » scilicet Danieli, « per Gabrielem Angelum, » ad se scilicet missum, « in eadem visione, » decima scilicet, « juxta preces ejusdem, » Danielis scilicet, « universa esse completa, » secundum suum desiderium scilicet, « Deus prædixit, » loquendo scilicet per Angelum.

Et hoc est quod subdit :

« Nam moriente supradicto rege Medorum, » Dario scilicet, « et succedente in regno Cyro, rege Persarum, » qui tamen aliter non successit, nisi quia primo cum Dario patruo suo regnaret, mortuo autem patruo principatum solus obtinuit, « promissione Dei completa, » de destructione scilicet Chaldæorum, et liberatione Judæorum, « per eumdem regem, » scilicet Cyrum, « populum Israel in Jerusalem reductum, » supple, fuisse, « historia libri secundi Paralipomenon, » ultimo scilicet capitulo, « et initium Esdræ, » primo scilicet capitulo, « confirmant. » Unde, II Paralipomenon, XXXVI, 23 : *Hæc dicit Cyrus, rex Persarum : Omnia regna terræ dedit mihi Dominus, Deus cœli, et ipse præcepit mihi ut ædificarem ei domum in Jerusalem, quæ est in Judæa : quis ex vobis est in omni populo ejus ? sit Dominus Deus suus cum eo, et ascendat.* Hoc idem est initium Esdræ [1].

Ad intellectum autem eorum quæ dicta sunt, oportet scire, quod decem sunt visiones Danielis, in quarum qualibet aliquid secreti revelatum est. Prima est de somnio, Daniel. II, 1 et seq. Secunda, de quarto in camino cum tribus pueris ostenso, qui Filio Dei similis erat, Daniel. III, 1 et seq. Tertia, de arbore succisa, Daniel. IV, 1 et seq. Quarta, de quatuor bestiis et judicio, Daniel VII, 1 et seq. Quinta, de ariete et hirco, Daniel. VIII, 1 et seq. Sexta de morte Balthasar, et articulis scribentis in pariete, Daniel. V, 1 et seq. De hac hic mentio facta est. Septima, de eo quod factum est in lacu leonum, Daniel. VI, 7 et seq. Octava, de revelatione Gabrielis, Daniel. IX, 21 et seq. quam hic decimam vocat Hieronymus, non quod decima sit, secundum seriem Danielis, vel ordinem temporis : sed quia de regno Christi est, quod in decima describitur. Nona, de adventu Christi, Daniel. X, 4 et seq. Decima, de regno finali resurgentium, Daniel. XII, 1 et seq. Magister tamen in *Historiis* hanc quam dicit Hieronymus decimam, octavam appellat. *Danielis decem visiones.*

Et subdit de causa necessitatis :

« Cumque a populo Israel, » reverso scilicet de captivitate, « et a senioribus, » quorum scilicet consilio regebatur, « templum Dei ædificari cœpisset, » jactis scilicet fundamentis et altari constructo, « mortuo Cyro, rege Persarum, » qui licentiam redeundi dederat, « ac regnante Dario, » qui et Artaxerxes dicebatur, « rege Persarum, » qui primi Darii erat filius, « qui memorato, » scilicet Cyro patrueli suo, « successerat, » in utroque

[1] I Esdræ, I, 2 et 3 : *Hæc dicit Cyrus, rex Persarum : Omnia regna terræ dedit mihi Dominus, Deus cœli, et ipse præcepit mihi ut ædificarem ei domum in Jerusalem, quæ est in Judæa. Quis est in vobis de universo populo ejus ? Sit Deus illius cum ipso. Ascendat in Jerusalem*, etc.

scilicet regno, et Medorum, et Persarum, « vicinæ gentes, » habitantes scilicet circa Judæam, « civitatis Jerusalem, » supple, ædificationem, « ut idem Esdras in libro suo refert, » cap. IV et V, « restaurationem templi et civitatis, » Jerusalem scilicet, « resistendo, » supple, ædificantibus « impedire cœperunt. » Propter quod etiam Psalmus CXXVI : *Nisi Dominus ædificaverit domum*, factus est. « Qua ratione deterritus populus Israel, » supple, et deceptus, « restaurationem supra dicti templi Domini, » supple, faciendam, « necdum juxta promissionem, » supple, Jeremiæ, « concessam esse » a Deo « credebant : » putabant enim si Deus concessisset, quod impedimenta removisset. Judic. VI, 13 : *Si Dominus nobiscum est, cur apprehenderunt nos hæc omnia*, scilicet mala ? Hæc est igitur necessitas prophetiæ.

Unde sequitur :

« Propter quod, » ne desperaret populus scilicet, « in secundo anno memorati regni Darii, regis Persarum, » nepotis scilicet primi Darii, » Aggæus Propheta a Deo missus. » Ad Roman. x, 13 : *Quomodo prædicabunt nisi mittantur ?* Ad Zorobabel, » principem scilicet in secularibus, « qui de tribu Juda erat. » Genes. XLIX, 10 : *Non auferetur sceptrum de Juda, et dux de femore ejus.* « Qui potestatem regni suscepturus erat, » hæreditatis scilicet successione : quamvis numquam habuerit jurisdictionem potestatis. Post reditum enim de captivitate Babylonica sacerdotes de tribu Levitica imperaverunt, et non reges de tribu Juda existentes. « Et Jesum, filium Josedec, » qui tunc temporis summus Sacerdos fuit, plus ex successione paterna quam ordinis administratione, eo quod nec tunc templum fuit, nec altare in quo administrare posset.

tes re- æ-

Et hoc est quod sequitur : « Summum Sacerdotem, » hoc est, cui summa negotiorum in sacris administrandorum commissa fuerat : et hoc, supple, ideo factum fuit, quia idem Propheta « admonet ut credant. » Ad Roman. x, 10 : *Corde creditur ad justitiam.* « Completo numero annorum, » septuaginta scilicet, in quo puniendus fuerat populus et purgandus, « tempus restaurationis Jerusalem, » sive reædificationis, « advenisse : » de quo in Psal. CI, 14, dicitur : *Tu exsurgens misereberis Sion : quia tempus miserendi ejus, quia venit tempus.* « Hoc etiam addito, » ad causam suscepti operis, « ne incredulitatem populi vellent imitari : » populus enim fuit incredulus, dicens quod tunc Deus nollet templum reædificari, ut prius habitum est. « De quo, » scilicet populo, « Deus dixit per eum, » Aggæum scilicet, Aggæi, I, 2 : Populus iste dicit [1] : *Nondum venit tempus ut reædificetur domus Dei :* » propter modicam enim adversationem hominum, de promissione Domini dubitabant et pene desperabant : contra quod dicitur, ad Roman. IV, 20 et 21 : *In repromissione Dei non hæsitavit diffidentia, sed confortatus est fide, dans gloriam Deo : plenissime sciens quia quæcumque promisit* ei Deus, *potens est et facere.*

Promissioni divinæ non diffe-rendum.

His autem ita habitis de causa suscepti operis, subjungit de materia in textu prophetiæ comprehensa :

« Omnia autem quæ in textu prophetiæ hujus continentur, » supple, vel describuntur, « reversionem populi, » pro parte prima, « ædificationem templi, » pro parte secunda, « renovationum civitatis, » pro parte tertia, « observantiam sacerdotalem, » in discretione scilicet mundi et immundi pro quarta parte, « et interitum regnorum exterarum gentium, » quæ scilicet ædificationem impediebant, « significant. » Et secundum hoc dividitur prophetia.

[1] Cf. Isa. XXIX, 13 : *Populus iste ore suo, et labiis suis glorificat me, cor autem ejus longe est a me.* Cf. etiam Matth. XV, 8, et Marc. VII, 6.

CAPUT I.

Quo tempore prophetaverit Aggæus : qui increpat Judæos quod neglecta domo Dei propria ædificia curarent : ob quam causam dicit illis immissam a Deo sterilitatem : eoque tempore dux Zorobabel et Jesus, sacerdos magnus, una cum populo excitati, incipiunt ædificare domum Dei.

1. In anno secundo Darii regis, in mense sexto, in die una mensis, factum est verbum Domini in manu Aggæi prophetæ, ad Zorobabel, filium Salathiel[1], ducem Juda, et ad Jesum, filium Josedec, sacerdotem magnum, dicens :

2. Hæc ait Dominus exercituum, dicens : Populus iste dicit : Nondum venit tempus domus Domini ædificandæ.

3. Et factum est verbum Domini in manu Aggæi prophetæ, dicens :

4. Numquid tempus vobis est ut habitetis in domibus laqueatis, et domus ista deserta ?

5. Et nunc hæc dicit Dominus exercituum : Ponite corda vestra super vias vestras.

6. Seminastis multum, et intulistis parum[2] : comedistis, et non estis satiati : bibistis, et non estis inebriati : operuistis vos, et non estis calefacti : et qui mercedes congregavit, misit eas in sacculum pertusum.

7. Hæc dicit Dominus exercituum : Ponite corda vestra super vias vestras :

8. Ascendite in montem, portate ligna, et ædificate domum : et acceptabilis mihi erit, et glorificabor, dicit Dominus.

9. Respexistis ad amplius, et ecce factum est minus : et intulistis in domum, et exsufflavi illud : quam ob causam ? dicit Dominus exercituum : quia domus mea deserta est, et vos festinatis unusquisque in domum suam.

10. Propter hoc super vos prohibiti sunt cœli ne darent rorem, et terra prohibita est ne daret germen suum :

11. Et vocavi siccitatem super terram, et super montes, et super triticum, et super vinum, et super oleum, et quæcumque profert humus, et super homines, et super jumenta, et super omnem laborem manuum.

12. Et audivit Zorobabel, filius Salathiel, et Jesus, filius Josedec, sacerdos magnus, et omnes reliquiæ populi, vocem Domini Dei sui, et verba Aggæi prophetæ, sicut misit eum Dominus Deus eorum ad eos : et timuit populus a facie Domini.

13. Et dixit Aggæus, nuntius Domini de nuntiis Domini, populo dicens : Ego vobiscum sum, dicit Dominus.

14. Et suscitavit Dominus spiritum Zorobabel, filii Salathiel, ducis Juda, et spiritum Jesu, filii Josedec, sacerdotis magni, et spiritum reliquorum de omni populo : et ingressi sunt, et faciebant opus in domo Domini exercituum, Dei sui.

[1] I Esdr. VI, 1.

[2] Deuter. XXVIII, 38 ; Mich. VI, 15.

IN CAPUT I AGGÆI

ENARRATIO.

« *In anno secundo.* » Hæc prophetia in tres visiones dividitur secundum Hieronymum, secundum tres exhortationes ad ædificandum templum. Prima est, quod si templum non ædificatur, sterilitas quæ propter templum destructum accidit, ad fertilitatem non revertetur. Secunda est, quod gloria quæ in populo fuit ex templo, populo non restituetur, nisi templum reædificetur, et incipit infra, ibi, II, 1 : « *In die vigesima.* » Tertia est, quod si templum non reædificatur, quod omnia opera populi polluta reputabuntur, et incipit circa medium secundi capituli, ibi, ℣. 11 : « *In vigesima et quarta noni mensis.* » Et est notandum quod istæ tres visiones non differunt annis, sed mensibus et diebus : omnes enim in secundo anno Darii factæ sunt.

Ad intellectum autem litteræ notandum est quod dicit Hieronymus, quod cum Cyrus, rex Persarum, occiso Balthasar, occupasset regnum Babylonicum, cum Dario patruo suo, rege Medorum, primo anno regni sui remisit in Jerusalem circiter quinquaginta millia Judæorum, quibus præfecit Zorobabel, et Jesum, filium Josedec, et præcepit eis ut ædificarent templum. Illi autem exstructo altari, fundamenta templi jecerunt : sed interea mortuo Cyro, Artaxerxes, cognomine Cambyses, illi succedens, mandavit gentibus qui erant circa Jerusalem, ne templum reædificari permitterent. Remansit itaque opus imperfectum usque ad secundum annum Darii, filii Hystaspis, et hujus secundo Aggæus et Zacharias ad prophetandum suscitati sunt, qui non veriti edictum regis, nec contradictiones insurgentis populi, Zorobabel et Jesum et populum animabant ad ædificandum.

Et hoc est quod dicitur :

« *In anno secundo Darii,* » filii Hystaspis. Dividitur autem hæc visio in titulum, et in tractatum qui incipit, ibi, ℣. 2 : *Hæc ait Dominus exercituum : Populus iste dicit.*

In titulo continentur quatuor, scilicet tempus commune et proprium, modus inspirationis, et modus enuntiationis, et ad quos fit prophetia.

« *In anno secundo Darii regis,* » id est, a tempore ex quo ille accepit regni gubernacula super Persas et Medos. Simile est, Genes. XVIII, 10 : *Revertens veniam ad te tempore isto, vita comite,* in anno altero. Idem continetur, ad Roman. IX, 9 [1]. « *In mense sexto,* » anni scilicet secundi, numerando scilicet ab Aprili, qui apud nos September vocatur, et apud Judæos fere totus festivus fuit, sicut dicitur, Levit. XXV, 9.

Et subdit de proprio tempore : « *In die una mensis,* » hoc est, prima, quando scilicet Judæi cornibus arietinis clangebant, quod prophetiam significabat. Quod autem dicitur, *Dies una*, dies prima, ideo est, quia Judæi nomina ordinalia non habent, sed nominibus numeralibus pro ordinalibus utuntur.

Dies prima cur una dicatur ?

Subdit autem de modo inspirationis : « *Factum est verbum Domini.* » Verba humana non facta, sed dicta per aurem ad cor ingrediuntur : verbum autem Dei a Deo factum, non auditum, Spiritu Dei in corde formatur. I ad Corinth. II, 9 : *Quod oculus non vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis ascendit, quæ præparavit Deus iis qui diligunt illum.* Ubi dicit Augustinus, quod « per sensus non ascendunt in cor quæ præparat Deus, sed cor ascendit ad ipsa, et

[1] Ad Roman. IX, 9 : *Promissionis verbum hoc est : Secundum hoc tempus veniam, et erit Saræ filius.*

« Deus format ea in corde. » Psal. LXIII, 7 et 8 : *Accedet homo ad cor altum, et exaltabitur Deus.*

Et subdit de enuntiatione :

« *In manu Aggæi Prophetæ.* » *In manu* dicit, quia non tantum verbo, sed etiam opere prophetavit. Osee, XII, 10 : *Ego visionem multiplicavi, et in manu prophetarum assimilatus sum.* Sic prophetavit Isaias XX, 2, ambulans *nudus, et discalceatus.* Sic Ezechiel, XII, 7, per parietem fossum de domo est portatus. « *Aggæi,* » dicit, quod *festivus et lætus* interpretatur, eo quod læta de templi reædificatione nuntiabat, quod Isa. LXI, 2 et 3, ostenditur, ubi dicitur : *Ut consolarer omnes lugentes : ut ponerem,* consolationem scilicet, *lugentibus Sion : et darem eis coronam pro cinere, oleum gaudii pro luctu, pallium laudis pro spiritu mœroris. Prophetæ* dicit, ut sciatur immobilis esse veritas eorum quæ annuntiat. Cassiodorus : « Prophetia est « divina inspiratio, rerum eventus sub « immobili veritate denuntians. » Sapient. VII, 27 : *Sapientia per nationes in animas sanctas se transfert, amicos Dei et prophetas constituit.*

Aggæus.

Prophetia.

Et subjungit ad quos :

Zorobabel. Salathiel.

« *Ad Zorobabel, filium Salathiel.* » Matth. I, 12 : *Jechonias genuit Salathiel. Salathiel autem genuit Zorobabel :* hic enim natus fuit in regnum ex stirpe David, et Prælatus fuit in temporalibus. Interpretatur autem Zorobabel *fluxus expositus,* Salathiel autem *petitio Dei,* eo quod sicut Moyses (Exod. II, 3) fluctui expositus est in populi liberationem, et petitione Dei impetratus. Hunc etiam describit a dignitate : « *Ducem Juda,* » ut sciatur esse de domo David. Psal. LXVII, 68 : *Sed elegit tribum Juda.* Genes. XLIX, 10 : *Non auferetur sceptrum de Juda, et dux de femore ejus.*

Jesus.

Et subjungit de Prælato in spiritualibus : « *Et ad Jesum,* » qui *salvator* interpretatur, ut de tribu sacerdotali et merito et nomine descendisse credatur. Quem ulterius describit a dignitate : « *Sacerdotem,* » et a virtutis magnitudine, cum subdit « *magnum.* » Ad Roman. VIII, 30 : *Quos justificavit, illos et glorificavit.* Eccli. XLVI, 1 et 2 : *Jesus Nave... fuit magnus secundum nomen suum, maximus in salutem electorum Dei.* « *Dicens.* » Verbum enim Dei dicens est et docens, verbum hominis dictum est transiens.

Hæc secundum spiritualem intellectum sub eisdem auctoritatibus ad Dominum Jesum Christum referuntur. In anno secundo qui est annus gratiæ sequens annum terroris synagogæ quem sequetur annus gloriæ. Habac. III, 2 : *Domine, opus tuum, in medio annorum vivifica illud.* Darius *generationes* interpretatur, et significat eos qui luxuria non nisi generationi intendebant : qui ut compescerentur Christus missus est, extunc enim castitas virginitatis prædicata est. Matth. XIX, 12 : *Sunt eunuchi, qui seipsos castraverunt propter regnum cœlorum. Qui potest capere, capiat.* Mensis sextus, sextam ætatem significat, in qua luna, Ecclesia scilicet, novam per Christum accepit illuminationem. Eccli. XLIII, 7 et 8 : *A luna signum diei festi, luminare quod minuitur in consummatione. Mensis secundum nomen ejus est, crescens mirabiliter in consummatione.* Dies una sive prima mensis, singularitatem significat illius luminis. Psal. LXXXIII, 11 : *Melior est dies una in atriis tuis, super millia.* Et per illum, factum est verbum Domini. Joan. I, 18 : *Unigenitus Filius qui est in sinu Patris, ipse enarravit.*

Darius.

Hic verbum in manu habet, hoc est, in potestate et opere. Act. VII, 29 : *Cœpit Jesus facere, et docere.* Matth. VII, 29 : *Erat docens eos tamquam potestatem habens.* Hic Aggæus, id est, festivus vel lætus dicitur. Psal. XVIII, 6 : *Exsultavit ut gigas ad currendam viam.* Isa. XLII, 4 : *Non erit tristis, neque turbulentus, donec ponat in terra judicium.* Hic Propheta est non inspiratus, sed a quo fluit omnium Prophetarum spiritus. Joan. VI,

14 : *Hic est vere Propheta, qui venturus est in mundum.* Luc. xxiv, 19 : *Qui fuit vir Propheta, potens in opere, et sermone.* Hic significatur per Zorobabel et per Jesum, quia Rex fuit et Sacerdos. Ad Hebr. vii, 1 : *Hic Melchisedech, rex Salem, sacerdos Dei summi.* Zorobabel autem dicitur propter emissum ab eo fluxum doctrinæ. Eccli. xxiv, 40 et 41 : *Ego sapientia effudi flumina : ego quasi trames aquæ immensæ de fluvio : ego quasi fluvii dioryx.* Dioryx *medicamentum generationis* interpretatur. Hic filius Salathiel est : est enim illius filius de quo dicitur in Psal. x, 8 : *Justus Dominus, et justitias dilexit : æquitatem vidit vultus ejus.* Dux Juda, confitentium scilicet, et laudantium Deum. Psal. lxvii, 28 : *Principes Juda duces eorum.* Hic nomine et significatione Jesus dicitur. Matth. i, 21 : *Vocabis nomen ejus Jesum : ipse enim salvum faciet populum suum a peccatis eorum.* Habac. iii, 18 : *Exsultabo in Deo Jesu meo.* Hic filius Josedec : quia petitionibus patrum postulatus a Deo, quod significat Salathiel : et hæres paternæ justitiæ, quod significat Josedec. Isaiæ, xlvi, 13 : *Prope feci justitiam meam, non elongabitur, et salus mea non morabitur.* Hic sacerdos magnus est : sacerdos sacra dos, et sacra dans. Psal. cix, 4 : *Tu es Sacerdos in æternum.* Magnus, quia in comparatione ejus omnes minimi sunt. Psal. cxl, 6 : *Absorpti sunt juncti petræ, judices eorum,* hoc est, omnes alii Sancti judices Ecclesiæ, absorpti et annihilati sunt, juncti, hoc est, comparati petræ, id est, Christo. Hic rex et sacerdos, nos faciens reges in opere justitiæ, et sacerdotes in sanctitate. Apocal. i, 6 : *Fecit nos regnum, et sacerdotes Deo.*

Dioryx.

Josedech.

2 « *Hæc ait Dominus.* » Hic incipit series prophetiæ, et ponit hic tria : murmurationem populi desperantis, exclusionem murmuris, et exhortationem ædificationis. Secunda incipit, ibi, « *Factum est verbum Domini.* » Tertia, ibi, « *Hæc ait Dominus exercituum.* »

« *Hæc dicit Dominus.* » Confirmatio sequentis sermonis est. *Dominus* enim dicit, quia potestatem habet in dictis. I Regum, iii, 18 : *Dominus est : quod bonum est in oculis suis faciat.* « *Exercituum* » dicit, quia ministros habet Angelos, et homines, et dæmones ad exsequendum. Unde dicitur *Dominus Deus Sabaoth*, hoc est, *exercituum* [1]. Dicit enim Gregorius : « Sibi militat etiam, « quod per malitiam voluntatis obstat. « Angeli enim disponunt, dæmones insti- « gant, homines exsequuntur ut voluntas « Dei de malis expleatur. » « *Populus iste dicit* » murmurans scilicet : « *Nondum venit tempus domus Domini ædificandæ.* » Opus enim Domini negligebant, privata sua opera operi Domini præponentes. Hoc faciunt, qui suo commodo vel quæstui, opere Domini neglecto, intendunt. I Petr. ii, 5 : *Ipsi tamquam lapides vivi superædificamini, domus spiritualis.* Eccle. ix, 10 : *Quodcumque facere potest manus tua, instanter operare.* Ad Galat. vi, 10 : *Dum tempus habemus, operemur bonum ad omnes.*

Dominus Deus exercituum.

Et ponit istius murmuris exclusionem : 3
« *Et factum est verbum Domini in manu Aggæi Prophetæ, dicens.* » Hæc exposita sunt. Et dicit duo : exclusionem murmuris, et obedientiam audientis, ibi, « *Et audivit Zorobabel.* »

In prima tria sunt, scilicet murmuris exclusio per rationem, per incommodi expertam necessitatem, et ex his tertio redit ad exhortationem.

« *Numquid tempus vobis est ?* » Simile, Joan. vii, 6 : *Tempus vestrum* 4

[1] Isa. vi, 3.

semper est paratum. Mali enim omne tempus ad lucra sua deputant. « *Ut habitetis in domibus laqueatis,* » hoc est, cælaturis decoratis. Septuaginta, « concavis, » quia concavitatibus et incisuris diversæ figuræ expressæ erant in eis. Jerem. XXII, 14 : *Væ qui dicit : Ædificabo mihi domum latam, et cœnacula spatiosa : qui aperit sibi fenestras, et facit laquearia cedrina, pingitque sinopide!* « *Et domus ista deserta,* » supple, est, et neglecta : propriis enim intendentes opus Domini neglexerunt. Isaiæ, V, 12 : *Opus Domini non respicitis, nec opera manuum ejus consideratis.*

5 « *Et nunc,* » supple, quia tales estis, « *hæc dicit Dominus exercituum,* » hoc expositum est in præcedentibus : « *Ponite corda vestra super vias vestras,* » ut scilicet fructum viarum vestrarum advertatis. Prov. I, 31 : *Comedent igitur fructus viæ suæ, suisque consiliis saturabuntur.*

6 Et determinat in speciali, subdens :

« *Seminastis multum,* » in temporalibus scilicet, in peccatis existentes, « *et intulistis parum.* » Ad Galat. VI, 7 et 8 : *Nolite errare : Deus non irridetur. Quæ enim seminaverit homo, hæc et metet. Quoniam qui seminat in carne sua, de carne et metet corruptionem : qui autem seminat in spiritu, de spiritu metet vitam æternam.* Deuter. XXVIII, 38 : *Sementem multam jacies in terram,* hoc est, in terreno commodo et lucro, *et modicum congregabis :* quia terrena lucra modicum prosunt. « *Comedistis,* » de hoc scilicet quod parum intulistis, « *et non estis satiati.* » Terrena enim cupiditas non satiat, sed potius famem ulteriorem provocat. Prov. XIII, 25 : *Venter impiorum insaturabilis.* « *Bibistis,* » temporales scilicet consolationes, « *et non estis inebriati.* » Augustinus : « *Bria* dicitur scyphus ad necessitatem hominis « mensuratus. » Unde non inebriatus est qui ad necessitatem intus refectus non est. Isa. XXIX, 8 : *Sicut somniat sitiens, et bibit, et postquam fuerit exspergefactus, lassus adhuc sitit :* sic facti sumus. Putat enim carnalis homo ut deliciæ inebrient eum, et magis provocant ad sitim. « *Operuistis vos,* » id est, videbamini operti pannosis et conscissis, sicut quidam sæculari honestate vestiti videntur, « *et non estis calefacti.* » Sæcularis enim honestas sine charitate et virtutibus formatis non calefacit. Ezech. XVI, 37 : *Ecce ego congregabo omnes amatores tuos,... et nudabo ignominiam tuam coram eis, et videbunt turpitudinem tuam.* Exponam eam nudam in oculis omnium amatorum ejus. Hoc idem dicitur, Osee, II, 10[1]. « *Et qui mercedes congregavit,* » ex quæstu scilicet laboris, et mercimoniorum, « *misit eas in sacculum pertusum,* » ut scilicet subtus exciderent : quia qui temporalia congregat, cum habere putat, nihil habet. Propter quod dicitur, Matth. VI, 20 : *Thesaurizate vobis thesauros in cœlo, ubi neque ærugo neque tinea demolitur, et ubi fures non effodiunt nec furantur.*

Cupiditas insatiabilis.

Ex hoc redit ad exhortationem ut omnia convertantur ad prosperitatem : 7

« *Hæc dicit Dominus exercituum,* » habens scilicet potestatem mandandi, et ministros ad exsequendum : « *Ponite corda vestra super vias vestras.* » Jerem. VI, 16 : *State super vias, et videte, et interrogate de semitis antiquis, quæ sit via bona, et ambulate in ea.*

Et supple, cum inveneritis fructum 8
in viis Domini et non in viis vestris,

[1] Osee, II, 10 : *Et nunc revelabo stultitiam ejus in oculis amatorum ejus : et vir non eruet eam de manu mea.*

« *ascendite in montem,* » ubi scilicet, fundatum est templum Domini, qui mons virtutum est et contemplationis. Isaiæ, II, 3 : *Venite, et ascendamus ad montem Domini, et ad domum Dei Jacob.* Jerem. XXXI, 23 : *Benedicat tibi Dominus, pulchritudo justitiæ, mons sanctus.* « *Portate ligna,* » hoc est, comportate ligna ad ædificium Dei pertinentia. Judæi fabulantur, quod Nabuzardan incendente templum, parietes remanserint, et ideo non nisi comportatione lignorum ad tectum opus fuerit : quod falsum est, cum Jeremias plangat, Thren. IV, 1, quod *dispersi sunt lapides sanctuarii in capite omnium platearum,* sed spiritualiter dicere vult, quod de ligniculis, quæ sunt nutrimenta ignis charitatis, ædificare sufficit servis Christi. IV Reg. VI, 2 : *Tollant singuli de silva materias singulas, ut æficemus nobis ibi locum ad habitandum.* Et hoc est quod sequitur : « *Et ædificate domum,* » magis scilicet virtutum, quam materialium ædificiorum. Prov. IX, 1 : *Sapientia ædificavit sibi domum, excidit columnas septem,* septem scilicet virtutum. De hac subditur : « *Et acceptabilis mihi erit.* » Quod enim in virtute ædificatur, acceptabile est Domino. Exod. I, 21 : *Et quia timuerunt obstetrices Deum, ædificavit eis domos.* « *Et glorificabor, dicit Dominus,* » in tali scilicet domo. Isa. LX, 7 : *Domum majestatis meæ glorificabo.*

9 Et redit ad probationem eorum quæ dixit per experimentum, et dicit duo : experimentum scilicet damni, et secundo ostendit quod hæc est causa cultus neglecti.

« *Respexistis,* » spe scilicet, « *ad amplius,* » in terrenis scilicet, « *et ecce factum est minus,* » supple, quam fuerat speratum. Psal. LXXV, 6 : *Nihil invenerunt omnes viri divitiarum in manibus suis.* Boni enim proficiunt, et mali deficiunt proper inertiam et pigritiam. II Regum, III, 1 : *David proficiscens, et semper seipso robustior : domus autem Saul decrescens quotidie.* Prov. VI, 10 et 11, dicitur de pigris non ædificantibus domum Domini : *Paululum dormies, paululum dormitabis, paululum conseres manus ut dormias : et veniet tibi quasi viator, egestas, et pauperies quasi vir armatus.* « *Et intulistis in domum,* » supple, illud minus, « *et exsufflavi illud.* » *Exsufflatio* dicitur hic granorum, consumpta interius farina, in auram, quando folliculi vacui, et frumentum mortuum, farinam non habet. Osee, VIII, 7 : *Culmus stans non est in eo, germen non faciet farinam : quod et si fecerit, alieni comedent eam.*

Et subdit de causa, quod non est in homine causa, sed in Deo :

« *Quam ob causam ?* » Ac si dicat : Numquid homo vel natura possit hoc facere sine Dei ordinatione ? Et respondet primo confirmans responsionem, dicens : « *Dicit Dominus exercituum.* » Et subdit responsionem : « *Quia domus mea deserta est,* » ad quam scilicet reædificandam non respicitis corporaliter, et spiritualiter ædificando eam. Isa. LXIV, 10 et 11 : *Civitas sancti tui facta est deserta, Sion deserta facta est, Jerusalem desolata est. Domus sanctificationis nostræ, et gloriæ nostræ, ubi laudaverunt te patres nostri, facta est in exustionem ignis, et omnia desiderabilia nostra versa sunt in ruinas.* « *Et vos festinastis,* » supple, cum aviditate et desiderio, « *unusquisque in domum suam,* » ita quod quilibet intendit propriis et nullus communibus et divinis, quod est contra ordinem charitatis. I ad Corinth. X, 33 : *Non quærens quod mihi utile est, sed quod multis : ut salvi fiant.* Isa. V, 12 : *Opus Domini non respicitis, nec opera manuum ejus consideratis.* Sic enim intelligitur, quod festinabant in domum suam ædificandam, implendam, et ditandam, neglecto ædificio Domini. Contra quod dicitur, ad Philip. III, 7 et 8 : *Quæ mihi fuerunt lucra, hæc arbi-*

tratus sum detrimenta... Omnia detrimentum feci, et arbitros ut stercora, ut Christum lucrifaciam. I ad Corinth, xiii, 5 : *Charitas non quærit quæ sua sunt.* Augustinus : « Quia communia propriis, « non propria communibus anteponit. »

Charitas communia propriis anteponit.

10 « *Propter hoc,* » supple, dispositione divina, « *super vos prohibiti sunt cœli,* » ad litteram, vel spiritualiter, Sancti et Angeli. Jerem. ii, 12 : *Obstupescite, cœli, super hoc.* Deuter. xxviii, 23 : *Sit cœlum, quod supra te est, æneum : et terra, quam calcas, ferrea.* « *Ne darent rorem,* » ad litteram, vel gratiæ. Sicut enim dicit Bernardus : « Ingratitudo est ventus urens, exsiccans fontem pietatis « et rorem gratiæ. » Et non solum hoc, sed « *Et terra prohibita est ne daret germen suum* » *Suum* est quod sponte consuevit gignere sine cultura hominis: hoc enim aliquando avaro sinu retinet, propter peccata hominum. Genes. iii, 17 : *Maledicta terra in opere tuo :* et iv, 12 : *Cum operatus fueris eam, non dabit tibi fructus suos.* Hoc videmus fieri in malis, qui etiam ea quæ naturali pietate deberent facere bona, negligunt. Psal. cvi, 33 et 34 : Posuit... *terram fructiferam in salsuginem, a malitia inhabitantium in ea.*

Peccatum terræ sterilitate plectendum.

11 « *Et* » supple, sic, » *vocavi siccitatem super terram,* » ne scilicet pluviis et rore infusa, fructum ferret et temporaliter et spiritualiter. Jerem. xiv, 3 et 4 : *Confusi sunt et afflicti, et operuerunt capita sua. Propter terræ vastitatem, quia non venit pluvia in terram, confusi sunt agricolæ, operuerunt capita sua.* « *Et super montes,* » supple, vocavi siccitatem ne vinum germinarent : qui significant malos Prælatos. II Regum, i, 21 : *Montes Gelboe, nec ros, nec pluvia veniant super vos, neque sint agri primitiarum.* Montes Gelboe, montes *vellicationis* interpretantur, et significant Prælatos nihil facientes, nisi vellicantes populum. « *Et super triticum,* » supple, vocavi siccitatem ne nasceretur : quod triticum significat refectionem verbi Dei et sacramenti et virtutis. Psal. civ, 16 : *Vocavit famem super terram, et omne firmamentum panis contrivit* « *Et super vinum,* » quod significat cœleste gaudium. Isa. xv, 10 : *Vinum in torculari non calcabit qui calcare consueverat.* « *Et super oleum,* » quod significat veritatis lucem, pietatis fomentum, et misericordiæ unctionem. Habac. iii, 17 : *Mentietur opus olivæ, et arva non afferent cibum.* Et præmisit : *Ficus enim non florebit, et non erit germen in vineis.* Et subdit generaliter : « *Et quæcumque profert humus,* » ut scilicet omnis viror virtutis intereat. Isa. xv, 6 : *Aruit herba, defecit germen, viror omnis interiit.*

« *Et super homines.* » Sterilitatem pestilentia sequitur. Spiritualiter autem intelligitur quando homines humanorum nihil proferunt, et sicut dicit Plato, « nullum studium humanitati impen« dunt. » Daniel. iv, 13 : *Cor ejus ab humano commutetur, et cor feræ detur ei.* « *Et super jumenta,* » ut scilicet moriantur litteraliter, vel spiritualiter concupiscentias jumentorum transcendant. Habac. iii, 17 : *Abscindetur de ovili pecus, et non erit armentum in præsepibus.* Joel, i, 17 : *Computruerunt jumenta in stercore suo.* « *Et super omnem laborem manuum,* » ut ex labore nihil præter afflictionem reportent. Eccle. x, 15 : *Labor stultorum affliget eos.* Exod. xviii, 18 : *Stulto labore consumeris.* Talis est labor omnium eorum, qui labores suos ad Deum non referunt.

« *Et audivit Zorobabel.* » Tangitur hic obedientia et devotio eorum ad quos prophetavit. Et dicit duo, scilicet devotionem, et in devotione confortationem, ibi, « *Et dixit Aggæus.* » 12

« *Et audivit,* » id est, exaudivit cum devotione, « *Zorobabel, filius Salathiel,* »

de quo in præmissis et litteraliter et spiritualiter habitum est, « *et Jesus, filius Josedec, sacerdos magnus* » de quo etiam satis dictum est. Beatus enim populus cujus spirituales et sæculares Prælati vocem Domini audiunt, hos enim populus devote insequitur. I ad Corinth. IV, 16, et XI, 1 : *Imitatores mei estote, sicut et ego Christi.* Et propter hoc subjungitur : « *Et omnes reliquiæ populi,* » supple, audierunt « *vocem Domini Dei sui.* » Exod. XX, 18 : *Cunctus populus videbat voces et lampades.* Jacob. I, 25 : *Qui perspexerit in legem perfectam libertatis, et permanserit in ea, non auditor obliviosus factus, sed factor operis : hic beatus in facto suo erit* [1]. « *Et timuit populus,* « timore bono scilicet, de quo dicitur, Eccli. I, 36 : *Ne sis incredibilis timori Domini, et ne accesseris ad illum duplici corde.* « *A facie Domini,* » hoc est, a præsentia, qui præsens in Propheta apparuit. Glossa interlinearis : « Sciens « quod facies Domini super facientes « mala, ut perdat de terra memoriam « eorum [2] ».

13 Et subdit de confortatione devotorum : « *Et dixit Aggæus nuntius Domini,* » sive Angelus. Malach. II, 7 : *Angelus Domini exercituum est.* « *De nuntiis Domini,* » supple, relictus. III Reg. XIX, 10 : *Derelictus sum ego solus.* « *Populo dicens,* » verba scilicet Domini exponens : « *Ego vobiscum sum, dicit Dominus,* » ad confortandum scilicet vos in opere. Matth. XXVIII, 20 : *Ecce ego vobiscum sum omnibus diebus, usque ad consummationem sæculi.* Josue, I, 9 : *Confortare, et esto robustus. Noli metuere, et noli timere : quia tecum est Dominus Deus tuus in omnibus ad quemcumque perrexeris.*

Et sequitur confortationis effectus : 14
« *Et suscitavit Dominus spiritum Zorobabel, filii Salathiel, ducis Juda,* » ut scilicet a somno inertiæ et pigritiæ ad opus Domini evigilaret. Isa. XXVI, 9 : *Spiritu meo in præcordiis meis de mane vigilabo ad te.* « *Et spiritum Jesu, filii Josedec, sacerdotis magni.* » Proverb. VI, 3 et 4 : *Discurre, festina, suscita amicum tuum : ne dederis somnum oculis tuis, nec dormitent palpebræ tuæ.* « *Et spiritum reliquorum de omni populo,* » supple, suscitavit. Psal. CXXXI, 4 et 5 : *Si dedero somnum oculis meis, et palpebris meis dormitationem, et requiem temporibus meis, donec inveniam locum Domino.* « *Et ingressi sunt.* » Glossa interlinearis, « foris enim fuerant per iner« tiam. » Genes. XXIV, 31 : *Ingredere, benedicte Domini : cur foris stas ?* Psal. XLI, 5 : *Transibo in locum tabernaculi admirabilis.* « *Et faciebant opus in domo Domini exercituum, Dei sui.* » Eccle. IX, 10 : *Quodcumque facere potest manus tua, instanter operare.* Concordantia est I Esdræ, IV et V, per totum capitulum.

[1] Deest expositio verborum sequentium quæ habentur in Vulgata : *Et verba Aggæi prophetæ, sicut misit Dominus Deus eorum ad eos.*
[2] Cf. Psal. XXXIII, 17.

CAPUT II.

Etsi templum reædificatum nihil videatur priori collatum, postea tamen veniente Messia, replebitur gloria majori, quam fuerit prioris templi : et sicut Judæi ob neglectam templi ræedificationem facti fuerant immundi coram Deo, ipsorumque sacrificia, et sterilitas adducta : ita post incæptam reædificationem omnia ipsis facta sunt prospera.

1. In die vigesima et quarta mensis, in sexto mense, in anno secundo Darii regis.
2. In septimo mense, vigesima et prima mensis, factum est verbum Domini in manu Aggæi prophetæ, dicens :
3. Loquere ad Zorobabel, filium Salathiel, ducem Juda, et ad Jesum, filium Josedec, sacerdotem magnum, et ad reliquos populi, dicens :
4. Quis in vobis est derelictus, qui vidit domum istam in gloria sua prima? et quid vos videtis hanc nunc? Numquid non ita est, quasi non sit in oculis vestris?
5. Et nunc corfortare, Zorobabel, dicit Dominus : et confortare, Jesu, fili Josedec, sacerdos magne : et confortare, omnis populus terræ, dicit Dominus exercituum : et facite (quoniam ego vobiscum sum, dicit Dominus exercituum)
6. Verbum quod pepigi vobiscum cum egrederemini de terra Ægypti : et spiritus meus erit in medio vestrum, nolite timere.
7. Quia hæc dicit Dominus exercituum : Adhuc unum modicum est, et ego commovebo cœlum, et terram, et mare, et aridam [1].
8. Et movebo omnes gentes, ET VENIET DESIDERATUS cunctis gentibus : et implebo domum istam gloria, dicit Dominus exercituum.
9. Meum est argentum, et meum est aurum, dicit Dominus exercituum.
10. Magna erit gloria domus istius novissimæ plus quam primæ, dicit Dominus exercituum : et in loco isto dabo pacem, dicit Dominus exercituum.
11. In vigesima et quarta noni mensis, in anno secundo Darii regis, factum est verbum Domini ad Aggæum prophetam, dicens :
12. Hæc dicit Dominus exercituum : Interroga sacerdotes legem, dicens :
13. Si tulerit homo carnem sanctificatam in ora vestimenti sui, et tetigerit de summitate ejus panem, aut pulmentum, aut vinum, aut oleum, aut omnem cibum : numquid sanctificabitur? Respondentes autem sacerdotes, dixerunt : Non.
14. Et dixit Aggæus : Si tetigerit pollutus in anima ex omnibus his, numquid contaminabitur ? Et

[1] Ad Hebr. XII, 26.

responderunt sacerdotes, et dixerunt : Contaminabitur.

15. Et respondit Aggæus, et dixit : Sic populus iste, et sic gens ista ante faciem meam, dicit Dominus, et sic omne opus manuum eorum : et omnia quæ obtulerunt ibi, contaminata erunt.

16. Et nunc ponite corda vestra a die hac et supra, antequam poneretur lapis super lapidem in templo Domini.

17. Cum accederetis ad acervum viginti modiorum, et fierent decem : et intraretis ad torcular, ut exprimeretis quinquaginta lagenas, et fiebant viginti.

18. Percussi vos vento urente, et aurugine, et grandine omnia opera manuum vestrarum [1] : et non fuit in vobis qui reverteretur ad me, dicit Dominus.

19. Ponite corda vestra ex die ista, et in futurum, a die vigesima et quarta noni mensis : a die qua fundamenta jacta sunt templi Domini, ponite super cor vestrum.

20. Numquid jam semen in germine est : et adhuc vinea, et ficus, et malogranatum, et lignum olivæ non floruit? ex die ista benedicam.

21. Et factum est verbum Domini secundo ad Aggæum in vigesima et quarta mensis, dicens :

22. Loquere ad Zorobabel, ducem Juda, dicens : Ego movebo cœlum pariter et terram.

23. Et subvertam solium regnorum, et conteram fortitudinem regni gentium : et subvertam quadrigam et ascensorem ejus : et descendent equi, et ascensores eorum, vir in gladio fratris sui.

24. In die illa, dicit Dominus exercituum, assumam te, Zorobabel, fili Salathiel, serve meus, dicit Dominus : et ponam te quasi signaculum [2], quia te elegi, dicit Dominus exercituum.

IN CAPUT II AGGÆI

ENNARATIO.

1 « *In die vigesima et quarta mensis, in sexto mense.* » Hic incipit secunda visio, et duas partes habet : titulum scilicet, et prophetiam.

Titulus continet tempus commune et proprium, modum inspirationis, et prophetiam.

« *In die vigesima et quarta mensis, in sexto mense :* » in eodem scilicet anno Darii, et in eodem mense qui in principio præcedentis visionis positus est, sed non eodem die. Hic enim dicit *in vigesima quarta*, ibi autem *prima mensis*, ut inter primum diem et vigesimum quartum, quo ingressi sunt ad faciendum opus Dei, viginti duo dies medii fuerunt, quibus timuit populus Dominum et faciebat opus.

Et nota quod licet communiter Bibliæ hic habeant capitulum, tamen secundum Hieronymum et secundum Glossam legendum est illud cum præcedenti et sic punctandum : « *Ingressi sunt, et faciebant opus in domo Domini exercituum Dei sui, in die vigesima quarta mensis, in sexto mense,* » et capitulum postea incipit. « *In anno secundo Darii regis,* »

[1] Amos, IV, 9.

[2] Eccli. XLIX, 13.

2 « *In septimo mense,* » qui apud nos *September* dicitur, « *vigesima et prima mensis :* et ita inter primam et secundam visionem mensis fuit medius.

Et subdit de inspiratione sicut superius: « *Factum est verbum Domini,* » inspirationis scilicet, « *in manu Aggæi Prophetæ, dicens,* » ut scilicet virtute operis veritatem firmaret sermonis. Ad Roman. xv, 18 : *Non audeo aliquid loqui eorum quæ per me non efficit Christus.*

Sequitur prophetia, et dividitur in duo, scilicet enuntiationis injunctionem,
3 et quid enuntiet.

« *Loquere ad Zorobabel, filium Salathiel, ducem Juda,* » qui princeps erat in temporalibus, « *et ad Jesum, filium Josedec, sacerdotem magnum,* » qui in spiritualibus præfuit, ut scilicet per hos ad alios verbum transiret, « *et ad reliquos populi, dicens,* » supple, loquere.

« *Quis in vobis ?* » Ponit quid enuntiandum est, et dicit duo : comparationem
4 scilicet primi templi ad id quod tunc fundandum erat, et secundo ex hoc accipit exhortationem ad ædificandum, ibi, « *Et nunc confortare.* »

« *Quis in vobis est derelictus ?* » in vita scilicet per totum tempus captivitatis, « *qui vidit,* » supple, antequam destrueretur per Nabuzardan, « *domum istam in gloria sua prima,* » in qua scilicet Salomon ædificavit eam, sicut dicitur, II Paralip. II, 5 : *Domus quam ædificare cupio* talis debet esse, cui non sit similis in universa terra [1]. « *Et quid vos videtis hanc nunc ?* » supple, non nisi miseram et in cineribus jacentem, et hoc, supple, debet movere cor vestrum ad ædificandum, cum Psal. xxv, 8, dicat : *Domine, dilexi decorem domus tuæ.* Et ut ab eis acciperet occasionem : « *Numquid non ita est,* » supple, domus ista incensa, « *quasi non sit in oculis vestris ?* » Quasi dicat : Sic est : quod enim male est, pejus est quam si nihil esset, in hoc scilicet quod turpius est. Psal. LXXII, 22 : *Ego ad nihilum redactus sum, et nescivi.* Hoc moraliter dicitur de clericis et religiosis nostri temporis, qui comparatione primitivi status, sunt quasi non sint : quod notat Dominus, Matth. v, 13 : *Ad nihilum valet ultra, nisi ut mittatur foras, et conculcetur ab hominibus.* Et quia in talibus non manet nisi figura, et veritas transiit, propter hoc dicitur, Isa. XXII, 16 : *Quid tu hic, aut quasi quis hic ?* Zachar. XI, 17 : *O pastor, et idolum, derelinquens gregem.* His dicitur, Apoc. II, 4 et 5 : *Charitatem tuam primam dereliquisti. Memor esto itaque unde excideris : et age pœnitentiam, et prima opera fac.* Propter hoc dicitur, I Esdræ, III, 12 et 13, quod principes patrum, et seniores flebant, nec poterat quisquam agnoscere vocem clamoris lætantium, et vocem fletus populi : quia qui viderant templum prius in gloria, et postea idem in ignominia, flebant : qui non viderant primum, sed secundum tantum, lætabantur quod saltem aliquid erat quod esset alicujus templi vestigium.

Et ex hoc accipit exhortationem, et 5
pristini fletus consolationem :

« *Et nunc confortare, Zorobabel, dicit Dominus.* » Josue, I, 6 : *Confortare, et esto robustus :* quia ego ero tecum. « *Et confortare, Jesu, fili Josedec, sacerdos magne.* » Isa. XXXV, 3 : *Confortate manus dissolutas, et genua debilia roborate.* « *Et confortare, omnis populus terræ, dicit Dominus exercituum.* » Ad Philip. IV, 13 : *Omnia possum in eo qui me confortat.* « *Et facite,* » supple, opus in domo Domini. Eccle. IX, 10 :

[1] II Paralip. II, 5 : *Domus quam ædificare cupio, magna est : Deus magnus est enim noster super omnes deos.*

Quodcumque facere potest manus tua, instanter operare. « *Quoniam ego vobiscum sum, dicit Dominus exercituum.* » Ad Reman. VIII, 31 : *Si Deus pro nobis, quis contra nos?* Isa. L, 9 : *Dominus Deus auxiliator meus : quis est qui condemnet me?*

6 Qualiter autem cum eis sit, subdit:

« *Verbum quod pepigi vobiscum,* » supple, per Moysen, « *cum egrederemini de terra Ægypti,* » quando scilicet promisi quod semper deberem Prophetas suscitare. Deuter. XVIII, 15 : *Prophetam de gente tua, et de fratribus tuis sicut me, suscitabit tibi Dominus Deus tuus : ipsum audies.* « *Et spiritus meus,* » quem scilicet ex Moyse in alios propagavi[1], « *erit in medio vestrum,* » quod maxime factum est tempore Domini nostri Jesu Christi. Isaiæ, LIX, 21 : *Hoc fœdus meum cum eis, dicit Dominus. Spiritus meus, qui est in te, et verba mea, quæ posui in ore tuo, non recedent de ore tuo, et de ore seminis tui, dicit Dominus, amodo et usque in sempiternum* : verbum enim in Filio, et Spiritum sanctum misit de cœlo : supple, ergo « *nolite timere.* » Isaiæ, LIV, 4 : *Noli timere, quia non confunderis.* Psal. CXVII, 6 : *Dominus mihi adjutor : non timebo quid faciat mihi homo.*

7 Et subdit confortationis rationem :

« *Quia hæc dicit Dominus exercituum,* » cujus dicere, facere est : « *Adhuc unum,* » supple, post quod aliud non erit, « *modicum est,* » hoc est, breve tempus usque scilicet ad Filii incarnationem, « *et ego movebo cœlum,* » sicut quando dedi legem Moysi[2]. Idem fecit quando super Christum in baptismo cœli aperti sunt[3], et etiam quando misit stellam quæ duceret Magos. « *Et terram,* » supple, movebo, sicut, supple, feci tunc. Numer. XXI, 15 : *Scopuli torrentium inclinati sunt ut requiescerent in Ar.* In Christo autem factum est in Resurrectione. Matth. XXVIII, 2 : *Et ecce terræ motus factus est magnus.* Psal. LXVII, 9 : *Terra mota est, etenim cœli distillaverunt a facie Dei Sinai.* « *Et mare.* » Hoc fecit olim, Exod. XIV, 21, ubi divisit mare Rubrum in divisiones. In Christo autem, Math. VIII, 24 : *Ecce motus magnus factus est in mari.* « *Et aridam,* » supple, movebo. Hoc fecit quando convertit siccum in humidum, et humidum in siccum in transitu Jordanis[4]. In Christo autem, quando aridam et sitientem unda baptismatis fœcundavit. Psal. CIII, 13 : *Rigans montes de superioribus suis.*

Christo baptizato motum est cœlum.

« *Et movebo omnes gentes.* » Hoc fe- 8
cit per Josue, cap. VII et VIII, et deinceps ejiciens Gentes, et in terris eorum plantans filios Israel. Psal. LXXVII, 54 : *Ejecit a facie eorum Gentes, et sorte divisit eis terram in funiculo distributionis.* In Christo autem fecit, quando per sonum Apostolorum Gentes ad fidem conversæ sunt. Act. XIII, 48 : *Audientes autem Gentes gavisæ sunt, et glorificabant verbum Domini : et crediderunt quotquot erant præordinati ad vitam æternam.* Hanc auctoritatem Apostolus inducit, ad Hebr. XII, 26 et 27, in eodem sensu : *Cujus vox movit terram tunc : nunc autem repromittit, dicens : Adhuc semel, et ego movebo non solum terram, sed et cœlum. Quod autem, Adhuc semel dicit, declarat mobilium translationem, tamquam factorum, ut maneant ea quæ sunt immobilia.*

[1] Numer. XI, 25 : *Descendit Dominus per nubem, et locutus est ad eum,* scilicet ad Moysen, *auferens de spiritu qui erat in Moyse, et dans septuaginta viris,* etc.

[2] Cf. Exod. XX, 1 et seq.

[3] Cf. Matth. III, 16 ; Luc. III, 21 ; Joan. I, 32 ; Marc. I, 10.

[4] Cf. Josue, III, 16.

« *Et veniet Desideratus,* » Christus scilicet, verus, pacificus et rex noster, de quo dicitur, III Regum, x, 24, quod vultum ejus desiderabat videre universa terra [1]. I Petr. I, 12 : *In quem desiderant Angeli prospicere.* Isa. XXVI, 9 : *Anima mea desideravit te in nocte.* « *Cunctis gentibus.* » Isaiæ, IX, 2 : *Populus, qui ambulabat in tenebris, vidit lucem magnam.* Isa. XLIX, 6 : *Dedi te in lucem Gentium, ut sis salus mea usque ad extremum terræ.* Malach. I, 11 : *Ab ortu solis usque ad occasum, magnum est nomen meum in Gentibus.* « *Et implebo domum istam,* » templum scilicet, vel Ecclesiam, « *gloria, dicit Dominus exercituum.* » Quod de templo Judæorum nullo modo potest esse verum, quod continuo a gloria descendit usque ad extremam ignominiam. I Machab. II, 8 : *Templum ejus sicut homo ignobilis.* Sed de Christo verum est, qui gloria Patris est. Joan. I, 14 : *Vidimus gloriam ejus, gloriam quasi Unigeniti a Patre.*

9 Qualiter autem fieri possit, subdit :

« *Meum est argentum,* » in tinnitu scilicet eloquentiæ verbi Dei. Psal. XI, 7 : *Eloquia Domini, eloquia casta : argentum igne examinatum.* « *Et meum est aurum,* » sapientiæ scilicet divinæ. Isa. LX, 6 : *Omnes de Saba venient, aurum et thus deferentes, et laudem Domino annuntiantes.* Sap. VII, 14 : *Sapientia infinitus thesaurus est hominibus.* « *Dicit Dominus exercituum,* » qui ut Dominus dicit, et exercitus habet Angelos qui dicta exsequuntur.

10 « *Magna erit gloria.* » Prov. X, 1 : *Filius sapiens lætificat patrem.* Tullius in fine *primæ Rhetoricæ :* « Gloria est late « patens præconium. » Idem, ibidem : « Gloria in ore multorum celebrata lau- « datio. » Augustinus circa finem Glossæ ad Romanos : « Gloria est clara cum « laude notitia. » Modis omnibus dicta gloria « *domus istius novissimæ plus quam primæ, dicit Dominus exercituum.* » Luc. II, 14 : *Gloria in altissimis Deo, et in terra pax hominibus bonæ voluntatis.* Et hoc est quod sequitur : « *Et in loco isto dabo pacem.* » Glossa inducit illud Apostoli, ad Philip. IV, 7 : *Pax Dei, quæ exsuperat omnem sensum, custodiat corda vestra, et intelligentias vestras.* Ad Ephes. II, 14 : *Ipse est pax nostra, qui fecit utraque unum.* Christus enim dicitur *pax* per causam, *reconciliatio peccatorum* per dispositionem, *tranquillitas mentis* per essentiam. Isa. XXVI, 3 : *Servabis pacem : pacem, quia in te speravimus.* Joan. XIV, 27 : *Pacem relinquo vobis, pacem meam do vobis.* « *Dicit Dominus exercituum.* » Confirmatio sermonis est. Psal. CXIII, 3 : *Omnia quæcumque voluit, fecit,* scilicet Dominus.

Gloria.

Christus pax nostra.

« *In vigesima et quarta noni mensis.* » 11
Hic incipit tertia visio, in qua ex lege ostendit domum esse ædificandam. Et dicit tria. Accipit enim primo ex lege similitudinem. Secundo, similitudinis ponit adaptationem, ibi, « *Et respondit Aggæus.* » Tertio, ponit per signum dictorum confirmationem, ibi, « *Ponite corda vestra ex die ista.* »

Similitudo ex lege duplex est, ad sanctum scilicet, et ad contaminatum, ibi, « *Et dixit Aggæus : Si tetigerit.* »

« *In vigesima et quarta noni mensis,* » qui apud nos December est, ille enim nonus est ab Aprili, « *in anno secundo Darii regis :* » eodem enim anno omnes visiones expletæ sunt : « *Factum est verbum Domini ad Aggæum Prophetam, dicens.* » Psal. CVI, 20 : *Misit verbum suum, et sanavit eos.*

[1] III Reg. X, 24 : *Et universa terra desiderabat vultum Salomonis,* etc.

12 « *Hæc dicit Dominus exercituum : Interroga sacerdotes legem, dicens,* » hoc est, quid verum et justum sit secundum legem. Malach. II, 6 : *Lex veritatis fuit in ore ejus, et iniquitas non est inventa in labiis ejus.* Et, post pauca, ℣. 7 : *Labia sacerdotis custodient scientiam, et legem requirent de ore ejus : quia Angelus Domini exercituum est.* Hieronymus : « Sacerdotum est legem scire Domini, et « ad interrogationem de lege respondere. « Si Sacerdos est, legem sciat Domini : « si ignorat legem, ipse se arguit non « esse Sacerdotem Domini. » Osee, IV, 6 : *Quia tu scientiam repulisti, repellam te, ne sacerdotio fungaris mihi.*

Sacerdotum est scire legem Domini.

13 Quid autem interroget, subdit :

Lex hostiæ dividendæ.

« *Si tulerit homo carnem sanctificatam,* » hoc est, in altari oblatam, cujus pars cedebat Deo ut adeps et renunculi, pars Sacerdoti ut pectusculum elevationis et armus dexter, pars offerenti ut residuum, « *in ora vestimenti sui.* » *Vestimuntum* hic dicitur quodcumque linteum, in quo tales carnes portabantur. « *Et tetigerit de summitate ejus,* » hoc est, vestimenti illius, « *panem,* » qui siccus est[1], « *aut vinum,* » quod humidum est, « *aut oleum,* » quod condimentum est, « *aut,* » supple, generaliter, « *omnem cibum, numquid sanctificabitur ?* » supple, cibus ille a tactu tali? Et vocatur *sanctificatum* a communi cibo discretum, quem non licebat comedere, nisi Sacerdotibus et in loco sancto. Lex autem ista de divisione hostiæ continetur, Levit. VI et VII. « *Respondentes autem Sacerdotes, dixerunt : Non.* » Et verum dixerunt : a tactu enim tali non sanctificatur cibus, qui alias sanctus non est, sed (sicut dicit Hieronymus) remanet ut fuerat. Jerem. XI, 15 : *Numquid carnes sanctæ auferent a te malitias tuas, in quibus gloriata es ?*

« *Et dixit Aggæus.* » Hæc est secunda pars similitudinis ex lege. « *Si tetigerit pollutus in anima,* » hoc est, in morticino hominis. Dicit enim Hieronymus, quod « quamdiu anima in corpore est, mun- « dum est corpus : recedente anima, im- « mundum. » « *Ex omnibus his,* » panem scilicet, vinum, pulmentum, et oleum. « *Numquid contaminabitur ?* » ex tactu tali scilicet. « *Et responderunt Sacerdotes, et dixerunt,* » et bene : « *Contaminabitur,* » supple, cibus ille qui tangitur ab immundo. Eccli. XXXIV, 4 : *Ab immundo quid mundabitur ?* 14

Ista spiritualiter intelliguntur. In vestimento enim involvitur caro, quando meliora eorum quæ Deo debent offerri, pannis virtutum involvuntur, et ab illis nihil inquinantur. Isa. LII, 11 : *Mundamini qui fertis vasa Domini.* Ad Tit. I, 15 : *Omnia munda mundis : coinquinatis autem, et infidelibus nihil est mundum, sed inquinatæ sunt eorum et mens, et conscientia :* et ideo quidquid tangunt per operis imitationem, totum immundatur : et talium oblata contaminantur, et non sanctificant eos qui offerunt. Eccli. XXXIV, 23 : *Dona iniquorum non probat Altissimus.* Malach. I, 10 : *Munus non suscipiam de manu vestra :* quia, ut ait Isaias, I, 15 : *Manus vestræ sanguine plenæ sunt.* Quod enim remanet in bonitate, in qua creatum est, ad illud respicit Deus : quod ex offerente sanctificatur, ad illud plus respicit. Genes. IV, 4 : *Respexit Dominus ad Abel, et ad munera ejus.* Primo dicit *ad Abel,* et deinde dicit *ad munera :* ut sciatur quod ex bonitate offerentis sanctificatur oblatio. Tamen contra hoc quod dictum est, quod id quod tangitur a sancto non sanctificatur, videtur esse quod dicitur, Levit. VI, 27, ubi dicitur : *Quidquid tetigerit* ex eis, scilicet sanctificatis, *sanctificabitur.* Sed hoc citius solvitur. Non enim intelligit, quod ex tactu sanctificetur, sed quod tangens ea sanctificari

Dona impiorum Deo invisa.

[1] Deest enarratio in hæc verba, « *Aut pulmentum.* »

debeat per lotionem manuum et vestimentorum et corporis. Similiter id quod dicitur, quod immundus quidquid tangit, contaminabitur, hoc dicitur, Levit. xi et xv.

15 « *Et respondit Aggæus, et dixit.* » Similitudinis est adaptatio : « *Sic populus iste.* » *Populus* dicitur in quantum regitur lege Domini. Deuter. vii, 6 : *Te elegit Dominus Deus tuus, ut sis ei populus peculiaris.* « *Et sic gens ista.* » *Gens* dicitur in quantum didicerant gentilem ritum. Psal. cv, 35 : *Commisti sunt inter gentes, et didicerunt opera eorum.* « *Ante faciem meam,* » qui scilicet luce præsentiæ meæ omnia recte dijudico. Thren. iv, 16: *Facies Domini divisit eos.* « *Dicit Dominus,* » cujus dicere facere est. « *Et sic omne opus manuum eorum,* » supple, pollutum est ex pollutis. Isa. i, 15 : *Manus vestræ sanguine plenæ sunt.* « *Et omnia quæ obtulerunt ibi,* » inter Gentes scilicet, et sine templo, « *contaminata erunt,* » quia ipsi contaminati sunt. Daniel. iii, 38 et 39 : *Non est in tempore hoc princeps, et dux, et propheta, neque holocaustum, neque sacrificium, neque oblatio, neque incensum, neque locus primitiarum coram te, ut possimus invenire misericordiam tuam.* Cum enim inter Gentes commisti fuerint, et quæcunque egerunt, contaminati fuerint : etiam quidquid ad manus habuerunt colendo terram, vel quocumque alio modo, totum contaminabatur. Et hoc intendit hic probare per effectum. Thren. iv, 15 : *Recedite, polluti, clamaverunt eis : recedite, abite, nolite tangere.*

16 « *Et nunc ponite corda vestra,* » hoc est, advertite « *a die hac et supra,* » hoc est, a die hac, et deinceps in futurum, et supra in præteritum : et ex præterito videbitis quod contaminata fuerunt opera vestra, quando non ædificato templo sanctificari non potuistis. « *Antequam poneretur lapis super lapidem in templo Domini:* » sicut etiam spiritualiter pollutus est homo, qui templum Dei non ædificat, et in templum spiritualiter non sanctificatur. Ad Ephes. ii, 22 : *In quo et vos,* scilicet tamquam lapides vivi, *coædificamini in habitaculum Dei in Spiritu.* I ad Corinth. iii, 17 : *Templum Dei sanctum est, quod estis vos.*

Et inducit signum contaminationis operis : 17

« *Cum accederetis ad acervum viginti modiorum,* » hoc est, ubi putabatis habere modios viginti, « *et,* » supple, propter pollutionem vestram, « *fierent decem,* » dimidiato fructu : « *et intraretis ad torcular,* » congregatis scilicet uvis, « *ut,* » opinione scilicet vestra et spe, « *exprimeretis quinquaginta lagenas.* » *Lagena* dicitur vas vini. « *Et,* » scilicet propter operum vestrorum pollutionem, « *fiebant viginti.* » Eccli. xxxiv, 23 : *Dona iniquorum non probat Altissimus.* Isa. lxv, 3 : *Qui offert oblationem, quasi qui sanguinem suillum offerat.* Quando enim non respicit Deus ad opera hominum, tunc diminuuntur et pereunt : et hoc fit propter pollutionem manuum eorum. Isa. i, 15 : *Cum extenderitis manus vestras, avertam faciem meam a vobis : manus enim vestræ sanguine plenæ sunt.* Idem quod hic dicitur, Isa. lix, 3, continetur [1].

Lagena.

Impiorum ingrata sacrificia.

Unde autem hoc acciderit, subdit : 18

« *Percussi vos vento urente,* » qui ea quæ pullulaverunt, dissolvit et interficit, « *et aurigine,* » hoc est, aeris rubigine, quæ etiam id quod in aristis est et folliculis, adurit et incinerat, « *et grandine,* » qui etiam id quod remansit, comminuit, et gelicidio proprio pestilens facit. Psal.

[1] Isa. lix, 3 : *Manus vestræ pollutæ sunt sanguine, et digiti vestri iniquitate,* etc.

x, 7 : *Ignis, et sulphur, et spiritus procellarum, pars calicis eorum.* Ventus urens suggestionem diaboli significat, aurigo incendium fomitis, grando impetum comminuentis hostis. Amos, IV, 9 : *Percussi vos in vento urente, et in aurigine : multitudinem hortorum vestrorum, et vinearum vestrarum, oliveta vestra, et ficeta vestra comedit eruca, et non redistis ad me, dicit Dominus.* Et hoc est quod hic sequitur : « *Omnia opera manuum vestrarum,* » supple, percussi. Sap. XIV, 9 : *Similiter autem odio sunt Deo impius, et impietas ejus.* Econtra de bonis dicitur, Job, I, 10 : *Operibus manuum ejus benedixisti, et possessio ejus crevit in terra.* « *Et non fuit in vobis,* » hoc est, inter vos, « *qui,* » saltem per plagas, « *reverteretur ad me, dicit Dominus.* » Super hoc quod modii viginti relinquunt decem, dicit Hieronymus, quod « secundum hoc aliquid boni nascitur ex semine malorum : quia mali si inter multa peccata aliqua justa opera faciunt, non est Deus injustus, ut propter multa mala paucorum bonorum obliviscatur, sed faciet eos metere et in horrea congregare, quæ in bona terra seminaverunt : sed qui penitus nihil operatur, nihil comedit, sed fame perit. » Et fundat intentionem suam super hoc quod dicitur, ad Hebr. VI, 9 et 10 : *Confidimus de vobis, dilectissimi, meliora, et viciniora saluti : tametsi ita loquimur. Non enim injustus est Deus, ut obliviscatur operis vestri, et dilectionis quam ostendistis in nomine ipsius, qui ministrastis Sanctis, et ministratis.*

Bonorum operum certa semper retributio.

Ex his videtur, quod opera mortua quæ extra charitatem fiunt, prosint ad vitam æternam : quia aliter malus opera bona faciens, non meteret, et in horreum congregaret, dicente Domino, Joan. IV, 36 : *Qui metit, mercedem accipit, et congregat fructum in vitam æternam.* Ad hoc sine præjudicio dicendum est, quod quædam opera sunt extra charitatem facta, quæ in toto transeunt, sicut est gemitus vel oratio, et illa numquam reviviscunt ad vitam æternam. Quædam autem sunt quæ in potiori quod est in ipsis manent, sicut magna eleemosyna manet in damno rerum, et longa et magna peregrinatio, vel alia afflictio manet in debilitate virium : et hæc facta extra charitatem, si postea charitate redeunte approbent devote, valere incipiunt ad vitam æternam. Et de talibus loquuntur Paulus et Hieronymus, cujus signum est, quod si aliquis extra charitatem ex voto teneretur ad ista et persolveret, judex ecclesiasticus non injungit ut iterato solvat, cum ad charitatem redierit.

Ex dictis autem accipit exhortationem in futurum, ponens signum futuræ benedictionis si ædificaverint templum, cujus ritu et cultu a pollutione liberentur.

19 « *Ponite corda vestra,* » advertendo scilicet futura, « *ex die ista et in futurum.* » Psal. LXXVI, 12 et 13 : *Memor ero ab initio mirabilium tuorum, et meditabor in omnibus operibus tuis.* « *A die vigesima et quarta noni mensis,* » qui apud nos December occurrit, quando penitus nihil apparet germinis, « *a die qua fundamenta jacta sunt templi Domini.* » Hoc dicit, quia potius templum quam tempus attendit. Omnis enim prosperitatis in nobis initium est jacere fundamenta templi Domini per fidem. I ad Corinth. III, 10 et 11 : *Ut sapiens architectus fundamentum posui : alius autem superædificat. Unusquisque autem videat quomodo superædificet. Fundamentum enim aliud nemo potest ponere præter id quod positum est, quod est Christus Jesus.* Glossa ibidem, hoc est, « fides Christi Jesu. »

20 Et repetit exhortationem :

« *Ponite super cor vestrum.* » Cantic. VIII, 6 : *Pone me sicut signaculum super cor tuum.* « *Numquid jam,* » isto scilicet nono mense, « *semen,* » supple, in

terram jactum, « *in germine est ?* » Quasi dicat : Non : quia tunc omnia latent frigore compressa. « *Et,* » supple, numquid « *adhuc,* » in eodem mense, « *vinea, et ficus, et malogranatum, et lignum olivæ non floruit ?* » Quasi diceret : Non floruit. Et hoc inducit ut sciant quod ex apparentibus germinibus, de prosperitate futura nihil certum prædicere potest, sed hoc quod dicit, de spiritu dicit, ut sciatur evenire propter ædificium templi. Osee, vi, 3 : *Quasi diluculum præparatus est egressus ejus, et veniet quasi imber nobis temporaneus, et serotinus terræ.* Spiritualiter autem, vinea fructus gaudiorum æternorum significat. Judicum, ix, 13 : *Numquid possum deserere vinum meum, quod lætificat Deum et homines ?* Ficus vero dulcedinem virtutum. Judicum, ix, 13 : Dixit ficus : *Numquid possum deserere dulcedinem meam ?* Malogranatum autem congregationes et collegia Sanctorum. Psal. cx, 1 : *Confitebor tibi, Domine, in toto corde meo : in consilio justorum, et congregatione.* Oliva pinguedinem devotionis. Judicum, ix, 9 : Dixit oliva : *Numquid possum deserere pinguedinem meam, qua et dii utuntur, et homines ?* Hæc in gelicidio frigescentis charitatis non germinant, sed tempore serenæ veritatis, afflante Austro sancti Spiritus germinant, et fructum faciunt. Cant. ii, 11, 12 et 13 : *Jam hiems transiit : imber abiit, et recessit. Flores apparuerunt in terra nostra, tempus putationis advenit : vox turturis audita est in terra nostra : ficus protulit grossos suos : vineæ florentes dederunt odorem suum.* « *Ex die ista benedicam.* » Gregorius : « Benedictio Dei est bonorum collatio et

Benedictio Dei.

« multiplicatio. » Eccli. xliv, 25 : *Benedictionem omnium gentium dedit illi Dominus.* Eccli. xxxix, 27 : *Benedictio illius quasi fluvius inundavit.*

21 « *Et factum est verbum Domini,* » tertia visio, « *secundo,* » non quantum ad numerum visionum, sed quantum ad rem visam. Ista enim visio de prosperitate est sicut præcedens. « *Ad Aggæum in vigesima et quarta mensis,* » noni scilicet, « *dicens :* »

22 Et tangit prosperitatem futuræ dignitatis et sublimitatis in regno Judæorum vel Christi :

« *Loquere ad Zorobabel, ducem Juda, dicens.* Psal. xlvi, 10 : *Principes populorum congregati sunt cum Deo Abraham.* « *Ego movebo cœlum pariter et terram.* » In præhabitis exposita sunt. Psal. lxxv, 9 : *De cœlo auditum fecisti judicium : terra tremuit et quievit.*

23 « *Et subvertam solium regnorum,* » superborum scilicet hominum, et dæmonum Eccli. x, 17 : *Sedes ducum superborum destruxit Deus.* « *Et conteram fortitudinem regni gentium,* » ut scilicet amplius in peccato non regnent. Eccli. xxxvi, 12 : *Contere caput principum inimicorum, dicentium : Non est alius præter nos.* « *Et subvertam quadrigam,* » quæ significat motum quatuor vitiorum, scilicet contra naturam, contra fidem, contra gratiam, et contra rationem. Exod. xiv, 25 : *Subvertit rotas curruum, ferebanturque in profundum* « *Et ascensorem ejus,* » qui significat liberum arbitrium. Exod. xv, 1 : *Equum et ascensorem dejecit in mare.* « *Et descendent equi,* » qui effrænes libidines significant, « *et ascensores eorum,* » qui significant homines libidine vectos. Amos, ii, 15 : *Ascensor equi non salvabit animam suam.* « *Vir in gladio fratris sui,* » supple, cadet, ut scilicet mutuis vulneribus pereant, vel quod verius est, gladio spiritus (quod est verbum Dei [1]) sic interficiantur, quod peccato moriantur et Christo vivant.

[1] Cf. ad Ephes. vi, 17.

Exod. xxxii, 27 : *Occidat unusquisque fratrem suum.*

21 Sic autem interfectis impiis,

« *In die illa, dicit Dominus exercituum,* » claræ scilicet et lucentis gratiæ, « *assumam te, Zorobabel, fili Salathiel,* » in decorem scilicet regni, et participationem meæ potestatis. Psal. lxxxviii, 19 : *Domini est assumptio nostra, et sancti Israel regis nostri.* « *Serve meus,* » qui servi habitum assumpsisti, « *dicit Dominus.* » Isa. lii, 13 : *Ecce intelliget servus meus, exaltabitur, et elevabitur, et sublimis erit valde.* « *Et ponam te quasi signaculum,* » id est, profundatum sigillum meiipsius. Ezech. xxviii, 12 et 13 : *Tu signaculum similitudinis, plenus sapientia, et perfectus decore, in deliciis paradisi Dei fuisti.* « *Quia te elegi,* » hoc est, ut electum exaltavi. Cantic. v, 10 : *Dilectus meus candidus et rubicundus, electus ex millibus.* Psal. lxiv, 5 : *Beatus quem elegisti et assumpsisti.* « *Dicit Dominus exercituum.* » Isa. xlv, 7 : *Ego Dominus faciens omnia hæc.*

INDEX

IN AGGÆUM PROPHETAM.



D. ALBERTI MAGNI,

EPISCOPI RATISBONENSIS, DOCTRINA TOTO ORBE

Celeberrimi, Ordinis Prædicatorum,

IN ZACHARIAM PROPHETAM ENARRATIO.

Prologus Divi Hieronymi in Zachariam prophetam.

Anno secundo Darii, regis Medorum, Aggæum et Zachariam prophetasse lectiones eorumdem declarant. Sed hac de causa Aggeus Zachariæ in ordine Prophetarum prælatus esse videtur, quod eum duobus mensibus, ut prædictorum lectiones ostendunt, in prophetia præcessisse invenitur, et ad reparationem templi præcepto Dei populum animasse, ut Esdras refert, dicens : In secundo anno Darii regis Persarum, prophetaverunt Aggæus et Zacharias, filius Addo prophetæ, super Judæos qui erant in Juda et Jerusalem, super Israel in nomine Dei Israel super eos. Tunc surrexerunt Zorobabel, filius Salathiel, et Jesus, filius Josedec, et principes ejus : inchoaveruntque ædificare domum Dei, quæ est in Jerusalem. Quibus cum adessent prophetæ, exhortatione sua adjuverunt eos[1]. Nam et populum Israel ab imitatione paternorum delictorum, per suam admonitionem idem propheta cupiens revocare, verbis lectione comprehensis usus est : Vidi nocte : et ecce vir ascenderat super equum rubeum, etc.[2]. Vidit propheta virum equo rubeo sedentem, et stantem in medio myrteti umbrosi. Cujus visionis hæc solutio est : Vir ascendens equum rubeum, licet angelus intelligatur, tamen quia prædicti coloris equum conscendere visus est, vindictam sanguinis in eam gentem significat afferendam, quæ populum Israel in captivitatem redegerat. Nam et Isaias propheta, per ruborem vestimentorum, inter gentes vindictam cum sanguine a Deo proferendam demonstrans, his verbis usus est, dicens : *Quis est iste qui venit de Edom, tinctis vestibus de Bosra,* etc.[3]. Stantem vero in medio myrteti umbrantis quod dixit,

[1] Vulg. habet, I Esdræ, IV, 24 : *Tunc intermissum est opus Domini in Jerusalem, et non fiebat usque ad annum secundum regni Darii, regis Persarum.* Et V, 1 et 2 : *Prophetaverunt autem Aggæus propheta, et Zacharias, filius Addo, prophetantes ad Judæos, qui erant in Judæa et Jerusalem, in nomine Dei Israel. Tunc surrexerunt Zorobabel, filius Salathiel, et Josue, filius Josedec, et cœperunt ædificare templum Dei in Jerusalem, et cum eis prophetæ Dei adjuvantes eos.*

[2] Vulg. habet, Zachariæ, I, 4 : *Vidi per noctem, et ecce vir ascendens super equum rufum.*

[3] Isa. LXIII, 1.

lætitiam populo affuturam, per myrteti significationem voluit designari. Ejus ligni Moyses in Levitico cum faceret mentionem, ait : Accipietis die prima fructus ligni speciosi, ut lætitiam populi per bene olentis ligni et speciosi umbraculum demonstraret[1]. Sed hanc visionem quæ liberationem populi, et vindictam de adversariis affuturam demonstrat, ob hoc noctu[2] propheta se vidisse memoravit, quia populum Israel in prima liberatione, de terra Ægypti noctu discessisse constabat[3] : cujus exempli quia præsens populus aliquam partem in se retinere videbatur, liberatio ejusdem ac reditus captivitatis de terra Chaldæorum per noctem prophetæ est revelata.

PROLOGI DIVI HIERONYMI IN ZACHARIAM PROPHETAM EXPLANATIO.

« Anno. » In prologo isto Hieronymus ponit ordinem istius prophetiæ, intentionem, et materiam, et probat hæc per auctoritates Esdræ, Zachariæ, et Isaiæ. Et secundum hoc dividitur prologus, sicut cuilibet patere potest.

« Anno secundo Darii. » filii Hystaspis scilicet, qui (sicut dicit Hieronymus) fuit annus quadragesimus primus a primo Cyro, qui licentiam dedit redeundi, « regis Medorum, » qui in Media et Perside regnavit, « Aggæum, et Zachariam prophetasse, » id est, ad prophetandum inspiratos fuisse, « lectiones eorumdem declarant. » Aggæus enim sic dicit, I, 1 : *In anno secundo Darii regis, in mense sexto.* Zacharias autem sic, I, 1 : *In mense octavo, in anno secundo Darii regis, factum est verbum Domini.*

Et subdit de ordine :

Aggæus cur est Zachariæ præpositus? « Sed hac de causa Aggæus Zachariæ in ordine Prophetarum, » duodecim scilicet, « prælatus, » id est, præpositus, « videtur » ab his qui Prophetas ordinaverunt, « quod eum, » scilicet Aggæum, « duobus mensibus, ut prædictæ[4] lectiones ostendunt, » in principiis scilicet, « in prophetia præcessisse invenitur. In principio enim Aggæi dicitur : *In mense sexto, in una die mensis.* In principio Zachariæ : *In mense octavo,* et sic duobus mensibus Aggæus ante Zachariam prophetavit.

Et subjungit de intentione :

« Ad restaurationem etiam templi, » supple, sicut Aggæus, « præcepto Domini populum animasse, » per exhortationem scilicet, « ut Esdras refert, dicens : » I Esdræ, IV, 24 et V, 1 : et sunt hæc verba in Esdra paucis immutatis, in quantum una translatio differt ab altera[5]. « In anno secundo Darii regis, » filii scilicet Hystaspis, « prophetaverunt Aggæus et Zacharias, filius Addo Prophetæ, » hoc est, propheticam inspirationem acceperunt, « super Judæos qui erant in Judæa et in Jerusalem. » Hoc dicit ad comparationem eorum qui adhuc erant in Babylone, et necdum redierant : multi enim postea redierunt cum Esdra anno septimo, sicut dicitur, I Esdræ, VII, 1 et seq. : multi cum Nehemia anno decimo Artaxerxis, sicut dicitur, II Esdr. I, 1 et seq. « In nomine Dei, »

[1] Vulg. habet, Levit. XXIII, 40 : *Sumetis vobis die primo fructus arboris pulcherrimæ,... et lætabimini coram Domino Deo nostro.*

[2] Zach. I, 8 : *Vidi per noctem,* etc.

[3] Exod. XII, 29 et 30, Sapient. XVIII, 5.

[4] Biblia Roberti Stephani habet, *prædictorum...*

[5] Vide notam 1 supra in Prologo D. Hieronymi.

supple, prophetaverunt « super Israel, » et sunt adhuc verba Esdræ et ea quæ sequuntur.

« Tunc surrexerunt Zorobabel, filius Salathiel, » qui scilicet fuit loco regis, « et Jesus, filius Josedec,» summus Sacerdos scilicet, « et principes ejus, » Zorobabel scilicet, « et inchoaverunt ædificare domum Dei, quæ est in Jerusalem. » *Inchoaverunt* dicit, quia jactis fundamentis et constituto altari impediti sunt ab opere. « Quibus, » scilicet Regi, et Sacerdoti, « cum adessent Prophetæ, » Aggæus scilicet, et Zacharias per cooperationem, « exhortatione sua adjuverunt eos, » confortando scilicet et animando ad opus. Hæc est ergo intentio litteralis et finalis.

Secundo autem etiam intendit a peccato revocare populum ;

« Nam et populum Israel, » hoc est, generaliter Judæos, « ab imitatione paternorum delictorum, » hoc est, ne imitentur paterna delicta, « per suam commonitionem, hic Propheta, » Zacharias scilicet, « cupiens revocare, verbis lectione comprehensis usus est. » Zachariæ, I, 4 : *Ne sitis sicut patres vestri, ad quos clamabant Prophetæ priores.* Et paucis interpositis subdit, ℣. 8 : « *Vidi per noctem, et ecce vir ascendens super equum rufum.*»

Aliam translationem ponit, quam visionem Hieronymus exponens, subdit :

« Vidit Propheta, » Zacharias scilicet, virum « in equo rubeo sedentem, » hoc est, Angelum in specie viri, « et stantem in medio myrteti umbrosi, » quasi paratum ad vindictam. « Cujus visionis » quæ Zachariæ, I, 8, continetur, « secundum traditionem Hebræorum [1], » mendosam scilicet et falsam, « hæc solutio est, » id est, expositio : « Vir ascendens super equum rubeum, » in visione ostensus, « licet Angelus intelligatur » visibiliter apparens, « tamen quia prædicti coloris, » rubei scilicet, « equum conscendere visus est, » qui color rubeus sanguini similis est, « vindictam sanguinis, » hoc est, occasionis, « in eam, » hoc est, contra eam, « gentem significat proferendam, » a Deo scilicet, « quæ, » scilicet gens, « populum Israel in captivitatem redegerat, » ut ex hoc animarentur Judæi, videntes vindictam fieri de inimicis.

Et hanc expositionem confirmat, subdens :

« Nam et Isaias Propheta [2] per ruborem vestimentorum, » regis scilicet Israel Isaiæ ostensi, « inter gentes, » hoc est, contra gentes, « vindictam cum sanguine, » hoc est, interfectionem « a Deo proferendam demonstrans, » secundum Hebræos scilicet, « his verbis usus est dicens, » rubore scilicet vestium sanguinem significando : « *Quis est iste qui venit de Edom*, rubor vestimentorum ejus ex Bosor ? » Ponit aliam translationem : nostra enim sic habet : *Quis est iste qui venit de Edom, tinctis vestibus de Bosra ?*

Et subdit exponens residuum visionis :

« Stantem vero virum in medio myrteti umbrosi, » supple, quod dixit Zacharias, « lætitiam populo affuturam, » de liberatione scilicet per myrteti significationem, » quod virens et odoriferum est, « voluit designare, » Zacharias scilicet.

Et hoc probat subdens : « Ejus ligni Moyses in Levitico, » de lætitia scilicet et festo tabernaculorum agens, « cum faceret mentionem, ait [3] : Accipietis die prima fructus ligni speciosi, » hoc est, ramos cum fructibus, qui myrtelli dicuntur. Quod exponens, subdit : « Ut lætitiam populi, » Israel scilicet, « per bene olentis ligni et speciosi umbraculum, » myrti scilicet, « demonstraret, » ipse scilicet Moyses.

[1] Hæc verba, *secundum traditionem Hebræorum*, non habentur in Biblia Roberti Stephani.

[2] Isa. LXIII, 1.

[3] Levit. XXIII, 40.

Quod exponens infert :

« Sed hanc visionem, » Zachariæ scilicet, « quæ liberationem populi, » pro una parte sui, « et vindictam de adversariis, » pro alia parte, « futuram demonstrat, » hoc est, significat, « ob hoc, » id est, propter hoc, « nocte Propheta se vidisse memoravit [1], » hoc est, descripsit, « quia populum Israel in Ægypto, supple, detentum, « etiam prima liberatione, » supple, a Pharaone, « de terra Ægypti noctu discessisse constabat [2]. » « Cujus exempli, » nocturnæ scilicet liberationis, « præsens populus, » de Chaldæa rediens, « aliquam partem, » per similitudinem scilicet nocturnæ revelationis, « in se retinere videbatur : » supple, et ideo, « liberatio ejusdem, » scilicet populi, « ac reditus captivitatis, » hoc est captivorum, « de terra Chaldæorum, » ad quam captivi ducti fuerant, « per noctem, » hoc est, tempore nocturno, « Prophetæ, » scilicet Zachariæ, « revelata est. »

CAPUT I.

Quo tempore Zacharias prophetaverit : qui hortatur populum ad resipiscentiam, ne imitentur patres suos, qui prophetas contemnentes puniti sunt : duplici figura ostendit Dominus se puniturum gentes quæ populum suum afflixerant ; hunc autem in Jerusalem revocandum, in qua ædificabitur ipsi Domino templum.

1. In mense octavo, in anno secundo Darii regis, factum est verbum Domini ad Zachariam, filium Barachiæ, filii Addo, prophetam, dicens :
2. Iratus est Dominus super patres vestros iracundia.
3. Et dices ad eos : Hæc dicit Dominus exercituum : Convertimini ad me, ait Dominus exercituum, et convertar ad vos, dicit Dominus exercituum [3] :
4. Ne sitis sicut patres vestri, ad quos clamabant prophetæ priores, dicentes : Hæc dicit Dominus exercituum : Convertimini de viis vestris malis, et de cogitationibus vestris pessimis : et non audierunt, neque attenderunt ad me, dicit Dominus.
5. Patres vestri ubi sunt? et prophetæ numquid in sempiternum vivent?
6. Verumtamen verba mea, et legitima mea, quæ mandavi servis meis prophetis, numquid non comprehenderunt patres vestros, et conversi sunt, et dixerunt : Sicut cogitavit Dominus exercituum facere nobis secundum vias nostras, et secundum adinventiones nostras, fecit nobis?
7. In die vigesima et quarta undecimi mensis Sabath, in anno secundo Darii, factum est verbum Domini ad Zachariam, filii Addo, prophetam, dicens :
8. Vidi per noctem : et ecce vir ascendens super equum rufum,

[1] Zachar. I, 8 : *Vidi per noctem*, etc.

[2] Exod. XII, 29 et 30 ; Sapient. XVIII, 5.

[3] Isa. XXI, 12 ; XXXI, 6 et XLV, 22. Jerem. III, 12. Ezech. XVIII, 30 et XXXIII, 11. Osee, XIV, 2. Joel, II, 12. Malach. III, 7.

et ipse stabat inter myrteta, quæ erant in profundo, et post eum equi rufi, varii, et albi.

9. Et dixi : Quid sunt isti, domine mi? Et dixit ad me angelus qui loquebatur in me : Ego ostendam tibi quid sint hæc.

10. Et respondit vir qui stabat inter myrteta, et dixit : Isti sunt quos misit Dominus ut perambulent terram.

11. Et responderunt angelo Domini, qui stabat inter myrteta, et dixerunt : Perambulavimus terram, et ecce omnis terra habitatur, et quiescit.

12. Et respondit angelus Domini, et dixit : Domine exercituum, usquequo tu non misereberis Jerusalem, et urbium Juda, quibus iratus es? Iste jam septuagesimus annus est.

13. Et respondit Dominus angelo qui loquebatur in me verba bona, verba consolatoria.

14. Et dixit ad me angelus qui loquebatur in me : Clama, dicens : Hæc dicit Dominus exercituum : Zelatus sum Jerusalem et Sion zelo magno [1].

15. Et ira magna ego irascor super gentes opulentas, quia ego iratus sum parum, ipsi vero adjuverunt in malum.

16. Propterea hæc dicit Dominus : Revertar ad Jerusalem in misericordiis : et domus mea ædificabitur in ea, ait Dominus exercituum, et perpendiculum extendetur super Jesuralem.

17. Adhuc clama, dicens : Hæc dicit Dominus exercituum : Adhuc affluent civitates meæ bonis, et consolabitur adhuc Dominus Sion, et eliget adhuc Jerusalem.

18. Et levavi oculos meos, et vidi : et ecce quatuor cornua.

19. Et dixi ad angelum qui loquebatur in me : Quid sunt hæc? Et dixit ad me : Hæc sunt cornua quæ ventilaverunt Judam, et Israel, et Jerusalem.

20. Et ostendit mihi Dominus quatuor fabros.

21. Et dixi : Quid isti veniunt facere? Qui ait, dicens : Hæc sunt cornua quæ ventilaverunt Judam per singulos viros, et nemo eorum levavit caput suum : et venerunt isti deterrere ea, ut dejiciant cornua gentium, quæ levaverunt cornu super terram Juda ut dispergerent eam.

IN CAPUT I ZACHARIÆ

ENARRATIO.

« *In mense octavo.* » Hæc prophetia tota in duas partes dividitur, secundum tempora duo in quibus revelata fuit. Primo enim ponuntur revelata in secundo anno Darii. Secundo,revelata in quarto anno ejusdem Darii, infra VII, 1, ibi, « *Et factum est in anno quarto Darii regis.* »

Prima harum in sex dividitur, secundum sex promissiones revelatas. Prima est in inimicos ultio, in hoc capite descripta. Secunda est civitatis restitutio, infra, II, 1, ibi, « *Et levavi oculos meos, et vidi* : *Et ecce vir.*» Tertia, dignitatis sacerdotalis reparatio, infra, III, 1, ibi, « *Et ostendit mihi Dominus Jesum, sacerdotem magnum.* » Quarta, templi reædificatio, infra, IV, 1, ibi, « *Et reversus est Angelus qui loquebatur in me.* » Quinta, peccatorum et pœnarum commemoratio, infra, V, 1, ibi, « *Et conversus sum, et levavi oculos meos.* »

[1] Infra, VIII, 2.

Sexta, promissorum acceleratio, infra, VI, 1, ibi, « *Et conversus sum, et levavi oculos meos, et vidi : et ecce quatuor quadrigæ.* »

Prima istarum dividitur in duo : titulum scilicet, et prophetiam, ibi, ℣ 2 : « *Iratus est Dominus.* »

1 Dicit ergo :

« *In mense octavo,* » ab Aprili scilicet, qui apud nos *November* dicitur, « *in anno secundo Darii,* » filii scilicet Hystaspis, qui clemens fuit Judæis, et impeditam ædificationem diu, iterato promovit, licentiam dando, et principes ædificii præponendo, Zorobabel et Jesu sacerdotem magnum, « *factum est verbum Domini,* » per inspirationem scilicet, « *ad Zachariam.* » *Ad* præpositio appropinquationem notat ad intellectum. Jacob. I, 21 : *Suscipite insitum verbum.* « *Filium Barachiæ,* » ut paterna dignitate Propheta esse sciatur, « *filii Addo, Prophetam, dicens,* » ut ex avita dignitate prophetia descendat.
Zacharias
Interpretatur enim Zacharias *memoria Domini,* ex memoria enim notitia verbi nascitur. Luc. II, 19 : *Maria autem conservabat omnia verba hæc, conferens in corde suo.* Psal. LXX, 16 : *Domine, memorabor justitiæ tuæ solius.*
Barachias.
Barachias *benedictio* interpretatur, quia ex benedictione Dei (quæ per gratiam fit) notitia et memoria Dei accipitur, et affluentia verbi ministratur. Eccli. XXXIX, 8 et 9 : *Si Dominus magnus voluerit, spiritu intelligentiæ replebit illum : et ipse tamquam imbres mittet eloquia sapientiæ suæ.*
Addo.
Addo *testimonium* interpretatur : ut scilicet quidquid dicit, ex Deo testificetur. Psal. XCII, 5 : *Testimonia tua credibilia facta sunt nimis.* Hieronymus : « Addo, ipse est Ahias qui missus « est ad Jeroboam, filium Nabaoth (III « Reg. XIII, 1 et seq.) sub quo altare « dirutum est, et manus ejus aruit, quæ « ad preces ejus restituta est. »

« *Iratus est Dominus.* » Hic incipit prophetia, et habet partes duas. Primo enim 2
facit comminationem conversionis ut removeatur obstaculum divinæ promissionis. Secundo, describit visionem ultionis, ibi, ℣. 7 : « *In die vigesima et quarta.* »

In prima tria sunt, ira quam incurrit non conversus, exhortatio ad conversionem, et ostensio vindictæ in eos qui converti noluerunt.

« *Iratus est Dominus,* » hoc est, ad modum irascentis punivit, « *super patres vestros.* » *Super* notat oppressionem, quia ira Dei oppressi sunt. « *Iracundia,* » quod notat magnam iram severe vindicantem. Isa. LXIV, 5 : *Ecce tu iratus es, et peccavimus : in ipsis fuimus semper.*

« *Et dices ad eos.* » Ezech. II, 7 : *Lo-* 3
queris verba mea ad eos, si forte audiant, et quiescant. « *Hæc dicit Dominus exercituum* » Hieronymus : « Sæpe in Aggæo « et Zacharia iteratur iste sermo, ut sciant « quod non homo, sed Deus ista loquitur. » Isa. I, 20 : *Os Domini locutum est.* II ad Corinth. XIII, 3 : *An experimentum quæritis ejus, qui in me loquitur Christus ?* II Regum, XXIII, 2 : *Spiritus Domini locutus est per me, et sermo ejus per linguam meam.* « *Convertimini ad me, ait Dominus exercituum,* » hoc est, simul in toto, intus et extra vertimini, ac totos vos ad me diligendum convertite. Joel, II, 12 : *Convertimini ad me in toto corde vestro.* « *Et convertar,* » benedicendo scilicet, et protegendo, « *ad vos, dicit Dominus exercituum.* » Isaiæ, XLV, 22 : *Convertimini ad me, et salvi eritis omnes fines terræ.*
Converti Deum qu tenus sit homini facultat

Sed objicitur : Homo enim non habet unde convertatur, nisi a Deo accipiat. Conversio enim Dei ad nos præcedit conversionem nostram ad Deum, et iste ordinat e converso. Thren. V, 21 : *Converte nos, Domine, ad te, et convertemur.* Psal. LXXXIV, 5 : *Converte nos, Deus, sa-*

lutaris noster, et averte iram tuam a nobis. Ad hoc dicendum, quod est conversio præparationis removens dissensum a gratia et obstaculum, et est conversio perfectionis per informationem voluntatis. In prima præcedit factum hominis. In secunda factum Dei. Baruch, IV, 28 : *Sicut fuit sensus vester ut erraretis a Deo, decies tantum iterum convertentes requiretis eum.*

4 Et subdit de revocatione ab imitatione malorum patrum, dicens :

« *Ne sitis sicut patres vestri,* » mali scilicet. Ezech. XVI, 3 : *Pater tuus Amorrhæus, et mater tua Cethæa.* Joan. VIII, 44 : *Vos ex patre diabolo estis.* « *Ad quos clamabant Prophetæ priores.* » Clamor notat intensionem prædicationis et exhortationis. Psal. LXVIII, 4 : *Laboravi clamans, raucæ factæ sunt fauces meæ.* Isaiæ, LVIII, 1 : *Clama, ne cesses : quasi tuba exalta vocem tuam. Prophetæ* dicit, non Propheta, quia multos misit. Jerem. VII, 25 et 26 : *Misi ad vos omnes servos meos Prophetas per diem consurgens diluculo, et mittens : et non audierunt me.* « *Dicentes : Hæc dicit Dominus exercituum,* » ut propter reverentiam Domini sermones acciperentur, cum tamen e converso factum sit. Ezech. III, 7 : *Domus autem Israel nolunt audire te, quia nolunt audire me.* « *Convertimini de viis vestris malis.* » *Viæ* dicuntur primi conceptus ad malum inclinantes. Prov. I, 15 : *Fili mi, ne ambules cum eis, prohibe pedem tuum a semitis eorum.* « *Et de cogitationibus veteris pessimis.* » *Cogitatio* dicitur quasi coagitatio, quando scilicet agitatur in corde quomodo malum perpetretur, et hæ pessimæ sunt, quando perficiuntur in opere. Isaiæ, LV, 7 : *Derelinquat impius viam suam, et vir iniquus cogitationes suas.* « *Et non audierunt,* » per devotionem scilicet, et pœnitentiam. Contra quod dicitur in Psal.

Cogitatio iniqua.

XCIV, 8 : *Hodie si vocem ejus audieritis, nolite obdurare corda vestra.* « *Neque attenderunt ad me, dicit Dominus,* » ut saltem attentione cordis e proposito redire disponerent. Prov. I, 25 : *Despexistis omne consilium meum, et increpationes meas neglexistis.*

Et confirmat exhortationem per judicium factum de peccatoribus : 5

« *Patres vestri ubi sunt? et prophetæ,* » supple, pseudo qui confortaverunt vos in malo [1]. Et est sensus : Ubi sunt, hoc est, in quanta miseria sunt, sicut Genes. III, 9 : *Adam, ubi es?* Jerem. V, 31 : *Prophetæ prophetabant mendacium, et sacerdotes applaudebant manibus suis : et populus meus dilexit talia.* « *Numquid in æternum vivent?* » Et est sensus : Numquid vivent vita æterna? Quasi dicat : Non, quin imo in æternum morientur, ita quod numquam permorientur. Job, XXI, 32 : *Ipse ad sepulcra ducetur, et in congerie mortuorum vigilabit.*

« *Verumtamen verba mea,* » quæ, supple, dixi per Prophetas, quæ non audierunt : « *et legitima mea,* » hoc est, leges præceptorum meorum, quæ, supple, non fecerunt. Isa. VIII, 16 : *Signa legem in discipulis meis.* Osee, VIII, 12 : *Scribam ei multiplices leges meas, quæ velut alienæ computatæ sunt.* « *Quæ,* » scilicet verba et legitima, « *mandavi servis meis Prophetis,* » in comminationibus scilicet factis per eos. « *Numquid non comprehenderunt patres vestros,* » in pœnis scilicet comminatis. Prov. V, 22 : *Iniquitates suæ capiunt impium, et funibus peccatorum suarum constringitur.* « *Et conversi sunt,* » in pœnis scilicet : quia « oculos quos culpa clausit, pœna aperit, » ut dicit Gregorius. Isa. XXVIII, 19 : *Et tantummodo sola vexatio intellectum dabit auditui.* « *Et dixerunt,* » gemen- 6

Pœna agnitionem parit sceleris.

[1] Cf. Jerem. XXIII, 9 et seq. et Ezechiel. XIII, 3 et seq. de pseudoprophetis.

tes scilicet in pœnis : « *Sicut cogitavit Dominus exercituum facere nobis.* » Thren. II, 17 : *Fecit Dominus quæ cogitavit, complevit sermonem suum.* Isa. XXXI, 2 : *Ipse sapiens adduxit malum, et verba sua non abstulit.* « *Secundum vias nostras,* » hoc est, secundum opera nostra mala. Proverb. I, 31 : *Comedunt igitur fructus viæ suæ, suisque consiliis saturabuntur.* « *Et secundum adinventiones nostras fecit nobis.* » Novos enim modos peccatorum peccatis paternis adjecerunt. Ad Roman. I, 30 : *Inventores malorum.* Psal. XXVII, 4 : *Da illis secundum opera eorum, et secundum nequitiam adinventionum ipsorum.*

7 « *In die vigesima et quarta.* » Hic incipit revelatio visionis de ultione adversus inimicos, et habet tres patres. In prima describit sub figura ultionem in inimicos. In secunda, propitiationem ad Sanctos, ibi, « *Et respondit Angelus Domini, et dixit.* » In tertia, modum, qualiter ultio fiet de inimicis, et consolatio Sanctis, ibi, « *Et levavi oculos meos, et vidi.* »

Prima in duas dividitur, scilicet visionis figuram, et figuræ explanationem, ibi, « *Et dixi : Quid sunt.* »

Adhuc prima in duas : in titulum visionis, et visionem.

« *In die vigesima et quarta* : » qui numerus (sicut dicit Hieronymus) ex tribus octonariis componitur, ut ternarius ad fidem Trinitatis referatur, octonarius ad beatitudines, quæ Matth. v, 3-11, describuntur. « *Undecimi mensis,* » qui apud nos *Februarius* dicitur, « *sabbato,* » festo scilicet die in requie cordis. Glossa interlinearis, « tertio scilicet mense post octa- « vum in quo prima visio facta est. »

Sabbatum. Hieronymus in originali legit « *Sabath,* » et non *sabbato.* Et dicit quod Sabath interpretatur *virga,* et significat austeram correctionem, qua populus adhuc deprimebatur, et vult quod sit nomen mensis. « *In anno secundo Darii,* » filii scilicet Hystaspis, « *factum est verbum Domini ad Zachariam filium Barachiæ, filii Addo, prophetam, dicens.* » Hæc ante sæpe exposita sunt [1].

8 « *Vidi per noctem.* » Hic incipit visio. Et quod dicit, *Vidi,* refertur ad intellectum, cujus visio certa est rei comprehensio. Quod dicit, *Per noctem,* dispositionem dicit videntis, quando sensus ab exterioribus tumultibus clausi sunt. Job, XXXIII, 15 : *In visione nocturna, quando irruit sopor super homines, et dormiunt in lectulo, tunc aperit aures virorum, et erudiens eos instruit disciplina.* Hieronymus tamen noctem refert ad tribulationem populi. Isa. XXI, 11 : *Custos, quid de nocte ? custos, quid de nocte ?* Intendit enim quærere quantum de nocte tribulationis transierit. Daniel. VII, 2 : *Videbam in visione mea nocte.*

Temp[...] visioni[...] pheti[...] aptu[...]

« *Et ecce vir,* » Angelus scilicet, in specie viri viriliter exercens vindictam, « *ascendens,* » proficiente scilicet virtute. Psal. LXXXIII, 6 : *Ascensiones in corde suo disposuit.* « *Super equum,* » per quem equitatus regni Medorum significatur. Cyrum enim significat. « *Rufum,* » in testimonium scilicet sanguinis effundendi, quia Balthasar regem Chaldæorum interfecit [2]. De quo equo dicitur, Job, XXXIX, 25 : *Procul odoratur bellum, exhortationem ducum, et ululatum exercitus.* Et est similitudo : quia sicut equus per ascensorem dirigitur et regitur, ita regnum per regem. « *Et ipse,* » scilicet, vir in equo, « *stabat* » rectus per justitiam et virtutem. III Regum, XVIII, 1 : *Vivit Dominus Deus Israel, in cujus conspectu sto.* « *Inter myrteta,* » ut situ scilicet ostenderet, quoniam appropinquabat afflictis per propitiationem. *Myrtetum* enim condensa plantatio myrti est, et significat Sanctos jam purgatos

Myrte[...]

[1] Cf. Enarrationem in ỷ. 1 hujus capitis.

[2] Cf. Daniel. v, 30.

redolentia devotionis in oratione, et virore virtutis in opere. Deuter. iv, 7 : *Nec est alia natio tam grandis, quæ habeat deos appropinquantes sibi, sicut Deus noster adest cunctis obsecrationibus nostris.* « *Quæ,* » scilicet myrteta, « *erant in profundo,* » in imo scilicet tribulationis et angustiæ. Psal. lxviii, 3 : *Infixus sum in limo profundi, et non est substantia.* Jonæ, ii, 7 : *Ad extrema montium descendi, terræ vectes concluserunt me.* Unde Septuaginta habent, « Inter montes umbrosos.»

« *Et post eum,* » scilicet virum in equo rufo sedentem, « *equi rufi, varii, et albi.* »

Equorum significatio.

Hieronymus : « Quidam ordine mutato « per *albos* equos significant Persas et « Medos, sub quibus captivitas dimissa, « et templum instauratum est : per *va-* « *rios*, Macedones, quorum quidam ami- « ci, alii persecutores fuerint : per *rufos*, « Romanos sanguine cruentos, qui popu- « lum occiderunt et templum subverte- « runt. Alii sequentes ordinem litteræ, « virum qui ascendit super equum ru- « fum et cæteros qui sequuntur, quatuor « regna interpretantur, scilicet Assyrio- « rum, Chaldæorum, Medorum, et Per- « sarum. Primum et secundum dicunt « sanguinarium, Assyrios scilicet et Chal- « dæos, quorum primi decem tribus sub « Salmanasar duxere captivas : secundi, « Judam et Benjamin, incensa Jerusalem « et templo subverso. Apocal. vi, 4 : « *Exivit alius equus rufus, et qui sede-* « *bat super illum, datum est ei ut sume-* « *ret pacem de terra, et ut invicem se in-* « *terficiant, et datus est ei gladius mag-* « *nus.* Tertios et quartos, varios et albos, « Medos et Persas interpretantur, quo- « rum alii clementes ut Cyrus et Darius, « filius Hystaspis, et Assuerus quem « Græci Artaxerxem vocant : alii crude- « les, ut Cambyses et cæteri.» Melius tamen exponitur hoc mystice, ut per ascendentem super equum rufum, Dominus noster Jesus Christus intelligatur, qui rufus est in passione et rector Ecclesiæ. Isa. lxiii, 2 : *Quare ergo rubrum est indumentum tuum ?* Rufi, sequentes martyres : varii, confessores, varietate virtutum depicti : albi, innocentes et virgines et religiosi. De rufis dicitur, Apocal. vii, 14, et xxii, 14, quod *laverunt stolas suas in sanguine Agni.* De variis, in Psal. xliv, 10 : *Adstitit regina a dextris tuis, in vestitu deaurato, circumdata varietate.* De albis, Apocal. iii, 5 : *Qui vicerit, sic vestietur vestimentis albis.* Eccle. ix, 8 : *Omni tempore sint vestimenta tua candida.*

Et subdit de explanatione : 9

« *Et dixi : Quid sunt isti, domine mi ?* » Angelum vocat *dominum*, quia potestate divina regere videbatur. « *Et dixit ad me Angelus,* » qui forte in specie corporali loquebatur, « *qui loquebatur in me.* » Accusativi casus, hoc est, locutione in me tendente, ut scilicet intelligerem. Psal. lxxxiv, 9 : *Audiam quid loquatur in me Dominus Deus.* « *Ego ostendam tibi quid sint hæc,* » hoc est, quid ista significant. Simile, Daniel. viii, 16 : *Gabriel, fac intelligere istum visionem.*

« *Et respondit vir,* » Angelus sci- 10
licet, « *qui stabat inter myrteta,* » qui principalior videbatur, « *et dixit,* « supple, Angelo qui mihi loquebatur, secundum quod superior Angelus illuminat inferiorem : « *Isti sunt,* » supple, qui præsunt regnis quatuor, « *quos misit Dominus,* » ut mundi gubernator, « *ut perambularent terram,* » ut scilicet unumquodque regnum voluntatem Domini suo tempore ad dispositionem Angeli qui sibi præest, perficiat. Eccli. xvii, 14 et seq. : *In unamquamque gentem præposuit re-*

[1] Vulgata habet, Deuter. xxxii, 8 : *Quando dividebat Altissimus gentes : quando separabat filios Adam, constituit terminos populorum juxta numerum filiorum Israel.*

ctorem: et pars Dei, Israel facta est manifesta. Et omnia opera illorum velut sol in conspectu Dei. Et sicut est in bonis Angelis, ita est in malis ad exercitium ordinatis. Unde Job, I, 7, dixit Satan cum redderet rationem de potestate accepta : *Circuivi terram, et perambulavi eam.*

Angelorum ministerio mundus disponitur.

11 « *Et responderunt,* » rufi scilicet, varii, et albi, « *Angelo Domini, qui stabat inter myrteta,* » qui, supple, princeps et principalis esse videbatur, « *et dixerunt,* » rationem reddentes de officiis suis : « *Perambulavimus terram,* » omnia scilicet ad ordinem justitiæ Dei disponentes. Et hoc est quod sequitur : « *Et ecce omnis terra,* » videlicet uniuscujusque regni non simul, sed successive, « *habitatur* » per cultum, « *et quiescit* » in fructu bonorum suorum. Hæc quæ dicta sunt confirmantur. III Reg. XXII, 19 : *Vidi Dominum sedentem super solium suum, et omnem exercitum cœli assidentem ei a dextris et a sinistris.* Job, I, 6 : *Cum venissent filii Dei ut assisterent coram Domino, affuit inter eos etiam Satan :* sicut et III Reg. XXII, 22, *affuit spiritus mendax.* Dan. VII, 10 : *Millia millium ministrabant ei, et decies millies centena millia assistebant ei.* Job, XXV, 2 et 3 : *Potestas et terror apud eum est, qui facit concordiam in sublimibus suis. Numquid est numerus militum ejus? et super quem non surgit lumen illius?* Ad Hebr. I, 14 : *Omnes sunt administratorii spiritus in ministerium missi.* Job, XXXVIII, 33 : *Numquid nosti ordinem cœli, et pones rationem ejus in terra?* Deuter. XXXII, 8, secundum Septuaginta : Statuit terminos populorum, juxta numerum Angelorum Dei.

Ex omnibus his accipitur, quod dispositio Dei in terra et in hominibus disponitur per Angelos, et quod assistunt coram Domino, de officiis suis rationem reddentes. Sed, sicut super Danielem notatum est, Deus Angelo loquitur per illuminationem, quæ dicitur *theoria* vel *theophania : theoria* quando est contemplatio simplex secundum cursum naturæ vel jura hominum, inferiora disponens. *Theophania* autem lumen divinum dicitur, in quo cognoscitur qualiter ad supernaturalia et super consueta in hominibus, inferiora ad voluntatem et ordinationem Dei disponuntur. Hoc igitur modo loquitur eis Deus, ipsi autem Angeli Deo, quando inferiora disposita et quasi in visione vespertina ordinata referunt ad lucem sapientiæ divinæ quasi ad visionem matutinam : ut ostendatur quod in inferioribus nihil discors est sapientiæ divinæ, quæ omnia præordinat vel ad merita justorum vel præmia, vel ad purgationes purgandorum, vel ad vindictas malefactorum, vel ut sordescant hi qui in sordibus sunt, ut dicitur, Apoc. XXII, 11 [1]. Angelus autem ad Angelum loquitur, superior quidem ad inferiorem per communicationem illuminationis, inferior vero ad superiorem per relationem ministerii sui ad claritatem illuminationis acceptæ, sicut refertur exemplum ad exemplar, et artificiatum ad artis rationem. Par autem pari loquitur dupliciter, scilicet per ostensionem illuminationis acceptæ, et per declarationem ministerii perfecti, secundum illuminationem. Angelus autem animæ loquitur dupliciter : si enim loquitur ad sensum vel ad imaginationem, tunc loquitur per speciem corpoream assumptam : si loquitur ad intellectum, tunc loquitur per acceptæ illuminationis a Deo influentiam. Talis enim ordo in luminibus spiritualibus et in corporalibus est, quod superiora superinfluunt inferioribus, et non e converso : et inferiora conjunguntur et applicantur superioribus ut formalibus, et non e converso. Unde omnes planetæ applicantur Saturno, et Saturnus nulli, ut dicit Astronomus. Discordia quæ est

Deus q[uo]modo lo[qui]tur Ang[elo] et e con[ver]so?

Ange[lus] quomod[o lo]quatur [An]gel[o]

Angel[us] quomo[do] loquat[ur] anima[e]

[1] Apocal. XXII, 11 : *Qui in sordibus est, sordescat adhuc.*

inter eos, dissimilitudo administrationis est ad finem disposita a Deo, et reductio ad concordiam nihil aliud est quam ostensio finalis dispositionis.

12 « *Et respondit Angelus Domini.* » Hic ponitur oratio Angeli in persona sanctorum, et ponuntur hic tria, scilicet oratio Angeli, responsio de consolatione Domini, et enuntiatio facta ad populum.

« *Et respondit Angelus Domini.* » Iste Angelus fuit (ut dicunt Hebræi) Michael, qui præfuit synagogæ. Respondit autem occasionem accipiens ex verbis aliorum Angelorum provincialium, quia omnis terra habitatur et quiescit, quod et Judæorum terra deberet habitari et quiescere. « *Et dixit : Domine exercituum,* » Angelorum scilicet, et dæmonum, et hominum, « *usquequo tu non misereberis Jerusalem ?* » ut scilicet reædificetur. Ex quo enim tota terra habitatur et quiescit, et solus populus tuus affligitur, misereri deberes. Psal. LXXVI, 10 : *Aut continebit in ira misericordias suas ?* Habacuc, III, 2 : *Cum iratus fueris, misericordiæ recordaberis.* « *Et urbium Juda, quibus iratus es ?* » Quia omnes urbes Juda, hoc est, duarum tribuum destructæ erant. Isa. XXXVI, 1 : *Ascendit Sennacherib, rex Assyriorum, super omnes civitates Juda munitas, et cepit eas.* Ira autem Domini ad pœnam refertur.

Et subjungit petitionis rationem, et meo judicio debet legi interrogative : « *Iste jam septuagesimus annus est ?* » supple, tuæ promissionis, quam fecisti per Jeremiam, in cap. XXIX, 10. Quasi dicat : Non est, imo est centesimus septimus : quia sexagesimo septimo anno data est licentia redeundi primo anno Cyri, et postea ad hunc annum secundum Darii scilicet, fluxerunt anni qui cum aliis sexaginta septem, centum et septem faciunt. Et est sensus, ac si dicat : Moveat pietatem tuam, quod triginta septem annis ultra promissionem a te factam in captivitate remanserunt. Alii quidam dicunt, quod remissive legatur littera, et quod intelligitur de annis desolationis templi, non de annis captivitatis. Dicit autem Hieronymus, quod primus annus Cyri fuit quadragesimus annus desolationis templi. Inter Cyrum autem et secundum annum Darii, filii Hystaspis, fluxerunt anni sedecim, et ita anni desolationis in illo tempore fuerunt septuaginta anni. Primam tamen expositionem magis videtur approbare Hieronymus.

« *Et respondit Dominus Angelo qui loquebatur in me,* » accusativi casus, 13
hoc est, locutione tendente in me. Osee, II, 14 : *Loquar ad cor ejus.* Isa. XL, 2 : *Loquimini ad cor Jerusalem.* « *Verba bona,* » per se scilicet, et ad se bona conferentia, « *verba consolatoria,* » de scilicet mali contristantis amotione. Isa. XL, 1 : *Consolamini, consolamini, popule meus, dicit Deus vester.*

« *Et dixit ad me Angelus, qui loquebatur in me,* » illuminatus scilicet ab 14
Angelo cui loquebatur Dominus : « *Clama, dicens.* » Clamor notat intensionem desiderii ad impletionem dicti. Isa. XL, 6 : *Vox dicentis : Clama.* « *Hæc dicit Dominus exercituum,* » qui scire potest, et exsecutioni mandat per ministros. « *Zelatus sum Jerusalem,* » populum scilicet, « *et Sion,* » regnum scilicet, « *zelo magno.* » Beda : « Zelus est amor cum ira et « indignatione contrarii, quo quis quælibet mala videns, corrigit si potest : si « non potest, tolerat et gemit. » Et sic Dominus amavit populum, ut corrigeret in eo delicta. Joel, II, 18 : *Zelatus est Dominus terram suam, et pepercit populo suo.* Psal. LXVIII, 10 : *Zelus domus tuæ comedit me.* Econtra de obstinatis dicitur, Ezech. XVI, 42 : *Auferetur zelus meus a te.*

Zelus. Deus zelotes.

15 « *Et,* » ideo, supple, quia zelatus sum Jerusalem, « *ira magna ego irascor super gentes opulentas.* » *Ira magna* dicitur quæ desævit usque ad destructionem corporis et animæ, quod patientur hi qui persequuntur Sanctos. Jerem. II, 3 : *Sanctus Israel Domino, primitiæ frugum ejus : omnes, qui devorant eum, delinquunt : mala venient super eos, dicit Dominus. Gentes opulentæ* dicuntur, quia de facultatibus Sanctorum repleverunt marsupia sua. Jerem. LI, 34 : *Absorbuit me quasi draco, replevit ventrem suum teneritudine mea.* Job, XX, 15 : *Divitias quas devoravit, evomet, de ventre illius extrahet eas Deus.*

Ira magna.

Et subjungit causam :

« *Quia ego iratus sum parum,* » supple, usque ad peccati purgationem. Isa. LIV, 8 : *In momento indignationis abscondi faciem meam parumper a te.* « *Ipsi vero,* » supple, in malignitate suæ voluntatis, « *adjuverunt in malum,* » plus inferendo scilicet ex malitia voluntatis quam concessum sit eis ex ordinatione justæ potestatis. Isa. X, 5 : *Væ Assur! Virga furoris mei et baculus ipse est : in manu eorum indignatio mea.* Et post pauca, ℣. 7 : *Ipse autem non sic arbitrabitur, et cor ejus non ita existimabit : sed ad conterendum erit cor ejus, et ad internecionem gentium non paucarum.*

Tyrannus divina potestate abutitur.

16 « *Propterea hæc dicit Dominus :* » quia scilicet ita malitiose fecerunt inimici super sanctos. « *Revertar,* » ab ira mea, « *ad Jerusalem in misericordiis.* » Isa. LIV, 8 : *In momento indignationis abscondi faciem meam parumper a te, et in misericordia sempiterna misertus sum tui.* Jerem. XXXI, 20 : *Adhuc recordabor ejus. Idcirco conturbata sunt viscera mea super eum : miserans miserabor ejus.* Et dicit in quibus est illa misericordia : « *Et domus mea ædificabitur in ea,* » templum scilicet. Sicut enim incepit destructio a templo, ita incipere debuit reædificatio. Ezech. IX, 6 : *A sanctuario meo incipite,* dictum est Angelis percutientibus. Propterea opus Domini debet esse primum, nostrum autem secundum. III Reg. XVII, 13 : *Verumtamen mihi primum fac de ipsa farinula subcinericium panem parvulum, et affer ad me : tibi autem et filio tuo facies postea.* « *Ait Dominus exercituum.* » Confirmatio sermonis est. « *Et perpendiculum extendetur super Jerusalem,* » supple, ædificandam : quod significat Ecclesiæ ædificium, maxime in Ecclesiis collegiatis. Psal. L, 20 : *Benigne fac, Domine, in bona voluntate tua Sion : ut ædificentur muri Jerusalem.*

« *Adhuc clama, dicens,* » de consolatione scilicet derivanda in totam terram : « *Hæc dicit Dominus exercituum.* » Confirmatio sermonis est. « *Adhuc affluent civitates meæ,* » Sanctorum scilicet congregationes, « *bonis,* » spiritualibus scilicet, et temporalibus. Jerem. XXXI, 23 et seq. : *Adhuc dicent verbum istud in terra Juda, et in urbibus ejus, cum convertero captivitatem eorum : Benedicat tibi Dominus, pulchritudo justitiæ, mons sanctus : et habitabunt in eo Judas et omnes civitates ejus simul, agricolæ et minantes greges. Quia inebriavi animam lassam, et omnem animam esurientem saturavi.* « *Et consolabitur adhuc Dominus Sion,* » etiam post captivitatem, « *et eliget adhuc Jerusalem,* » electione scilicet finali : non enim in æternum abjecit, sed multos vocavit. Isaiæ, LI, 3 : *Consolabitur Dominus Sion, et consolabitur omnes ruinas ejus : et ponet desertum ejus quasi delicias, et solitudinem ejus quasi hortum Domini. Gaudium et lætitia invenietur in ea, gratiarum actio et vox laudis.* 17

« *Et levavi oculos meos.* » Tangitur hic qualiter exsecutioni mandabuntur : et primo ostendit inimicorum potentiam, 18

secundo, contritionem, ibi, « *Et ostendit mihi Dominus quatuor fabros.* »

Prima adhuc duo habet : visionem scilicet, et explanationem.

« *Et levavi oculos meos.* » Licet unus sit intellectus animæ, tamen duos habet

nimæ duo unt oculi.

oculos : theoriæ scilicet, et theophaniæ. *Theoria* est in contemplatione divinorum in lumine virtutis et gratiæ. *Theophania* est contemplatio divinorum, quæ simillima est lumini gloriæ. Augustinus : « Fi« des oculos aperit, spes erigit, charitas « figit. » Oculus levatur plus et plus quando intellectus ad fidem convertitur, quæ per speculum et ænigma contemplatur. I ad Corinth. XIII, 12 : *Videmus nunc per speculum in ænigmate.* Fides vero ad intellectum donum erigitur, de quo Gregorius : « Intellectum dat, dum « de auditis mentem illuminat. » Psal. XXXV, 10 : *In lumine tuo videbimus lu-*

Cordis nunditia.

men. Et intellectus ad munditiam cordis sublevatur : munditiam vero cordis voco purum intuitum mentis ab omnibus erroribus et phantasiis emundatum. Matth. V, 8 : *Beati mundo corde, quoniam ipsi Deum videbunt.* Et adhuc quando talis munditia cordis in excellenti luce figitur per assensum. Genes. XXXII, 30 : *Vidi Deum facie ad faciem.* Luc. XXI, 28 : *Respicite, et levate capita vestra.* Baruch, IV, 36 : *Circumspice Jerusalem ad orientem, et vide jucunditatem a Deo tibi venientem.* « *Et vidi,* » id est, interius intellexi. Daniel. VIII, 5 : *Et ego intelligebam,* visionem scilicet. « *Et ecce quatuor cornua,* » potestates quatuor regnorum significantia, scilicet Assyriorum, Chaldæorum, Medorum et Persarum (ab his enim vexatus est populus Dei), et significant quatuor vitia spiritualia.

Assyria. Chaldæi. Medi. Persæ.

Assyria *sublimis* interpretatur, et significat superbiam. Chaldæi, *feroces,* significant iram. Medi, *mensuratores,* et significant avaritiam. Persæ, *latera sua dissuentes,* significant invidiam. Isti enim per detractionem, latera, hoc est, confœderatos et amicos dissuunt. Vel, ut dicit Hieronymus, « quatuor animi passiones inordinatas, » et inducit versum Lucani :

Nunc cupiunt, metuunt, gaudentque, dolentque.

Cupiunt, ponit pro spe : quia quod sperat quis, cupit. Psal. LXXIV, 6 : *Nolite extollere in altum cornu vestrum.* Dan. VIII, 5 : *Hircus habebat cornu insigne inter oculos suos.*

« *Et dixi ad Angelum, qui loquebatur* 19
in me, » quærens scilicet interpretationem : « *Quid sunt hæc ?* » hoc est, Quid significant hæc ? In visione enim opus est interprete, eo quod in ænigmatibus et figuris proponitur. I ad Corinth. XIV, 5 : *Major est qui prophetat, quam qui loquitur linguis : nisi forte interpretetur, ut Ecclesia ædificationem accipiat.* « *Et dixit ad me,* » interpretando scilicet visa : « *Hæc sunt cornua,* » id est, potestates significatæ per cornua, « *quæ ventilaverunt Judam,* » hoc est, duas tribus, « *et Israel,* » hoc est, decem tribus, « *et Jerusalem,* » hoc est regnum. Per quæ significantur clerus, et populus, et religiosi. Ventilare autem est in omnem ventum ad vana dispergere. Dan. VIII, 8 : *Orta sunt quatuor cornua subter cornu magnum per quatuor ventos cœli.*

Et subdit de confractione cornuum : 20

Quatuor fabri secundum Judæos.

« *Et ostendit mihi Dominus quatuor fabros,* » destructores malorum, et constructores bonorum. Judæi dicunt primum fabrum esse Cyrum, qui destruxit Chaldæum et liberavit Judæos. Secundus est Esther et Mardochæus, qui destruxit quod fabricaverat Medus. Tertius, Judas Machabæus cum fratribus suis, qui destruxit quod fabricaverat Græcus. Quartus, Helius Adrianus, qui templum reædificavit, quod destruxerat Romanus, Titus scilicet et Vespasianus. Nos autem dicimus, quod isti quatuor fabri sunt amor Dei, timor Dei, dolor peccati, et gaudium internum. Amor Dei conterit

amorem mundi, timor Dei timorem humanum, dolor peccati tristitiam sæculi, internum gaudium vanum gaudium.

21 « *Et dixi,* » quærens scilicet illuminationem : « *Quid isti,* » scilicet fabri, « *veniunt facere ?* et intelligitur, quod malleos habebant in manibus extensos ad percutiendum. Jerem. XXIII, 29 : *Numquid non verba mea sunt quasi ignis, dicit Dominus : et quasi malleus conterens petram ?* Proverb. XIX, 29 : *Mallei percutientes parati sunt stultorum corporibus.*

« *Qui ait dicens,* » hoc est, me illuminans. « *Hæc sunt cornua,* » scilicet primæ visionis, « *quæ ventilaverunt,* » hoc est, disperserunt « *Judam,* » hoc est, duas tribus, vel clerum, vel Ecclesiam, « *per singulos viros.* » Non enim sufficit in communi vexare Sanctos, nisi ad singulos derivetur vexatio. « *Et nemo eorum levavit,* » id est, levare potuit « *caput suum,* » pondere scilicet tribulationum depressus. Psal. XXXVII, 5 : *Sicut onus grave gravatæ sunt super me.* Thren. I, 14 : *Vigilavit jugum iniquitatum mearum : in manu ejus convolutæ sunt, et impositæ collo meo.* « *Et venerunt isti,* » fabri scilicet, « *deterrere ea,* » cornua scilicet. Isa. LIV, 16 et 17 : *Ecce ego creavi fabrum sufflantem in igne prunas, et proferentem vas in opus suum : et ego creavi interfectorem ad disperdendum. Omne vas quod fictum est contra te, non dirigetur : et omnem linguam resistentem tibi in judicio, judicabis.* « *Ut dejiciant cornua Gentium,* » gentiliter scilicet viventium. Psal. LXXIV, 11 : *Omnia cornua peccatorum confringam.* « *Quæ levaverunt cornu,* » suæ scilicet potestatis, « *super terram Juda,* » Sanctorum scilicet, « *ut dispergerent eam.* » Psal. LXXIV, 6 : *Nolite extollere in altum cornu vestrum : nolite loqui adverus Deum iniquitatem.* Poeta :

Hoc discas verbum : frangit Deus omne superbum.

CAPUT II.

Apparet vir mensuraturus Jesuralem, quæ post captivitatem solutam vehementer replenda est habitatoribus : cui Deus pro muro erit : et afflictis Chaldæis ac cæteris qui filios Israel afflixerunt, multæ gentes una cum Sion lætæ venient ad serviendum Domino, quas ipse suscipiet in populum.

1. Et levavi oculos meos, et vidi, et ecce vir, et in manu ejus funiculus mensorum.
2. Et dixi : Quo tu vadis? Et dixit ad me : Ut metiar Jerusalem, et videam quanta sit latitudo ejus, et quanta longitudo ejus.
3. Et ecce angelus qui loquebatur in me egrediebatur, et angelus alius egrediebatur in occursum ejus.
4. Et dixit ad eum : Curre, loquere ad puerum istum, dicens : Absque muro habitabitur Jerusalem, præ multitudine hominum et jumentorum in medio ejus.
5. Et ego ero ei, ait Dominus, murus ignis in circuitu, et in gloria ero in medio ejus.
6. O, o fugite de terra aquilonis, dicit Dominus, quoniam in qua-

tuor ventos cœli dispersi vos, dicit Dominus.

7. O Sion ! fuge, quæ habitas apud filiam Babylonis :

8. Quia hæc dicit Dominus exercituum : Post gloriam misit me ad gentes quæ spoliaverunt vos : qui enim tetigerit vos, tangit pupillam oculi mei :

9. Quia ecce ego levo manum meam super eos, et erunt prædæ his qui serviebant sibi : et cognoscetis quia Dominus exercituum misit me.

10. Lauda, et lætare, filia Sion quia ecce ego venio, et habitabo in medio tui, ait Dominus.

11. Et applicabuntur gentes multæ ad Dominum in die illa, et erunt mihi in populum, et habitabo in medio tui : et scies quia Dominus exercituum misit me ad te.

12. Et possidebit Dominus Judam partem suam in terra sanctificata, et eliget adhuc Jerusalem.

13. Sileat omnis caro a facie Domini, quia consurrexit de habitaculo sancto suo.

IN CAPUT II ZACHARIÆ

ENARRATIO.

« *Et levavi oculos meos.* » Hic ostenditur civitatis futuræ reædificatio, et habet tres partes, scilicet ædificationis ostensionem, civium revocationem, ibi, ỳ, 6 : « *O, o,* » et habitantium exsultationem, et gratiarum actionem, ibi, ỳ. 19 : « *Lauda, et lætare.* »

1 In prima duo sunt, visio scilicet, et explanatio.

«*Et levavi oculos meos, et vidi.*» Psal. cxx, 1 : *Levavi oculos meos in montes, unde veniet auxilium mihi.* II Paral. xx, 12 : *Cum ignoramus quid agere debeamus, hoc solum habemus residui, ut oculos nostros dirigamus ad te.* « *Et ecce vir,* » Angelus scilicet principalis inter tres in specie viri, qui Christum significat, « *et in manu ejus funiculus mensorum,* » sive mensurantium. Mensura primum formale est ad quod refertur totum ædificium, et significat charitatem ex tribus complexam, scilicet, ut diligamus ex toto corde dulciter, ex tota mente sapienter, et ex omnibus viribus fortiter[1]. Eccle. iv, 12 : *Funiculus triplex difficile rumpitur.* Ezech. xl, 3 : *Ecce vir, cujus species quasi species æris, et funiculus lineus in manu ejus.*

ritatis plex ulu n.

« *Et dixi,* » supple, quærens illuminationem : « *Quo tu vadis ?* » hoc est, ad quem finem ? Joan. iii, 8 : *Nescis unde veniat, aut quo vadat.* « *Et dixit ad me,* » per illuminationem internam : « *Ut metiar Jerusalem,* » in locum scilicet sanctificationis, « *et videam,* » in possessionem habitationis : quod litteraliter describitur, Ezech. xlv et xlvi per totum. Spiritualiter autem, Apocal. xxi per totum. « *Quanta sit latitudo ejus, et quanta longitudo ejus,* » ab Oriente in Occidentem : sic enim etiam apud physicos latitudo et longitudo describitur civitatum. Spiritualiter autem latitudo est extensio charitatis usque ad inimicum. Psal. cxviii, 96 : *Latum mandatum tuum nimis.* Longitudo, perseverantia usque in finem. Matth. xxiv, 13 : *Qui perseveraverit usque in finem, hic salvus erit.* 2

Charitatis longitudo et latitudo.

[1] Cf. Matth xxii, 37.

3 Et subdit de interpretatione :

« *Et ecce Angelus, qui loquebatur in me, egrediebatur,* » supple, apparuit, et erat Angelus ministrans in illuminatione Prophetæ. Malach. III, 1 : *Ecce ego mitto Angelum meum, qui præparabit viam ante faciem meam.* « *Et Angelus alius,* » tertius scilicet, « *egrediebatur,* » ab intimis scilicet contemplationis ad ministerium, « *in occursum ejus,* » hoc est, mei Angeli, qui me illuminabat, quem dicit Hieronymus fuisse Gabrielem. Et ita fuerunt tres Angeli : Michael scilicet qui habebat funiculum et omnia disposuit, et Angelus prophetæ qui prophetam illuminavit, et Gabriel in medio discurrens a Michaele illuminationes accipiens, et ad Angelum prophetæ deferens. Dionysius in *cœlesti hierarchia* : « Lex divinitatis est per prima « media, et per media ultima reducere. » Simile, Daniel. VIII, 15 et 16 : *Ecce stetit in conspectu meo quasi species viri. Et audivi vocem viri inter Ulai : et clamavit, et ait : Gabriel, fac intelligere istum visionem.*

4 Et hoc est quod hic sequitur :

» *Et dixit ad eum,* » scilicet Michael ad Gabrielem : « *Curre,* » hoc est, festina. Proverb. VI, 3 : *Discurre, festina, suscita amicum tuum.* « *Loquere ad puerum istum, dicens.* » Puerum vocat prophetam, quia omnis sensus humanus puerilis est respectu cognitionis Angelorum. I ad Corinth. XIII, 11 : *Loquebar ut parvulus, sapiebam ut parvulus.* Jerem. I, 6 : *A, a, a, Domine Deus : ecce nescio loqui, quia puer ego sum.* « *Absque muro habitabitur Jerusalem.* » Psal. LXXXVI, 7 : *Sicut lætantium omnium habitatio est in te.* « *Præ multitudine hominum, et jumentorum.* » Jerem. XXXI, 27 : *Ecce dies veniunt, dicit Dominus, et seminabo domum Israel et domum Juda semine hominum, et semine jumentorum.* « *In medio ejus.* » Sensus est : Tanta erit multitudo hominum et jumentorum in medio civitatis, quod nullo muro circumcingi poterit : quod Judæi in aurea Jerusalem exspectant futurum, adeo ut splendor auri stercoribus jumentorum inquinetur. Nos autem dicimus factum esse in Ecclesia, in qua sunt homines, viri scilicet litterati et sapientes : et jumenta, simplices scilicet et idiotæ fideles. Psal. XXXV. 7 et 8 : *Homines, et jumenta salvabis, Domine, quemadmodum multiplicasti misericordiam tuam, Deus.*

Ecclesi[æ] multipli[ca]tio.

5 « *Et ego ero eis, ait Dominus Deus, murus,* » hoc est, defensio. Isaiæ, XXVI, 1 : *Urbs fortitudinis nostræ Sion : salvator ponetur in ea murus et antemurale.* Isa. XLIX, 14 : *Muri tui coram oculis meis semper.* « *Ignis in circuitu* » ejus, supple, ero consumens adversarios. Psal. XCVI, 3 : *Ignis ante ipsum præcedet, et inflammabit in circuitu inimicos ejus.* Ad Hebr. X, 27 : *Terribilis autem quædam exspectatio judicii, et ignis æmulatio, quæ consumptura est adversarios.* Deuter. IV, 24 : *Dominus Deus tuus ignis consumens est.* « *Et in gloria ero in medio ejus,* » scilicet, civitatis. Psal. LXXXVI, 4 : *Gloriosa dicta sunt de te, civitas Dei.* Ezech. XLVIII, 35 : *Nomen civitatis ex ille die : Dominus ibidem.* Gloriosus Deus in sanctis suis, mirabilis in majestate.

6 « *O, o.* » Posita mensura civitatis, ponit revocationem habitatorum, et dicit duo : revocationem, et ad reditum alliciens. Revocationem ponit duplicem : in communi scilicet, et in speciali.

« *O, o.* » Bis dicit *o*, propter oppressionem servitutis, spoliationem hostis, crudelitatem interficientis, et temporaliter et spiritualiter. Apocal. VIII, 13 : *Væ, væ, væ habitantibus in terra!* « *Fugite de terra Aquilonis, dicit Dominus,* » litteraliter et spiritualiter. Terra enim aquilonis nebulosa est et frigida propter

Terra A[qui]lonis fugien[da].

caliginem erroris contra fidem, et frigiditatem iniquitatis contra charitatem. Jerem. I, 14 : *Ab Aquilone pandetur malum super omnes habitatores terræ.* Eccli. XLIII, 22 : *Frigidus ventus Aquilo flavit, et gelavit crystallus ab aqua.* Unde diabolus sedet in lateribus Aquilonis. Isa. XIV, 13 : *Sedebo in monte testamenti, in lateribus Aquilonis.* Et ideo (ut dicit Dionysius in *ecclesiastica hierarchia*) « abrenuntiationes fiunt in baptismo, et Evangelium legitur contra « Aquilonem, ut renuntietur obscuræ et « frigidæ malitiæ. » « *Quoniam in quatuor ventos cœli dispersi vos, dicit Dominus*, » hoc est, ad quatuor plagas mundi, a quibus nunc volo congregare. Isa. XLIII, 5 et 6 : *Ab Oriente adducam semen tuum, et ab Occidente congregabo te. Dicam Aquiloni : Da : et Austro : Noli prohibere.* Isti quatuor venti, quatuor passiones sunt, spes vana, timor inutilis, gaudium mundi, tristitia sæculi. Daniel. VII, 2 : *Quatuor venti cœli pugnabant in mari magno.*

[Margin: Evangelium ...ur versus Aquilonem ...legendum ?]

bant ei. « *Post gloriam,* » quam scilicet facturus est vobis in terra vestra. Isa. LXII, 3 : *Eris corona gloriæ in manu Domini, et diadema regni in manu Dei tui.* « *Misit me ad gentes quæ spoliaverunt vos,* » ut scilicet illis prædicam pœnas quas passuri sunt. Abdiæ, ℣. 1 : *Auditum audivimus a Domino, et legatum ad gentes misit.* Quod non legitur factum in synagoga, sed in Ecclesia, quæ postquam glorificata est per Christum, Apostoli ad Gentes missi sunt [2].

Et quare ad gentes miserit, subdit : « *Qui enim tetigerit vos.* » Hieronymus : « Tactus pro vexatione accipitur : » « *tanget pupillam oculi mei.* Hieronymus : « Qui ergo Sanctos Dei tangit, « sic est quasi vexare cupiat pupillam « oculi Dei, ut illum privet clara luce, « de qua in Evangelio : *Vos estis lux « mundi* [3]. » Psal. CIV, 15 : *Nolite tangere christos meos, et in prophetis meis nolite malignari.* Sapient. III, 1 : *Justorum animæ in manu Dei sunt, et non tanget illos tormentum mortis.*

[Margin: Piorum persecutio offensa est Dei.]

7 Et subdit de revocatione in speciali : « *O Sion,* » tribus scilicet regalis, vel fidelis anima, « *surge* [1], » sursum te age. Ad Ephes. V, 14 : *Surge qui dormis, et exsurge a mortuis.* « *Quæ habitas apud filiam Babylonis,* » litteraliter et spiritualiter. Filia enim lasciviam, Babylon confusionem significat. Isaiæ, LII, 2 : *Consurge, sede, Jerusalem! solve vincula colli tui, captiva filia Sion.* Jerem. LI, 50 : *Qui fugistis gladium, venite, nolite stare : recordamini procul Domini, et Jerusalem ascendat super cor vestrum.*

[Margin: Babylon.]

8 Et subdit de allectivo ad veniendum : « *Quia hæc dicit Dominus exercituum,* » cui scilicet militat omne quod est. Daniel. VII, 10 : *Millia millium ministra-*

« *Quia ecce ego levo manum meam* 9
super eos, » Gentes scilicet, ut eos vel gladio materiali, vel gladio verbi interficiam. Eccli. XXXVI, 3 : *Alleva manum tuam super gentes alienas, ut videant potentiam tuam.* « *Et erunt prædæ,* » hoc est, ad prædandum « *his qui serviebant sibi,* » litteraliter et spiritualiter : salutari enim præda tracti sunt ad Ecclesiam. Isa. XI, 14 : *Volabunt in humeros Philistiim, per mare simul prædabuntur filios Orientis.* Isaiæ, IX, 3 : *Lætabuntur coram te, sicut qui lætantur in messe, sicut exsultant victores capta præda, quando dividunt spolia.* « *Et cognoscetis,* » sic, supple, per beneficia, « *quia Dominus exercituum misit me* » Matth. XXI, 37 : *Novissime ad eos misit filium suum, dicens : Verebuntur filium meum.*

[1] Vulg. habet, *fuge.*

[2] Cf. Act. XIII, 46.

[3] Matth. V, 4.

10 Et subdit de gratiarum actione :

« *Lauda, et lætare, filia Sion.* » Lauda virtutem, et lætare in bonis. Isaiæ, xxxv, 2 : *Exsultabit lætabunda et laudans.* « *Quia ecce ego venio,* » omnis boni fons et thesaurus. Aggæi, II, 8 : *Veniet Desideratus cunctis gentibus.* Tobiæ, XII, 3 : *Bonis omnibus per ipsum repleti sumus.* I Regum, IV. 7 : *Venit Deus in castra.* « *Et habitabo in medio tui, ait Dominus,* » ut scilicet omnibus sim communis. Ezechiel. XLIII, 7 : *Locus solii mei, et locus vestigiorum pedum meorum, ubi habito in medio filiorum Israel.* Joan. I, 14 : *Verbum caro factum est, et habitavit in nobis.* Baruch, III, 38 : *In terris visus est, et cum hominibus conversatus est.*

Deus in medio populi sui.

11 « *Et applicabuntur gentes multæ,* » ad fidem scilicet, et cultum veri Dei. Isaiæ, LX, 12 : *Gens et regnum quod non servierit tibi, peribit.* Psal. II, 8 : *Postula a me, et dabo tibi Gentes hæreditatem tuam.* « *Ad Dominum in die illa,* » quando scilicet lucebit clara veritas. Psal. CXVII, 24 : *Hæc est dies quam fecit Dominus.* « *Et erunt mihi in populum,* » subjectum scilicet et servientem. Deuter. III, 6 : *Te elegit Dominus, Deus tuus, ut sis ei populus peculiaris.* Psal. XVII, 45 : *Populus quem non cognovi, servivit mihi : in auditu auris obedivit mihi.* « *Et habitabo in medio tui,* » vel in templo, vel in corde. Psal. CXXXI, 13 : *Elegit Dominus Sion, elegit eam in habitationem sibi.* « *Et scies quia Dominus exercituum misit me ad te.* » Jeremiæ, XXXI, 34 : *Omnes cognoscent me, a minimo eorum usque ad maximum.*

12 « *Et possidebit Dominus Judam,* » redemptum scilicet a diis alienis. Isaiæ, XLIX, 25 : *Captivitas a forti tolletur : et quod ablatum fuerit a robusto, salvabitur.* « *Partem suam,* » hoc est, in sortem, a massa scilicet perditionis separatum. Deuter. XXXV, 9 : *Pars Domini populus ejus : Jacob funiculus hæreditatis ejus.* « *In terra sanctificata.* » supple, possidebit. Et alludit ei quod habetur, Ezechiel. XCV et XLVI, ubi terra dividitur in portiones sanctificatas. « *Et eliget adhuc Jerusalem,* » hoc est, ad Jerusalem pertinentes. Psal. CXXXI, 14 : *Hic habitabo, quoniam elegi eam.* Ad Galat. IV, 26 : *Illa quæ sursum est Jerusalem, libera est, quæ est mater nostra.*

13 Sequitur vox prophetæ, ut cuncta Creatori obediant :

Creat[illegible] cuncta [illegible] dian[illegible]

« *Sileat omnis caro a facie Domini.* » *Carnem* vocat homines propter infirmitatis defectibilitatem. Septuaginta habent, « timeat. » I Regum, II, 9 : *Impii in tenebris conticescent.* Jerem. X, 7 : *Quis non timebit te, o Rex Gentium? tuum est decus : inter cunctos sapientes Gentium, et in universis regnis eorum nullus est similis tui.* « *Quia consurrexit,* » in potentia scilicet miraculorum, et ostensione virtutis. Matth. VIII, 26 : *Surgens Jesus, imperavit ventis et mari, et facta est tranquillitas magna.* « *De habitaculo sancto suo,* » vel de templo, vel (quod verius est) de Christo homine. Amos, I, 2 : *Dominus de Sion rugiet, et de Jerusalem dabit vocem suam.*

CAPUT III.

Jesus sacerdos exutus sordidis, induitur mutatoriis, qui judicaturus est domum Domini, si in viis ipsius ambulet : adducet Dominus servum suum orientem : et de lapide agit super quem septem oculi sunt.

1. Et ostendit mihi Dominus Jesum, sacerdotem magnum, stantem coram angelo Domini : et Satan stabat a dextris ejus ut adversaretur ei.
2. Et dixit Dominus ad Satan : Increpet Dominus in te, Satan! et increpet Dominus in te, qui elegit Jerusalem! Numquid non iste torris est erutus de igne?
3. Et Jesus erat indutus vestibus sordidis, et stabat ante faciem angeli.
4. Qui respondit, et ait ad eos qui stabant coram se, dicens : Auferte vestimenta sordida ab eo. Et dixit ad eum : Ecce abstuli a te iniquitatem tuam, et indui te mutatoriis.
5. Et dixit : Ponite cidarim mundam super caput ejus. Et posuerunt cidarim mundam super caput ejus, et induerunt eum vestibus : et angelus Domini stabat.
6. Et contestabatur angelus Domini Jesum, dicens :
7. Hæc dicit Dominus exercituum : Si in viis meis ambulaveris, et custodiam meam custodieris, tu quoque judicabis domum meam, et custodies atria mea, et dabo tibi ambulantes de his qui nunc hic assistunt.
8. Audi, Jesu, sacerdos magne, tu et amici tui, qui habitant coram te, quia viri portendentes sunt : Ecce enim ego ADDUCAM SERVUM MEUM ORIENTEM [1].
9. Quia ecce lapis quem dedi coram Jesu : super lapidem unum septem oculi sunt : ecce ego cælabo sculpturam ejus, ait Dominus exercituum, et auferam iniquitatem terræ illius in die una.
10. In die illa, dicit Dominus exercituum, vocabit vir amicum suum subter vitem et subter ficum.

IN CAPUT III ZACHARIÆ

ENARRATIO.

« *Et ostendit mihi Dominus.* » Hic agitur de restitutione sacerdotii et dignitatis, et habet tres partes, scilicet statum indignitatis, signum restitutæ dignitatis, ibi, ℣. 4 : « *Qui respondit, et ait ad eos qui stabant coram se :* » et modum conversationis adeptæ dignitatis, ibi, ℣. 6 : « *Et contestabatur Angelus Domini.* »

[1] Luc. 1, 78.

In prima ponitur Sacerdotis ostensio, resistentis et impedientis ablatio, et humiliationis pristinæ descriptio.

1 « *Et ostendit mihi Dominus,* » in visione scilicet. Psal. LXXXVIII, 20: *Tunc locutus es in visione sanctis tuis.* « *Jesum, sacerdotum magnum.* » Eccli. L, 4 : *Sacerdos magnus, qui in vita sua suffulsit domum, et in diebus suis corroboravit templum.* Ad Hebr. VIII, 1 : *Talem habemus pontificem, qui consedit in dextera sedis magnitudinis in cœlis.* « *Stantem coram Angelo Domini,* » orantem pro reditu populi. II Machab. XV, 14 : *Hic est fratrum amator, et populi Israel : hic est, qui multum orat pro populo, et universa sancta civitate.* Et propter hoc figura est Domini nostri Jesu Christi : ille enim proprium sanguinem offerens, oravit pro nobis. Ad Hebr. V, 9 : *Filius Dei... factus est omnibus obtemperantibus sibi causa salutis æternæ.* Dicitur autem *stare coram Angelo,* quia et Angelus in persona Domini apparens, pro reditu populi laborabat : vel forte ut Angelum adjutorem haberet et intercessorem. Psal. CII, 20 : *Benedicite Domino, omnes Angeli ejus.*

Jesus sacerdos typus est Christi.

Et subdit de ablatione impedimenti : « *Et Satan* » hoc est, adversarius diabolus, « *stabat.* » Stare pertinaciam malitiæ significat. « *A dextris ejus,* » ut scilicet bonis ejus quæ per dexteram significantur, adversaretur, « *ut adversaretur ei,* » hoc est, precibus ejus. I Petr. V, 8 et 9 : *Adversarius vester diabolus tamquam leo rugiens circuit, quærens quem devoret : cui resistite fortes in fide.* Ad Ephes. VI, 12 : *Non est nobis colluctatio adversus carnem et sanguinem,* supple, tantum : *sed adversus drincipes, et potestates, adversus mundi rectores tenebrarum harum, contra spiritualia nequitiæ, in cœlestibus.* Psal. XC, 7 : *Cadent a latere tuo mille, et decem millia a dextris tuis : ad te autem non appropinquabit.* 2

« *Et dixit Dominus ad Satan,* » hoc est : Angelus in persona Domini. Marc. XVI, 17 : *In nomine meo dæmonia ejicient.* « *Increpet Dominus in te, Satan !* » hoc est, increpatio Domini nocendi auferat tibi potestatem. Increpatio enim Domini, restrictio potestatis diaboli est. Psal. LXVII, 31 : *Increpa feras arundinis.* « *Et increpet Dominus in te,* » id est, restringat malitiam tuæ voluntatis. Deuter. XXXIII, 27 : *Ejiciet a facie tua inimicum, dicetque : Conterere.* Ad Roman. XVI, 20 : *Deus pacis conterat Satanam sub pedibus vestris velociter.* « *Qui elegit Jerusalem,* » spiritualem plus quam litteralem. Psal. CXXXI, 13 : *Quoniam elegit Dominus Sion : elegit eam in habitationem sibi.*

Et subdit de statu pristinæ humiliationis, et dicit duo : scilicet pristinæ humiliationis utilitatem, et humiliationis significationem.

Torris.

« *Numquid non iste torris est ?* » *Torris* est titio in quo pars consumpta est per ignem, et pars remansit. « *Erutus de igne,* » captivitatis scilicet, et tribulationis. Et vult dicere quod jam purgatus sit, eo quod cremabile peccati per afflictionem captivitatis consumptum sit, reliquum vero reservandum sit ad ædificium spirituale. Sap. III, 6 : *Tamquam aurum in fornace probavit illos,* scilicet justos, *et quasi holocausti hostiam accepit illos.* Et ibidem, ℣. 5 : : *Et invenit illos dignos se.* Psal. XXV, 2 : *Proba me, Domine, et tenta me : ure renes meos, et cor meum.* Item, CXXXVIII, 24 : *Et vide, si via iniquitatis in me est*[1].

3 Et subdit de humiliationis significatione :

« *Et Jesus erat indutus vestibus sordidis.* » Hæc vestimenta sordida litteraliter

[1] Psal. CXXXVIII, 23 et 24 : *Proba me, Deus, et scito cor meum : interroga me, et cognosce semitas meas. Et vide,* etc.

significant, quod populus inquinatus erat alienigenis uxoribus, sicut dicitur, II Esdræ, XIII, 24 : *Et filii eorum ex media parte loquebantur Azotice*, et *nesciebant loqui Judaice*. Isaiæ, LXIII, 3 : *Omnia indumenta mea inquinavi*. Isaiæ, LXIV, 6 : *Facti sumus ut immundus omnes nos*. Mystice autem significant humillimæ carnis assumptionem, peccatrici carni similem. Ad Philip. II, 7 : *Semetipsum exinavit formam servi accipiens, in similitudinem hominum factus, et habitu inventus ut homo*. Hoc dicitur sordidum, quia pœnalitates in eo fuerunt peccatorum. II ad Corinth. V, 21 : *Eum, qui non noverat peccatum, pro nobis peccatum fecit, ut nos efficeremur justitia Dei in ipso*. Unde etiam cum peccatoribus damnatus est. Isa. LIII, 12 : *Cum sceleratis reputatus est*. Psal. XVI, 4 : *Propter verba labiorum tuorum ego custodivi vias duras*. « *Et stabat ante faciem Angeli*, » Jesus scilicet orans et supplicans pro commissis. Joan. XVII, 9 : *Pro eis rogo : non pro mundo rogo*.

Vestimenta Christi sordida.

4 « *Qui*, » scilicet Angelus, « *respondit*, » adversationi scilicet Satanæ. Isa. XXXVIII, 14 : *Domine, vim patior, responde pro me*. « *Et ait ad eos*, » alios scilicet Angelos, « *qui stabant coram se*, » ministerium scilicet reddentes ad redemptionem populi. Ad Hebr. I, 14 : *Nonne omnes sunt administratorii spiritus, in ministerium missi propter eos qui hæreditatem capiunt salutis ?* « *Dicens*, » hoc est, de restituenda dignitate præcipiens : « *Aufere vestimenta sordida ab eo*, » vel scilicet squalorem carceris, vel inquinamenta uxorum alienigenarum, vel in Domino nostro Jesu Christo depositionem mortalitatis. Baruch, V, 1 : *Exue te, Jerusalem, stola luctus, et vexationis tuæ*. Ad Ephes. IV, 22 : *Deponite vos secundum pristinam conversationem veterem hominem, qui corrumpitur secundum desideria erroris*. « *Et dixit ad eum*, » Sacerdotem scilicet : « *Ecce abstuli a te iniquitatem tuam*, » id est, signum iniquitatis populi tui, « *et indui te mutatoriis*, » diversis scilicet ornamentis. Genes. XLI, 14 : *Eductum de carcere Joseph totonderunt, ac veste mutata obtulerunt regi*. Baruch, V, 1 : *Indue te decore, et honore ejus, quæ a Deo tibi est, sempiternæ gloriæ*. Psal. XXIX, 12 : *Conscidisti saccum meum, et circumdedisti me lætitia*.

5 « *Et dixit*, » Angelus scilicet in persona Domini : « *Ponite cidarim mundam super caput ejus*. » Glossa, id est, mitram per quam sacerdotii dignitas designatur, et litteraliter et spiritualiter. Eccli. XLV, 14 : *Corona aurea super mitram ejus expressa signo sanctitatis, et gloria honoris : opus virtutis, et desideria oculorum ornata*. Baruch, V, 2 : *Imponet mitram capiti honoris æterni*. Hæc est mitra pontificis, « in circulo significans pontificis maturitatem, quæ æternitatis est similitudo (ut dicit Beatus Bernardus), in auro regalis sacerdotii auctoritatem, in lapidibus virtutum radiationem, in cornibus verbum veritatis et virtutis, in opere fortitudinem, ad ventilandum omne peccatum et omnem errorem : in trescis dependentibus cum fimbriis, populi cum capite colligationem per vinculum geminæ charitatis. » « *Et posuerunt cidarim super caput ejus, et induerunt eum vestibus*, » albis scilicet, candidationem luminis significantibus. Eccle. IX, 8 : *Omni tempore sint vestimenta tua candida*. Isaiæ, LXI, 10 : *Induit me Dominus vestimentis salutis : et indumento justitiæ circumdedit me*. Apocal. III, 4 : *Qui non inquinaverunt vestimenta sua: et ambulabunt mecum in albis, quia digni sunt*.

Cidaris.

Mitræ episcopalis significatio.

Et subjungit de dignitatis confirmatione, in tribus, scilicet in custodia legis, in restitutione regni et regis, in securitate pacis.

« *Et Angelus Domini* » in persona

scilicet Domini, « *stabat,* » paratus scilicet juvare. Joan. I, 26 : *Medius vestrum stetit, quem vos nescitis.*

7 « *Et contestabatur Angelus Domini,* » id est, per testimonia Patrum sanctorum protestabatur. Job, x, 17 : *Instauras testes tuos contra me.* « *Jesum,* » Sacerdotem magnum scilicet, « *dicens : Hæc dicit Dominus exercituum,* » potens scilicet, sciens, et volens : « *Si in viis meis,* » hoc est, in mandatis meis, « *ambulaveris,* » hoc est, profeceris. Isa. II, 3 : *Docebit nos vias suas, et ambulabimus in semitis ejus.* Psal. CXVIII, 1 : *Beati immaculati in via, qui ambulant in lege Domini.* « *Et custodiam meam custodieris,* » templum scilicet, vel præcepta. Joan. XIV, 15 : *Si diligitis me, mandata mea serva te.* Proverb. III, 1 : *Fili mi, ne obliviscaris legis meæ, et præcepta mea cor tuum custodiat.*

« *Tu quoque judicabis domum meam,* » hoc est, familiam. Glossa : « Tamquam « pontifex. » Isa. XXII, 22 : *Dabo clavem domus David super humerum ejus : et aperiet, et non erit qui claudat : et claudet, et non erit qui aperiat.* « *Et custodies atria mea.* » *Atria* significant receptacula fidelium in Ecclesia, secundum diversos vivendi modos. Psal. XCV, 9 : *Adorate Dominum in atrio sancto ejus.* Item, Psalm. CXXI, 2 : *Stantes erant pedes nostri, in atriis tuis, Jerusalem.*

Atria Ecclesiæ.

Et promittit ministros in partem sollicitudinis assumendos :

« *Et dabo tibi ambulantes,* » in ministerio tuo scilicet. Numer. XI, 17 : *Auferam de spiritu tuo, tradamque septuaginta viris, ut sustentent tecum onus populi, et non tu solus graveris.* Hoc impletum est, Lucæ, X et XI, ubi elegit Dominus et alios septuaginta duos Discipulos, et misit eos in omnem civitatem et locum, quo erat ipse venturus[1]. « *De his, qui hic nunc assistunt.* » Per quod innuitur, quod eligendus in Prælatum, et coram Domino assistere debet, et de collegio esse. Act. I, 21 et 22 : *Oportet ergo ex his viris, qui nobiscum sunt congregati in omni tempore, quo intravit et exivit inter nos Dominus Jesus, incipiens a baptismate Joannis usque in diem qua assumptus est a nobis, testem resurrectionis ejus nobiscum fieri unum ex istis.* Osee, II, 15 : *Dabo ei vinitores ex eodem loco.*

Et subdit de restitutione regni : 8

« *Audi, Jesu, sacerdos magne.* » Per te enim alii debent audire : propter hoc enim pontifex est, quasi medius inter populum et Deum, ut Deum audiat et populo nuntiet Dei voluntatem. Exod. XVIII, 19 : *Esto tu populo in his quæ ad Deum pertinent, ut referas quæ dicuntur ad eum.* « *Tu et amici tui,* » subministri scilicet. Joan. XV, 15 : *Vos dici amicos : quia omnia quæcumque audivi a Patre meo, nota feci vobis.* « *Qui habitant coram te.* » Innuit quod familia oculis Prælati sæpe visitanda est. Prov. XXXI, 27 : *Consideravit semitas domus suæ.* « *Quia viri portendentes sunt,* » id est, qui magna portendant et promittant in futurum. Ezech. XII, 11 : *Ego portentum vestrum : quomodo feci, sic fiet illis.* Isaiæ, VIII, 18 : *Ego et pueri mei, quos dedit mihi Dominus in signum, et in portentum Israel a Domino exercituum.* « *Ecce enim ego adducam,* » coram te scilicet ungendum et sanctificandum, « *servum meum Orientem.* » *Servum* dicit ab actu serviendi. Psal. CXV, 16 : *O Domine, quia ego servus tuus.* *Orientem* dicit, quia subter eum (ut infra quarto dicitur) omne bonum orietur. Quod Judæi de Zorobabel exponunt : sed quia non legitur, melius exponitur de Christo, de quo Malach. IV, 2 : *Orie-*

Pontifex medius est inter Deum et populum.

[1] Luc. x, 1 : *Post hæc autem designavit Dominus et alios septuaginta duos : et misit illos binos ante faciem suam,* etc.

tur vobis timentibus nomen meum Sol justitiæ, et sanitas in pennis ejus. Isa. LX, 2 : *Super te orietur Dominus, et gloria ejus in te videbitur.*

9 « *Quia ecce lapis.* » Eumdem vocat lapidem quem vocavit Orientem pro stabilitate virtutis et constantia mentis. Job, v, 23 : *Cum lapidibus regionum* erit *pactum tuum.* Matth. XVI, 18 : *Super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam.* « *Quem dedi coram Jesu,* » ut scilicet in doctrina sacerdotis, et præsit et prosit. Sic David fuit unctus a Samuele[1]. « *Super lapidem unum,* » hoc est, unicum ex aliis electum, « *septem oculi sunt,* » hoc est, septem circumspectiones, sex ad proximum disponendum, et una ad Deum : adspexit enim ad superiores qualiter præessent, ad inferiores qualiter subessent, a dextris qualiter boni proficerent, a sinistris qualiter mali corrigerentur, ante quid in futurum provideretur, retro quid ex præterito memoriæ commendaretur. Septimo ad Deum adspexit, qualiter per orationem continuo populo placaretur. Istæ sunt septem lucernæ in candelabro tabernaculi[2] : Et *septem spiritus, qui in conspectu throni Dei sunt*[3].

Christus oriens et lapis dicitur.

Prælatorum septem sunt oculi

Et subdit de ornatu algamatis in lapide :

« *Ecce ego cælabo,* » hoc est, sculpam « *sculpturam ejus,* » scilicet lapidis, « *ait Dominus exercituum,* » ut scilicet figura potestatis et virtutis meæ in ipso appareat. Isa. LIV, 12 : *Ponam portas tuas in lapides sculptos, et omnes terminos tuos in lapides desiderabiles.* « *Et auferam iniquitatem terræ illius,* » possessive, id est, suæ. Et loquitur de lapide per modum politionis : politione enim lapidis scabrositas aufertur, et splendor acquiritur.

« *In die una :* » quæ dies redemptionis nostræ fuit. Apoc. I, 5 : *Dilexit nos, et lavit nos a peccatis nostris in sanguine suo.* Michææ, VII, 18 : *Quis Deus similis tui, qui aufers iniquitatem, et transis peccatum reliquiarum hæreditatis tuæ ?*

Et subdit de securitate pacis : 10

« *In die illa,* » lucente scilicet clara gratia, « *dicit Dominus exercituum.* » Psal. CXVII, 24 : *Hæc est dies quam fecit Dominus.* « *Vocabit,* » hoc est, advocabit, « *vir amicum suum,* » charitate scilicet conjunctum, « *subter vitem,* » id est, ad communicationem æternorum gaudiorum. Isaiæ, V, 7 : *Vinea Domini exercituum domus Israel est : et vir Juda germen ejus delectabile.* Cant. VII, 9 : *Guttur tuum sicut vinum optimum, dignum dilecto meo ad potandum, labiisque et dentibus illius ad ruminandum.* « *Et subter ficum,* » hoc est, ad communicationem dulcedinis in fructu virtutis. Joan. I, 48 : *Cum esses sub ficu, vidi te.*

[1] Cf. I Regum, XVI, 13.
[2] Cf. Exod. XXV, 35.
[3] Apocal. I, 4.

CAPUT IV.

De candelabro aureo cum duabus olivis, lapide primario et stanneo, ac septem oculis Domini, et horum interpretatio : quodque templum a Zorobabel fundatum, ab ipso consummabitur.

1. Et reversus est angelus, qui loquebatur in me, et suscitavit me, quasi virum qui suscitatur de somno suo.
2. Et dixit ad me : Quid tu vides? Et dixi : Vidi, et ecce candelabrum aureum totum, et lampas ejus super caput ipsius, et septem lucernæ ejus super illud, et septem infusoria lucernis quæ erant super caput ejus.
3. Et duæ olivæ super illud: una a dextris lampadis, et una a sinistris ejus.
4. Et respondi, et aio ad angelum qui loquebatur in me, dicens : Quid sunt hæc, domine mi?
5. Et respondit angelus qui loquebatur in me, et dixit ad me : Numquid nescis quid sunt hæc? Et dixi : Non, domine mi.
6. Et respondit, et ait ad me, dicens : Hoc est verbum Domini ad Zorobabel, dicens : Non in exercitu, nec in robore, sed in spiritu meo, dicit Dominus exercituum.
7. Quis tu, mons magne, coram Zorobabel? In planum : et educet lapidem primarium, et exæquabit gratiam gratiæ ejus.
8. Et factum est verbum Domini ad me, dicens :
9. Manus Zorobabel fundaverunt domum istam, et manus ejus perficient eam : et scietis quia Dominus exercituum misit me ad vos.
10. Quis enim despexit dies parvos? Et lætabuntur, et videbunt lapidem stanneum in manu Zorobabel. Septem isti oculi sunt Domini, qui discurrunt in universam terram.
11. Et respondi, et dixi ad eum : Quid sunt duæ olivæ istæ, ad dexteram candelabri, et ad sinistram ejus?
12. Et respondi secundo, et dixi ad eum : Quid sunt duæ spicæ olivarum quæ sunt juxta duo rostra aurea in quibus sunt suffusoria ex auro?
13. Et ait ad me, dicens : Numquid nescis quid sunt hæc? Et dixi : Non, domine mi.
14. Et dixit : Isti sunt duo filii olei, qui assistunt Dominatori universæ terræ.

IN CAPUT IV ZACHARIÆ

ENARRATIO.

« *Et reversus est Angelus.* » Hic agitur de templi restitutione, et hoc per candelabrum quod et major decor erat templi, et non nisi templo jam perfecto in templum inferebatur. Et habet duas partes. In prima ponitur visio. In secunda explanatio, ibi, ℣. 4 : « *Et respondi, et aio ad Angelum.* »

In prima duo sunt : excitatio scilicet videntis ad videndum, et ostensio visionis.

1 « *Et reversus est Angelus, qui loquebatur in me,* » non de loco ad locum, sed de ostensione unius visionis ad ostensionem alterius. Eccle. I, 6 : *Lustrans universa in circuitu pergit spiritus, et in circulos suos revertitur.* « *Et suscitavit me, quasi virum, qui suscitatur de somno suo.* » *Quasi* dicit, quia non erat verus somnus, sed « hæc est fragili« tas conditionis humanæ (ut dicit Gre« gorius) quod ostensa divina luce in « seipsam repercutitur, et quasi consopi« ta cadit. » Sic discipuli ceciderunt in monte[1]. Daniel. x, 16 : *Domine mi, in visione tua solutæ sunt compages meæ, et nihil in me remansit virium. Suscitare* autem est ad exteriora videnda excitare. Unde Glossa, « de somno suæ « quietis scilicet, vel ignorantiæ. » Ad Ephes. v, 14 : *Surge qui dormis, et exsurge a mortuis, et illuminabit te Christus.* Item, alia Glossa : « Qui dor« mit illo somno, de quo dicitur, Joan. « XI, 12 : *Si dormit, salvus erit :* potest « cantare cum sponsa, Cant. v, 2 : « *Ego dormio, et cor meum vigilat.* »

2 « *Et dixit ad me,* » supple, jam excitatum. Daniel. x, 19 : *Loquere, domine mi, quia confortasti me.* « *Quid tu vides ?* » Ostensio visionis tangitur hic, et fuit visio imaginaria sive spiritualis. Dicit enim Augustinus super cap. XII Genes. ad litteram quod « spiritus est vis quæ« dam mente inferior, in qua imagines « rerum describuntur. » In hanc enim possunt Angeli imprimendo formas sub quibus futura demonstrantur.

Spiritus vis est animæ mente inferior.

« *Et dixi,* » Angelo scilicet respondens : « *Vidi,* » hoc est, imaginaria visione percepi, quod ostendis. Job, XIII, 1 : *Ecce omnia hæc vidit oculus meus, et audivit auris mea, et intellexi singula.* « *Et ecce candelabrum aureum totum.* » Duo continet visio : ostensionem candelabri, et ostensionem olivarum. Candelabrum autem describit in materia, in usu, in numero lucernarum, et numero infusoriorum. « *Ecce candelabrum aureum totum.* » Exod. xxv, 31 : *Facies et candelabrum ductile de auro mundissimo.* Et subdit usum : « *Et lampas ejus,* » flamma scilicet luminis. Et propter similitudinem facturæ, licet septem lampades essent, in singulari tamen dixit, *lampas.* « *Super caput ipsius,* » candelabri scilicet. Cant. VIII, 6 : *Lampades ejus, lampades ignis atque flammarum.* Et subdit de numero : « *Et septem lucernæ ejus,* » candelabri scilicet, « *super illud.* » Stabat enim una super hastile medium, et sex super tres calamos inde ad æqualitatem hastilis in summitatem porrectos : sicut dicitur, Exod. xxv, 31 et seq. « *Et septem infusoria,* » quæ erant vasa aurea in candelabro juxta lucernas pendentia, in quibus oleum purissimum reservabatur, et lampadibus infundebatur. Et hoc est quod sequitur : « *Lucernis quæ erant super caput ejus,* » candelabri scilicet adhibita.

Hieronymus dicit, quod Hebræus dicit, quod per candelabrum significatur lex, vel sacra Scriptura : per lampadem

[1] Cf. Matth. XVII, 6.

vel Christus, vel intellectus spiritualis. Lucæ, xi, 33 : *Nemo lucernam accendit, et in abscondita ponit, neque sub modio : sed super candelabrum.* Apocal. i, 13 : *Et in medio candelabrorum aureorum*, etc. Per septem lucernas, septem dona sancti Spiritus, vel septem circumspectiones Prælatorum, de quibus in antecedenti capitulo dictum est. Isaiæ, lxii, 7 : *Donec egrediatur ut splendor justus ejus, et salvator ejus velut lampas accendatur.* Per septem infusoria, septem genera significantur virtutum, quibus et lumen veritatis et ardor charitatis nutritur, de quarum tribus dicitur, I ad Corinth. xiii, 13 : *Nunc autem manent fides, spes, charitas, tria hæc.* De quatuor aliis, Sap. viii, 7 : *Sobrietatem, et prudentiam docet, et justitiam, et virtutem, quibus utilius nihil est in vita.* Sobrietatem vocat temperantiam, et virtutem fortitudinem.

3 « *Et duæ olivæ.* » Subdit hic de ostensione olivarum, quarum fructu veritas (quæ secundum pietatem est) nutritur : non enim incongrue candelabrum ad Doctorem vel Prælatum refertur. De Prælatis enim dicitur, Luc. xii, 35 : *Lucernæ ardentes in manibus vestris* : et tunc septem infusoria septem sunt sacræ Scripturæ studia, litterale scilicet ad veritatem, allegoricum ad fidem, tropologicum ad mores, anagogicum ad spem quæ est de æternis, disputativum ad exteriores convincendos. Ad Tit. i, 9 : *Amplectentem eum, qui secundum doctrinam est, fidelem sermonem : ut potens sit exhortari in doctrina sana, et eos qui contradicunt arguere.* Sextum est studium exhortationis ad bonos ut proficiant. Septimum, studium increpationis ad duros et obstinatos ne noceant. II ad Timoth. iv, 2 : *Argue, obsecra, increpa in omni patientia, et doctrina.*

Scripturæ sacræ septem sunt studia.

Duæ autem olivæ secundum Hebræos, Jesum, sacerdotem magnum, et Zorobabel significant. Secundum nos autem, duo testamenta, fructum pietatis ministrantia. Osee, xiv, 7 : *Erit quasi oliva gloria ejus.* Vel duos principes, Petrum et Paulum. Paulus enim in præputio, et Petrus in circumcisione Ecclesiam plantaverunt. Psal. li, 10 : *Ego autem sicut oliva fructifera in domo Dei.* Vel Eliam et Enoch in fine mundi, humorem pietatis ministrantes. Apoc. xi, 4 : *Hi sunt duæ olivæ, et duo candelabra in conspectu Domini terræ stantes.* Vel Christum secundum divinam et humanam naturam. Jerem. xi, 16 : *Olivam uberem, pulchram, fructiferam, speciosam vocavit Dominus nomen tuum.*

« *Super illud,* » candelabrum scilicet : videbantur enim rami olivarum expandi super candelabrum et super lucernas, ut ex ramis exprimeretur oleum in infusoria, et ex illis in lucernas funderetur. « *Una a dextris lampadis,* » ad spiritualia scilicet illuminans, « *et alia a sinistris ejus,* » lampadis scilicet, illuminans qualiter disponenda sint temporalia, ut scilicet omnis via lucida sit, et impleatur illud Joan. i, 9 : *Erat lux vera, quæ illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum.* Et illud Christi, Joan. viii, 12 : *Qui sequitur me, non ambulat in tenebris.*

« *Et respondi.* » De ostensis petit hic illuminationem et expositionem, et bis exponit, semiplene scilicet, et plene, ibi, « *Et factum est verbum Domini.* » 4

« *Et respondi,* » potius scilicet visioni quam loquenti, « *et aio ad Angelum, qui loquebatur in me, dicens,* » per desiderium scilicet illuminationis : « *Quid sunt hæc,* » hoc est, quid significant hæc, « *domine mi?* » Dominum vocat Angelum, quia in persona Dei illuminantis apparuit.

« *Et respondit Angelus, qui loquebatur in me, et dixit ad me* : » quod in occulto contemplationis fieri consuevit. 5

Job, IV, 12 : *Quasi furtive suscepit auris mea venas susurri ejus.* « *Numquid nescis ?* » Ista explanatio increpationem habet, et impedimenti ablationem. « *Numquid nescis quid sunt hæc?* » Increpat, quia ex collocatione præcedentis visionis, et istius, intellectum scire poterat : et quia istam collationem non fecit, increpat, ut eum excitet ad attentionem. « *Et dixi : Non, domine mi.* » Reverenter loquitur, ut inclinet ad illuminandum.

6 « *Et respondit, et ait ad me, dicens : Hoc est verbum Domini,* » quod scilicet in hac visione ostendit tibi, « *ad Zorobabel,* » supple, directum, « *dicens,* » supple, istud quod sequitur : « *Non in exercitu, nec in robore,* » supple, implebit quod dixit, nec in multitudine, nec in robore bellatorum, nec propria virtute. Judic. VII, 2 : *Multus tecum est populus, nec tradetur Madian in manu ejus : ne glorietur contra me Israel, et dicat : Meis viribus liberatus sum.* I ad Corinth. I, 28 et 29 : *Ignobilia mundi, et contemptibilia elegit Deus, et ea, quæ non sunt, ut ea quæ sunt destrueret : ut non glorietur caro in conspectu ejus.* « *Sed in spiritu meo,* » supple, fiet reductio populi et a Chaldæis et a diabolo, « *dicit Dominus exercituum.* » Spiritus enim vector virtutis est, et ad conterendas potestates contrarias, et ad facienda miracula, et ad cordium conversionem. II Machab. III, 24 : *Spiritus omnipotentis Dei magnam fecit suæ ostensionis evidentiam, ita ut omnes, qui ausi fuerant parere ei, ruentes Dei virtute, in dissolutionem et formidinem converterentur.*

7 Et subdit de ablatione impedimenti:

« *Quis tu, mons magne, coram Zorobabel?* » supple, es. Montem magnum regnum Chaldaicum vocat, vel diabolum propter superbiam. Et est sensus, quod magnitudo sæcularis contra spiritum Domini nihil est. Et hoc est quod sequitur : « *In planum.* » Glossa : « Prostratus « eris ab alto, ut ab omnibus scilicet « plane conculceris. » Jerem. LI, 25 : *Ecce ego ad te, mons pestifer, ait Dominus, qui corrumpis universam terram : et extendam manum meam super te, et evolvam te de petris, et dabo te in montem combustionis.* Matth. XXI, 21 : *Si monti huic dixeritis : Tolle, et jacta te in mare, fiet.* Illo autem humiliato, ostendit quid fiet de Zorobabel qui Christum significat : « *Et educet lapidem primarium,* » hoc est, de humilitate ad publicum : *lapidem* propter stabilitatem, *primarium* quia in fundamento locatum, sicut lapis primarius in ædificio sacro ponitur. Isa. XXVIII, 16 : *Ecce ego mittam in fundamentis Sion lapidem, lapidem probatum, angularem, pretiosum, in fundamento fundatum.* « *Et exæquabit gratiam gratiæ ejus,* » ut scilicet sicut patres liberavit, ita faciat filiis : et per Christum etiam multo majorem gratiam fecit. Joan. I, 16 : *De plenitudine ejus nos omnes accepimus, et gratiam pro gratia.*

Et subdit de pleniori expositione : 8-9

« *Et factum est verbum Domini ad me, dicens,* » per singula scilicet explanans :

« *Manus Zorobabel,* » hoc est, labores et opera, « *fundaverunt domum istam,* » hoc est, fundare cœperunt. I ad Corinth. III, 10 : *Ut sapiens architectus fundamentum posui.* « *Et manus ejus perficient eam,* » ut scilicet nihil desit in ulla gratia. Deuter. XXXII, 4 ; *Dei perfecta sunt opera.* III Reg. VI, 38 : *Perfecta est domus in omni opere suo, et in universis utensilibus suis.* « *Et scietis quia Dominus exercituum misit me ad vos,* » quando scilicet meum complebitur vaticinium. Eccli. XXXVI, 18 : *Da mercedem, Domine, sustinentibus te, ut prophetæ tui fideles inveniantur.*

10 Bene dico quod perficient : « *Quis enim despexit dies parvos?* » hoc est, quantus et quam mirabilis est, qui principium sæcularium dies parvos despicit, in quibus superbire possunt, ut nihil penitus propter illorum timorem dimittat de operibus Dei. I Machab. II, 62 et 63 : *A verbis viri peccatoris ne timueritis : quia gloria ejus stercus, et vermis est : hodie extollitur, et cras non invenietur.* Isaiæ, LI, 12 : *Quis tu ut timeres ab homine mortali?* Psal. XXXVI, 35 et 36 : *Vidi impium superexaltatum, et elevatum sicut cedros Libani. Et transivi, et ecce non erat.*

Opus Dei timore tyrannorum non deserendum.

« *Et lætabuntur,* » supple, subjecti Zorobabel, vel Christo. Isa. IX, 3 : *Lætabuntur coram te, sicut qui lætantur in messe.* « *Et videbunt,* » Prælatum suum scilicet, « *lapidem stanneum :* » *lapidem* propter firmitatem, *stanneum* propter stanni proprietatem. « Stannum enim « (ut dicit Hieronymus) metalla conser« vat ne adurantur, et vult dicere quod « erit conservatio populi ne consumatur « ab inimicis : quod non legitur factum « esse per Zorobabel, sed de Christo si« gnificatum per Zorobabel. » Et hoc est quod sequitur : « *In manu Zorobabel.* » De Christo enim dicitur, quod lapis est, I ad Corinth. X, 4 : *Petra autem erat Christus.* Christus etiam conservat suos ab incendio consumptionis diaboli. Propter hoc enim elegit consumi in Passione, ne sui consumerentur apud inferos. Joan. XVII, 12 : *Quos dedisti mihi, custodivi : et nemo ex eis periit, nisi filius perditionis.*

Christus in lapide stanneo adumbratus.

Et quia supra dictum est tertio, quod super lapidem septem oculi sunt, subdit, expositionem oculorum repetens : « *Septem isti oculi sunt Domini,* » supple, qui super lapidem sunt, « *qui discurrunt in universam terram,* » undique scilicet circumspicientes. Eccli. XX, 14 : *Oculi illius septemplices sunt.* Eccli. XXIII, 28 : *Oculi Domini multo plus lucidiores sunt super solem, circumspicientes omnes vias hominum.* Et de istis satis supra dictum est.

« *Et respondi,* » hoc scilicet mihi ostendenti, « *et dixi ad eum,* » Angelum scilicet mihi loquentem : « *Quid sunt duæ olivæ istæ,* » hoc est, quid significant, « *ad dexteram candelabri, et ad sinistram ejus ?* » 11

Et quia Angelus ad hoc nihil respondit, repetit quæstionem, subdens : 12

« *Et respondi secundo.* » Matth. VII, 7 : *Pulsate, et aperietur vobis.* Et dat exemplum, quod si primo non exaudimur, iterum pulsandum est : « *Et dixi ad eum,* » Angelum scilicet : « *Quid sunt duæ spicæ olivarum ?* » *Spicas* vocat propter fertilitatem olei et erectionem, « *quæ sunt juxta duo rostra aurea,* » candelabri scilicet. Et *rostra* vocat forte propter similitudinem : quia ad similitudinem rostrorum extrema candelabri facta sunt, quasi hiantia ad olei susceptionem : « *in quibus,* » scilicet rostris, « *sunt suffusoria ex auro.* » De omnibus his in ante habitis dictum est.

« *Et ait ad me, dicens,* » Angelus scilicet : « *Numquid nescis quid sunt hæc?* » Quasi dicat : Ex ipsa similitudine visionis posses intelligere, si non obstaret quod dicitur, Sap. IX, 15 : *Corpus quod corrumpitur, aggravat animam, et terrena inhabitatio deprimit sensum multa cogitantem.* « *Et dixi : Non, domine mi.* » Dicit enim Philosophus, quod « non intelligenti non est pigritandum « dicere : Non intelligo. » 13

« *Et dixit,* » benignus ad illuminationem : « *Isti sunt duo filii olei,* » hoc est, pinguedinis æternæ et pietatis. Eccli. XLIV, 10 : *Illi viri misericordiæ sunt, quorum pietates non defuerunt.* Et hoc dicit propter exemplum virtutis. Matth. V, 16 : *Sic luceat lux vestra coram hominibus : ut videant opera vestra bona.* 14

« *Qui,* » scilicet per contemplationem continuam, « *assistunt Dominatori universæ terræ,* » hoc est, Deo[1]. Esther, XIII, 11 : *Dominus omnium es.*

CAPUT V.

Volumen volans, quo iniqui judicabuntur : mulier in amphora sedens cum massa plumbi, designat impietatem ; et duæ mulieres alatæ levant illam in aera.

1. Et conversus sum, et levavi oculos meos, et vidi, et ecce volumen volans.
2. Et dixit ad me : Quid tu vides? Et dixi : Ego video volumen volans : longitudo ejus viginti cubitorum, et latitudo ejus decem cubitorum.
3. Et dixit ad me : Hæc est maledictio quæ egreditur super faciem omnis terræ : quia omnis fur, sicut ibi scriptum est, judicabitur, et omnis jurans ex hoc similiter judicabitur.
4. Educam illud, dicit Dominus exercituum : et veniet ad domum furis, et ad domum jurantis in nomine meo mendaciter : et commorabitur in medio domus ejus, et consumet eam, et ligna ejus, et lapides ejus.
5. Et egressus est angelus, qui loquebatur in me, et dixit ad me : Leva oculos tuos, et vide quid est hoc quod egreditur.
6. Et dixi : Quidnam est? Et ait : Hæc est amphora egrediens. Et dixit : Hæc est oculus eorum in universa terra.
7. Et ecce talentum plumbi portabatur, et ecce mulier una sedens in medio amphoræ.
8. Et dixit : Hæc est impietas. Et projecit eam in medio amphoræ, et misit massam plumbeam in os ejus.
9. Et levavi oculos meos, et vidi : et ecce duæ mulieres egredientes : et spiritus in alis earum, et habebant alas quasi alas milvi, et levaverunt amphoram inter terram et cœlum.
10. Et dixi ad angelum qui loquebatur in me : Quo istæ deferunt amphoram?
11. Et dixit ad me : Ut ædificetur ei domus in terra Sennaar, et stabiliatur, et ponatur ibi super basem suam.

[1] Cf. Apoc. XI, 4 : *Hi sunt duæ olivæ, et duo candelabra, in conspectu Domini terræ stantes.*

IN CAPUT V ZACHARIÆ

ENARRATIO.

« *Et conversus sum.* » In hoc capitulo secundum supra dictam divisionem rememoratio fit peccatorum, et dividitur in tres partes, secundum tres visiones quæ hic inducuntur. In prima describitur condemnatio peccati : in secunda, peccati oppressio per pœnam, ibi, ℣. 5 : « *Et egressus est Angelus.* » In tertia, dissipatio peccatorum per captivitatem, ibi, ℣. 9 : *Et levavi oculos meos, et vidi.*

1 In prima tria sunt, scilicet visionis ostensio, et ejusdem explanatio, et tertio per effectum impletio.

« *Et conversus sum,* » a visione scilicet læta ostendente, ad visionem tristia monstrantem. Vel conversus sum intra memetipsum : intus enim per imaginariam visionem vidit. Psal. LXXVI, 7 : *Meditatus sum nocte cum corde meo.* « *Et levavi oculos meos,* » intellectuales scilicet ad alta contuenda : terram enim adspiciendo nihil videtur divinorum. Psal. XVI, 11 : *Oculos suos statuerunt declinare in terram.* « *Et vidi* » hoc est, intus intellexi. Lucæ, X, 23 : *Beati oculi, qui vident,* etc. « *Et ecce volumen volans,* » hoc est, cito veniens. Hoc volumen significat Scripturam, vel sapientiæ divinæ dispositionem, determinantem pœnas singulis peccatis, pro quantitate et qualitate meritorum. Daniel. VII, 10 : *Judicium sedit, et libri aperti sunt.* Apocal. XX, 12 : *Judicati sunt mortui ex his, quæ scripta erant in libris.* Volatus autem velocitatem significat sententiæ. Jacob. V, 9 : *Ecce judex ante januam assistit.* Isa. V, 26 : *Ecce festinus velociter veniet.*

« *Et dixit ad me,* » supple, missus Angelus ad me illuminandum : « *Quid tu vides ?* » hoc est, Quid significat quod vides ? Et est excitatio ad inquirendum, et hoc significat benignitatem et largitatem illuminantis. Sap. VI, 17 : *Dignos se sapientia circuit quærens.* « *Et dixi,* » hoc quod accepi in illuminatorem referens, ut plus scilicet acciperem. Eccle. I, 7 : *Ad locum, unde exeunt flumina, revertuntur ut iterum fluant.* « *Ego video volumen volans.* » Isa. VIII, 1 : *Sume tibi librum grandem, et scribe in eo stylo hominis.* Et quid profecerit, addit : « *Longitudo ejus viginti cubitorum,* » quia pœnæ mensurantur longitudine diuturnitatis, « *et latitudo ejus decem cubitorum.* » Culpæ enim mensurantur transgressione decalogi. In duplum enim mensurantur pœnæ quam culpæ : pœnæ enim duplices fuerunt, scilicet famis et pestis intus, et gladius hostis captivantis extra : et pœna in singulas transgressiones decem duplicata, viginti facit. Thren. I, 20 : *Foris interficit gladius, et domi mors similis est.* Isa. XL, 2 : *Suscepit de manu Domini duplicia pro omnibus peccatis suis.* Apoc. XVIII, 6 : *Reddite illi sicut et ipsa reddidit vobis : et duplicate duplicia.* 2

Simplici culpæ cu duplex pœna aff gitur ?

Si quæritur : Quare latitudo mensuratur in decem, et longitudo in viginti, Dicendum, quod *plenitudo legis est dilectio*[1]. Charitas autem implens decalogum in latitudine se extendit a Deo scilicet in se, et a se in proximum, et a proximo in inimicum : et ideo etiam numerus transgressionum ex defectu talis charitatis proveniens latitudinem voluminis mensurat. Longitudo autem refertur ad pœnas durantes in futurum, quæ duratio longitudo est : et cum quodlibet peccatum puniatur defectu boni et afflictione mali, per viginti mensuratur longitudo. Iste est liber quo cibatus est Ezechiel, II, 9, in quo *scriptæ erant lamentationes, et carmen, et væ,* lamentationes pro cul-

[1] Ad Roman. XIII, 10.

pis, væ pro pœnis, carmen de laude Sanctorum pro justitia quæ per pœnas vel vindicat vel purgat culpas. Psal. LVII, 11 : *Lætabitur justus cum viderit vindictam.*

3 « *Et dixit ad me,* » Angelus scilicet : « *Hæc est maledictio,* » id est, sententia maledictionis est hic scripta, « *quæ egreditur,* » de intimo scilicet Dei judicio, et de occulto ad publicum, « *super faciem omnis terræ,* » hoc est, omnium terrenorum, per metonymiam. Psal. LXXXI, 8 : *Surge, Deus, judica terram.* Isaiæ, II, 21 : *Ingredietur scissuras petrarum, et in cavernas saxorum a facie formidinis Domini, et a gloria majestatis ejus, cum surrexerit percutere terram.*

Et qualiter hoc fiat, subdit : « *Quia omnis fur, sicut ibi scriptum est, judicabitur.* » « Fur dicitur (ut dicit Labeo) « qui in furno, hoc est, in nigro accipit « et contrectat rem alienam, » et ideo dicitur fur omnis homo qui in occulto turpe agit : quia per hoc et se et proximum Deo subducit. Joan. X, 10 : *Fur non venit nisi ut furetur, et mactet, et perdat.* « *Et omnis jurans* » id est, pejerans « *ex hoc* » supple, quo ibi scriptum est, « *similiter judicabitur,* » hoc est, condemnabitur a Deo scilicet et a Sanctis. Psal. CXLIX, 9 : *Ut faciant in eis judicium conscriptum.*

4 Et qualiter sententia effectui mancipetur, subdit :

« *Educam illud, dicit Dominus exercituum.* » Isa. XVI, 5 : *Sedebit super illud in veritate in tabernaculo David, judicans et quærens judicium, et velociter reddens quod justum est.* « *Et veniet,* » per effectum scilicet, « *ad domum furis,* » hoc est, ad possessionem et familiam, « *et ad domum jurantis in nomine meo mendaciter.* » Exod. XX, 7 : *Non habebit insontem Dominus eum qui assumpserit nomen Dei sui frustra.* Sap. I, 11 : *Os quod mentitur, occidit animam.* Deuter. XIX, 16 : *Si stetit testis mendax contra hominem...* Et post pauca, ℣. 21 : *Non misereberis ejus, sed animam pro anima, oculum pro oculo, dentem pro dente, manum pro manu, pedem pro pede exiges.* « *Et commorabitur in medio domus ejus,* » non recedens scilicet, « *et consumet eam,* » domum scilicet cum illo, « *et ligna ejus, et lapides ejus,* » domus scilicet. Ligna significant cremabilia leviora, lapides graviora quæ diu tenent ignem. Job, XVIII, 13 et 14 : *Devoret pulchritudinem cutis ejus, consumat brachia illius primogenita mors. Avellatur de tabernaculo suo fiducia ejus, et calcet super eum, quasi rex, interitus.*

ramen- mendax certum net sup- licium.

« *Et egressus est.* » Secunda pars in qua agitur de iniquitatis condemnatione 5
et repressione per sententiam, et hoc sub visione et metaphora. Et propter hoc habet tres partes, scilicet visionis ostensionem, visionis explanationem incompletam, et explanationem completam.

« *Et egressus est Angelus,* » ad aliam scilicet visionem ostendendam, quæ sententiam præmissam ad effectum condemnationis perduceret, « *qui loquebatur in me,* » officium scilicet illuminationis in me exercens, « *et dixit ad me,* » ad illuminationem scilicet me excitans : « *Leva oculos tuos,* » ut ea quæ super rationem sunt, videas, « *et vide,* » per intellectum significationis, « *quid est hoc ?* » scilicet, per significationem, « *quod egreditur,* » de intima Dei scilicet dispositione. Habacuc, III, 1 : *Domine, audivi auditionem tuam, et timui.* Septuaginta addunt : « Consideravi opera tua, et expavi. »

« *Et dixi,* » petens scilicet illumina- 6
tionem : « *Quidam est ?* » id est, Quid significat ? « *Et ait,* » illuminando me. « *Hæc est amphora egrediens.* » Alia translatio, « mensura. » Et intelligitur capacitas iniquitatis in proportione ad

pœnam. Dicitur enim amphora ab ἄν quod est *circum*, et φορεω·εῖς, quod est *fero, fers* [1]. Isa. xxvii, 8 : *In mensura contra mensuram, cum abjecta fuerit, judicabis eam.* Et ulterius exponens, addit : « *Et dixit,* » scilicet ad me : « *Hæc est oculus eorum in universa terra.* » Quia demonstratio fit ad oculum, ideo per oculum demonstratio significatur. Et sensus est : Hæc est demonstratio iniquitatis eorum qui habitant in universa terra, ut scilicet quantum quisque peccavit, tantum puniatur. Deuter. xxv, 2 : *Pro mensura peccati erit et plagarum modus.* Et intelligendum est, quod hæc mensura amphoræ implenda est quantitate pœnæ. Ad pœnam autem duo exiguntur, scilicet oppressio quæ libertatem peccandi auferat, et libidinis ad peccandum restrictio.

Pœna justa duobus constat.

7 Et hoc subjungit per duas similitudines, oppressionem quidem cum dicit :

« *Et ecce talentum plumbi portabatur.* » Plumbum oppressionem significat : quia scilicet aggravata est terra iniquitate. Isa. xxiv, 20 : *Gravabit eam iniquitas sua, et corruet, et non adjiciet ut resurgat.* Psal. xxxvii, 5 : *Sicut onus grave gravatæ sunt super me.* Quod autem dicitur, *portabatur,* intelligitur quod ab Angelo aliquo, vel per se dispositione divina ferebatur.

De repressione libidinis ad peccandum, subdit :

« *Et ecce mulier una,* » hoc est, unica quæ inter mulieres hoc habuit quod emollire potest. Significat enim concupiscentiam avaritiæ et idololatrie et carnalis concupiscentiæ. « *Sedens* » hoc est, quiescens, « *in medio amphoræ,* » hoc est, iniquitatis suæ, tamquam pacem habens in peccato. Unde dicit, Apocal. xviii, 7 : *Sedeo regina, et vidua non sum, et luctum non videbo.*

« *Et dixit,* » Angelus scilicet me illuminans : « *Hæc est impietas,* » in fæcibus suis scilicet requiescens. Jerem. xlviii, 11 : *Requievit in fæcibus suis.* Sicut duæ et decem tribus ante captivitatem in peccatis requiem habebant, et aperte iniquitates exercebant. De quo dicit se zelare David in Psal. lxxii, 3 : *Zelavi super iniquos, pacem peccatorum videns.* « *Et projecit eam,* » Angelus scilicet. Projecit autem per timorem hostis, et captivitatis. « *In medio amphoræ,* » ut scilicet quæ prius gloriabatur et efferebatur ostentando iniquitatem suam, modo ad infima antrorum et cavernarum timore hostis reprimeretur. Isa. ii, 10 : *Ingredere in petram, et abscondere in fossa humo a facie timoris Domini.* « *Et misit massam plumbeam in os ejus,* » amphoræ scilicet, ne mulier in sui demonstrationem resurgere posset, hoc est, gravamine iniquitatis suæ obstruxit ei os ne loqui posset. I Reg. ii, 9 : *Impii in tenebris conticescent.* Psal. lxii, 12 : *Obstructum est os loquentium iniqua.* 8

« *Et levavi oculos meos.* » Hic tangitur condemnatæ iniquitatis in captivitatem deportatio : et dicuntur duo, scilicet visionis ostensio, et ejusdem explanatio. 9

« *Et levavi oculos meos,* » ut scilicet dispositionem justitiæ divinæ viderem, quæ non nisi elevatis oculis videri potest, ut dicit Hieronymus. « *Et vidi,* » interius scilicet per inspirationem. Ezech. i, 1 : *Aperti sunt cœli, et vidi visiones Dei.* « *Et ecce duæ mulieres,* » decem scilicet tribus et duas significantes, quæ Ezech. xxiii, 4, dicuntur Oolla et Ooliba, mulieres decem : quia omnibus vitiis emollitæ, sicut Ezech. xvi, 2 et seq. dicitur [2], « *Egredientes,* » hoc est, merito suæ iniquitatis in exilium delatæ. Isa. xxii, 19 : *Expellam te de statione tua, et de ministerio tuo deponam te.* « *Et spiritus,* » hoc

[1] Vel melius ab ἄμφω, φέρω.

[2] Ezechiel. xvi, 2 : *Fili hominis, notas fac Jerusalem abominationes suas,* etc.

est, ventus, « *in alis earum,* » supple, erat, scilicet ut alis quasi velis ad ventum mutarentur. Ventus enim significat judicium divinum : alæ autem idololatriam et rapacitatem, in quas quasi exsufflans judicium divinum, mulieres evexit in captivitatem. Osee, IV, 19 : *Ligavit eum spiritus in alis suis.* Isa. LXIV, 6 : *Cecidimus quasi folium universi, et iniquitates nostræ quasi ventus abstulerunt nos.* « *Et habebat alas quasi milvi.* » Milvus immundum et vile animal et rapax, significat rapacitatem ad proximum in ala una, et aviditatem idololatrandi in ala altera : quas alas extendebant ut proximum opprimerent, et Deum provocarent. Isaiæ, VIII, 8 : *Erit extensio alarum ejus, implens latitudinem terræ tuæ, o Emmanuel.* Idem significatur, Ezech. XVII, 3 : *Aquila grandis magnarum alarum, longo membrorum ductu, plena plumis et varietate, venit ad Libanum, et tulit medullam cedri.* « *Et levaverunt amphoram,* » hoc est, totius iniquitatis capacem populum, « *inter terram et cœlum,* » ut scilicet cœlum quoad præmia Sanctorum non tangeret, et tamem terram quoad perditionem temporalium desereret. Psal. LI, 7 : *Evellet te, et emigrabit te de tabernaculo tuo, et radicem tuam de terra viventium.*

10 Et subdit de explanatione, duo dicens, desiderium scilicet illuminationis Prophetæ, et ipsam illuminationem.

« *Et dixi ad Angelum, qui loquebatur in me,* » petens illuminari de visis. Psal. CIII, 30 : *Emittes spiritum tuum, et creabuntur : et renovabis faciem terræ.* « *Quo istæ deferunt amphoram ?* » Psal. V, 11 : *Secundum multitudinem impietatum eorum expelle eos.*

« *Et dixit ad me,* » Angelus scilicet : 11
« *Ut ædificetur ei domus,* » ad longum habitatione, « *in terra Sennaar,* » quod Sennaar.
fœtor dentium interpretatur. Et vult dicere, quod in terra Chaldæorum fœtidis dentibus Chaldæorum masticabitur et conteretur : ut sicut masticaverunt pauperes, ita masticentur ab hostibus. Proverb. XXX, 14 : *Generatio, quæ pro dentibus gladios habet, et commandit molaribus suis, ut comedat inopes de terra, et pauperes ex hominibus.* « *Et stabiliatur,* » ad moram scilicet septuaginta annorum, « *et ponatur,* » hoc est, fundetur, « *ibi,* » hoc est, in Chaldæa vel in inferno, « *super basem suam,* » hoc est, iniquitatis suæ pœnam quam meruit. Jerem. XXIX, 5 et 6 : *Ædificate domos, et habitate : et plantate hortos, et comedite fructum eorum. Accipite uxores, et generate filios et filias* in Babylone. Et post pauca subdit causam, ℣. 10 : Quia eritis ibi septuaginta annis [1].

[1] Jerem. XXIX, 10 : *Cum cœperint impleri in Babylone septuaginta anni, visitabo vos,* etc.

CAPUT VI.

Quatuor quadrigæ visæ de medio duorum montium æreorum, quatuor venti sunt, egredientes in terram, de coronis in capite Jesu sacerdotis imponendis : de viro cujus nomen Oriens, qui templum ædificabit Domino, et dominabitur in solio suo.

1. Et conversus sum, et levavi oculos meos, et vidi : et ecce quatuor quadrigæ egredientes de medio duorum montium : et montes, montes ærei.
2. In quadriga prima equi rufi, et in quadriga secunda equi nigri,
3. Et in quadriga tertia equi albi, et in quadriga quarta equi varii et fortes.
4. Et respondi, et dixi ad angelum qui loquebatur in me : Quid sunt hæc, domine mi?
5. Et respondit angelus, et ait ad me : Isti sunt quatuor venti cœli, qui egrediuntur ut stent coram Dominatore omnis terræ.
6. In qua erant equi nigri, egrediebantur in terram aquilonis : et albi egressi sunt post eos, et varii egressi sunt ad terram austri.
7. Qui autem erant robustissimi, exierunt, et quærebant ire et discurrere per omnem terram. Et dixit : Ite, perambulate terram : et perambulaverunt terram.
8. Et vocavit me, et locutus est ad me, dicens : Ecce qui egrediuntur in terram aquilonis, requiescere fecerunt spiritum meum in terra aquilonis.
9. Et factum est verbum Domini ad me, dicens :
10. Sume a transmigratione, ab Holdai, et a Tobia, et ab Idaia ; et venies tu in die illa, et intrabis domum Josiæ, filii Sophoniæ, qui venerunt de Babylone.
11. Et sumes aurum et argentum, et facies coronas, et pones in capite Jesu, filii Josedec, sacerdotis magni :
12. Et loqueris ad eum, dicens : Hæc ait Dominus exercituum, dicens : ECCE VIR ORIENS NOMEN EJUS[1] : et subter eum orietur, et ædificabit templum Domino.
13. Et ipse exstruet templum Domino : et ipse portabit gloriam, et sedebit, et dominabitur super solio suo : et erit sacerdos super solio suo, et consilium pacis erit inter illos duos.
14. Et coronæ erunt Helem, et Tobiæ, et Idaiæ, et Hem, filio Sophoniæ, memoriale in templo Domini.
15. Et qui procul sunt venient, et ædificabunt in templo Domini : et scietis quia Dominus exercituum misit me ad vos. Erit autem hoc, si auditu audieritis vocem Domini Dei vestri.

[1] Luc. I, 78.

IN CAPUT VI ZACHARIÆ

ENARRATIO.

« *Et conversus sum.* » De impletione præmissorum tangitur hic, et dividitur in partes duas. In prima tangitur destructio inimici, in secunda adeptio boni promissi, ibi, ỳ. 9 : « *Et factum est verbum Domini ad me, dicens.* »

1 Prima in tres dividitur. Primo enim ostenditur visio. Secundo, ponitur explanationis petitio. Tertio, explanatio.

« *Et conversus sum,* » a tristibus scilicet ad læta videnda. Psal. xxxi, 4 : *Conversus sum in ærumna mea.* « *Et levavi oculos meos,* » ad supernaturalia scilicet videnda, « *et vidi,* » id est, intellectu percepi, « *et ecce quatuor quadrigæ,* » quatuor scilicet regna mundi significantes, et de quatuor partibus mundi egredientes. Ab Aquilone enim egressum est regnum Chaldæorum, a Meridie regnum Græcorum, ab Oriente regnum Medorum, ab Occidente regnum Romanorum. « *Egredientes,* » de occulta scilicet Dei dispositione ad publicum mundi venientes. Isaiæ, xlv, 23 : *Egredietur de ore meo justitiæ verbum, et non revertetur,* scilicet ad me vacuum. « *De medio duorum montium.* » Hieronymus : « Quos supra myr« teta vel umbrosos montes vocavit [1], hic « vocat æneos : *montes* autem dicit prop« ter eminentiam legis et prophetiæ, in « quibus semper ostendit Deus quæ futu« ra erant. » Amos, iii, 7 : *Non facit Dominus verbum, nisi revelaverit secretum suum ad servos suos Prophetas.* « *Et montes, montes ærei* » supple, fuerunt. *Ærei* dicuntur propter sonoritatem prædicationis. Unde Ezech. i, 7, ubi videtur quadriga Domini, scintillæ micabant quasi æris candentis. Hæc quadriga quatuor habet rotas, hoc est, in quatuor partes mundi volubilitatem : unde etiam Ezech. i, 15, et 16, Rota habuit quatuor facies, Rota mystica quatuor facierum.
et animal *quatuor facies :* quia quatuor regna in astutia rationis humanæ, et præcipite audacia animositatis leoninæ : et libidinosa concupiscentia lasciviæ vitulinæ, et fastu ambitionis aquilinæ superbiæ, quatuor mundi partes occupaverunt. Hæc eadem regna per quatuor cornua significata sunt supra [2]. Montes autem ærei significare possent altitudinem sapientiæ divinæ hæc ordinantis, et sublimitatem potestatis ista in opere ponentis. Psal. xxxv, 7 : *Justitia tua sicut montes Dei : judicia tua abyssus multa.*

« *In quadriga prima equi rufi.* » *Pri-* 2
ma fuit Chaldæorum regnum, cujus equi, milites, et ministri trahentes, erant saginarii, et ideo *rufi :* et hoc in præcedentibus expositum est. Apocal. vi, 4 : *Exivit alius equus rufus : et qui sedebat super illum, datum est ei ut sumeret pacem de terra, et ut invicem se interficiant, et datus ei gladius magnus.*

« *Et in quadriga secunda equi nigri.* » Hæc quadriga significat regnum Medorum et Persarum, equi ministros et milites : *nigri* vero dicuntur, quia per Assueri regis edictum mortem omnium Judæorum tristi nuntio perferebant [3]. Apocal. vi, 5 : *Ecce equus niger : et qui sedebat super illum, habebat stateram in manu sua,* hoc est, æquilibrium justitiæ in judiciaria potestate.

« *Et in quadriga tertia,* » quæ regnum 3
Macedonum et Græcorum significat, « *equi albi,* » ministri scilicet, et milites, et reges successores. Hieronymus : « Ideo

[1] Cf. Zachar. i, 8 et seq.
[2] Cf. Zachar. i, 18 et seq.
[3] Cf. Esther, iii, 13.

« *albi*, quia sub eorum rege Antiocho, « Machabæorum victoriam legimus, et « qualiter floruerunt : quod per albedi- « nem significatur. » Apocal. vi, 2 : *Ecce equus albus : et qui sedebat super illum habebat arcum : et data est ei corona, et exivit vincens ut vinceret.*

« *Et in quadriga quarta,* » quæ regnum Romanorum significat, « *equi varii, et fortes :* » *varii* ex albo et aliis coloribus compositi. Romani enim reges fuerunt, ex quibus quidam clementes in Judæos, ut Gaius : alii persecutores eorum fuerunt, ut Titus et Vespasianus. *Fortes* dicuntur propter fortitudinem principum illius regni. Unde, Daniel. ii, 40, significatur per ferrum : *Quomodo ferrum comminuit, et domat omnia, sic comminuet hæc,* supple, regnum illud, *et conteret omnia.* Hoc non dicitur propter hoc, quod omnia ista post prophetiam istam futura fuerunt : sed quia Deus per hoc iniquitates mundi punivit, et ante, et tunc, et postea.

Regnum Romanorum ferro est simile.

Hæc sunt quatuor bestiæ egredientes de mari [1] : quatuor facies rotæ [2] : quatuor cornua [3]. Hieronymus : « Quidam putant « quatuor quadrigas, doctrinam quatuor « Evangelistarum significare, quæ Dominum vehit in omnes fines mundi, in « corda fidelium. Equi rufi martyres, et « equi nigri doctores, qui profunditate « mysteriorum et humilitate vitæ obscuri et nigri videbantur. Psal. xvii, 12 : « *Tenebrosa aqua in nubibus aeris.* Equi « albi confessores et virgines. Apoc. iii, « 4 : *Ambulabunt mecum in albis, quia* « *digni sunt.* Equi varii viros varietate « virtutum depictos. Genes. xxxvii, 3 : « *Jacob filio suo fecit tunicam polymitam,* hoc est, diversis coloribus coloratam. Ezech. xvi, 10 : *Vestivi te discoloribus.* Sic ergo sancti rufi charitate, nigri humilitate et sui abjectione, « albi conversationis honestate, varii virtutum varietate, equi justitiæ æqualitate, rotundi obedientiæ volubilitate, per « istas quadrigas et equos intelliguntur. »

Quadriga evangelica.

4 « *Et respondi, et dixi ad Angelum, qui loquebatur in me,* » desiderio scilicet illuminationis : « *Quid sunt hæc, domine mi ?* » hoc est, Quid significant ? Hæc interrogatio enim clavis scientiæ est.

Interrogatio clavis est scientiæ.

5 « *Et respondit Angelus, et ait ad me,* » illuminando scilicet me de quæsitis : « *Isti sunt quatuor venti cœli,* » hoc est, aspirationes potestatum de cœlo venientes. Ezech. xxxvii, 9 : *A quatuor ventis veni, spiritus.* Daniel. vii, 2 : *Quatuor venti cœli pugnabant in mari magno.* « *Qui,* » scilicet venti, occulta Dei dispositione, « *egrediuntur,* » in publicum scilicet, « *ut stent* » parati ad obsequendum, « *coram Dominatore omnis terræ,* » hoc est, Deo ad implendam omnem suam voluntatem. Psal. cxxxiv, 7 : *Qui producit ventos de thesauris suis.*

6 Et explanat per singula :

« *In qua,* » scilicet quadriga, « *erant equi nigri,* » hoc est, regnum Medorum et Persarum « *egrediebantur in terram Aquilonis,* » ad illud scilicet conterendum et subjugandum. Unde, Isa. xiii, 17 et 18, in onere Babylonis dicitur : *Ecce ego suscitabo super vos Medos, qui argentum non quærant, nec aurum velint : sed sagittis parvulos interficient :* sicut etiam Doctores regnum diaboli frigidum et tenebrosum conterunt. Ad Hebr. xi, 33 : *Sancti per fidem vicerunt regna.* « *Et albi,* » qui regnum Græcorum significant, « *egressi sunt post eos,* » Medos scilicet et Persas, quos sibi Græci subjugaverunt, « *et varii,* » qui Romanos significant, « *egressi sunt ad terram Austri,* » Græ-

[1] Daniel. vii, 3.
[2] Ezechiel. i, 16.
[3] Zachar. i, 18.

ciæ scilicet regnum. Hieronymus : « Ad « australem plagam, et totam terram ce- « leri impetu vastaverunt? »

7 « *Qui autem erant robustissimi*, inter Romanos scilicet, sicut Augustus et Tiberius, « *exierunt*, » finibus propriisno n contenti, « *et quærebant ire*, » libidine dominandi, « *et discurrere*, » crebris scilicet victoriis, « *per omnem terram*, » ut scilicet totum mundum subjugarent. Luc. II, 1 : *Exiit edictum a Cæsare Augusto, ut describeretur universus orbis.* « *Et dixit*, » Angelus scilicet in persona Domini : « *Ite, perambulate terram.* » Hieronymus : « Vestris pedibus cuncta « regna substernite. » Isa. X, 14 : *Sicut colliguntur ova, quæ derelicta sunt, sic universam terram ego congregavi.* Et hoc est quod sequitur : *Et perambulaverunt terram*, » cuncta sibi subjicientes. Zachar. I, 11 : *Perambulavimus terram, et ecce omnis terra habitatur, et quiescit.*

8 « *Et vocavit me*, » meam scilicet magnam consolationem, « *et locutus est ad me, dicens.* » Cant. II, 14 : *Vox tua dulcis.* « *Ecce qui egrediuntur in terram Aquilonis*, » hoc est, ad regnum Chaldæorum conterendum, « *requiescere fecerunt spiritum meum*, » hoc est, spiritum iræ meæ, ut ulterius non irascar et pacato animo sim. Genes. VI, 3 : *Non permanebit spiritus meus in homine in æternum, quia caro est*, hoc est, ira mea. « *In terra Aquilonis*, » hoc est, quem habui ad terram Chaldæorum. Iratus enim per nares sufflat spiritum, et postquam se vindicavit, quiescit. Isa. II, 22 : *Quiescite ergo ab homine, cujus spiritus in naribus ejus est.*

Spiritus pro ira.

9 « *Et factum est.* » Tangit hic de adeptione boni in promissis, scilicet de restitutione sacerdotii, regni, civitatis et templi : et tria dicit, scilicet materiam coronarum, inventionem coronarum, in capite sacerdotis impositionem, et coronarum significationem.

« *Et factum est verbum Domini ad me, dicens*, » per Angelum scilicet qui loquebatur.

« *Sume a transmigratione*, » hoc est, 10
a transmigratis qui de Babylone redierunt, quos propter dignitatem describit per nomina : « *Ab Holdai, et a Tobia, et ab Idaia.* » Holdai *deprecatio Domini* interpretatur, et significat eos qui pro liberatione populi continuo orabant. Jacob. V, 16 : *Multum valet deprecatio justi assidua.* Tobias *bonus Domini* interpretatur, et significat eos qui bonum populi desiderabant ex fraterna dilectione. Ad Galat. VI, 10 : *Dum tempus habemus, operemur bonum ad omnes, maxime autem ad domesticos fidei.* Idaia *notus Domini* interpretatur, et significat eos qui notitiam Dei in timore et charitate divina habuerunt. Exod. XXXIII, 17 : *Invenisti gratiam coram me, et teipsum novi ex nomine.* Hi offerunt munera ad templi decorem. I Paral. XXIX, 17 et 18 : *Populum tuum, qui hic repertus est, vidi cum ingenti gaudio tibi offerre donaria... Domine Deus, custodi in æternum hanc voluntatem.*

Holdai. Tobias. Idaia.

« *Et venies tu*, » o Zacharia scilicet, « *in die illa*, » quando lucebit miseratio divina. IV Regum, VII, 9 : *Hæc dies boni nuntii est.* « *Et intrabis domum Josiæ, filii Sophoniæ.* » Hic erat æditiuus et custos templi (ut dicit Hieronymus) et apud eum thesauri templi reponebantur, et erat persona excellens in religione et fama. Isa. XXII, 23 et 24 : *Erit in solium gloriæ domus patris ejus. Et suspendent super eum omnem gloriam domus patris ejus.* Hoc significat nomen, quia Josias *salvatus* interpretatur, Sophonias autem *visitatio Domini* interpretatur : quem enim visitat Dominus, salvatus est. Lucæ, I, 78 : *Per viscera misericordiæ Dei nostri, in quibus visitavit nos.* « *Qui ve-*

Josias. Sophonias.

nerunt de Babylone. » Infra apponit quartum, quem vocat Hem. Hieronymus : « Hebræi dicunt Ananiam et Azariam et « Misaelem de captivitate revertentes, « aurum et argentum in munera templi, « et coronas pontificis et ducis attulisse, « et Hem, id est, gratiam, Danielem sci- « licet cum munere venisse : et istos per « hos viros qui hic nominantur, intelligi, « mutatis nominibus. »

11 « *Et sumes aurum, et argentum,* » supple, quod obtulerunt. Isa. LX, 6 : *Omnes de Saba venient, aurum et thus deferentes.* « *Et facies coronas,* » non unam sed duas, argenti et auri varietate distinctas. Cantic. I, 10 : *Murenulas aureas faciemus tibi, vermiculatas argento.* Aurum enim sapientiam, argentum vero eloquentiam significat. « *Et pones in capite Jesu, filii Josedec, sacerdotis magni* : » unam scilicet, et significatur quod alia imponenda erat Zorobabel, in signum restitutionis dignitatis sacerdotalis et regalis. Quæ non nisi in Christo completa sunt, qui fuit Rex et Sacerdos. Isaiæ, LXI, 10 : *Quasi sponsum decoratum corona.* Psal. VIII, 6 et 7 : *Gloria et honore coronasti eum : et constituisti eum super opera manuum tuarum.*

12 « *Et loqueris ad eum, dicens.* » Ad Sacerdotem scilicet, per quem ad populum verbum Dei transire debet : « *Hæc dicit Dominus exercituum, dicens,* » de Zorobabel scilicet, vel verius de Christo : « *Ecce Vir,* » a vi scilicet, et virore dictus. Jerem. XVII, 7 et 8 : *Benedictus vir, qui confidit in Domino, et erit Dominus fiducia ejus. Et erit quasi lignum quod transplantatur super aquas.* « *Oriens nomen ejus.* » Et subdit rationem nominis : « *Et,* » id est, quia « *subter eum orietur.* » Psal. LXXI, 7 : *Orietur in diebus ejus justitia, et abundantia pacis.* Malach. IV, 2 : *Orietur vobis timentibus nomen meum Sol justitiæ, et sanitas in pennis ejus.* Esther, VIII, 16 : *Judæis nova lex oriri visa est, gaudium, honor, et tripudium.* « *Et ædificabit templum Domino,* » et litteraliter et spiritualiter Ecclesiam. I ad Corinth. III, 9 : *Dei ædificatio estis.*

« *Et ipse,* » scilicet, Zorobabel rex, « *exstruet templum Domino,* » hoc est, extra per effectum struet, « *et ipse portabit gloriam,* » alteram scilicet coronam. Isa. LXII, 3 : *Eris corona gloriæ in manu Domini, et diadema regni in manu Dei tui.* « *Et sedebit,* » ut Rex scilicet, et Judex : « *et dominabitur,* » potestate scilicet, « *super solio suo,* » pacis scilicet, et justitiæ. Isa. XVI, 5 : *Præparabitur in misericordia solium, et sedebit super illud in veritate in tabernaculo David, judicans et quærens judicium, et velociter reddens quod justum est.* 13

« *Et erit sacerdos super solio suo,* » in throno scilicet sacerdotali sedens, docens, et regens populum. Eccli. L, 1 : *Sacerdos magnus, qui in vita sua suffulsit domum.* « *Et consilium pacis,* » totius terræ scilicet, et populi, « *erit inter illos duos,* » Regem scilicet, et Sacerdotem. Isa. IX, 7 : *Multiplicabitur ejus imperium, et pacis non erit finis.*

Et subdit de conservatione et consecratione coronarum in memoriam offerentium : 14

« *Et coronæ erunt,* » supple, in templo conservatæ et consecratæ, « *Helem.* » Helem.
Quem prius Holdai vocavit, modo vocat Helem, et *somnium* interpretatur, ut sciatur quod tres pueri revelatione somnii gratiam hanc meruerunt[1]. « *Et Tobiæ, et Idaiæ* : » hos etiam superius nominavit, « *et Hem, filio Sophoniæ.* » Videtur quod quem prius Josiam custodem

[1] Cf. Daniel. II, 49.

et ædituum templi, nunc Hem nominet, quem Hebræi (ut dicit Hieronymus) Danielem intelligunt. Hem enim interpretatur *gratia*. Daniel. I, 9 : *Dedit Danieli Deus gratiam et misericordiam in conspectu principis*. « *Memoriale*, » hoc est, in memoriale perpetuum, « *in templo Domini*, » ut scilicet quia hæc obtulerunt, memoria eorum in sempiternum habeatur. Apocal. III, 5 : *Non delebo nomen ejus de Libro vitæ*.

15 Et subdit de populi revocatione et litteraliter et spiritualiter :

« *Et qui procul sunt, venient*, » vel dissimilitudine peccati, vel spatio terræ. Isa. XLIX, 1 : *Audite, insulæ, et attendite, populi de longe*. Proverb. XXXI, 10 : *Procul, et de ultimis finibus pretium ejus*. « *Et ædificabunt in templo Domini*. » Unusquisque scilicet, pro rata portionis suæ. Ad Ephes. II, 22 : *Coædificamini in habitaculum Dei in Spiritu*, scilicet sancto. « *Et scietis*, » supple, tunc per beneficia suscepta, « *quia Dominus exercituum misit me ad vos*, » ut hæc scilicet prædicerem vobis.

Quia autem omnia hæc intelliguntur, si obedientes fuerint mandato Domini, ideo sequitur : « *Erit autem hoc*, » scilicet impletio præmissorum, « *si auditu* » interiori, « *audieritis* » extra « *vocem Domini Dei vestri*, » in lege scilicet, et prophetis. Isa. I, 19 et 20 : *Si volueritis, et audieritis me, bona terræ comedetis. Quod si nolueritis, et me ad iracundiam provocaveritis, gladius devorabit vos*. Isa. LV, 2 : *Audite, audientes me, et comedite bonum, et delectabitur in crassitudine anima vestra*. Inauspicata contumacia.

CAPUT VII.

Jejunia quibus Judæi per 70 annos captivitatis jejunaverunt, non placebant Domino, quia in iniquitatibus suis permanebant : proinde hortatur eos ad resipiscentiam ; nam quia prophetas olim non audierant, dispersit eos Dominus in gentes, terraque desolata facta est propter ipsorum iniquitates.

1. Et factum est in anno quarto Darii regis, factum est verbum Domini ad Zachariam, in quarta mensis noni, qui est Casleu.
2. Et miserunt ad domum Dei, Sarasar, et Rogommelech, et viri qui erant cum eo, ad deprecandam faciem Domini :
3. Ut dicerent sacerdotibus domus Domini exercituum, et prophetis, loquentes : Numquid flendum est mihi in quinto mense, vel sanctificare me debeo, sicut jam feci multis annis?
4. Et factum est verbum Domini exercituum ad me, dicens :
5. Loquere ad omnem populum terræ, et ad sacerdotes, dicens : Cum jejunaretis, et plangeretis in quinto et septimo per hos septuaginta annos, numquid jejunium jejunastis mihi [1]?
6. Et cum comedistis et bibistis, numquid non vobis comedistis et vobismetipsis bibistis?

[1] Isa. V 5.

7. Numquid non sunt verba quæ locutus est Dominus in manu prophetarum priorum, cum adhuc Jerusalem habitaretur, et esset opulenta, ipsa et urbes in circuitu ejus, et ad austrum, et in campestribus habitaretur?
8. Et factum est verbum Domini ad Zachariam, dicens :
9. Hæc ait Dominus exercituum, dicens : Judicium verum judicate, et misericordiam et miserationes facite unusquisque cum fratre suo.
10. Et viduam, et pupillum, et advenam, et pauperem nolite calumniari [1] : et malum vir fratri suo non cogitet in corde suo.
11. Et noluerunt attendere, et averterunt scapulam recedentem, et aures suas aggravaverunt ne audirent.
12. Et cor suum posuerunt ut adamantem, ne audirent legem, et verba quæ misit Dominus exercituum in spiritu suo per manum prophetarum priorum : et facta est indignatio magna a Domino exercituum.
13. Et factum est sicut locutus est, et non audierunt : sic clamabunt, et non exaudiam, dicit Dominus exercituum.
14. Et dispersi eos per omnia regna quæ nesciunt : et terra desolata est ab eis, eo quod non esset transiens et revertens : et posuerunt terram desiderabilem in desertum.

IN CAPUT VII ZACHARIÆ

ENARRATIO.

« *Et factum est in anno quarto Darii regis.* » Secunda pars libri incipit hic, et dividitur in tres partes. In prima tanguntur quæ facta sunt anno quarto Darii, regis Medorum, sub regno Medorum. In secunda, quæ quidem revelata sunt anno eodem quarto scilicet, sed facta sunt sub regno Græcorum, et incipit, infra, xi, 1, ibi,« *Aperi, Libane, portas tuas.* »

Prima in tres dividitur. Primo enim ponitur quæstio Medorum principum de sanctificatione. In secunda, occasione accepta populus instruitur de vera et non vera sanctificatione, ibi, ℣ ℣, 4 et 5 : « *Et factum est verbum Domini exercituum ad me, dicens : Loquere ad omnem populum terræ.* » In tertia ponitur responsio principum de mœroris in gaudium commutatione, ante finem cap. octavi, ibi, viii, 18 et 19 : « *Et factum est verbum Domini exercituum ad me, dicens : Hæc dicit Dominus exercituum : Jejunium quarti.* »

In prima ostenduntur quatuor, quando scilicet, a quibus, de quo, et quibus est quæstio.

« *Et factum est in anno quarto,* » ex quo scilicet regnare cœpit, « *Darii regis,* » filii scilicet Hystaspis, qui clemens fuit Judæis, « *factum est verbum Domini ad Zachariam,* » sicut ad speculatorem et nuntium. Ezech. iii, 17 : *Fili hominis, speculatorem dedi te domui Israel.* « *In quarta,*» scilicet die.» Quarta dies secundum Hieronymum ad quatuor illuminationes virtutum pertinet vel Evangeliorum. « *Mensis, noni, qui est Casleu,* » dictus apud Hebræos scilicet : apud nos autem December.

[1] Exod. xxii, 22 ; Isa. i, 23; Jerem v, 28.

2 « *Et miserunt ad domum Dei:* » ideo quia responsa de domo Dei dari debebant. Isa. II, 3 : *De Sion exibit lex, et verbum Domini de Jerusalem.* « *Sarasar, et Rogommelech,* » principes scilicet Medorum, « *et viri, qui erant cum eo,* » vel in comitiva, vel in professione. Dicunt enim Hebræi, quod hi duo principes Persarum fuerunt, et proselyti Judæorum, et ideo jejunantibus Judæis jejunaverunt, et hoc dicunt ostendere interpretationes nominum. Rogommelech enim interpretatur *magister foveæ partis,* Sarasar autem *princeps tribulationis :* eo quod unus præfuit fodiendis, alter autem tribulandis.

« *Ad deprecandam faciem Domini,* » forte cum oblationibus: audientes enim instauratum esse templum, non valentes per se venire, saltem nuntiis et oblatis limina Domini visitaverunt. II Machab. III, 1 et 2 : *Propter Oniæ pontificis pietatem, et animos odio habentes mala, fiebat ut et ipsi reges, et principes locum summo honore dignum ducerent, et templum maximis muneribus illustrarent.* Psal. CXXXVII, 2 : *Adorabo ad templum sanctum tuum. Facies* autem *Domini* dicitur præsentia, quam in templo exhibere consuevit, sicut dicitur in Psal. LXVIII, 18 : *Ne avertas faciem tuam a puero tuo.*

3 « *Ut dicerent sacerdotibus :* » horum enim respondere est de lege. Aggæi, II, 12 : *Interroga Sacerdotes legem.* « *Domus Domini exercituum.* » Sacerdotum enim est in domo Dei habitare tempore orationis et laudis. Domus enim Domini dicitur hic templum cum atriis et omnibus ædificiis ad templum pertinentibus : et ibi erant excubiæ Sacerdotum. Levit. VIII, 33 : *De ostio tabernaculi non exibitis septem diebus, usque ad diem quo complebitur tempus consecrationis vestræ.* Et paulo post, ℣. 35 : *Die ac nocte manebitis in tabernaculo observantes custodias Domini.* Audiant hoc illi qui reditus et oblata templi suscipiunt, et custodias non observant de quibus dicitur, Proverb. VII, 19 et 20 : *Non est vir in domo sua, abiit via longissima. Sacculum pecuniæ secum tulit* (quia videlicet Ecclesiæ reditus imbursavit, et recessit) *in die plenæ reversurus est in domum suam,* hoc est, tempore messis, quando fructus Ecclesiæ reviviscunt et recolliguntur. « *Et Prophetis, loquentes.* » Prophetæ enim per inspirationem, Sacerdotes autem de lege respondebant. Deuter. XVIII, 15 : *Prophetam de gente tua et de fratribus tuis sicut me, suscitabit tibi Dominus Deus tuus: ipsum audies.*

Sacerdos dispensator est legis.

Contra pluralitem beneficiorum.

Et subdit quæstionem :

« *Numquid flendum est mihi in quinto mense ?* » Quinto mense Judæi et proselyti eorum flebant : quia tunc capta est Jerusalem [1]. « *Vel sanctificare me debeo ?* » Glossa : « Fletus et jejunium « sanctificatio dicitur quia per abstinen« tiam curati sanctificantur. » Joel, II, 12 : *Convertimini ad me in toto corde vetro, in jejunio, et in fletu, et in planctu.* « *Sicut jam feci multis annis,* » septuaginta scilicet. Psal. CXXXVI, 1 : *Super flumina Babylonis illic sedimus et flevimus, cum recordaremur Sion.*

Sanctificatio pœnitentis.

« *Et factum est verbum Domini exercituum ad me, dicens.* » Hic incipit secunda pars, et habet quatuor partes. In prima docet, qualiter non vera sanctificatio non profuit in præterito. In secunda describit, quæ sit vera sanctificatio, ibi, « *Et factum est verbum Domini.* » In tertia, qualiter puniuntur non vere sanctificati, ibi, « *Et noluerunt attendere.* » In quarta, qualiter veri sanctificati præmiantur, infra in principio octavi, ibi, VIII, 1 : « *Et factum est verbum Domini.* » 4

In prima tria dicit. Ostendit enim in

[1] Cf. IV Regum, XXV, 8 ; II Paralip. XXXVI, 17 et seq.; Jerem. LII, 12.

præterito jejunium non valuisse. Secundo, causam hujus subdit inobedientiam fuisse. Tertio, innuit non veram sanctificationem causam subversionis fuisse.

5 » *Et factum est verbum Domini exercituum ad me, dicens.* » Hæc in præcedentibus satis exposita sunt. Isa. IX, 8: *Verbum misit Dominus in Jacob.*

« *Loquere ad omnem populum,* » quia quod ad omnes pertinet, omnibus proponendum est, « *et ad Sacerdotes, dicens:* quia qui alios docent et arguunt, et ipsi docendi et arguendi sunt. Job, XI, 2: *Numquid qui multa loquitur, non et audiet?* « *Cum jejunaretis,* » a cibis scilicet, et non a vitiis abstinentes, « *et plangeretis,* » Glossa, « planctu exte« riori pro amissa temporali lætitia, » « *in quinto,* » scilicet mense, quando capta est Jerusalem, « *et septimo* » mense, quando scilicet interfectus est Godolias[1], « *per hos septuaginta annos,* » desolationis scilicet templi, et subversionis Jerusalem. « *Numquid jejunium jejunastis mihi?* » acceptabile scilicet. Isa. LVIII, 5: *Numquid tale est jejunium quod elegi, per diem affligere hominem animam suam? numquid contorquere quasi circulum caput suum?*

6 « *Et cum comedistis,* » supple, in festis, « *et bibistis,* » in lætitia scilicet, « *numquid non comedistis vobis, et vobismetipsis bibistis?* » Quasi dicat: Non ad honorem meum, sed vestram saturitatem. Psal. LXXVII, 30 et 31: *Adhuc escæ eorum erant in ore ipsorum, et ira Dei ascendit super eos.* Amos, VI, 6: *Bibentes vinum in phialis, et optimo unguento delibuti: et nihil patiebantur super contritione Joseph.* Ezechiel. XVI, 49: *Hæc fuit iniquitas Sodomæ, sororis tuæ: superbia, saturitas panis et abundantia,*

Trita vulgo vivendi formula.

et otium ipsius, et filiarum ejus: et manum egeno et pauperi non porrigebant.

« *Numquid non sunt verba,* » hoc est, 7
effectus verborum, « *quæ locutus est Dominus in manu,* » hoc est, in operatione testificante verba « *Prophetarum priorum,* » Isaiæ et Osee et aliorum, qui comminabantur vobis captivitatem propter peccatum. Thren. I, 8: *Peccatum peccavit Jerusalem, propterea instabilis facta est.* « *Cum adhuc Jerusalem habitaretur,* » cive scilicet frequentissimo, « *et esset opulenta,* » omnibus scilicet bonis affluens. I ad Corinth. I, 5: *In omnibus divites facti estis in illo.* « *Et ipsa,* » scilicet metropolis, « *et urbes in circuitu ejus* » hoc est, ad eam pertinentes, « *et ad austrum,* » ubi terra aridior fuit, « *et in campestribus,* » aliarum scilicet plagarum mundi, « *habitaretur.* » Psal. XXIII, 1: *Domini est terra, et plenitudo ejus: orbis terrarum, et universi qui habitant in eo.*

« *Et factum est verbum Domini.* » 8
Instruit hic de vera jejunii sanctificatione. « *Ad Zachariam,* » ut scilicet per Prophetam instruat populum. « *Dicens: Hæc ait Dominus exercituum, dicens.* » Confirmatio sermonis est per auctoritatem Domini.

« *Judicium verum judicate,* » ju- 9
dicio scilicet doctrinæ, vitæ, et causæ. Job, VI, 29: *Quod justum est, judicate.* Judicium doctrinæ est ad veritatem fidei, judicium vitæ ad rectitudinem virtutis, judicium causæ ad merita causæ cujuscumque. Deuter. I, 17: *Ita parvum audietis ut magnum: nec accipietis cujusquam personam, quia Domini judicium est.* Matth. VII, 2: *In quo judicio judicaveritis, judicabimini.*

[1] Cf. Jerem. XLI, 2.

Et subdit de miserabilibus personis, quod ad vitæ veritatem pertinet : « *Et misericordiam,* » quantum ad compassionem, « *et miserationes,* » quantum ad effectum operis, « *facite, unusquisque cum fratre suo :* » quos licet inferiores fecerit fortuna, tamen fratres sunt professione et natura. Micheæ, VI, 8 : *Indicabo tibi, o homo, quid sit bonum, et quid Dominus requiret a te : Utique facere judicium, et diligere misericordiam, et sollicitum ambulare cum Deo tuo.*

Misericordia Dei accepta.

10 Et a conditionibus personas miserabiles enumerat, subdens :

« *Et viduam,* » viri scilicet solatio destitutam, « *et pupillum,* » patre scilicet orbatum, « *et advenam,* » nullum patronum in patria præter Deum habentem, « *et pauperem,* » sibi scilicet non sufficientem, qui munera dare non potest, « *nolite calumniari,* » in judicio scilicet per falsi criminis impositionem. Isa. I, 17 : *Quærite judicium, subvenite oppresso, judicate pupillo, defendite viduam.* « *Et malum vir fratri suo,* quem scilicet diligere deberet, « *non cogitet in corde suo,* » machinando scilicet aliquid mali contra eum. Psal. XLIX, 20 : *Sedens adversus fratrem tuum loquebaris, et adversus filium matris tuæ ponebas scandalum.* Cantic. I, 5 : *Filii matris meæ pugnaverunt contra me.*

Calumnia nulli struenda.

11 « *Et noluerunt.* » Tangit hic inobedientiam rebellium, et pœnam eorum :

Et noluerunt attendere, » hoc est, ad me tendere per devotionem et voluntatem. Job, XXI, 14 : *Dixerunt Deo : Recede a nobis, et scientiam viarum tuarum nolumus.* « *Et averterunt scapulam recedentem,* » a me scilicet. Isa. I, 4 : *Dereliquerunt Dominum, blasphemaverunt sanctum Israel, abalienati sunt retrorsum.* Glossa, « ex habitu corporis mea improperia respuentes. » « *Et aures suas aggravaverunt,* » contra verbum scilicet, « *ne audirent.* » Isa. VI, 10 : *Excæca cor populi hujus, et aures ejus aggrava : et oculos ejus claude : ne forte videat oculis suis, et auribus suis audiat, et corde suo intelligat, et convertatur et sanem eum.*

« *Et cor suum posuerunt,* » in obsti- 12
natione scilicet, « *ut adamantem,* » qui nec duro frangitur, nec molli emollitur. Act. VII, 51 : *Dura cervice, et incircumcisis cordibus, et auribus, vos semper Spiritui sancto resistitis.* « *Ne audirent legem,* » quæ scilicet regula est operum. Contra quod dicitur in Psal. LXXVII, 1 : *Attendite, popule meus, legem meam : inclinate aurem vestram in verba oris mei.*

Et hoc est quod sequitur : « *Et verba quæ misit Dominus exercituum,* » qui scilicet potens est, et exsequens per ministros, « *in Spiritu suo,* » qui scilicet inspiravit Prophetas. II Petr. I, 21 : *Non enim voluntate humana allata est aliquando prophetia, sed Spiritu sancto inspirati, locuti sunt sancti Dei homines.* « *Per manum,* » hoc est, opera testificantia, « *Prophetarum priorum.* » Luc. I, 70 : *Sicut locutus est per os sanctorum, qui a seculo sunt, Prophetarum ejus.*

Et subdit pœnam :

« *Et facta est indignatio magna a Domino exercituum,* » in gratiæ scilicet subtractione. Psal. XXIX, 6 : *Ira in indignatione ejus.*

« *Et factum est,* » scilicet in effectu, 13
« *sicut locutus est,* » supple, per Prophetas. Isaiæ, XXXI, 2 : *Ipse autem sapiens adduxit malum, et verba sua non abstulit.* « *Et,* » supple, ideo, « *sicut non audierunt,* » supple, voces Prophetarum, « *sic clamabunt, et non exaudiam, dicit Dominus exercituum.* » Proverb. I, 28 et 29 : *Tunc invocabunt me, et non*

exaudiam : mane consurgent, et non invenient me : eo quod exosam habuerint disciplinam, et timorem Domini non susceperint.

14 « *Et dispersi eos per omnia regna,* » in captivitate scilicet. Deuter. XXVIII, 64 : *Disperget te Deus in omnes populos a summitate terræ usque ad terminos ejus.* « *Quæ nesciunt,* » ut scilicet ex notitia vel amicitia nullam inveniant misericordiam. Deuter. XXVIII, 49 et 50 : *Adducet Dominus super te gentem de longinquo, et de extremis terræ finibus in similitudinem aquilæ volantis cum impetu : cujus linguam intelligere non possis : gentem procacissimam, quæ non deferat seni, nec misereatur parvuli.*

Et hoc est quod sequitur : « *Et terra desolata est ab eis,* » hoc est propter eos omnis Judæa scilicet. Isa. I, 7 : *Regionem vestram coram vobis alieni devorant, et desolabitur sicut in vastitate hostili.* « *Eo quod non esset transiens et revertens,* » supple, sicut aliquando fuit per frequentiam hominum. Thren. I, 4 : *Viæ Sion lugent, eo quod non sint qui veniant ad solemnitatem.* « *Et posuerunt terram desiderabilem,* » præ omnibus scilicet terris optimam, « *in desertum.* » Jerem. II, 7 : *Induxi vos in terram Carmeli, ut comederetis fructus ejus, et optima illius : et ingressi contaminastis terram meam, et hæreditatem meam posuistis in abominationem.* Hoc sub eisdem auctoritatibus potest dici de Prælatis Ecclesiarum, qui propter suos nepotulos et complices facinorum, totam Ecclesiam bonis personis destituerunt.

Prælatus iniquus de populator est Ecclesiæ.

CAPUT VIII.

Sicut Dominus propter peccata populi sui afflixit eum, et desolatam fecit Jerusalem, sic nunc facit illam plurimum habitari, omniaque dabit prospera, modo ei serviant : quibus adjungentur et aliæ gentes : de fimbria Judæi a decem viris ethnicis apprehensa.

1. Et factum est verbum Domini exercituum, dicens :
2. Hæc dicit Dominus exercituum : Zelatus sum Sion zelo magno, et indignatione magna zelatus sum eam.
3. Hæc dicit Dominus exercituum : Reversus sum ad Sion, et habitabo in medio Jerusalem : et vocabitur Jerusalem civitas veritatis, et mons Domini exercituum mons sanctificatus.
4. Hæc dicit Dominus exercituum : Adhuc habitabunt senes et anus in plateis Jerusalem, et viri baculus in manu ejus præ multitudine dierum.
5. Et plateæ civitatis complebuntur infantibus et puellis, ludentibus in plateis ejus.
6. Hæc dicit Dominus exercituum : Si videbitur difficile in oculis reliquiarum populi hujus in diebus illis, numquid in oculis meis difficile erit? dicit Dominus exercituum.
7. Hæc dicit Dominus exercituum : Ecce ego salvabo populum meum de terra orientis, et de terra occasus solis.

8. Et adducam eos, et habitabunt in medio Jerusalem : et erunt mihi in populum, et ego ero eis in Deum, in veritate et in justitia.

9. Hæc dicit Dominus exercituum : Confortentur manus vestræ, qui auditis in his diebus sermones istos per os prophetarum, in die qua fundata est domus Domini exercituum, ut templum ædificaretur.

10. Siquidem ante dies illos merces hominum non erat, nec merces jumentorum erat : neque introeunti, neque exeunti erat pax præ tribulatione : et dimisi omnes homines, unumquemque contra proximum suum.

11. Nunc autem non juxta dies priores ego faciam reliquiis populi hujus, dicit Dominus exercituum,

12. Sed semen pacis erit : vinea dabit fructum suum, et terra dabit germen suum, et cœli dabunt rorem suum : et possidere faciam reliquias populi hujus universa hæc.

13. Et erit : sicut eratis maledictio in gentibus, domus Juda, et domus Israel, sic salvabo vos, et eritis benedictio. Nolite timere, confortentur manus vestræ.

14. Quia hæc dicit Dominus exercituum : Sicut cogitavi ut affligerem vos, cum ad iracundiam provocassent patres vestri me, dicit Dominus,

15. Et non sum misertus : sic conversus cogitavi, in diebus istis, ut benefaciam domui Juda et Jerusalem. Nolite timere.

16. Hæc sunt ergo verba quæ facietis : Loquimini veritatem unusquisque cum proximo suo [1] : veritatem, et judicium pacis judicate in portis vestris.

17. Et unusquisque malum contra amicum suum ne cogitetis in cordibus vestris : et juramentum mendax ne diligatis : omnia enim hæc sunt quæ odi, dicit Dominus.

18. Et factum est verbum Domini exercituum ad me, dicens :

19. Hæc dicit Dominus exercituum : Jejunium quarti, et jejunium quinti, et jejunium septimi, et jejunium decimi erit domui Juda in gaudium et lætitiam, et in solemnitates præclaras. Veritatem tantum, et pacem diligite.

20. Hæc dicit Dominus exercituum : Usquequo veniant populi, et habitent in civitatibus multis :

21. Et vadant habitatores, unus ad alterum, dicentes : Eamus, et deprecemur faciem Domini, et quæramus Dominum exercituum : vadam etiam ego.

22. Et venient populi multi, et gentes robustæ, ad quærendum Dominum exercituum in Jerusalem, et deprecandam faciem Domini.

23. Hæc dicit Dominus exercituum : In diebus illis, in quibus apprehendent decem homines ex omnibus linguis gentium, et apprehendent fimbriam viri Judæi, dicentes : Ibimus vobiscum, audivimus enim quoniam Deus vobiscum est.

[1] Ad Ephes. IV, 25.

IN CAPUT VIII ZACHARIÆ

ENARRATIO.

« *Et factum est verbum Domini.*» Hic tangit promissiones factas vere sanctificatis : et dividitur hæc pars in duo, scilicet in præmissam de beneficiis conferendis, et conclusionem de confortatione ad opus, ibi, ỳ. 9 : « *Confortentur manus vestræ.* »

In prima tria sunt, scilicet ex quo sicut inclinante faciat bona, et in quibus sint promissa bona, ibi, « *Hæc dicit Dominus exercituum : Adhuc habitabunt senes.* » Ad hæc tertio, quomodo implebuntur promissa bona, ibi, « *Hæc dicit Dominus exercituum : Ecce ego salvabo.*»

1 « *Et factum est verbum Domini exercituum, dicens.* » Confirmatio est sequentis sermonis, et intelligitur factum ad Zachariam per inspirationem. II Petr. I, 19 : *Habemus firmiorem propheticum sermonem, cui benefacitis attendentes.*

2 « *Hæc dicit Dominus exercituum.* » Lucæ, x, 16 : *Qui vos audit, me audit.* « *Zelatus sum Sion zelo magno.* » Zelus est amor boni cum indignatione contrarii. Magnus zelus est nihil relinquens de contrario impunitum, et purgato contrario, nihil relinquens de bonis quod non conferat. Isaiæ, IX, 7 : *Zelus Domini exercituum faciet hoc.* « *Et indignatione magna zelatus sum eam,* » puniens scilicet omnia quæ deliquit, et purgans per captivitatem. Proverb. VI, 34 : *Zelus et furor viri non parcet in die vindictæ.* Zachar. I, 14 et 15 : *Zelatus sum Jerusalem, et Sion zelo magno. Et ira magna ego irascor super gentes opulentas.* Et ex quo complevi iram per peccati purgationem, restat ut ostendam amorem, qui altera pars zeli est. Hieronymus : « Quantum prius indignatus sum, quod a multis amatoribus corrupta, thorum meum maculaverat : tanto nunc amplius zelo eam, quia egit pœnitentiam. »

Zelus magnus.

3 « *Hæc dicit Dominus exercituum : Reversus sum ad Sion.* » Osee, XIV, 5 : *Sanabo contritiones eorum, diligam eos spontanee : quoniam aversus est furor meus ab eis.* « *Et habitabo in medio Jerusalem,* » templo scilicet ædificato, vel in Ecclesia. Joan. XIV, 23 : *Ad eum veniemus, et mansionem apud eum faciemus.* « *Et vocabitur Jerusalem,* » a conversatione civium nominata, « *civitas veritatis,* » triplicis scilicet, vitæ, justitiæ, judicii et doctrinæ. Isaiæ, I, 26 : *Post hæc vocaberis civitas justi, urbs fidelis.* « *Et mons domus Domini exercituum,* » supple vocabitur : « *mons sanctificatus.* » quadruplici sanctitate, scilicet munditiæ a carnali concupiscentia, virtutis in confirmatione boni operis, spiritualitatis in abjectione appetitus terrenorum, religionis in scientia et custodia divinorum ad cultum Dei pertinentium. « Sanctitas enim, ut dicit Dionysius, est ab omni inquinamento libera munditia. » Levit. XIX, 2 : *Sancti estote : quia ego sanctus sum.* Sanctum enim est edicto principis confirmatum. Eccli. XXIV, 16 : *In plenitudine sanctorum detentio mea.* Sanctum etiam est idem quod ἅγιος, hoc est, *sine terra,* terra enim polluit. Ad Hebr. VII, 26 : *Sanctus, innocens, impollutus, segregatus a peccatoribus, et excelsior cœlis factus.* « Sanctitas etiam est, ut dicit Philosophus, scire faciens quæ ad Deum justa. » Sapient. x, 10 : *Dedit illi scientiam sanctorum : honestavit illum in laboribus.* Mons autem est per eminentiam vitæ intellectus et affectus, domus Domini fide fundata, spe erecta, charitate consummata. Jerem. XXXI, 23 : *Benedicat tibi Dominus pulchritudo justitiæ, mons sanctus.* Genes. XIX, 17 : *Non*

stes in omni circa regione, sed in monte salvum te fac.

4 Et subdit in quibus bonis sit promissio :

Pacis et prosperitatis argumenta.

« *Hæc dicit Dominus exercituum.* » Ad Titum, I, 2 : *Quam promisit qui non mentitur, Deus.* « *Adhuc habitabunt senes,* » non tantum canitie corporis, sed etiam mentis, « *et anus,* » mulieres scilicet, in quibus defecit lascivia. Tobiæ, III, 17 : *Numquam cum ludentibus miscui me : neque cum his, qui in levitate ambulant, participem me præbui.* « *In plateis Jerusalem,* » in omni scilicet latitudine civitatis, vel Ecclesiæ. Sap. IV, 8 et 9 : *Senectus enim venerabilis est, non diuturna, neque annorum numero computata : cani autem sunt sensus hominis, et ætas senectutis vita immaculata.* Sicut dictum est Danieli, XIII, 50, cum esset puer : *Sede in medio nostrum, et indica nobis, quia tibi Deus dedit honorem senectutis.* « *Et viri baculus in manu ejus.* » Hieronymus : « Tanta erit « prosperitas omnium rerum, ut nullo « hoste remanente, uterque sexus usque « ad ultimam ætatem perveniat, et tre- « mentes artus baculo regente susten- « tet. »

Et hoc est quod sequitur : « *Præ multitudine dierum.* » Non dicit, *Noctium* : quia tota vita justorum lucida est. Psal. XXXVI, 18 : *Novit Dominus dies immaculatorum.* Isaiæ, LXV, 20 : *Non erit ibi amplius infans dierum, et senex qui non impleat dies suos : quoniam puer centum annorum morietur.*

5 « *Et plateæ civitatis,* » Jerusalem et omnium aliarum scilicet, « *complebuntur infantibus,* » et litteraliter et spiritualiter, de quibus dicitur, I Petr. II, 2 : *Sicut modo geniti infantes, rationabiles, sine dolo lac concupiscite : ut in eo crescatis.* « *Et puellis ludentibus in plateis ejus.* » *Puellæ* dicuntur pudoratæ animæ, pudicitiam diligentes. *Ludentes* dicuntur in jucunditate laudis divinæ. Jerem. XXX, 18 et 19 : *Ædificabitur civitas in excelso suo, et templum juxta ordinem suum fundabitur. Et egredietur de eis laus, voxque ludentium.*

Et respondet objectioni quæ posset fieri, quod tam miseram gentem difficile esset tantum exaltari.

« *Hæc dicit Dominus exercituum,* » 6
qui omnia potest : « *Si videbitur difficile in oculis reliquiarum populi hujus,* » qui scilicet omnia secundum humanam infirmitatem judicat, « *in diebus illis,* » futuræ scilicet prosperitatis. Unde, Isa. XLIX, 24, dicit : *Numquid tolletur a forti præda ? aut quod captum fuerit a robusto, salvum esse poterit ?* « *Numquid in oculis meis difficile erit, dicit Dominus exercituum ?* » Esther, XIII, 9 : *Non est qui possit tuæ resistere voluntati.* Genes. XVIII, 14 : *Numquid Deo quidquam est difficile ?* Luc. I, 37 : *Quia non erit impossibile apud Deum omne verbum.*

Voluntati divinæ nihil obsistit.

Quomodo autem hoc fiat, subdit : 7
« *Hæc dicit Dominus exercituum,* » qui omnia potest : « *Ecce ego salvabo populum meum,* » ab hoste scilicet captivante liberabo, et litteraliter et spiritualiter. Jerem. XXXI, 11 : *Redemit Dominus Jacob, et liberavit eum de manu potentioris.* « *De terra orientis,* » hoc est, ab Orientali plaga, « *et de terra occasus solis,* » hoc est, ab Occidentali plaga. Isa. XLIII, 5 et 6 : *Ab oriente adducam semen tuum, et ab Occidente congregabo te. Dicam Aquiloni : Da : et Austro : Noli prohibere.* Matth. VIII, 11 : *Multi ab Oriente et Occidente venient, et recumbent cum Abraham, Isaac, et Jacob in regno cœlorum.*

« *Et adducam eos* » ad patriam scili- 8

cet, vel ad fidem. Deuter. XXXII, 12 : *Dominus solus dux ejus fuit.* Isaiæ, LXIII, 14 : *Sic adduxisti populum tuum ut faceres tibi nomen gloriæ.* « *Et habitabunt in medio Jerusalem,* » litteraliter, vel spiritualiter in Ecclesia undique stipati suffragiis Sanctorum. Psal. LXXXIII, 5 : *Beati, qui habitant in domo tua, Domine : in sæcula sæculorum laudabunt te.* Tobiæ, XIII, 20 : *Beatus ero, si fuerint reliquiæ seminis mei ad videndam claritatem Jerusalem.* « *Et erunt mihi in populum,* » obedientem scilicet, « *et ego ero eis in Deum, in veritate et in justitia :* » *in Deum,* propitium scilicet, et exaudientem preces eorum. Apocal. XXI, 3 : *Ipsi populus ejus erunt, et ipse Deus cum eis erit eorum Deus.*

9 Et subdit conclusionem ex omnibus his :

« *Hæc dicit Dominus exercituum : Confortentur,* » supple, ergo, « *manus vestræ,* » ut scilicet operi Dei fortiter insistatis. Eccle. IX, 10 : *Quodcumque facere potest manus tua, instanter operare.* Ad Hebr. XII, 12 et 13 : *Remissas manus, et soluta genua erigite, et gressus rectos facite pedibus vestris.* « *Qui auditis in his diebus sermones istos,* » de ædificatione scilicet templi, « *per os prophetarum,* » Aggæi scilicet, et Zachariæ. Lucæ, I, 70 : *Sicut locutus est per os sanctorum, qui a sæculo sunt, Prophetarum ejus.* « *In die qua fundata est domus Domini exercituum.* » In die enim illo, secundo anno Darii, prophetæ prophetabant. Matth. VII, 24 : *Assimilabitur viro sapienti, qui ædificavit domum suam supra petram.* Locuti sunt, inquam, Prophetæ, « *ut templum ædificaretur,* » supple, velociter. Jerem. XLVIII, 10 : *Maledictus, qui facit opus Domini fraudulenter.* Prov. XXII, 29 : *Vidisti virum velocem in opere suo ? coram regibus stabit, nec erit ante ignobiles.*

Opus Dei non segniter exsequendum.

10 Et ut hoc fiat, subdit rationem ex infortunio scilicet temporis præteriti ante ædificationem, et prosperitate temporis futuri post ædificationem, et ex hoc redit ad confortandum ad opus :

« *Siquidem,* » pro, certe, « *ante dies illos,* » id est, antequam templum fundaretur, « *merces hominum non erat, nec merces jumentorum,* » hoc est, labores hominum ad mercedem non convertebantur. Aggæi, I, 6 : *Seminastis multum et intulistis parum : comedistis, et non estis satiati.* Et post pauca : *Et qui mercedes congregavit, misit eas in saccum pertusum.* « *Neque introeunti,* » supple, in civitatem, « *neque exeunti erat pax præ tribulatione,* » hostium scilicet. Isa. XLVIII, 22 : *Non est pax impiis, dicit Dominus.* « *Et divisi* [1] *omnes homines* » hoc est, corde divisos feci, « *unumquemque contra proximum suum,* » scilicet matrem in filiam, et patrem in filium, et e converso. Matth. X, 34 : *Nolite arbitrari, quia pacem venerim mittere in terram : non veni pacem mittere, sed gladium.* Apocal. VI, 4 : *Datum est ei ut sumeret pacem de terra, et ut invicem se interficiant.*

Discord[ia] salubri[s]

11 « *Nunc autem non juxta dies priores,* » patrum scilicet antiquorum, quibus multa beneficia contuli, « *ego faciam reliquiis populi hujus, dicit Dominus exercituum,* » reversis scilicet de captivitate. Joel, II, 19 : *Ecce ego mittam vobis frumentum, et vinum, et oleum, et replebimini eis.*

12 « *Sed semen pacis erit,* » hoc est, cujus fructus in pace congregabitur. Isa. IX, 7 : *Multiplicabitur ejus imperium, et pacis non erit finis.* « *Vinea dabit fructum suum,* » plantata scilicet de viris spiritualibus, dabit fructum æternorum gaudiorum. Osee, X, 1 : *Vitis frondosa*

[1] Vulg. habet, *dimisi.*

Israel, fructus adæquatus est ei. « *Et terra dabit germen suum,* » hoc est, ex semine verbi Dei corda germinabunt. Isa. IV, 2 : *Erit germen Domini in magnificentia, et fructus terræ sublimis.* « *Et cœli,* » hoc est, cœlestes sancti, et Angeli per impetrationem gratiæ, « *dabunt rorem suum.* » Isa. XLV, 8 : *Rorate, cœli, desuper, et nubes pluant justum : aperiatur terra, et germinet Salvatorem.* Alia translatio, « salutem. » Genes. XXVIII, 39 et 40 : *In pinguedine terræ, et in rore cœli desuper erit benedictio tua.* « *Et possidere faciam,* » hoc est, ad nutum habere, « *reliquias populi hujus,* » revertentis de captivitate Babylonis, vel diaboli, « *universa hæc.* » Jerem, XXXI, 14 : *Inebriabo animam Sacerdotum pinguedine : et populus meus bonis adimplebitur.*

13 « *Et erit.* » Tangit hic qualiter maledictionem convertet in benedictionem. « *Sicut eratis maledictio,* » hoc est, maledicti, « *in Gentibus,* » hoc est, inter Gentes. Gentes enim maledicebant eis, quod ad iracundiam provocaverant Deum. Unde, Thren. IV, 15 : *Recedite, polluti, clamaverunt eis : recedite, abite, nolite tangere.* « *Domus Juda,* » hoc est, o duæ tribus, « *et domus Israel,* » hoc est, o decem tribus, « *sic salvabo vos,* » ab hostibus scilicet liberando. Psal. CV, 47 : *Salvos fac nos, Domine Deus noster : et congrega nos de nationibus.* « *Et eritis benedictio,* » hoc est, benedicti. Sic ergo convertitur maledictio in benedictionem. Glossa vult, quod tempore persecutionis maledicuntur Sancti : quæ maledictio postea tempore pacis in benedictionem convertitur. Matth. V, 11 : *Beati estis cum maledixerint vobis,* homines scilicet. Genes. XXVII, 29 : *Qui maledixerit tibi, sit ille maledictus : et qui benedixerit tibi, benedictionibus repleatur.*

Sanctorum maledictio in benedictionem convertitur.

Ex his revertitur ad conclusionem, inferens : « *Nolite timere,* » adversarios scilicet rebellantes. Matth. X, 28 : *Nolite timere eos qui occidunt corpus.* Psal. CXVII, 6 : *Dominus mihi adjutor, non timebo quid faciat mihi homo.* « *Confortentur manus vestræ,* » ut scilicet impleant opera quæ cœperunt. Proverb. XXXI, 19 : *Manum suam misit ad fortia.*

« *Quia hæc dicit Dominus exercituum.* » Glossa, « qui potest implere « quod promittit. » « *Sicut cogitavi ut affligerem vos,* » captivitate scilicet, et fame, et peste, et gladio, « *cum ad iracundiam provocassent me patres vestri,* » peccatis scilicet, « *dicit Dominus,* » qui omne quod dicit, implebit. 14

« *Et non sum misertus,* » misericordia scilicet liberante, quamvis misertus sim, misericordia relaxante : quia scilicet citra condignum punivi. « *Sic conversus,* » modo scilicet, hoc est, placatus, « *cogitavi in diebus istis,* » purgato scilicet peccato per captivitatem et pœnitentiam, ut benefaciam « *domui Juda,* » hoc est, duabus tribubus, « *et Jerusalem,* » regno scilicet et sacerdotio. Jerem. XXIX, 11 : *Ego scio cogitationes quas ego cogito super vos, ait Dominus, cogitationes pacis, et non afflictionis.* Sic promittitur Sanctis, Joan. XVI, 20 : *Tristitia vestra vertetur in gaudium.* « *Nolite timere* » Isaiæ, LI, 12 : *Quis tu, ut timeres ab homine mortali ?* 15

Punit Deus citra condignum.

« *Hæc sunt ergo verba, quæ facietis,* » ex præcepto scilicet Domini. « *Loquimini veritatem,* » corde, ore, et opere : ita scilicet, quod hæc faciat « *unusquisque cum proximo suo.* » Ad Ephes. IV, 25 : *Deponentes mendacium, loquimini veritatem unusquisque cum proximo suo : quoniam sumus invicem membra.* « *Veritatem* » judicii, vitæ, et doctrinæ : « *et judicium pacis,* » hoc est, judicium 16

quod discordes ad pacem reducit per æquitatem justitiæ, « *judicate in portis vestris.* » Præcepti sunt enim judices constitui in portis [1], eo quod in portis de facili forenses judicium invenirent. Proverb. xxxi, 23 : *Nobilis in portis vir ejus, quando sederit cum senatoribus terræ.*

Judex in porta cur constitutus ?

17 « *Et unusquisque malum contra amicum suum.* » Amicus dicitur quemcumque diligere debemus. Levit. xix, 18, et Matth. xxii, 39 : *Diliges proximum tuum, sicut teipsum.* « *Ne cogitetis in cordibus vestris,* » quia si non cogitatis, nec dicitis, nec facitis. Isa. i, 16 : *Auferte malum cogitationum vestrarum ab oculis meis.* « *Et juramentum mendax ne diligatis.* » Exod. xx, 7 : *Non habebit insontem Dominus eum qui assumpserit nomen Domini Dei sui frustra.* « *Omnia enim hæc sunt, quæ odi, dicit Dominus.* » Tanta enim est justitia divina, quod peccatum amare non poterit. Habacuc, i, 13 : *Mundi sunt oculi tui, ne videas malum, et respicere ad iniquitatem non poteris.*

18-19 « *Et factum est verbum Domini exercituum ad me, dicens.* » Hic incipit respondere ad quæstionem principum : « *Hæc dicit Dominus exercituum,* » qui potens est complere omne quod dicit : « *Jejunium quarti,* » qui apud nos Julius dicitur. Tunc duabus de causis jejunabant Judæi. Una, quia tunc Moyses descendens de monte propter idololatriam populi tabulas conscriptas digito Dei ad radices montis confregit [2]. Secunda causa fuit, quia tunc rupti fuerunt muri Jerusalem [3]. « *Et jejunium quinti,* » hoc est Augusti apud nos. Tunc etiam duabus de causis jejunabant Judæi. Una quidem fuit, quia exploratoribus missis a Moyse, et terrorem nuntiantibus facta est tristitia populi [4]. Secunda, quia illa die combusta est civitas a Nabuzardan [5]. « *Et jejunium septimi,* » qui apud nos October dicitur. Tunc enim jejunabant Judæi pro interfectione Godoliæ, de quo sperabatur quod deberet congregare reliquias populi [6]. « *Et jejunium decimi,* » qui apud nos Januarius dicitur. Tunc enim jejunabant Judæi, eo quod tunc Ezechiel et cæteri concaptivi in Babylone, nuntio sibi misso audierunt, quod Jerusalem capta esset, et destructa [7].

Jejunium quarti cur observatum a Judæis ?

Jejunium quinti.

Jejunium septimi.

Jejunium decimi.

Et subjungit responsum : « *Erit domui Juda,* » hoc est, duabus tribubus, « *in gaudium* » cordis, « *et lætitiam* » corporis, « *et in solemnitates præclaras,* » supple, in condenso populi communiter celebratas. Psal. cxvii, 27 : *Constituite diem solemnem in condensis.* Ex hinc instituta sunt jejunia quatuor temporum, quæ in finibus quatuor quartarum anni celebrat Ecclesia. Judæi enim initia mensium jejunabant pro primitiis illius mensis, et hæc erant dies duodecim in anno, quos duodecim Ecclesia per quatuor ternos dividit, ne judaizare videatur : in tertio mense cujuslibet quartæ anni, tres dies jejunandas instituens, hoc est, à Januario in tertio, ab Aprili in tertio, a Julio in tertio, ab Octobri in tertio, ut in primitiis quartarum, primitias Deo exsolvat, sicut decimam solvit jejunio Quadragesimæ. Jerem. ii, 3 : *Sanctus Israel Domino, primitiæ frugum ejus.* « *Veritatem tantum,* » hoc est, rectitudinem oris et operis, « *et pacem* » ad proximum, « *diligite.* » Isaiæ, xxxviii, 3 : *Obsecro, Domine, memento, quæso, quomodo ambulaverim coram te in veritate et in corde perfecto, et quod bonum est in oculis tuis fecerim.* Ad Hebr. xii, 14 : *Pacem*

Jejunia quatuor temporum cur instituta ?

[1] Cf. Deuteron. xvi, 18.
[2] Cf. Exod. xxxi, 18.
[3] Cf. Jerem. xxx, 1 et seq.
[4] Cf. Numer. xiv, 1 et seq.
[5] Cf. Jerem. xxxix, 8.
[6] Cf. Jerem. xli, 1 et seq.
[7] Cf. Ezechiel. xxxiii, 21.

sequimini cum omnibus, et sanctimoniam, sine qua nemo videbit Deum.

20 « *Hæc dicit Dominus exercituum.* » Confirmatio sermonis est : « *Usquequo veniant populi,* » de omnibus scilicet terrarum finibus ad Ecclesiam. Isa. II, 3 : *Ibunt populi multi, et dicent : Venite, et ascendamus ad montem Domini.* » « *Et habitent in civitatibus multis,* » supple, prius desolatis, hoc est, in diversis vivendi modis Ecclesiæ. Isa. LXII, 4 : *Terra tua inhabitabitur.*

21 « *Et vadant habitatores,* » terræ scilicet, « *unus ad alterum,* » supple, invitans eum, « *dicentes.* » Apoc. XXII, 17 : *Qui audit, dicat : Veni.* « *Eamus, et deprecemur faciem Domini,* » hoc est, præsentiam gratiæ ejus. Isa. II, 3 : *Venite, et ascendamus ad montem Domini, et ad domum Dei Jacob.* « *Et quæramus Dominum exercituum,* » hoc est, gratiam ejus. Osee, VI, 1 et 2 : *Venite, et revertamur ad Dominum : quia ipse cepit et sanabit nos : percutiet, et curabit nos.* Et, supple, ille respondit sic invitatus : « *Vadam etiam ego.* » Cantic. I, 3 : *Trahe me : post te curremus in odorem unguentorum tuorum.*

22 « *Et venient populi multi.* » Isa. II, 2 : *Fluent ad eum omnes gentes.* « *Et gentes robustæ,* » reges scilicet, et principes, et martyres. Isa. LX, 12 : *Gens et regnum, quod non servierit tibi, peribit.* « *Ad quærendum Dominum exercituum in Jerusalem,* » in Ecclesia scilicet. Glossa interlinearis : « Non est locus sacrificii extra Ecclesiam. » Isa. LV, 6 : *Quærite Dominum, dum inveniri potest.* « *Et ad deprecandam faciem Domini.* » Psal. CIV, 4 : *Quærite faciem ejus semper.*

Extra Ecclesiam nullus est locus sacrificii.

23 « *Hæc dicit Dominus exercituum,* » de frequentia scilicet venientium : « *In diebus illis,* » quando scilicet clara gratia lucebit in Christo, « *in quibus apprehendent decem homines,* » Hieronymus, « qui quinque sensibus geminatis « bene utuntur. » Quinque enim sunt sensus exteriores, visus, auditus, olfactus, gustus, et tactus : et quinque interiores, sensus communis, imaginatio, phantasia, æstimativa, et memoria. Qui ergo sensibus exterioribus nihil illicitum haurit, et sensibus interioribus nihil illicitum cordi repræsentat, bene utitur sensibus, et ille est decem homines : vel decem homines sunt, decalogum implentes. Baruch, IV, 28 : *Sicut fuit sensus vester ut erraretis a Deo : decies tantum convertentes, requiretis eum.* « *Ex omnibus linguis Gentium.* » Act. X, 34 et 35 : *Non est personarum acceptor Deus, sed in omni gente qui timet Deum, et operatur justitiam, acceptus est illi.* « *Et apprehendent fimbriam viri Judæi.* Hoc non est impletum nisi de Christo. Matth. XIV, 36 : *Rogabant ut vel fimbriam vestimenti ejus tangerent.* Christus enim solus fuit vir. Eccle. VII, 29 : *Virum de mille unum reperi.* Solus fuit Judæus confitens et glorificans Patrem. Joan. XVII, 4 : *Ego te clarificavi super terram : opus consummavi, quod dedisti mihi ut faciam.* « *Dicentes : Ibimus vobiscum.* » Cato : « Cum bonis ambu« la. » Eccli. XVII, 25 : *In partes vade sæculi sancti, cum vivis et dantibus confessionem Deo.* « *Audivimus enim,* » per Prophetas et Apostolos prædicantes. Ad Roman. X, 17 : *Fides ex auditu, auditus autem per verbum Christi.* « *Quoniam Deus vobiscum est.* » Isa. VII, 14 : *Vocabitur nomen ejus Emmanuel*, quod est nobiscum Deus [1]. Ad Roman. VIII, 31 : *Si Deus pro nobis, quis contra nos ?*

Quinque sensus exteriores, et totidem interiores.

Christus solus vir Judæus.

[1] Matth. I, 23 : *Et vocabunt nomen ejus Emmanuel : quod est interpretatum, Nobiscum Deus*

CAPUT IX.

Vaticinatur adversus civitates Syriæ, et superbos Philisthæos : rex Christus venturus est ad Sion insidens pullo asini, et ablato bello imperabit mundo in magna pace : qui etiam emisit vinctos de lacu in sanguine testamenti sui : omniadicuntur futura populo Dei prospera, quoniam ipse eum proteget.

1. Onus verbi Domini in terra Hadrach, et Damasci requiei ejus : quia Domini est oculus hominis et omnium tribuum Israel.
2. Emath quoque in terminis ejus, et Tyrus, et Sidon : assumpserunt quippe sibi sapientiam valde.
3. Et ædificavit Tyrus munitionem suam : et coacervavit argentum quasi humum, et aurum ut lutum platearum.
4. Ecce Dominus possidebit eam : et percutiet in mari fortitudinem ejus, et hæc igni devorabitur.
5. Videbit Ascalon, et timebit : et Gaza, et dolebit nimis : et Accaron, quoniam confusa est spes ejus : et peribit rex de Gaza, et Ascalon non habitabitur.
6. Et sedebit separator in Azoto, et disperdam superbiam Philisthinorum.
7. Et auferam sanguinem ejus de ore ejus, et abominationes ejus de medio dentium ejus : et relinquetur etiam ipse Deo nostro, et erit quasi dux in Juda, et Accaron quasi Jebusæus.
8. Et circumdabo domum meam ex his qui militant mihi euntes et revertentes : et non transibit super eos ultra exactor, quia nunc vidi in oculis meis.
9. Exsulta satis, filia Sion ; jubila, filia Jerusalem : ECCE REX TUUS veniet tibi justus, et salvator : ipse pauper, et ascendens super asinam et super pullum filium asinæ [1].
10. Et disperdam quadrigam ex Ephraim, et equum de Jerusalem : et dissipabitur arcus belli : et loquetur pacem gentibus et potestas ejus a mari usque ad mare, et a fluminibus usque ad fines terræ.
11. Tu quoque in sanguine testamenti tui emisisti vinctos tuos de lacu in quo non est aqua.
12. Convertimini ad munitionem, vincti spei : hodie quoque annuntians duplicia reddam tibi.
13. Quoniam extendi mihi Judam quasi arcum, implevi Ephraim : et suscitabo filios tuos, Sion, super filios tuos, Græcia : et ponam te quasi gladium fortium.
14. Et Dominus Deus super eos videbitur, et exibit ut fulgur jaculum ejus : et Dominus Deus in tuba canet, et vadet in turbine austri.
15. Dominus exercituum proteget eos : et devorabunt, et subjicient lapidibus fundæ : et bibentes inebriabuntur quasi a vino, et replebuntur ut phialæ, et quasi cornua altaris.

[1] Isa. LXII, 11 ; Matth. XXI, 5.

1. Et salvabit eos Dominus Deus eorum in die illa, ut gregem populi sui, quia lapides sancti elevabuntur super terram ejus.

17. Quid enim bonum ejus est, et quid pulchrum ejus, nisi frumentum electorum, et vinum germinans virgines?

IN CAPUT IX ZACHARIÆ

ENARRATIO.

« *Onus verbi Domini.* » Hic describuntur ea quæ facta sunt sub Græcis populo Judæorum, et dividitur in partes tres, in quarum prima tangitur onus æmulorum : in secunda, pax Regis Sanctorum, ibi, ℣. 9 : « *Exsulta satis.* » In tertia, revocatio ad patriam captivorum, ibi, ℣. 12 : « *Convertimini ad munitionem.* »

Prima harum dividitur in titulum, et in prophetiam.

Titulus duo continet : oppressionem, et oppressionis rationem.

Oppressio tria habet, scilicet oppressionem, veritatis confirmationem, et quos opprimet.

1 « *Onus,* » hoc est, prophetia quæ modo scribetur, erit onus. III Regum, xii, 4 : *Pater tuus durissimum jugum*, id est, onus, *imposuit nobis*. Isa. lviii, 6 : *Omne onus dirumpe*. Psal. xxxvii, 5. *Sicut onus grave gravatæ sunt super me*. Septuaginta habent, « Massa propter pondus gravaminis. » « *Verbi Domini,* » et ideo verum est quod erit. Tobiæ, xiv, 6 : *Non excidit verbum Domini.* « *In terra Hadrach,* » hoc est, Syria. Hadh enim interpretatur *austerum*, Rach *molle :* unde Hadrach et onus significat, et causam oneris [1] : mollities enim causa fuit oneris. Mollis vero est qui ad omnem concupiscentiam priusquam tentetur, emollitur et diffluit. Jerem. xxxi, 22 : *Usquequo deliciis dissolveris, filia vaga ?* Isa. xlvii, 1 : *Non vocaberis ultra mollis et tenera.* « Mollis enim, secundum Philosophum, « pejor est intemperato et incontinen- Mollis quis censeatur?
« te : » unde propter mollitiem austerum onus imponitur. Apocal. ii, 22, dicitur de Jezabel quæ *fluxus sterquilinii* interpretatur : *Ecce mittam eam in lectum : et qui mæchantur cum ea, in tribulatione maxima erunt.* « *Et Damasci,* » quæ est metropolis Syriæ, « *requiei ejus,* » id est, oneris. Ibi enim stabilitur et quiescet et fundabitur. Isa. xxx, 32 : *Erit transitus virgæ fundatus, quam requiescere faciet Dominus super eum*, hoc est, stare, ut continuo affligat. Damascus *potus sanguinis* interpretatur, et significat Damascus.
eos qui in corruptione sanguinis delectantur, qui onere Domini prementur. Quædam Glossa dicit, *requiei ejus*, hoc est, Dei : sed moralis est, et intelligitur de conversis a corruptione carnis et sanguinis, in quibus requiescit Deus, sicut in Maria Magdalena. Gregorius : « Ad « ipsius quippe mentem exsultim confu« gerat, quam post vitiorum ignes, pœ« nitentiæ temperies refrigerabat. » Et subdit rationem :

« *Quia Domini est oculus hominis,* » hoc est, omnia acta hominis conspiciens. Eccli. xxiii, 28 : *Oculi Domini multo plus lucidiores sunt super solem, circumspicientes omnes vias hominum.* « *Et omnium tribuum Israel,* » supple, est oculus, considerans injurias quæ fiunt Sanctis. Jerem. ii, 3 : *Sanctus Israel Domino, primitiæ frugum ejus : omnes, qui devorant eum, delinquunt : mala venient super eos.*

[1] Cf. super hoc nomen Hadrach varias auctorum sententias quas invenias in opere jam laudato : *La Sainte Bible, les petits prophètes*, Lethielleux, Paris, 1883.

2 Et tangit aliam metropolim :

« *Emath quoque in terminis ejus,* » supple, est, et ad illam transibit onus. Antiochia. Est autem Antiochia, quæ *profunditas* interpretatur, et profundatos in carnalibus vitiis significat, qui sunt in terminis Damasci, hoc est, potus sanguinis. Psal. LXVIII, 3 : *Infixus sum in limo profundi : et non est substantia.* Tyrus. « *Et Tyrus,* » civitas in mari sita, cujus onus describitur, Isa. XXIII, 1 et seq., Ezech. XXVII et XXVIII. Interpretatur autem *angustia*, et significat eos qui in angustia et sollicitudine rerum temporalium sunt omni tempore, qui onere Domini prementur. Job, XX, 6 : *Si ascenderit usque ad cœlum superbia ejus, et caput ejus nubes tetigerit* : *quasi sterquilinium in fine perdetur.* Et post pauca, ℣. 15 : *Divitias quas devoravit, evomet, et de ventre illius extrahet eas Deus.* Et quia Tyrus Sidon. est in Sidone, ideo subdit : « *Et Sidon,* » provincia enim Sidonia vocabatur, cujus Tyrus erat metropolis : interpretatur autem *venatio*, et significat eos qui animas diabolo venantur, ad quos transibit onus Domini. Thren. III, 52 : *Venatione ceperunt me quasi avem.* Hoc significatum est, Genes. XXV, 27, ubi dicitur quod Esau (qui malus fuit) factus est, *vir gnarus venandi... Jacob autem, vir simplex, habitabat in tabernaculis.* Glossa tamen exponit de Gentibus ab his vitiis conversis, qui requies Domini efficiuntur, sicut paulo ante dictum est.

Causa autem quare transit ad eos onus, subdit :

« *Assumpserunt quippe sibi sapientiam valde.* » In hoc quod dicit, *assumpserunt,* notat quod ex dono Dei non habuerunt : et ideo sapientia illa mundana est, de qua dicitur, Jacob. III, 15 : *Non est enim ista sapientia de sursum descendens,* scilicet a Patre luminum, *sed terrena, animalis, diabolica,* et ideo est astutia multiplicandi terrena. Abdiæ, ℣. 8 : *Perdam sapientes de Idumæa, et prudentiam de monte Esau.* In hoc quod dicit, *valde,* notat quod subtiles erant ad hoc. I ad Corinthios, I, 19 : *Perdam sapientiam sapientium, et prudentiam prudentium reprobabo.* Isa. XIX, 9 : *Confundentur qui operabantur linum, pectentes et texentes subtilia.*

3 « *Et ædificavit Tyrus munitionem suam.* » Divitiis enim se muniunt contra futuras necessitates et Deum, sed hoc non valet. II ad Corinth. X, 4 et 5 : *Arma militiæ nostræ non carnalia sunt, sed potentia Deo ad destructionem munitionum, consilia destruentes, et omnem altitudinem extollentem se adversus scientiam Dei.* Sic munitus fuit ille dives, qui dixit, Lucæ, XII, 19 : *Anima, habes multa bona posita in annos plurimos : requiesce, comede, bibe, epulare.*

In quo autem munivit se Tyrus, subdit : « *Et,* » id est, quia « *coacervavit argentum quasi humum.* » Hyperbole est, plus dicit et minus significat, hoc est, ita multiplicaverunt Tyrii ut calcarent super argentum, quasi super humum, « *et aurum ut lutum platearum,* » hoc est, ut præ abundantia vile reputaretur, quod ad litteram avari faciunt. Eccle. II, 8 : *Coacervavi mihi argentum et aurum, et substantias regum ac provinciarum.* Baruch, III, 18 : *Argentum thesaurizant, et aurum, in quo confidunt homines, et non est finis acquisitionis eorum.* Job, III, 15 : *Possident aurum, et replent domos suas argento.* Habacuc, II, 6 : *Væ ei qui multiplicat non sua ! Usquequo et aggravat contra se densum lutum ?*

4 « *Ecce Dominus possidebit eam,* » Tyrum scilicet, hoc est, possidere faciet ab alienis dominis. Luc. XII, 20 : *Hac nocte animam tuam repetunt a te : quæ autem parasti, cujus erunt ?* Isaiæ, XIX, 4 : *Tradam Ægyptum in manu dominorum crudelium.* « *Et percutiet in mari fortitudinem ejus,* » per Alexandrum scilicet, qui insulam Tyri terræ coæquavit, et destruxit. Vel spiritualiter per dia-

bolum. Isaiæ, xviii, 8 et 9 : *Quis cogitavit hoc super Tyrum quondam coronatam, cujus negotiatores principes, institores ejus inclyti terræ ? Dominus exercituum cogitavit hoc, ut detraheret superbiam omnis gloriæ.* « *Et hæc igni devorabitur.* » Ad litteram Alexander succendit Tyrum, et Deus succendit avaros. Psal. cxxxix, 11 : *In ignem dejicies eos : in miseriis non subsistent.* Matth. xxv, 41 : *Discedite a me, maledicti, in ignem æternum.*

5 « *Videbit Ascalon.* » Transit ad terram Philisthinorum, quæ receptura erat onus, eo quod vicina erat Syriæ, et loco, et peccato.

Ascalon. « *Videbit Ascalon,* » civitas scilicet Philisthinorum, quæ *ignis ignobilis* interpretatur : videbit (inquam) succensam Tyrum, « *et timebit* » supple, sibi, ut dum fortior resistere non potuit, ne et ipsa succumbat. Isa. xx, 6 : *Ecce hæc erat spes nostra, ad quos confugimus in auxilium, ut liberarent nos a facie regis Assyriorum : et quo modo effugere poterimus nos ?* « *Et Gaza,* » supple, videbit ardentem : quæ *fortis* interpretatur, et secunda civitas fuit Philisthinorum, « *et dolebit nimis,* » desperans scilicet de sua evasione. Lucæ, xxiii, 31 : *Si in viridi ligno hoc faciunt, in arido quid fiet ?* « *Et Accaron,* » tertia civitas Philisthinorum, supple, videbit Tyrum ardentem, et in hoc cognoscet « *quoniam confusa est spes ejus.* » Sap. v, 15 : *Spes impii tamquam lanugo est, quæ a vento tollitur.* Job, xl, 28 : *Ecce spes ejus frustrabitur eum.* Interpretatur autem Accaron *sterilis,* vel eradicata, et gloriam mundi significat. Sap. iv, 3 : *Spuria vitulamina non dabunt radices altas.* « *Et peribit rex de Gaza,* » quæ fuit metropolis Philisthinorum, et interitum regni mundi significat. Jeremiæ, xiii, 18 : *Dic regi, et dominatrici : Humiliamini, sedete,* scilicet in terra : *quoniam descendit de capite vestro corona gloriæ vestræ.* « *Et Ascalon non habitabitur,* » destruente scilicet Deo. Isaiæ, xxv, 2 : *Posuisti civitatem in tumulum, urbem fortem in ruinam.*

Accaron.

« *Et sedebit separator,* » id est, possessionum divisor, Alexander scilicet ut victor, « *in Azoto,* » tamquam rex, qui militibus suis possessiones Philisthinorum distribuet, vel Dominus qui separat grana a paleis. Lucæ, iii, 17 : *Cujus ventilabrum in manu ejus, et purgabit aream suam.* In Azoto autem sedet tamquam judicans eam, quæ *ignis mamillæ* interpretatur : libidinosos enim condemnabit. Isaiæ, l, 11 : *Ecce vos omnes accendentes ignem accincti flammis, ambulate in lumine ignis vestri, et in flammis quas succendistis vobis.* « *Et* » supple, sic « *disperdam superbiam Philisthinorum.* » Job, xl, 6 : *Disperge superbos in furore tuo, et respiciens omnem arrogantem humilia.* 6

Azotum.

« *Et auferam sanguinem ejus de ore ejus,* » ne scilicet de cætero innocentes masticare possit. Psal. xxi, 22 : *Salva me ex ore leonis.* Job, xxix, 17 : *Conterebam molas iniqui, et de dentibus illius auferebam prædam.* « *Et abominationes ejus,* » hoc est, abominabilia peccata, « *de medio dentium ejus,* » supple, auferam. Proverb. xxx, 14 : *Generatio, quæ pro dentibus gladios habet, et commandit molaribus suis, ut comedat inopes de terra, et pauperes ex hominibus.* « *Et relinquetur etiam ipse,* » scilicet separator, « *Deo nostro.* » Et videtur tangere quod dicit Magister in *Historiis,* a Beda accipiens, quod cum Alexander properaret in Judæam, in somnis apparuit ei quasi summus Sacerdos pontificalibus indutus, et cum in crastino procederet adversus Jerusalem, summus Sacerdos pontificalibus indutus processit obviam ei : et recordatus somnii de equo descendit, summum Pontificem adoravit, 7

et terram Judæorum protexit. Et hoc est quod sequitur : « *Et erit quasi dux in Juda*, » protector scilicet, sicut et in Ecclesia sæpe factum est, quod persecutores ejus, protectores ejus effecti sunt. « *Et Accaron*, » civitas scilicet Philisthinorum, supple, erit « *quasi Jebusæus*, » qui scilicet relicto errore aream suam obtulit, in qua templum ædificaretur [1]. Isaiæ, LX, 12 : *Gens et regnum, quod non servierit tibi*, *peribit*.

8 « *Et circumdabo domum meam*, » protegendo scilicet, « *ex his qui militant mihi*, » Machabæis, vel Apostolis. Job, XXV, 3 : *Numquid est numerus militum ejus ? et super quem non surgit lumen illius ?* Militant, dico, « *euntes*, » in profectu scilicet virtutis, « *et revertentes*, » in exhibitione gratiarum actionis. Job, XXXVIII, 35 : *Numquid mittes fulgura, et ibunt : et revertentia dicent tibi* : *Adsumus ?* Ezech. I, 14 : *Animalia ibant*, *et revertebantur in similitudinem fulguris coruscantis*. « *Et non transibit super eos*, » supple, conculcans « *ultra exactor*, » Babylonius, vel diabolus. Isaiæ, XIV, 4 : *Quomodo quievit exactor, cessavit tributum ?* Job, XXXIX, 7 : *Clamorem exactoris non audit*. « *Quia nunc vidi in oculis meis*, » supple, omnia mala quæ fecerunt, et ideo sum testis et judex. Psal. XCIII, 9 : *Qui finxit oculum*, *non considerat*, id est, nonne considerat ? Job, XIII, 1 : *Ecce omnia hæc vidit oculus meus*, *et audivit auris mea*, *et intellexi singula*.

9 « *Exsulta satis*. » Ostensa depressione inimicorum, ostendit exsultationem fidelium in Rege suo, et ostendit primo Regis mansuetudinem et humilitatem, secundo pacem.

« *Exsulta satis, filia Sion*, » hoc est, fidelis anima ad pacis contemplationem pertinens. *Satis* autem *exsultare*, est pro tanto dono gratias agere. « *Jubila, filia Jerusalem*, » hoc est, ad æternam pacem pertinens. Psal. LXXX, 2 : *Exsultate Deo adjutori nostro*. Item, Psal. XCIX, 1 : *Jubilate Deo*, *omnis terra*. « *Ecce Rex tuus veniet tibi*, » hoc est, ad tuam utilitatem et salutem. Sophon. III, 14 : *Lauda*, *filia Sion : jubila, Israel : lætare*, *et exsulta in omni corde*, *filia Jerusalem*. Amos, IV, 12 : *Præparare in occursum Dei tui*, *Israel*. « *Justus* » opere, verbo, et judicio. Jerem. XXIII, 6 : *Hoc est nomen*, *quod vocabunt eum*, *Dominus justus noster*. « *Et Salvator*. » Matth. I, 21 : *Ipse enim salvum faciet populum suum a peccatis eorum*. « *Ipse pauper*. » II ad Corinth. VIII, 9 : *Scitis gratiam Domini nostri Jesu Christi*, *quia propter vos egenus factus est*, *cum esset dives*, *ut inopia illius vos divites essetis*. « *Et ascendens super asinam*, » quæ Judaicum populum significat, « *et super pullum filium asinæ*. » In una enim via utrumque ascendit. (Matth. XXI, 7) asinam et pullum [2]. Sed pullus Gentilem populum significat, nulla lege frænatum. Marc. XI, 2 : *Super quem nemo adhuc hominum sedit*, ut sic tamquam prudens sessor utrumque populum gubernaret.

« *Et disperdam quadrigam ex Ephraim*. » Loquitur de pace quæ tempore Christi in toto orbe terrarum facta est, cujus signum est quod dicitur, Luc. II, 1 : *Exiit edictum a Cæsare Augusto*, *ut describeretur universus orbis*. Hanc pacem describit per destructionem instrumentorum bellicorum, quæ sunt quadriga et equus et arcus. Spiritualiter tamen Ephraim *frugifer* interpretatur, et fructificantes in temporalibus significat : quadriga vero significat quatuor passionibus inordinatis animam subvectam, quas disperdidit Dominus secundum quod præceptum fuit, Josue, XI, 9 : *Equos eo-* 10

Christus pacificus.

[1] Cf. II Regum, XXIV, 24.

[2] Cf. etiam Joan. XII, 14.

rum subnervavit, currusque combussit igni. Idem legitur de David, II Reg. VIII, 4, et I Paral. XVIII, 4. Et hoc est quod sequitur : « *Et equum de Jerusalem.* » Jerusalem enim significat fideles animas, visioni æternæ pacis intendentes : equus vero præcipitem audaciam in malum. Psal. XXXII, 17 : *Fallax equus ad salutem.* « *Et dissipabitur arcus belli.* » Per arcum intelligitur omne instrumentum bellicum, intelligitur etiam lingua dolosa de longe feriens. Ezech. XXXIX, 3 : *Percutiam arcum in manu sinistra tua, et sagittas tuas de manu dextera tua.* Jerem. IX, 8 : *Sagitta vulnerans lingua eorum, dolum locuta est.* Causa hujus pacis est, quia omnibus venientibus ad unam fidem, unus spiritus et una charitas erit in omnibus eis. Isa. XI, 12 et 13 : *Levabit signum in nationes, et congregabit profugos Israel, et dispersos Juda colliget a quatuor plagis terræ. Et auferetur zelus Ephraim, et hostes Juda peribunt : Ephraim non æmulabitur Judam, et Judas non pugnabit contra Ephraim.* Isa. II, 4, et Mich. IV, 3 : *Conflabunt gladios suos in vomeres, et lanceas suas in falces : non levabit gens contra gentem gladium, nec exercebuntur ultra ad prælium.*

Lingua dolosa ferit ut arcus.

Et subdit de pace :

« *Et loquetur pacem Gentibus.* » In prædicatione scilicet Evangelii, in cujus fide omnis discordia sectarum ad unitatem et pacem reducta est. Psal. LXXXIV, 9 : *Loquetur pacem in plebem suam. Et super Sanctos suos, et in eos qui convertuntur ad cor.* Augustinus in libro de *Civitate Dei* : « Pax cœlestis civitatis est « concordia fruendi Deo, et invicem in « Deo [1]. »

Omnium dissidiorum finis lex Evangelica.

Et subdit de potestate conservante pacem :

« *Et potestas ejus a mari usque ad mare,* » supple, erit. Et describit terminos terræ promissionis, per hos intelligens totius orbis descriptionem. Et intelligit a Mari mortuo quod est ad Orientem, usque ad Mare magnum quod est ad Occidentem. « *Et a fluminibus,* » Rivorucula et Nilo scilicet, quæ sunt ad Austrum, « *usque ad fines terræ,* » supple, versus Aquilonem. Vel forte melius, ab amphitrice usque ad amphitricem, ab Oriente in Occidentem mensurando, et a paludibus Meotidis, quæ ut flumina in Meridie diffunduntur, usque ad terminos orbis in Aquilonem. In his enim quatuor terminis tota terra nostra habitabilis describitur, in qua prædicata est fides Christi. Psal. LXXI, 8 : *Dominabitur a mari usque ad mare, et a flumine usque ad terminos orbis terrarum.* Item, Psal. CVI, 3 : *A solis ortu, et occasu : ab aquilone, et mari.*

Quod autem hoc fiat per opus redemptionis subdit. Et facit apostrophen, loquens ad ipsum regem Christum : 11

« *Tu quoque,* » o Christe, « *in sanguine testamenti tui,* » hoc est, quem testando per Prophetas promisisti fundere. Daniel. IX, 26 : *Occidetur Christus : et non erit ejus populus, qui eum negaturus est.* Ad Hebr. XII, 24 : *Accessistis ad sanguinis aspersionem melius loquentem quam Abel.* « *Emisisti vinctos tuos,* » vinctos in peccato et in limbo inferni. Isa. LXI, 1 et 2 : *Ut prædicarem captivis indulgentiam, et clausis apertionem : ut prædicarem annum placabilem Domino.* « *De lacu,* » inferni scilicet, vel profundo peccati. Thren. III, 53 : *Lapsa est in lacum vita mea, et posuerunt lapidem super me.* Psal. XXXIX, 3 : *Eduxit me de lacu miseriæ, et de luto fæcis.* «*In quo non est aqua,* » alicujus scilicet refrigerii : quia quamvis ignem in limbo non sentirent, tamen contra carentiam visionis Dei nullum habebant refrigerium. Hæc est aqua quæ exivit de latere Salvatoris, Joan. XIX, 34, quæ ab æstu æstuantis gehennæ nos educit, ipsum etiam ignem

Limbus patrum expers erat refrigerii.

[1] S. AUGUSTINUS, Lib. XIV de Civitate Dei.

exstinguendo a nobis. Ezech. XLVII, 9 : *Vivent omnia, ad quæ venerit torrens.* Psal. L, 9 : *Lavabis me, et super nivem dealbabor.* Ezech. XXXVI, 25 : *Effundam super vos aquam mundam, et mundabimini ab omnibus inquinamentis vestris.*

12 « *Convertimini.* » Hic conversis ad Regem multa bona promittit, quæ in duo dividuntur. Primo enim promittit victorias super inimicos : secundo, prosperitatem in temporalibus, ibi, infra in cap. X, 1 : « *Petite a Domino pluviam.* »

Prima habet quatuor paragraphos. In primo ponitur revocatio captivorum, in secundo victoria inimicorum, in tertio adjutorium divinum, in quarto regimen tanto pastore dignum.

« *Convertimini ad munitionem vincti spei,* » hoc est, o vincti in Babylone, vel in inferno, vel in peccato, convertimini redeuntes ad munitionem spei, hoc est, ad munitam spem, vel ad spem quæ munit vos, hoc est, ad spem divinam, quia omnis alia spes vana est. Ad Hebr. VI, 18 et seq. : *Fortissimum solatium habeamus, qui confugimus ad tenendam propositam spem, quam sicut anchoram habemus animæ tutam ac firmam, et incedentem usque ad interiora velaminis, ubi præcursor introivit Jesus.* Et ut libentius convertantur, adhibet promissionem, subdens : « *Hodie quoque annuntians,* » id est, hoc præsenti tempore per ora Prophetarum pollicens, « *duplicia reddam tibi,* » hoc est, victorias et prosperitatem, vel bona corporis et animæ. Isa. LXI, 7 : *In terra sua duplicia possidebunt.* Isaiæ, XL, 2 : *Suscepit de manu Domini duplicia.* Propter hoc dicitur, Eccli. XXXVI, 18 : *Da mercedem, Domine, sustinentibus te, ut Prophetæ tui fideles inveniantur.* Glossa inducit illud Apostoli ad Rom. VIII, 18 : *Non sunt condignæ passiones hujus temporis ad futuram gloriam, quæ revelabitur in nobis.* Hoc enim tempore, solo corpore patimur : in futura vero gloria, duplicia recipimus, quia in corpore et anima glorificamur.

Deus præmiat ultra condignum.

Et subdit de potentia super inimicos : 13

« *Quoniam extendi mihi Judam.* » Et intelligitur de ostensione virtutis et fortitudinis, ad similitudinem arcus extenti : quia sicut arcus fortissimas emittit sagittas, ita sub Machabæis duæ tribus emiserunt crebras victorias. Psal. CXXXVII, 7 : *Super iram inimicorum meorum extendisti manum tuam, et salvum me fecit dextera tua.* « *Quasi arcum, implevi Ephraim,* » hoc est, propter quosdam de regno Ephraim, hoc est, decem tribuum, qui temporibus Ezechiæ redierunt ad cultum Domini, captivatis jam decem tribubus, quando Ezechias celebravit Pascha, sicut dicitur, II Paral. XXX, 15 et seq., qui etiam tunc cum duabus tribubus in Babylonem ducti sunt, et cum eisdem redierunt, et cum Machabæis pugnaverunt. Psal. CXIX, 4 : *Sagittæ potentis acutæ.* Sicut enim arcus multum extensus impletus sagittis, profunda et crebra infert vulnera : ita illi cum Juda Machabæo pugnantes, crebra vulnera intulerunt inimicis. Spiritualiter autem intelligitur hoc quod Judas confitens, et Ephraim fructum spiritualem afferens, Prædicator est, cujus arcus Scriptura est. Job, XXIX, 20 : *Arcus meus in manu mea instaurabitur.* Sagittæ autem implentes arcum, auctoritates congruæ sunt unicuique auditorum. Isa. XLIX, 2 : *Posuit me sicut sagittam electam : in pharetra sua abscondit me.*

Arcus mysticus.

« *Et,* » supple, sic, « *suscitabo filios tuos, Sion,* » Judæorum scilicet, vel Ecclesiæ, « *super filios tuos, Græcia :* » de Græcorum enim reliquiis erant Antiochus, Demetrius, Alexander, et cæteri, cum quibus Machabæi pugnaverunt. Vel etiam Apostoli super sapientes mundi suscitati sunt, et verbo prædicationis prævaluerunt eis. I ad Corinth. II, 4 :

Non in persuasibilibus humanæ sapientiæ verbis, sed in ostensione spiritus, et virtutis. Item, I ad Corinth. I, 19 : *Perdam sapientiam sapientium, et prudentiam prudentium reprobabo.* « *Et ponam te,* » Juda scilicet, et Ephraim, « *quasi gladium fortium.* » Hoc in Machabæis impletum est, et quotidie impletur in Ecclesia, in gladio spiritus (quod est verbum Dei) pugnante. Ad Ephes. VI, 17: *Gladium spiritus* (*quod est verbum Dei*) *assumite.* Isa. XLIX, 2 : *Posuit os meum quasi gladium acutum : sub umbra manus suæ protexit me.*

Verbum Dei gladius est spiritus.

14 Et transit ad auxilium divinum :

« *Et Dominus Deus super eos videbitur.* » Hoc ad litteram factum est, II Machab. XI, 8-12, ubi sic dicitur: *Cumque pariter prompto animo procederent Jerosolymis, apparuit præcedens eos eques in veste candida, armis aureis hastam vibrans. Tunc omnes simul benedixerunt misericordem Dominum, et convaluerunt animis : non solum homines, sed et bestias ferocissimas, et muros ferreos parati penetrare. Ibant igitur prompti, de cœlo habentes adjutorem, et miserantem super eos Dominum. Leonum autem more impetu irruentes in hostes, prostraverunt ex eis undecim millia peditum, et equitum mille sexentos.* Legitur item, ibidem, X, 29 et 30, quod *cum vehemens pugna esset, apparuerunt adversariis de cœlo viri quinque in equis, frœnis aureis decori, ducatum Judæis præstantes : ex quibus duo Machabæum medium habentes, armis suis circumseptum incolumem conservabant : in adversarios autem tela, et fulmina jaciebant, ex quo et cæcitate confusi, et repleti perturbatione cadebant.* « *Et exibit ut fulgur, jaculum ejus.* » Gladius enim eductus emicat ut fulgur. Hoc etiam verum est de Ecclesia, cujus gladius (quod est verbum Dei) fulgurat exemplis vel miraculis, et incidit in acumen veritatis. Psal. CXLIII, 6 : *Fulgura coruscationem, et dissipabis eos : emitte sagittas tuas, et conturbabis eos.* Job, XXXVI, 29 et 30 : *Si voluerit extendere nubes quasi tentorium suum, et fulgurare lumine suo desuper, cardines quoque maris operiet,* hoc est, mundi.

« *Et Dominus Deus in tuba canet,* » hoc est sancti in virtute Domini : quia ad litteram Machabæi clangebant sacris tubis, quæ in Ecclesia significant tubam prædicationis. Osee, VIII, 1 : *In gutture tuo sit tuba quasi aquila super domum Domini.* Numer. X, 2 : *Fac tibi duas tubas ductiles, argenteas, quibus convocare possis multitudinem in die, quando movenda sunt castra.* » *Et vadet in turbine austri,* » hoc est, vadet involvendo et confringendo hostes, sicut turbo veniens ab Austro, qui ventus involutivus et tempestuosus est, et significat impetum et involutiones Spiritus sancti in spiritualibus. Isaiæ, XXI, 1 : *Sicut turbines ab Africo veniunt, de deserto venit.* Charitas enim in turbine venit, et cum impetu devotionis.

« *Dominus exercituum proteget eos,* » 15
Hebræos scilicet, vel sanctos Prædicatores. Psal. XC, 1 : *Qui habitat in adjutorio Altissimi, in protectione Dei cæli commorabitur.* « *Et devorabunt,* » Hebræi scilicet Græcos, vel Prædicatores suos auditores sibi incorporabunt. Esther, XI, 11 : *Lux et sol ortus est, et humiles exaltati sunt, et devoraverunt inclytos.* « *Et subjicient,* » supple, servituti suæ, « *lapidibus fundæ.* » Judæi dicunt, quod tanta fuit victoria Machabæorum, quod victis hostibus a Machabæis, etiam a communi populo obruti sunt, et contra fugientes jacti sunt lapides per fundas : sed nos non curamus illas fabulas. Dicimus ergo, quod funda quæ duas chordas habet, et sinum in quo lapis ponitur, rationem perfectam studio sacrarum Sripturarum significat, cujus duæ chordæ sunt ratio in parte una, studium Scripturæ in parte altera : sinus autem adaptatio ad

Funda mystica.

propositum : lapis autem auctoritas solidæ veritatis et limpidæ : circumrotatio vero fundæ, est collatio et dispositio in corde Prædicatoris. Hæc est funda, in qua David prævaluit Philisthæo [1]. Judicum, xx, 16 : *Sic fundis lapides ad certum jacientes, ut capillum quoque possent percutere, et nequaquam in alteram partem ictus lapidis deferretur.*

Quam præcipites autem erant ad pericula, subdit :

« *Et bibentes inebriabuntur quasi a vino,* » hoc est, victores quasi ebrii obliti sui et periculi, contra hostes ferebantur in mortem et periculum. « Vinum enim (ut dicit Philosophus) bonæ « spei facit hominem et audacem. » Cant. viii, 2 : *Dabo tibi poculum ex vino conditum, et mustum malorum granatorum meorum.* III Esdræ, iii, 18 *: Viri, quam prævalet vinum omnibus hominibus qui bibunt illud!* Et paulo post, ℣. 24 : *O viri, num præcellit vinum? quis sic cogitat facere?* « *Et replebuntur ut phialæ,* » vino illo scilicet audaciæ et bonæ confidentiæ. Cant. v, 1 : *Comedite, amici, et bibite, et inebriamini, carissimi.* « *Et quasi cornua altaris,* » supple, replebuntur, quæ semper fuerunt infusa libaminibus. Septuaginta sic habent : « Bibent sanguinem « eorum sicut vinum, et implebunt sicut « phialas altaris. » Sanguinem enim inimicorum (quia ad honorem Dei fuderunt) quasi libamen Deo obtulerunt.

Vinum pellit formidinem.

16 « *Et salvabit eos Dominus Deus eorum,* » Machabæos scilicet, vel Sanctos, « *in die illa,* » lucente scilicet gratia Omnipotentis, « *ut gregem populi sui* : » transitive, hoc est, ut gregem qui est populus suus. Ezech. xxxiv, 31 : *Vos, greges mei, greges pascuæ meæ homines estis : et ego Dominus Deus vester, dicit Dominus Deus.* Psal. xciv, 7 : *Nos populus pascuæ ejus , et oves manus ejus.*

Et horum omnium causam, subdit :

« *Quia lapides sancti elevabuntur super terram ejus :* » et tangit quod habetur, I Machab. iv, 44 et seq., et II Machab. vi, 2 et seq., quod altare profanatum a Gentibus destruxerunt, et lapides in loco apto posnerunt, donec surgeret Propheta qui annuntiaret de eis : et aliud de lapidibus (quos ferrum non tetigit) erexerunt [2]. Spiritualiter autem lapides sancti, Sancti sunt solidæ vitæ, qui elevantur super terram, quando principatum accipiunt. Job, v, 23 : *Cum lapidibus regionum erit pactum tuum.* Isa. liv, 12 : *Ponam portas tuas in lapides sculptos, et omnes terminos tuos in lapides desiderabiles.*

Quid autem incitet ad tantam audaciam, subdit : 17

« *Quid enim bonum ejus est,* » quod scilicet desiderium moveat, « *et quid pulchrum ejus,* » quod scilicet conversationem ad honestatem componat, « *nisi frumentum electorum,* » hoc est, electis dandum, « *et vinum germinans virgines,* » hoc est, virgineas mentes. Septuaginta : « Quia si quid optimi illius « est, et si quid bonum ab eo, frumentum « juvenibus, et vinum boni odoris ad vir- « gines. » Et est sensus, quia refectio optima in esculento quæ electis danda est, et optima refectio in poculento quæ virginibus datur ad pulchritudinis conversationem, quæ terra sponte gignit, et quæ Deus promittit, ad tantam movet audaciam. Spiritualiter autem frumentum puritas et dulcedo gratiæ est

Frument[um] vinum electoru[m].

[1] Cf. I Regum, xvii, 49.

[2] I Machab. iv, 44 et seq. : *Et cogitavit,* scilicet Judas, *de altare holocaustorum, quod profanatum erat, quid de eo faceret. Et incidit illis consilium bonum ut destruerent illud : ne forte illis esset in opprobrium, quia contaminaverunt illud gentes, et demoliti sunt illud. Et reposuerunt lapides in monte domus, in loco apto, quoadusque veniret propheta, et responderet de eis,* etc.

divinæ quæ electis datur. Psal. CXLVII, 14 : *Adipe frumenti satiat te*, et maxime gratia Sacramenti. Vinum autem conceptus est gaudiorum æternorum, quod virgineas mentes et incorruptas infundit et inebriat. Cantic. II, 4 : *Introduxit me rex in cellam vinariam, ordinavit in me charitatem.* Deuteronom. XXXIII, 28 : *Oculus Jacob in terra frumenti, et vini.* Genes. XXVII, 37 : *Frumento et vino stabilivi eum.*

CAPUT X.

Solus Dominus potest petita præstare, qui confortabit Judæos : et misertus ipsorum congregabit eos de variis locis captivitatis in terram pristinam, humiliatis ipsorum inimicis.

1. Petite a Domino pluviam in tempore serotino, et Dominus faciet nives : et pluviam imbris dabit eis, singulis herbam in agro.
2. Quia simulacra locuta sunt inutile, et divini viderunt mendacium, et somniatores locuti sunt frustra, vane consolabantur : idcirco abducti sunt quasi grex : affligentur, quia non est eis pastor.
3. Super pastores iratus est furor meus, et super hircos visitabo : quia visitavit Dominus exercituum gregem suum, domum Juda, et posuit eos quasi equum gloriæ suæ in bello.
4. Ex ipso angulus, ex ip so paxillus, ex ipso arcus prœlii, ex ipso egredietur omnis exactor simul.
5. Et erunt quasi fortes conculcantes lutum viarum in prœlio : et bellabunt, quia Dominus cum eis : et confundentur ascensores equorum.
6. Et confortabo domum Juda, et domum Joseph salvabo : et convertam eos, quia miserebor eorum : et erunt sicut fuerunt quando non projeceram eos : ego enim Dominus Deus eorum, et exaudiam eos.]
7. Et erunt quasi fortes Ephraim, et lætabitur cor eorum quasi a vino : et filii eorum videbunt, et lætabuntur, et exsultabit cor eorum in Domino.
8. Sibilabo eis, et congregabo illos, quia redemi eos : et multiplicabo eos sicut ante fuerant multiplicati.
9. Et seminabo eos in populis, et de longe recordabuntur mei : et vivent cum filiis suis, et revertentur.
10. Et reducam eos de terra Ægypti, et de Assyriis congregabo eos, et ad terram Galaad et Libani adducam eos, et non invenietur eis locus :
11. Et transibit in maris freto, et percutiet in mari fluctus, et confundentur omnia profunda fluminis, et humiliabitur superbia Assur, et sceptrum Ægypti recedet.
12. Confortabo eos in Domino, et in nomine ejus ambulabunt, dicit Dominus.

IN CAPUT X ZACHARIÆ

ENARRATIO.

« *Petite pluviam.* » In capitulo isto populo abundantia temporalium promittitur a Domino, si ad ipsum ab idolis convertantur, et habet quinque paragraphos. In primo, a Domino et non ab idolis ostendit hæc esse petenda. In secundo, ut digne petant, per visitationes Domini distinctionem bonorum a malis significat, ibi, ℣. 3 : « *Super pastores.* » In tertio, victis hostibus filiorum ad patrum devotionem ostendit reductionem, ibi, ℣. 5 in fine : « *Et confundentur ascensores.* » In quarto, captivorum ad patriam describit reductionem, ibi, ℣. 8 : « *Sibilabo eis.* » In quinto, in reducendo suæ potentiæ describit magnitudinem, ibi, ℣. 11 : « *Et transibit in maris freto.*»

1 Dicit ergo :

Pluvia temporanea et serotina.

« *Petite a Domino pluviam,* » non ab idolo, « *in tempore serotino.* » Duæ sunt pluviæ, scilicet *temporanea* quæ descendit ut semina pullulent et in herbam germinent, et *serotina* quæ descendit ad hoc quod grana tumescant. Unde, Osee, VI, 3 : *Veniet quasi imber nobis temporaneus, et serotinus terræ.* Et videtur respondere ad illud Jerem. III, 3 : *Quamobrem prohibitæ sunt stillæ pluviarum, et serotinus imber non fuit.* Quia scilicet hæc ab idolis et non a Deo petebatis. « *Et Dominus faciet,* » supple, plus quam petitis, dummodo in fide petatis. Jacob. I, 6 : *Postulet autem in fide nihil hæsitans.* « *Nives, et pluviam imbris dabit eis.*» Ad Ephes. III, 20 : *Potens est omnia facere superabundanter quam petimus, aut intelligimus.* Unde petita pluvia dat nives, et pluviam imbris, et herbam. Nives ut humore infundant, et frigiditate terram in superficie restringant, ne beneficium vaporis in visceribus terræ generatum evaporare possit, sed radices plantarum restrictum cogatur inspirare. Eccli. XLIII, 19 et 20 : *Sicut avis deponens ad sedendum, aspergit nivem, et sicut locusta demergens descensus ejus. Pulchritudinem candoris ejus admirabitur oculus.* Pluvia imbris est pluvia leviter descendens, et salubriter terram infundens. Job, XXXVI, 27 : *Qui aufert stillas pluviæ, et effundit imbres ad instar gurgitum.* Psal. LXVII, 10 : *Pluviam voluntariam segregabis, Deus, hæreditati tuæ.*

Pluvia imbris.

« *Dabit eis, singulis herbam in agro.* » Quod dicit *singulis*, notat quod unicuique dabit opportunam. Sapient. XVI, 21 : *Et deserviens uniuscujusque voluntati, ad quod quisque volebat, convertebatur.* Hæc spiritualiter intelliguntur de pluvia doctrinæ, quæ datur per prædicatores. Nix autem candor est et prædicatio cælibatus in castitate. Job, IX, 30 : *Si lotus fuero quasi aquis nivis.* Hic enim est viror virtutis, et boni operis. Isaiæ, LV, 10 et 11 : *Quomodo descendit imber, et nix de cœlo, et illuc ultra non revertitur, sed inebriat terram, et infundit eam, et germinare eam facit, et dat semen serenti, et panem comedenti : sic erit verbum meum, quod egredietur de ore meo : non revertetur ad me vacuum, sed faciet quæcumque volui, et prosperabitur in his ad quæ misi illud.* Ad Hebr. VI, 7 : *Terra sæpe venientem super se bibens imbrem, et generans herbam opportunam illis a quibus colitur, accipit benedictionem a Deo.*

Et bene dico : Petite a Domino, 2

« *Quia simulacra,* » a quibus hactenus petistis, « *locuta sunt inutile.* » Dæmon enim præsidens simulacris promittebat quod solvere non potuit. Jerem. XIV, 22 : *Numquid sunt in sculptilibus*

Gentium qui pluant? aut cœli possunt dare imbres? nonne tu es Dominus Deus noster, quem exspectavimus? tu enim fecisti omnia hæc. « *Et divini viderunt* Divini. *mendacium.* » *Divini* a divinatione dicuntur, et sunt pseudoprophetæ mendacia vaticinantes, et homines in malo confortantes. Isa. VIII, 19 : *Cum dixerint ad vos : Quærite a pythonibus, et a divinis, qui strident in incantationibus suis* : supple, dicite : *Numquid non populus a Deo suo requiret,* visionem scilicet, *pro vivis a mortuis?* « *Et somniato-* omniis non nitendum. *res locuti sunt frustra.* » Tangit eos qui oblatis animalibus in pellibus dormiebant, et per somnia divinabant. Jerem. XXIII, 32 : *Ecce ego ad Prophetas somniantes mendacium, ait Dominus : qui narraverunt ea, et seduxerunt populum meum in mendacio suo, et in miraculis suis.* Videtur tangere eos qui nostris temporibus de visionibus inutilibus gloriantur. « *Vane consolabantur,* » dicentes, Pax, cum non esset pax scilicet. Jerem. XXIV, 15 : *A Prophetis enim Jerusalem egressa est pollutio super omnem terram.*

« *Idcirco,* » supple, quia talibus crediderunt, « *abducti sunt quasi grex.* » Isa. V, 13 : *Propterea captivus ductus est populus meus, quia non habuit scientiam.* Et intelligitur simul de captivitate diaboli, et de captivitate regis Babylonis. « *Affligentur,* » a lupis scilicet, et hostibus, et dæmonibus, « *quia non est eis pastor,* » qui scilicet in actu pastoris congreget, custodiat, pascat, et educat et inducat gregem. Et videtur litteraliter loqui de Alchimo, et Jasone, et Simone, præposito templi, de quibus II Machab. IV, V et VI, qui pastoris dignitatem ambiebant, et pastoris actum non exhibebant, sed potius morsus et dilacerationes luporum. Joan. X, 12 : *Lupus rapit, et dispergit oves.* Matth. VII, 15 : *Intrinsecus sunt lupi rapaces.* Dionysius ad Demophilum monachum : acerdos iniquus pus est. « Sacerdos malus, sacerdos non est, « sed lupus ovina pelle super divinum « populum armatus. » Ezech. XXXIV, 2 : *Væ pastoribus Israel, qui pascebant semetipsos!* Et, ibidem, ℣. 3 : *Lac comedebatis, et lanis operiebamini, et quod crassum erat occidebatis : gregem autem meum non pascebatis.*

« *Super pastores.* » Quia pastores fue- 3
runt causa subversionis, ideo per visitationem tales removet a populo.

« *Super pastores iratus est furor meus.* » Pastores (inquam) a dignitate, et non ab actu. Ezech. XXXIV, 10 : *Ecce ego ipse super pastores : requiram gregem meum de manu eorum, et cessare faciam eos, ut ultra non pascant gregem.* « Furor autem fervens ira est, » ut dicit Gregorius, quia, sicut dicitur, Sapient. VI, 7 : *Potentes potenter tormenta patientur.* « *Et super hircos visitabo.* » Hircos vocat Prælatos peccatis Prælatus cornupeta. fœtidos, et cornu potestatis innocentes impingentes. Daniel. VIII, 7 : *Cumque hircus appropinquasset prope arietem, efferatus est in eum, et percussit arietem.*

« *Quia visitavit Dominus exercituum gregem suum,* » distinguendo scilicet malos a bonis. Psal. LVIII, 6 : *Intende ad visitandas omnes gentes : non miserearis omnibus qui operantur iniquitatem.*

Et quid post visitationem futurum sit, subdit, primo dicens, quis sit grex : secundo, qualiter confortabitur.» *Domum Juda,* » hoc est, duas tribus. Ezech. XXXIV, 3 : *Vos autem greges mei, greges pascuæ meæ, homines estis.* Et subdit de confortatione. « *Et posuit eos,* » hoc est, disposuit confortando et fortificando, « *quasi equum gloriæ suæ,* » hoc est, qui gloriose vehant eum, « *in bello,* » contra alienigenas scilicet. Isa. LXIII, 13 : *Eduxit eos per abyssos, quasi equum in deserto non impingentem.* Habacuc, III, 15 : *Viam fecisti in mari equis tuis, in luto aquarum multarum.*

4 « *Ex ipso angulus.* » Angulus parietes continet ad unum, et significat Prælatos diversas congregationes et societates hominum continentes in uno. Ad Ephes. II, 14 : *Ipse est pax nostra, qui fecit utraque unum.* Psal. CXVII, 22 : *Lapidem quem reprobaverunt ædificantes, hic factus est in caput anguli.* « *Ex ipso paxillus,* » supple, egredietur, hoc est, qui totum tabernaculum Domini indissolubile contineat. Et videtur loqui de Juda Machabæo et similibus sibi, bonis scilicet Prælatis. Isa. XXII, 23 : *Figam illum paxillum, in loco fideli, et erit in solium gloriæ domus patris ejus.* Isa. XXXIII, 20 : *Oculi tui videbunt Jerusalem civitatem opulentam, tabernaculum quod nequaquam transferri poterit : nec auferentur clavi ejus in sempiternum, et omnes funiculi ejus non rumpentur.* « *Ex ipso arcus prœlii,* » supple, egredietur, Judas scilicet Machabæus et similes sibi Prælati, qui sicut arcus sagittas, sic crebras victorias misit in hostes Ecclesiæ. Quorum unus dicit, Genes. XLVIII, 22 : *Do tibi unam partem extra fratres tuos, quam tuli de manu Amorrhæi in gladio et arcu meo.* « *Ex ipso egredietur omnis exactor simul.* » Et tangit de Juda Machabæo et bonis Prælatis, qui exactores Ecclesiæ subjiciunt, et tributa virtutis ab eis exigunt. Isa. XIV, 2 : *Erunt capientes eos qui se ceperant, et subjicient exactores suos.*

5 Et quia per singula longum esset describere, universaliter subdit :

« *Et erunt quasi fortes,* » hoc est, vere fortes, ita quod hoc quod dico, *quasi*, non sit nota similitudinis, sed expressivum veritatis. Isa. XL, 29 : *Dat lasso virtutem, et his qui non sunt, fortitudinem et robur multiplicat.* « *Conculcantes lutum viarum in prœlio,* » hoc est, hostes immundos ut lutum viarum. Judicum, V, 21 : *Conculca, anima mea, robustos.* Sic Prælati calcare debent impios, et non immergi in lutum munerum eorum. Malach. IV, 3 : *Calcabitis impios, cum fuerint cinis sub planta pedum vestrorum.* Psal. XVII, 43 : *Ut lutum platearum delebo eos.* « *Et bellabunt,* » supple, prœlia Domini, « *quia Dominus cum eis.* » II Machab. XI, 10 : *Ibant igitur prompti, de cœlo habentes adjutorem.* Isa. L, 9 : *Dominus Deus auxiliator meus : quis est qui condemnet me ?*

Peccator bus spe quæstus n parcendu

« *Et confundentur.* » Tertius paragraphus.

« *Et confundentur ascensores equorum,* » qui scilicet bella diligunt, et in Ægyptum confugere quærunt. Isaiæ, XXXI, 1 : *Væ, qui descendunt in Ægyptum ad auxilium, in equis sperantes !* Amos, II, 15 : *Ascensor equi non salvabit animam suam.* Significat enim equus præcipitem et temerariam audaciam ad malum. Psal. XXXII, 17 : *Fallax equus ad salutem.*

« *Et confortabo domum Juda,* » duas scilicet tribus, vel Machabæos, vel Sanctos. Ad Hebr. XI, 34 : *Fortes facti sunt in bello.* Eccli. XLVI, 1 : *Fortis in bello Jesus Nave, successor Moysi in Prophetis.* « *Et domum Joseph,* » id est, decem tribus, « *salvabo.* » Et intelligit de illis qui de decem tribubus tempore Ezechiæ reversi sunt ad Dominum [1]. « *Et convertam eos,* » ad me scilicet. Thren. V, 21 : *Converte nos, Domine, ad te, et convertemur.* « *Quia miserebor eorum,* » non ex meritis eorum, sed ex gratia mea. Ad Tit. III, 5 : *Non ex operibus justitiæ quæ fecimus nos, sed secundum suam misericordiam salvos nos fecit.* 6

Et subdit de reductione filiorum in devotionem patrum :

Misericor Dei gratu

« *Et erunt sicut fuerunt,* » supple, in patribus, « *quando non projeceram eos,* » hoc est, ante peccatum et idolola-

[1] Cf. II Paralip. XXXI.

triam. Malach. IV, 6 : *Convertet cor patrum ad filios, et cor filiorum ad patres eorum.* Luc. I, 17 : *Convertet corda patrum in filiis, et incredulos ad prudentiam justorum.* « *Ego enim Dominus Deus eorum, et exaudiam eos,* » in omnibus scilicet petitionibus eorum. Isa. LVIII, 9 : *Tunc invocabis, et Dominus exaudiet : clamabis, et dicet : Ecce adsum.*

7 « *Et erunt quasi fortes,* » id est, vere fortes, « *Ephraim,* » scilicet fructus virtutis ferentes, et a Domino confortati. Psal. XXVII, 8 : *Dominus fortitudo plebis suæ.* « *Et lætabitur cor eorum,* » crebris scilicet victoriis, « *quasi a vino,* » supple, inebriatum : quasi enim ebrii injiciebant se periculis Mathathias et socii ejus. Psal. CVI, 27 : *Turbati sunt, et moti sunt sicut ebrius.* « *Et filii eorum,* » Judas scilicet, Jonathas, et Simon, et alii fratres, vel imitatores fortium Prælatorum et Sanctorum, « *videbunt,* » fortitudinem scilicet, et successus patrum, « *et lætabuntur.* » Psal. LVII, 11 : *Lætabitur justus cum viderit vindictam.* « *Et exsultabit cor eorum in Domino,* » omnia scilicet Deo per gratiarum actiones attribuentes, dicentes illud Habacuc, III, 19 : *Super excelsa mea deducet me victor in psalmis canentem.*

8 « *Sibilabo eis.* » Quartus paragraphus. Et tangit hic de congregatione vel Sanctorum, vel captivorum, et dicit tria, scilicet quo congregantur, et quando multiplicantur, et quando proficient.

Sibilus. « *Sibilabo eis.* » Sibilus occulta vocatur inspiratio. III Reg. XIX, 12 : *Post ignem sibilus auræ tenuis,* ibi Dominus. « *Et congregabo illos.* » Psal. XLIX, 5 : *Congregate illi sanctos ejus.* « *Quia redemi eos,* » vel de captivitate Babylonica, vel sanguine meo de potestate diaboli. I Petr. I, 18 et 19 : *Non corruptibilibus auro vel argento redempti estis de vana vestra conversatione paternæ traditionis, sed pretioso sanguine quasi agni immaculati Christi.* « *Et multiplicabo eos,* » numero scilicet, et fide. Psal. CXXXVIII, 18 : *Dinumerabo eos, et super arenam multiplicabuntur.* Genes. XV, 5 : *Suspice cœlum, et numera stellas si potes. Et dixit ei : Sic erit semen tuum.* « *Sicut ante fuerant multiplicati,* » temporibus scilicet patrum, quando ex uno facti sunt innumerabiles. Genes. XII, 2 : *Faciamque te in gentem magnam, et benedicam tibi, et magnificabo nomen tuum, erisque benedictus* [1].

« *Et seminabo eos,* » in posteris scilicet, « *in populis,* » hoc est, per nationes. Tob. XIII, 4 : *Ideo dispersit vos inter gentes, quæ ignorant eum, ut vos enarretis mirabilia ejus.* Isa. XII, 5 : *Cantate Domino, quoniam magnifice fecit : annuntiate hoc in universa terra.* « *Et de longe,* » supple, disseminati, « *recordabuntur mei,* » annuntiando scilicet nomen meum. Psal. XXI, 23 : *Narrabo nomen tuum fratribus meis, in medio ecclesiæ laudabo te.* « *Et vivent,* » vita naturæ, et gratiæ, « *cum filiis suis,* » successoribus scilicet religionis, et naturæ. Eccli. IV, 12 : *Sapientia filiis suis vitam inspirat.* « *Et revertentur,* » ad cor scilicet, ad Deum, et ad patriam. Isa. XLVI, 8 : *Redite prævaricatores ad cor.* 9

« *Et reducam eos,* » gratia scilicet præveniente, « *de terra Ægypti,* » de tenebris scilicet, et mœrore sæcularis occupationis. Mich. VI, 4 : Memento... *quia eduxi te de terra Ægypti, et de domo servientium liberavi te.* « *Et de Assyriis congregabo eos,* » vel reducam eos. Semper enim filii Israel in Ægyptiis, vel in Assyriis vane confidebant. Thren. V, 6 : 10

[1] Idem etiam Genes. XVII, 5 et 6.

Ægypto dedimus manum et Assyriis, ut saturaremur pane. Assyrius enim *extollens vigilias* interpretatur, et significat eos qui tota die vigilias extollunt pro sollicitudine bonorum sæcularium. « *Et ad terram Galaad et Libani,* » supple, quæ prius fuit possessio decem tribuum, « *adducam eos.* » Galaad vero interpretatur *acervus testimonii,* et significat doctrinam sacræ Scripturæ. Libanus, *candidatio*, et significat honestatem vitæ in Ecclesia. Isaiæ, LXIII, 14 : *Sic adduxisti populum tuum ut faceres tibi nomen gloriæ.* « *Et non invenietur in eis locus,* » supple, sufficiens, quia præ multitudine habitatorum locus non sufficiet. Isaiæ, XLIX, 20 : *Adhuc dicent in auribus tuis filii sterilitatis tuæ : Angustus est mihi locus, fac spatium mihi, ut habitem.* Hoc videmus modo in Ecclesia, in qua modo plures modi vivendi quæruntur, quam Ecclesia sustinere possit.

Assyrii.

Galaad. Libanus.

11 « *Et transibit in maris freto.* » Tangit hic ultimo quam facile sit ei reducere dispersos.

« *Et transibit in maris freto.* » Loquitur de Hellespontico mari, quod *brachium sancti Gregorii* dicitur, ultra quod quidam Judæi captivi ducti fuerant, quos Dominus reduxit : quod dicitur *mare,* propter salsedinem : *fretum* autem, quia semper fremit, et significat tempestatem sæculi, per quam Dominus multos sanctos adducit. Isaiæ, LI, 10 : *Qui posuisti profundum maris viam, ut transirent liberati.* « *Et percutiet,* » hoc est, sedabit « *in mari fluctus.* » Job, XXXVIII, 11 : *Dixi : Usque huc venies, et non procedes amplius, et hic confringes tumentes fluctus tuos.* « *Et confundentur omnia profunda fluminis.* » Loquitur ad modum illum quem fecit sub Josue, quando siccavit vada Jordanis. Quod adhuc facit Dominus, transitum mortalitatis hujus in reputatione sanctorum ita desiccans, ut a Sanctis nihil penitus reputetur. Isa. XI, 15 : *Levabit manum suam super flumen in fortitudine spiritus sui, et percutiet eum in septem rivis, ita ut transeant per eum calceati,* hoc est, septem donis sancti Spiritus, ut Sancti, *calceati,* hoc est, in memoria habentes mortalitatem pellis hujus, nihil reputent transitum ejus. « *Et humiliabitur superbia Assur,* » id est, avarorum, qui in sollicitudine sæcularium vigilias extollunt, « *et sceptrum Ægypti recedet,* » sollicitudinis scilicet sæculi. Isa. X, 12 : *Visitabo super fructum magnifici cordis regis Assur, et super gloriam altitudinis oculorum ejus.* Isaiæ, XX, 5 : *Confundentur ab Æthiopia spe sua, et ab Ægypto gloria sua.* Sceptrum enim sæculi semper deprimitur. Habacuc, III, 14 : *Maledixisti sceptris ejus, capiti bellatorum ejus.*

Sæculi fastum Deus prosternit.

12 « *Confortabo eos in Domino,* » hoc est, in virtute Domini confidentes. Josue, I, 9 : *Confortare, et esto robustus. Noli metuere, et noli timere : quoniam tecum est Dominus Deus tuus in omnibus ad quæcumque perrexeris.* « *Et in nomine ejus ambulabunt,* » hoc est, proficient. Psal. LXXXVIII, 16 et 17 : *In lumine vultus tui ambulabunt, et in nomine tuo exsultabunt tota die, et in justitia tua exaltabuntur.* « *Dicit Dominus.* » Confirmatio est eorum quæ dicta sunt. Psal. XXXII, 9 et CXLVIII, 5 : *Ipse dixit, et facta sunt.*

CAPUT XI.

Jubet Dominus pasci pecora occisionis, quibus non parcet, quia pastores eorum non parcebant eis : de duabus virgis tandem abscissis, et tribus pastoribus uno mense succisis : de appensa mercede triginta argenteorum projectorum ad statuarium : de alio malo pastore a Domino suscitando.

1. Aperi, Libane, portas tuas, et comedat ignis cedros tuas.
2. Ulula, abies, quia cecidit cedrus, quoniam magnifici vastati sunt : ululate, quercus Basan, quoniam succisus est saltus munitus.
3. Vox ululatus pastorum, quia vastata est magnificentia eorum : vox rugitus leonum, quoniam vastata est superbia Jordanis.
4. Hæc dicit Dominus Deus meus : Pasce pecora occisionis,
5. Quæ qui possederant occidebant, et non dolebant, et vendebant ea, dicentes : Benedictus Dominus! divites facti sumus : et pastores eorum non parcebant eis.
6. Et ego non parcam ultra super habitantes terram, dicit Dominus : ecce ego tradam homines, unumquemque in manu proximi sui, et in manu regis sui : et concident terram, et non eruam de manu eorum.
7. Et pascam pecus occisionis propter hoc, o pauperes gregis! Et assumpsi mihi duas virgas : unam vocavi Decorem, et alteram vocavi Funiculum : et pavi gregem.
8. Et succidi tres pastores in mense uno, et contracta est anima mea in eis, siquidem et anima eorum variavit in me.
9. Et dixi : Non pascam vos : quod moritur, moriatur : et quod succiditur, succidatur : et reliqui devorent unusquisque carnem proximi sui.
10. Et tuli virgam meam quæ vocabatur Decus, et abscidi eam, ut irritum facerem fœdus meum quod percussi cum omnibus populis.
11. Et in irritum deductum est in die illa : et cognoverunt sic pauperes gregis, qui custodiunt mihi, quia verbum Domini est.
12. Et dixi ad eos : Si bonnm est in oculis vestris, afferte mercedem meam : et si non, quiescite. Et appenderunt mercedem meam triginta argenteos [1].
13. Et dixit Dominus ad me : Projice illud ad statuarium, decorum pretium quo appretiatus sum ab eis. Et tuli triginta argenteos, et projeci illos in domum Domini, ad statuarium.
14. Et præcidi virgam meam secundam, quæ appellabatur Funiculus, ut dissolverem germanitatem inter Judam et Israel.
15. Et dixit Dominus ad me : Adhuc sume tibi vasa pastoris stulti.
16. Quia ecce ego suscitabo pastorem

[1] Matth. xxvii, 9.

in terra, qui derelicta non visitabit, dispersum non quæret, et contritum non sanabit, et id quod stat non enutriet, et carnes pinguium comedet, et ungulas eorum dissolvet.

17. O pastor, et idolum derelinquens gregem : gladius super brachium ejus, et super oculum dextrum ejus : brachium ejus ariditate siccabitur, et oculus dexter ejus tenebrescens obscurabitur.

IN CAPUT XI ZACHARIÆ

ENARRATIO.

« *Aperi, Libane.* » Hic incipit dicere ea quæ futura erant sub Romanis, et dividitur in tres partes. Primo enim agitur de destructione malorum ad fidem Christi converti nolentium. In secunda, de profectu bonorum, ante finem cap. XII, ibi, ℣. 4 : « *In die illa, dicit Dominus, percutiam omnem equum.* » In tertia, de causa utriusque, quæ est Passio Christi, infra, ante finem cap. XIII, ibi, ℣. 7 : « *Framea, suscitare super pastorem meum.* »

In prima tres sunt partes, in quarum prima ostenditur destructio templi et populi : in secunda, quam juste hoc factum fuerit declarat, ibi, in medio ℣. 7 : « *Et assumpsi mihi duas virgas.* » In tertia revertitur, et modum destructionis assignat, infra, in principio cap. XII, ibi, ℣. 1 : « *Onus verbi Domini super Israel.* »

Prima in duas. In prima sub metaphora describit destructionem. In secunda, metaphoræ ponit explanationem, ibi, « *Ecce ego tradam.* »

Adhuc in prima tria sunt, metaphora scilicet, et metaphoræ adaptatio, ibi, « *Hæc dicit Dominus Deus meus : Pasce pecora.* » Et tertio, destructionis ratio, ibi, « *Et pastores eorum.* »

1 Dicit ergo :

« *Aperi,* » hoc est, aperies, velis nolis, o « *Libane,* » hoc est, templum exaltatum ut Libanus, et de lignis Libani ædificatum, « *portas tuas,* » ut scilicet hostis ingrediatur Romanus. Victa enim civitate, in templum ingressi sunt, et templum succenderunt. Thren. II, 7 : *Tradidit in manu inimici muros turrium ejus : vocem dederunt in domo Domini, sicut in die solemni.* Et, paulo post, ℣. 9 : *Defixæ sunt in terra portæ ejus, perdidit et contrivit vectes ejus : regem ejus et principes ejus.* « *Et comedat ignis cedros tuas.* » Tabulis cedrinis vestitum fuit templum in parietibus et tabulato, quas cedros consumpsit ignis succensus a Romanis. Isaiæ, LXIV, 11 : *Domus sanctificationis nostræ, et gloriæ nostræ, ubi te laudaverunt patres nostri, facta est in exustionem ignis.*

« *Ulula, abies.* » Abies (ut dicit Isidorus) ab abeundo dicitur : quia in altum abit. Tabulis vero abiegnis vestitum erat pavimentum templi[1] : et exustis parietibus et tabulato, ignis descendit in pavimentum et consumpsit illud. « *Ulula, abies,* » hoc est, tabulatum abiegnum, « *quia cecidit cedrus,* » hoc est, quia paries jam ardet. Horatius : 2 Abies.

Tunc tua res agitur, paries dum proximus ardet.

Quod autem hæc ad homines referantur, subdit : « *Quoniam magnifici,* » per cedros et abietes intellecti, « *vastati sunt.* » Magnifici enim in dignitatibus intelliguntur per abietes sublimes. Magnifici autem ex nobilitate generis per ce- Superbor: humiliati

[1] Cf. III Regum, VI, 34.

dros intelliguntur, qui vastati sunt per Romanos. Osee, xiv, 6 et 7 : *Erumpet radix ejus ut Libani. Ibunt rami ejus, et erit quasi oliva gloria ejus : et odor ejus ut Libani.* Isaiæ, ii, 12 et 13 : *Dies Domini exercituum super omnem superbum et excelsum, et super omnem arrogantem : et humiliabitur. Et super omnes cedros Libani sublimes, et erectas.* Pontifices enim qui quasi pons deberent esse populi, sunt quasi pavimentum abiegnum. Hi enim per vitæ imputribilitatem deberent esse cedri, vestientes parietes, hoc est, populum, et tabulatum per protectionem : nunc autem igne libidinis consumpti sunt.

Et subdit de destructione civitatis :

« *Ululate, quercus Basan,* » Hoc est, robur ædificiorum civitatis jam confusioni et ignominiæ (quod interpretantur Basan) sententia Dei addictum, « *quoniam succisus est saltus munitus,* » vel templum scilicet munitum præsidio Dei et Angelorum, vel condensitas populi. Isa. ii, 13 : *Dies Domini exercituum super omnes quercus Basan.* Isaiæ, x, 33 et 34 : *Excelsi statura succidentur, et sublimes humiliabuntur. Et subvertentur condensa saltus ferro, et Libanus cum excelsis cadet.*

Basan.

3 Et metaphoram ad rem significatam referens, subdit :

« *Vox ululatus pastorum,* » supple, audita est. *Pastores* dicuntur principes sacerdotum et sæcularium. *Ululatus* autem est vox querula, ululatum canum imitans. Isa. lxv, 14 : *Clamabitis præ dolore cordis, et præ contritione spiritus ululabitis.* « *Quia vastata est magnificentia eorum,* » pastorum scilicet, hoc est, populus de cujus quæstu magnificos se reputabant. Isaiæ, ii, 11 : *Oculi sublimes hominis humilitati sunt, et incurvabitur altitudo virorum : exaltabitur autem Dominus solus.*

Et subdit de tyrannis :

« *Vox rugitus leonum,* » supple, in planctu audita est. Tyrannus enim leo dicitur rugiens : semper enim esurit et rugit in rapinam pauperum, sicut diabolus. Proverb. xxviii, 15 : *Leo rugiens, et ursus esuriens, princeps impius super populum pauperem.* « *Quoniam vastata est superbia Jordanis.* » Per similitudinem loquitur. Silva enim juxta Jordanem est, in qua propter condensitatem leones superbiunt, qua succisa, leones rugiunt pro amisso habitaculo. Ita tyrannus succisa plebe, rugit pro amissa lucri venatione. Job, iv, 10 et 11 : *Rugitus leonis, et vox leænæ, et dentes catulorum leonum contriti sunt. Tigris periit, eo quod non haberet prædam, et catuli leonis dissipati sunt.*

Tyrannus leo in subditos.

Et quod metaphorice dixit, innuens aliquam explanationem, subdit, et duo dicit : destructionem scilicet, et destructionis rationem. 4

« *Hæc dicit Dominus Deus meus,* » cujus dixisse, fecisse est : supple, O Zacharia, « *Pasce,* » hoc est, pascenda prædic et impinguanda opibus, scilicet, sub Machabæis, « *pecora occisionis,* » hoc est, populum ad nihilum aptum nisi ad occisionem et devorationem : ut impinguatis talibus pecoribus, dentes hostium acuantur in ea, et magis desiderentur ad devorandum. Psal. xliii, 22 : *Æstimati sumus sicut oves occisionis.*

« *Quæ qui possederant,* » hoc est, Romani qui per sententiam meam jamdudum possederant Judæos, « *occidebant, et non dolebant,* » hoc est, sine compassione, sicut expresse scribunt Josephus et Egesippus. Amos, vi, 6 : *Nihil patiebantur super contritione Joseph.* Isaiæ, lxiii, 15 : *Multitudo viscerum tuorum et miserationum tuarum, super me continuerunt se* « *Et vendebant ea,* » distractis scilicet Judaicis mancipiis. Psal. xliii, 13 : *Vendidisti populum tuum sine pretio, et non fuit multitudo,* scilicet pretii, 5

Judæi a Romanis venditi.

in commutationibus eorum. Parvo enim et vili pretio distrahebantur. « *Dicentes : Benedictus Dominus, divites facti sumus.* » Proverb. I, 13 : *Omnem pretiosam substantiam reperiemus, implebimus domos nostras spoliis.* Exod. XV, 9 : *Dixit inimicus : Persequar et comprehendam, dividam spolia, implebitur anima mea.*

Rationem autem quare hoc permisit Deus, subdit : « *Et,* » id est, quia « *pastores eorum,* » hoc est, Prælati, Sacerdotes scilicet, et Principes, ante captivitatem Romanam, « *non parcebant eis.* » Isaiæ, III, 14 : *Vos depasti estis vineam meam, et rapina pauperis in domo vestra.*

6 « *Et,* » supple, ideo « *ego non parcam ultra.* » Proverb. VI, 34 : *Zelus et furor viri non parcet in die vindictæ.* « *Super habitantes terram, dicit Dominus* » per terrenam scilicet concupiscentiam. Isaiæ, XXIV, 17 : *Formido, et fovea, et laqueus super te, qui habitator es terræ.*

Et subdit quasi explanando modum traditionis eorum : « *Ecce ego tradam homines,* » Judæos scilicet in Jerusalem et in Judæa habitantes, « *unumquemque in manu proximi sui.* » Tangit seditiones quas inter se in civitate habebant, in qua pater filium, frater fratrem, mater filiam occidit, ut fierent eis in escam. Jeremiæ, IX, 4 : *Unusquisque se a proximo suo custodiat, et in omni fratre suo non habeat fiduciam.* Thren. IV, 10 : *Manus mulierum misericordium coxerunt filios suos : facti sunt cibus earum in contritione filiæ populi mei.* « *Et in manu regis sui,* » Titi scilicet, et Vespasiani. Isa. XIX, 4 : *Tradam Ægyptum in manu dominorum crudelium, et rex fortis dominabitur eorum.* « *Et,* » supple, sic, « *concident terram,* » Prælati scilicet, et subditi, « *et non eruam de manu eorum.* » Significat quod perpetua erit captivitas facta per Romanos. Thren. V, 8 : *Servi dominati sunt nostri : non fuit qui redimeret de manu eorum.*

Captivitas Romana Judæis perpetua.

7 « *Et pascam,* » supple, sic « *pecus occisionis,* » hoc est, depascendo consumam. Psal. XVII, 39 : *Confringam illos, nec poterunt stare, cadent subtus pedes meos.*

Ut autem hoc justum sit, illius gentis ingratitudinem subdens, ostendit. Et hoc pauperibus qui Deum timent, annuntiat primo in universali, secundo determinans in particulari, ibi, « *Et tuli virgam meam.* »

« *Propter hoc, o pauperes gregis,* » qui me scilicet timetis, « *audite,* » ingratitudinem scilicet populi illius.

« *Et,* » id est, quia per successionem temporis ab initio mundi, « *assumpsi mihi duas virgas,* » pastorales scilicet, in quarum rectitudine regimen meum ad populum significaretur. Psal. XLIV, 7 : *Virga directionis virga regni tui.* « *Unam,* » scilicet, quam primo assumpsi, « *vocavi Decorem,* » legem scilicet naturalem, qua populum rexi ante diluvium. Decor enim mirabilis est rationem hominis a naturali lege non deflecti. Psal. IV, 7 : *Signatum est super nos lumen vultus tui, Domine : dedisti lætitiam in corde meo.* « *Et alteram,* » quam scilicet post diluvium assumpsi, cum ad idololatriam tenderet genus humanum tempore proavi Abrahæ, « *vocavi Funiculum,* » legem scilicet scriptam, qua ut funiculo mensuravi mihi quosdam, quos in populum peculiarem elegi. Quod significatur, Exod. IV, 17, ubi legislator dicit : *Virgam quoque sume in manu tua, in qua facturus es signa.* « *Et pavi gregem,* » in rectitudine scilicet, et justificationibus legis. Psal. XCIV, 7 : *Nos populus pascuæ ejus, et oves manus ejus.*

Lex naturalis scripta duabus virgis designata.

8 « *Et,* » supple, in tantum zelavi rectitudinem legis, quod « *succidi tres pastores in mense uno,* » hoc est, in mense primo Nisan, vel Aprili dicto. Et tangit id quod habetur, Numer. XX, 1-12, ubi Maria (quæ fuit una pastorum) mortua est,

Moyses, Aaron et Maria, cur a terra promissionis exclusi?

et Moyses et Aaron qui duo pastores fuerunt, eo quod dubitantes de aquis contradictionis, Deum coram populo non glorificaverunt, sententiam mortis acceperunt, dicente Domino : *Quia non credidistis mihi, ut sanctificaretis me coram filiis Israel, non introducetis hos populos in terram quam dabo eis.*

Hujus autem causam subjungit :

« *Et,* » id est, quia « *contracta est,* » id est, conturbata, « *anima mea in eis.* » Isa. LIX, 15 et 16 : *Vidit Dominus, et malum apparuit in oculis ejus, quia non est judicium. Et vidit quia non est vir : et aporiatus est.* Et ne sine causa credatur contracta esse anima Domini, subdit : « *Siquidem et anima eorum variavit in me,* » non scilicet secundum retitudinem virgæ ambulantes, Maria scilicet murmurante contra Moysen [1], Aaron vitulum fundente [2], Moyse et Aaron me non sanctificante coram populo [3], ut sic verum sit quod dicitur, ad Hebr. II, 2 : *Omnis prævaricatio, et inobedientia accepit justam mercedis retributionem.*

9 « *Et,* » non tantum hoc feci in pastoribus, sed etiam de populo non ambulante ad rectitudinem virgæ, « *dixi : Non pascam vos* [4]. » Et tangit quod quando exploratores reversi fuerunt, et fortitudinem habitatorum terræ promissionis nuntiaverunt, populus in seditionem versus voluit redire in Ægyptum, et tunc dixit Dominus : Non pascam vos, id est, non præcedam vos ut pastor. Et præcepit ut quadraginta annis circumducerentur circa montem, donec consumerentur omnes qui murmuraverant. « *Quod moritur,* » hoc est, quod morte dignum est, « *moriatur : et quod succiditur,* » hoc est, quod ab hostibus succidi dignum est, « *succidatur,* » hoc est, interficiatur. Psal. XCIV, 11 : *Ut juravi in ira mea : Si introibunt in requiem meam.* Ad Hebr. III, 18 et 19 : *Quibus juravit non introire in requiem ipsius, nisi illis qui increduli fuerunt ? Et videmus quia non potuerunt introire propter incredulitatem.* I ad Corinth. X, 10 : *Neque murmuraveritis, sicut quidam eorum murmuraverunt, et perierunt ab exterminatore.*

« *Et reliqui,* » supple, sic non mortui, « *devorent unusquisque carnem proximi sui.* » Sic ordina constructionem : Devorent carnem proximi sui, ita quod unusquisque hoc faciat per invidiam scilicet et iram in alterum, sicut Dathan et Abiron contra Moysen [5]. Ad Galat. V, 15 : *Quod si invicem mordetis, et comeditis, videte ne ab invicem consumamini.* Isa. V, 24 : *Sicut devorat stipulam lingua ignis, et calor flammæ exurit : sic radix eorum quasi favilla erit, et germen eorum ut pulvis ascendet. Abjecerunt enim legem Dei exercituum, et eloquium sancti Israel blasphemaverunt.*

« *Et tuli virgam.* » Hic in particulari ostendit qua ingratitudine Judæi reprobandi sunt, et dicit tria, scilicet qualiter omnibus abjectis, ipsi soli electi sunt. Secundo, qualiter ingrati pretiosissimum pastorem vili pretio vendiderunt, ibi, « *Et appenderunt mercedem meam.* » Tertio, qualiter propter hoc abjecti sunt, ibi, « *Et præcidi virgam meam.* » 10

In primo dicit qualiter Gentiles a regimine juris naturalis exciderunt. Secundo, qualiter Judæi ad regimen legis scriptæ electi sunt.

« *Et tuli,* » hoc est, abstuli « *virgam meam,* » regimen scilicet æquitatis, « *quæ vocabatur Decus,* » propter rectitudinem decoris naturalis, « *et abscidi eam,* » non quidem in substantia, quia in illa manet semper, sed ut rectitudini ejus Gentilitas non conformaretur. Psal.

[1] Cf. Numer. XII, 2.
[2] Cf. Exod. XXXII, 4.
[3] Cf. Numer. XX, 12.
[4] Cf. Numer. XIV, 1 et seq.
[5] Cf. Numer. XVI, 1 et seq.

xlviii, 13 : *Homo, cum in honore esset, non intellexit : comparatus est jumentis insipientibus, et similis factus est illis.* Ezech. xvi, 25 : *Abominabilem fecisti decorem tuum.*

Et explanat quod dixit, subdens, « *Ut irritum facerem,* » ne scilicet eis essem pastor, « *fœdus meum,* » pactum scilicet regiminis et custodiæ, « *quod percussi cum omnibus populis,* » in Adam scilicet et Noe [1], hoc est, dimisi ut unusquisque concupiscentias et errores suos sequeretur. Causa hujus ponitur, Isa. xxiv, 5 : *Transgressi sunt leges, mutaverunt jus, dissipaverunt fœdus sempiternum.* Genes. vi, 5 et 6 : *Videns autem Deus quod multa malitia hominum esset in terra, et cuncta cogitatio hominis intenta esset ad malum omni tempore, pœnituit eum quod hominem fecisset in terra.*

11 « *Et in irritum deductum est in die illa,* » quando scilicet a me per idola et concupiscentias recesserunt. Deuter. xxxii, 21 : *Ipsi me provocaverunt in eo qui non erat Deus, et irritaverunt in vanitatibus suis.*

Et subdit de Judæorum electione : « *Et cognoverunt sic,* « scilicet, illis reprobatis, « *pauperes* » quidam « *gregis,* » hoc est, de toto grege mundi, Abraham scilicet, Isaac, et Jacob, et Moyses, et quidam alii exsules et pauperes, de quibus dicitur, Jacob. ii, 5 : *Nonne Deus elegit pauperes in hoc mundo, divites in fide, et hæredes regni, quod repromisit Deus diligentibus se?* Lucæ, xii, 32 : *Nolite timere, pusillus grex, quia complacuit Patri vestro dare vobis regnum.* « *Qui custodiunt mihi* » « mandata mea ad « honorem meum,» ut dicit Glossa. Vel melius, qui ut opiliones custodiunt gregem sub me, sicut fecit Abraham, et Moyses, et Josue, et quidam alii. « *Quia verbum Domini est,* » hoc est, ordinatio Domini de reprobatione Gentium, et electione Judæorum.

Pauperes semper Deo dilecti

« *Et dixi ad eos,* » in Moyse scilicet, 12
Exod. xix et xx : « *Si bonum est in oculis vestris,* supple, quod ego sim pastor vester, « *afferte mercedem meam,* » hoc est, pacto confirmate mercedem dignam fide mea, custodia, et diligentia, et providentia mea, ut scilicet digno pretio diligentiam meam æstimetis : « *et si non,* » supple, digna mercede, respondere vultis, « *quiescite,* » hoc est, a pacto cessate, et alios pastores in idolis et concupiscentiis requirite. Cantic. i, 7 : *Si ignoras te, o pulcherrima inter mulieres, egredere, et abi post vestigia gregum, et pasce hœdos tuos juxta tabernacula pastorum,* hoc est, concupiscentiæ motus.

Et subdit quid factum est eo veniente, ut in propria persona gregem custodiret. Et debet legi cum compassione et despectu : « *Et* » supple, cum venissem sicut pastor bonus qui animam suam dat pro ovibus suis (Joan. x, 11) « *appenderunt mercedem meam,* » libra scilicet suæ æstimationis, « *triginta argenteos* : » amplius me valere non æstimantes, quibus a proditore Juda me emerunt [2]. Et ille tam vilem me æstimavit, ut quolibet pretio me commutaret antequam retineret.

Judæ proditoris impietas.

« *Et dixit Dominus ad me,* » in visione scilicet : « *Projice illud,* » pretium 13
scilicet, tamquam me et labore meo indignum, « *ad statuarium decorum.* » Statuarius decorus est, qui ad valorem æquilibrii pretium et id cujus est pretium in omnibus certa statera rationis ponderat. Indecorus est, deceptor et falsarius, qui scilicet rem plus valentem minori pretio æstimat. Et est sensus : Pone hæc in judicio omnis rationabilis hominis, si

[1] Cf. Genes. ix, 9 et seq.

[2] Cf. Matth. xxvi, 15.

Dominum majestatis digno pretio æstimaverunt, vel vendiderunt [1]. Et subinfert quid projiciat : « *Pretium quo appretiatus sum ab eis,* » et reputatus non tantum scilicet valere. Sapient. VII, 8 et 9 : *Divitias nihil esse duxi in comparatione illius, nec comparavi illi lapidem pretiosum : quoniam omne aurum in comparatione illius, arena est exigua, et tamquam lutum æstimabitur argentum in conspectu illius.* Job, XXVIII, 15 : *Non dabitur aurum obrizum pro ea, nec appendetur argentum in commutatione ejus.*

Et sequitur obedientia Prophetæ in visione hoc præsignans :

Christum cur Judas prodidit?

« *Et tuli,* » hoc est, afferendos prophetavi à Juda proditore, « *triginta argenteos,* » qui decima fuerunt trecentorum denariorum, quibus vendi poterat unguentum quod mulier effudit super caput Jesu recumbentis [2], quam proditor subtrahere cogitaverat : et cum non posset in unguento, Dominum majestatis pro decima vendidit, ut damna furti sui saltem in decima recuperaret. « *Et projeci illos,* » hoc est, projiciendos præsignavi, « *in domum Domini,* » ubi sapientes æstimatores fuerunt. Matth. XXVII, 5 : *Et projectis argenteis in templo, recessit, et abiens laqueo se suspendit.* « *Ad statuarium.* » Quidam dicunt, fictorem statuarum vel plasten, hoc est, ad illos qui loco Creatoris sederunt in sede Dei, ut ipsi judicarent, si digno pretio venditus esset. Melius tamen exponitur statuarius pro ponderatore : *stater* enim pondus est quo res ponderantur, inde statuarius idem est quod ponderator, et inde derivatur *statera.* Et ad statuarium decorum jubet referri, non ad statuarium dolosum, qui res indigno pretio æstimat. Proverb. XI, 1 : *Statera dolosa, abominatio est apud Dominum : et pondus æquum, voluntas ejus.*

14 Et subdit, quod hac ingratitudine abjecti sunt :

« *Et,* supple, ideo « *præcidi virgam meam secundam,* » id est, populum meum peculiarem, « *quæ,* » scilicet virga, « *appellabatur Funiculus.* » Psal. XV, 6 : *Funes ceciderunt mihi in præclaris : etenim hæreditas mea præclara est mihi.* Et quod dixit, subdit exponendo : « *Ut,* » (consecutive et non causative legendum est) « *dissolverem germanitatem,* » hoc est, fœdus initum, « *inter Judam,* » id est, duas tribus, « *et Israel,* » hoc est, decem tribus ex una parte, et inter me, supple, ex altera parte, et sic a cura mea et regimine meo abjecti sunt.

Futilis Judæorum commentarius.

Judæi et quidam Christiani judaizantes, qui omnia recta pervertunt, aliter hoc exponunt, dicentes quod per triginta argenteos, triginta mandata legis intelliguntur, quæ facere jubentur, et hæc sunt affirmativa mandata, quæ Exod. XX, et usque ad cap. XXIV continentur. Et rursum alia triginta sex sunt quæ prohibebantur, et dicunt quod si reddant obedientiam mandatorum, tunc dignam mercedem reddant pastori : sin autem, projiciendi sint. Sed hoc falsum est, multo enim plura sunt mandata in lege affirmativa quam triginta, et multo plura negativa quam triginta sex. Præterea triginta argenteos tamquam indignos se jubet projici Dominus, obedientiam mandatorum tamquam vilem numquam jubet projici, et ideo, his tamquam fabulis abjectis, sequentia prosequamur.

« *Et dixit Dominus ad me,* » præ- 15
sciens et præsignans quod in novissimis temporibus Judæi ad Antichristum tamquam ad pastorem pervertendi erant, et quia multi in Ecclesia falsi pastores erant

[1] Vulg. habet, Zachar. XI, 13 : *Projice illud ad statuarium, decorum pretium, quo appretiatus sum ab eis.* Jette au potier cet argent, cette belle somme à laquelle ils m'ont estimé.

[2] Cf. Matth. XXVI, 7 et seq.

surrecturi : « *Adhuc,* » post duas virgas præcisas, « *sume tibi,* » ad demonstrationem certitudinis prophetalis, « *vasa,* » id est, instrumenta « *pastoris stulti,* » hoc est, nescientis officium pastoris ad gregem, et non curantis scire.

16 Et subdit causam quare hoc prophetandum est :

« *Quia ecce ego suscitabo,* » hoc est, suscitari permittam. Job, xxxiv, 30 : *Qui*, scilicet Deus, *regnare facit hominem hypocritam propter peccata populi.* « *Pastorem,* » figuram et non veritatem pastoris habentem, « *in terra,* » hoc est, in his qui amant terrena, « *qui derelicta non visitabit.* » *Derelicta* dicuntur, quæ præ infirmitate gregem sequi non possunt ad communia pascua. Contra quod dicit Dominus, Matth. xxv, 36 : *Infirmus*, supple, fui, *et visitastis me.* « *Dispersum non quæret.* » *Dispersum* dicitur a grege per errorem separatum. Contra quod dicitur, Lucæ, xv, 4 et seq. : *Vadit ad illam quæ perierat, donec inveniat illam : et cum invenerit eam, imponit in humeros suos gaudens : et veniens domum, convocat amicos et vicinos, dicens illis : Congratulamini mihi, quia inveni ovem meam quæ perierat.* « *Et contritum non sanabit.* » *Contritum* est quod tentationibus diaboli infirmatum est. Contra quod dicitur in Psal. cxlvi, 3 : *Qui sanat contritos corde, et alligat contritiones eorum.* « *Et id quod stat,* » in virtute scilicet, et fortitudine, « *non enutriet,* » pascua scilicet ministrando, verbo consolationis et exhortationis. Ad Roman. xiv, 4 : *Domino suo stat aut cadit : stabit autem, potens est enim Deus statuere illum.* « *Et carnes pinguium comedet :* » a divitibus enim et a pauperibus quæque delicatiora student abstrahere. Michææ, iii, 3 : *Qui comederunt carnem populi mei, et pellem eorum desuper excoriaverunt, et ossa eorum confregerunt, et conciderunt sicut in lebete, et quasi carnem in medio ollæ.*

Deo irato, regnat hypocrita.

« *Et ungulas eorum dissolvet.* » Ungulæ quæ firmant pedes, firmitatem virtutis significant, quæ firmat affectus : quas ungulas mali Prælati dissolvunt per malum exemplum.

Glossa Hieronymi : « Pastor bonus « ægrotantia pecora visitat, dispersa per- « quirit, relicta affert, lassa sustentat. « Malus pastor e converso omnia per- « verse agit. Isa. xl, 11 : *Sicut pastor « gregem suum pascet : in brachio suo « congregabit agnos, et in sinu suo le- « vabit : fœtas ipse portabit.* Unde vasa « pastoris sapientis sunt canis latrans » in officio prædicationis, pera in provi- « dentia pabuli, baculus regiminis in « rectitudine vitæ, fistula in devotione « orationis et laudis. Vasa vero pasto- « ris stulti est lupus pro cane, in pera « serpens astutiæ diabolicæ, pro baculo « perversitas vitæ, pro fistula cantus « inordinatus mundanæ concupiscen- « tiæ. »

Bonus pastor.

Instrumenta boni pastoris.

Instrumenta mali pastoris.

Hunc pastorem sic præsignatum vocat, subdens : 17

« *O pastor,* » et subdit emendans distinctionem, non exponens, « *et,* » id est, « *idolum.* » Ac si dicat : Male dixi, *pastor,* quia idolum es pastoris, et non veritas. I ad Corinth. viii, 4 : *Scimus quia nihil est idolum in mundo.* Et emendationis subdit rationem, dicens : « *Derelinquens gregem.* » I Regum, xvii, 28 : *Quare dereliquisti pauculas oves illas in deserto ?* Et subdit condemnationem : « *Gladius super brachium ejus,* » hoc est, sententia condemnationis æternæ super brachium fortitudinis, quo viribus et non jure dominabatur ovibus. Ezech. xxxiv, 4 et 5 : *Cum austeritate imperabatis eis, et cum potentia. Et dispersæ sunt oves meæ.* « *Et super oculum dextrum ejus,* » hoc est, quem reputat dextrum : totam enim intentionem convertit ad temporalia.

Quomodo autem hoc fiat, subdit : « *Brachium ejus ariditate siccabitur,* »

destructione scilicet confortantium in inferno. Isa. XVII, 4 : *Attenuabitur gloria Jacob, et pinguedo carnis ejus marcescet.* « *Et oculus dexter ejus,* » id est, quem reputat dextrum, « *tenebrescens,* » supple, in inferno, « *obscurabitur.* » I Regum, XI, 2 : *In hoc feriam vobiscum fœdus, ut eruam omnium vestrum oculos dextros, ponamque vos opprobrium in universo Israel.* I Regum, II, 9 : *Impii in tenebris conticescent.*

CAPUT XII.

Juda et Jerusalem a variis regnis affligentur : sed rursum reducti filii Israel in terram suam superiores erunt his qui se afflixerant : effusoque a Domino spiritu gratiæ super habitatores Jerusalem, adspicient ad eum quem confixerunt, et super eum dolebunt, plangentes singulæ familiæ seorsum.

1. Onus verbi Domini super Israel. Dicit Dominus extendens cœlum, et fundans terram, et fingens spiritum hominis in eo :
2. Ecce ego ponam Jerusalem superliminare crapulæ omnibus populis in circuitu : sed et Juda erit in obsidione contra Jerusalem.
3. Et erit : in die illa ponam Jerusalem lapidem oneris cunctis populis : omnes qui levabunt eam concisione lacerabuntur, et colligentur adversus eam omnia regna terræ.
4. In die illa, dicit Dominus, percutiam omnem equum in stuporem, et ascensorem ejus in amentiam : et super domum Juda aperiam oculos meos, et omnem equum populorum percutiam cæcitate.
5. Et dicent duces Juda in corde suo : Confortentur mihi habitatores Jerusalem in Domino exercituum, Deo eorum!
6. In die illa ponam duces Juda sicut caminum ignis in lignis, et sicut facem ignis in fœno, et devorabunt ad dexteram et ad sinistram omnes populos in circuitu : et habitabitur Jerusalem rursus in loco suo in Jerusalem.
7. Et salvabit Dominus tabernacula Juda, sicut in principio, ut non magnifice glorietur domus David, et gloria habitantium Jerusalem contra Judam.
8. In die illa proteget Dominus habitatores Jerusalem : et erit qui offenderit ex eis in die illa, quasi David, et domus David quasi Dei, sicut angelus Domini in conspectu eorum.
9. Et erit in die illa : quæram conterere omnes gentes quæ veniunt contra Jerusalem.
10. Et effundam super domum David et super habitatores Jerusalem spiritum gratiæ et precum : et adspicient ad me quem confixerunt [1] : et plangent eum planctu quasi super unigenitum, et dolebunt super eum, ut doleri solet in morte primogeniti.

[1] Joan. XIX, 37.

11. In die illa magnus erit planctus in Jerusalem, sicut planctus Adadremmon in campo Mageddon[1].
12. Et planget terra : familiæ et familiæ seorsum : familiæ domus David seorsum, et mulieres eorum seorsum :
13. Familiæ domus Nathan seorsum, et mulieres eorum seorsum : familiæ domus Levi seorsum, et mulieres eorum seorsum : familiæ Semei seorsum, et mulieres eorum seorsum :
14. Omnes familiæ reliquæ, familiæ et familiæ seorsum, et mulieres eorum seorsum.

IN CAPUT XII ZACHARIÆ

ENARRATIO.

« *Onus verbi Domini.* » In præcedentibus dictum est de peccato malorum pastorum : sed quia peccatum hoc sæpe redundat in ovium detrimentum, ideo agitur hic de tribulatione Jerusalem, quæ accidit propter peccata pastorum. Et ideo primo hic ponitur titulus, et secundo prophetia tribulationis hujus.

1 « *Onus verbi Domini,* » hoc est, onus de quo est verbum prophetiæ hujus, « *super Israel,* » supple, opprimendum, est istud quod nunc describam. Simile, Isa. XXII, 1 : *Onus vallis visionis.* Vallis enim visionis Jerusalem et Judæa fuit ex pulchritudine spectabilis.

Jerusalem vallis visionis dicta.

Et subdit de potentia imponentis onus illud : « *Dicit Dominus,* » qui omnia potest, et verax est. Ad Tit. I, 2 : *Quam promisit qui non mentitur, Deus.* « *Extendens cœlum,* « ut omnium scilicet capax, visibilium et invisibilium creaturarum. Damascenus : « Cœlum est conti« nentia visibilium et invisibilium crea« turarum, quod Deus extendit sicut « pellem : quia sicut pellis extensa su« per hominem, omnia illius membra « tegit et continet, ita et cœlum omnia « ambit atque complectitur. » Sapient. I, 7 : *Spiritus Domini replevit orbem terrarum, et hoc quod continet omnia,* hoc est, cœlum. Psal. III, 2 : *Extendens cœlum sicut pellem.* « *Et fundans terram,* » locum scilicet generationis. Psal. CIII, 5 : *Qui fundasti terram super stabilitatem suam : non inclinabitur in sæculum sæculi.* Et hoc in corporalibus creaturis supremis et infimis : « *Et,* » in spiritualibus « *fingens,* » id est, creans et formans « *spiritum hominis,* » id est, animam, « *in eo,* » quia infundendo creat, et creando infundit. Psal. XXXII, 15 : *Qui finxit sigillatim corda eorum,* id est, animas. Isa. LVII, 16 : *Spiritus a facie mea egredietur, et flatus ego faciam.* Genes. II, 7 : *Inspiravit in faciem ejus spiraculum vitæ, et factus est homo in animam viventem.* Sic ergo ostendit quod potestatem habet in corporalibus et spiritualibus creaturis.

Animam humanam Deus creat.

2 Et subdit onus :

« *Ecce ego,* » potestate mea, non alius, « *ponam Jerusalem,* » propter peccata pastorum, « *superliminare crapulæ.* » Inter superliminare et limen, introitus est, et est sensus : Ponam Jerusalem patentem introitum omnibus advenientibus, sicut ad crapulam, qua insatiabilis cupiditas avarorum venientium ad prædam pascatur. Job, XXX, 14 : *Quasi rupto muro, et aperta janua, irruerunt super me, et ad meas miserias devoluti sunt.* Et hæc est litteralis expo-

Superliminare crapulæ.

[1] II Paral. XXXV, 22.

sitio. Hieronymus tamen aliter dicit, *superliminare crapulæ*, ut quicumque limen ejus habitando attigerit, inebrietur, et crapula pressus corruat. Vel, superliminare corruet et opprimet eum. Et quia Romani tunc monarchiam tenebant, et omnes populos secum venire quærebant, sequitur : « *Omnibus populis in circuitu.* » Psal. III, 2 : *Domine, quid multiplicati sunt qui tribulant me? multi insurgunt adversum me.* Et quia Romani captis civitatibus Judææ cives aliarum civitatum compulerunt secum venire in obsidionem contra Jerusalem, ideo sequitur : « *Sed et Juda,* » hoc est, civis et incola Judææ, « *erit in obsidione contra Jerusalem.* » Jerem. XX, 10 : *Audivi contumelias multorum, et terrorem in circuitu: Persequimini, et persequamur eum : ab omnibus viris, qui erant pacifici mei, et custodientes latus meum.* Cant, I, 5 : *Filii matris meæ pugnaverunt contra me.*

3 Et subdit secundam similitudinem :

« *Et erit.* » Confirmatio sequentium est. I Regum, IX, 6 : *Omne, quod loquitur, sine ambiguitate veniet.* « *In die illa,* » clarente scilicet justitia ultionis peccatorum, « *ponam Jerusalem lapidem oneris,* » id est, sicut lapidem oneris, « *cunctis populis,* » in quo omnes vires suas probent et examinent. Hieronymus : « Mos erat in Judæa, in « aliquo loco celebri poni lapides rotun- « dos gravissimi ponderis, quos juvenes « pro varietate virium probandarum alii « usque ad genua, alii usque ad umbili- « cum, vel etiam super verticem extolle- « bant : nec prius ad agonem descen- « debant quam ex elevatione ponderis « sciretur quis cui comparari deberet. » Est ergo sensus : Ponet Jerusalem Gentibus quasi gravem lapidem sublevandum : et levabunt eam, hoc est, pro virium varietate vastabunt. Sed gravis lapis dum levatur, in levantium corporibus scissionem et juncturarum dislocationem vel rasuram relinquit. Et hoc est quod sequitur : « *Omnes, qui levabunt eam,* » scilicet, Jerusalem, « *concisione lacerabuntur,* » id est non impune transibunt. Jerem. II, 3 : *Sanctus Israel Domino, primitiæ frugum ejus : omnes qui devorant eum, delinquunt : mala venient super eos, dicit Dominus.*

Et quod dixit, exponit, subdens : « *Et,* » id est, quia « *colligentur adversus eam,* » Jerusalem scilicet, « *omnia regna terræ,* » hoc est, vires omnium regnorum in uno, quod monarchiam omnium regnorum tenuit. Psal. II, 2 : *Adstiterunt reges terræ, et principes convenerunt in unum.* Genes. XVI, 12 : *Manus ejus contra omnes, et manus omnium contra eum.* Hoc facile est exponere de pugnantibus contra Ecclesiam, sive Paganis, sive Judæis, sive hæreticis, sive falsis Christianis, et concordantiæ inductæ utrumque sensum confirmant.

Persecutor Ecclesiæ ultione reciproca feriendus.

« *In die illa.* » Hic incipit secunda 4
pars superius inductæ divisionis in principio undecimi capitis. Et agitur hic de profectu Ecclesiæ, et dividitur in tres partes. In prima profectus Ecclesiæ describitur. In secunda, amaritudo pœnitentium conversorum, ibi, ℣. 10 : « *Et adspicient ad me quem confixerunt.* » In tertia, ablutio peccati per gratiam sacramentalem, infra, ibi, XIII, 1, « *In die illa erit fons.* »

In prima septem sunt paragraphi, in quorum primo describitur ablatio superborum : in secundo, respectus gratiæ in profectum electorum : in tertio, zelus Prælatorum ad confortationem subditorum : in quarto, ignitum eloquium Doctorum : in quinto, protectio conversorum : in sexto, vocatio Gentium : in septimo, devotio omnium. Hæc enim ad litteram in Judæis numquam facta sunt, et ideo de Ecclesia exponenda sunt.

« *In die illa,* » clarente gratia Ecclesiæ, « *dicit Dominus,* » cujus dictum non excidit : « *Percutiam,* » hoc est, de-

ponam a superbia «*omnem equum*,» hoc est, præcipitem audaciam superborum. I Paral. XVIII, 4 : *Subnervavit omnes equos curruum.* Psal. XXXI, 9 : *Nolite fieri sicut equus et mulus.* Item, Psal. XXXII, 17 : *Fallax equus ad salutem.* « *In stuporem*,» hoc est, insensibilitatem, ut scilicet nec per timorem sentiat pœnas, nec per amorem beneficia, « *et ascensorem ejus*, » diabolum scilicet vel liberum arbitrium, « *in amentiam*, » hoc est, insaniam, ut scilicet nullam cognitionem veri habeat. Exod. XV, 1 : *Equum et ascensorem dejecit in mare*, hoc est, in profundum amaritudinis. Genes. XLIX, 17 : *Mordens ungulas equi, ut cadat ascensor ejus retro.* Lucæ, I, 52 : *Deposuit potentes de sede, et exaltavit humiles.*

Oculi Domini semper piis aperti.

Et subdit de respectu gratiæ in electos : « *Et super domum Juda*, » hoc est, super familiam confitentium et laudantium Dominum, « *aperiam oculos meos.* » In apertione oculorum lumen effunditur et expanditur, et notatur quod expandetur super eos lumen gratiæ divinæ. Daniel. IX, 18 : *Aperi oculos tuos, et vide desolationem nostram.* Psal. XXXI, 8 : *In via hac qua gradieris, firmabo super te oculos meos.* Sapient. IV, 15 : *Respectus ejus in electos illius.* « *Et omnem equum populorum*, » hoc est, præcipitem arrogantiam superborum, « *percutiam cæcitate*, » ut ambitione scilicet excæcati recta non videant. Isaiæ, VI, 10 : *Excæca cor populi hujus, et aures ejus aggrava : et oculos ejus claude.*

5 Et subdit de congratulatione profectus subditorum :

« *Et dicent duces Juda in corde suo*, » hoc est, ex intimis præcordiis hoc desiderantes Prælati Ecclesiæ : « *Confortentur mihi*, » hoc est, ad profectum gaudii mei. Psal. LXVII, 28 : *Principes Juda, duces eorum : principes Zabulon, principes Nephthali.* « *Habitatores Jerusalem*, » visionis scilicet æternæ, pacis, « *in Domino exercituum Deo eorum*, » hoc est, in virtute Domini. Quorum unus dicit, ad Philip. IV, 1 : *Fratres mei charissimi, et desideratissimi, gaudium meum, et corona mea : sic state in Domino, charissimi.*

Et subdit de ignito eloquio Doctorum : 6

Charitas Dei caminus est ignis.

« *In die illa*, » clarente gratia verbi Dei, « *ponam duces Juda*, » Doctores scilicet glorificantium et confitentium Deo, « *sicut caminum ignis in lignis.* » Ignis enim qui extra lucet in ore, intus in corde fervet ut caminus in devotione. Isa. XXXI, 9 : *Cujus ignis est in Sion, et caminus ejus in Jerusalem.* Dicit autem, *in lignis* : quia populos incendit sicut ligna, et graviora peccata quæ in eis erant, consumit. « *Et sicut facem*, » id est, faculam « *ignis in fœno*, » hoc est, in minoribus cremabilibus, scilicet in venialibus peccatis. Eccli. XLVIII, 1 : *Surrexit Elias propheta quasi ignis, et verbum ipsius quasi facula ardebat.* « *Et devorabunt ad dexteram*, » hoc est, divites et nobiles, qui per dexteram intelliguntur : quia in prosperitate sunt. « *Et ad sinistram*, » pauperes scilicet convertendo, quorum penuria per sinistram intelligitur. « *Omnes populos in circuitu*, » sine discretione personarum convertentes, et sibi incorporantes. Psal. XC, 7 : *Cadent a latere tuo mille, et decem millia a dextris tuis.* Sicut dictum est Petro, Act. X, 13 : *Occide, et manduca.* Illis autem incorporatis Prælatis Ecclesiæ, de habitatione et frequentia Ecclesiæ subdit : « *Et habitabitur Jerusalem rursus*,» hoc est, iterato, « *in loco suo in Jerusalem*, » hoc est, in fide et stabilitate vitæ Patriarcharum. Isa. I, 26 : *Restituam judices tuos ut fuerunt prius, et consiliarios tuos sicut antiquitus : post hoc vocaberis civitas justi, urbs fidelis.*

« *Et salvabit Dominus tabernacula* 7

Juda, » hoc est, Ecclesias particulares et modos vivendi in Ecclesia. Numer. xxiv, 5 : *Quam pulchra tabernacula tua Jacob, et tentoria tua, Israel!* Psal. lxxxiii, 2 : *Quam dilecta tabernacula tua, Domine virtutum!* « *Sicut in principio,* » in devotione Patriarcharum. Thren. v, 21 : *Innova dies nostros, sicut a principio.* Et hoc quidem faciet Dominus virtute propria, « *ut non magnifice glorietur domus David.* » *Domus*, hoc est, familia David, sunt Doctores et Prælati Ecclesiæ, qui profectum Ecclesiæ sibi attribuere non poterunt. Psal. cxiii, 1 : *Non nobis, Domine, non nobis: sed nomini tuo da gloriam.* Ezech. xxxvi, 22 : *Non propter vos ego faciam, domus Israel, sed propter nomen sanctum meum.* « *Et,* » supple, non magnificet se et extollatur « *gloria habitantium Jerusalem,* » hoc est, Clericorum et Religiosorum, « *contra Judam,* » hoc est communem plebem : tamquam profectus qui in plebe est, industria et laboribus eorum perfectus sit. I ad Corinth. i, 29 : *Ut non glorietur omnis caro in conspectu ejus.* Ad Roman. iii, 27 : *Ubi est gloriatio tua? Exclusa est.* Impii Judæi hæc pervertentes, dicunt quod hæc intelliguntur de principibus Judæorum obsessis in Jerusalem, qui pro tempore prorumpentes a dextris et a sinistris prostraverunt hostes, quasi ignis devorantes, cum Egesippus et Josephus historiographi nihil talium narrent, sed potius quod conclusi erant quasi mures in antris, et si quis eorum quasi fugiens latenter apparuit, statim a Romanis exenterabatur, ut aurum in visceribus ejus quæreretur. Nec dicere possunt qualiter tabernacula Juda habitata fuerint, sicut a principio. Et propter hoc tamquam mendosa relinquentes, certam prosequamur expositionem.

Judæorum inane figmentum. Arcta Jerosolymorum obsidio.

8

Subdit ergo de protectione devotorum in Ecclesia :

« *In die illa,* » clarente scilicet gratia divina. II Machab. i, 22 : *Tempus affuit, quo sol refulsit, qui prius erat in nubilo.* « *Proteget Dominus habitatores Jerusalem,* » ab impugnatione scilicet dæmonum, et hostium. Isa. xlix, 2 : *In umbra manus suæ protexit me.* Psal. lvi, 2 : *In umbra alarum tuarum sperabo, donec transeat iniquitas.* Et posset objici, quod etiam tunc homines erunt, et peccabunt, et ita iram Dei merebuntur, respondet : « *Et erit,* » supple, ex propitiatu meo, « *qui offenderit ex eis,* » venialiter scilicet vel mortaliter. Jacob. iii, 2 : *In multis offendimus omnes.*

« *In die illa* [1], » quæ scilicet nihil noctis habet. Psal. cxxxviii, 11 et 12 : *Et nox illuminatio mea in deliciis meis... Et nox sicut dies illuminabitur.* Hic, inquam, talis « *erit quasi David,* » id est, facile ad gemitum unum misericordiam consequens. II Reg. xii, 13 : *Dixit David ad Nathan : Peccavi Domino. Dixitque Nathan* ad David : *Dominus transtulit quoque peccatum tuum : non morieris.* Psal. xxxi, 5 : *Dixi : Confitebor adversum me injustitiam meam Domino : et tu remisisti iniquitatem peccati mei.* Hoc probat parabola de filio prodigo, et patre recipiente [2]. « *Et Dominus David,* » hoc est, familia Christi, manu fortis in actione, et adspectu desiderabilis in contemplatione, hoc est, innocentes, supple, erunt « *quasi Dei,* » participative enim dii sunt. Psal. lxxxi, 6 : *Ego dixi : Dii estis, et filii Excelsi omnes.* Et hoc explanat, subdens : « *Sicut Angelus Domini in conspectu eorum,* » supple, erunt. Angelorum enim puritatem et cœlibatum præferunt. Matth. xxii, 30 : *Erunt sicut Angeli Dei in cœlo.*

Peccatorum facilis condonatio.

[1] Vulg. habet, Zachar. xii, 8 : *In die illa proteget Dominus habitatores Jerusalem, et erit qui offenderit ex eis in die illa, quasi David,* etc.

[2] Cf. Luc. xv, 11-32.

6

Et subdit de Gentium vocatione :

« *Et erit.* » Confirmatio sequentium est. « *In die illa,* » lucente veritate : « *Quæram,* » per Apostolos, « *conterere,* » quantum ad gentilem ritum, « *omnes gentes.* » Jerem. XXIII, 29 : *Numquid non verba mea sunt quasi ignis, dicit Dominus, et quasi malleus conterens petram ?* hoc est, duritias cordium Gentilium. « *Quæ,* » scilicet gentes, « *veniunt,* » infidelitatis impetu, « *contra Jerusalem,* » hoc est, contra Ecclesiam. Genes. XLIX, 8 : *Manus tua in cervicibus inimicorum tuorum.* Psal. XVII, 38 : *Persequar inimicos meos, et comprehendam illos : et non convertar donec deficiant.*

10 Et subdit de devotione conversorum.

« *Et effundam,* » fluenta gratiæ scilicet largiter, « *super domum David,* » hoc est, super familiam Christi, « *et,* » id est, « *super habitatores Jerusalem,* » hoc est, Ecclesiæ, « *Spiritum* » sanctum, scilicet meum, « *gratiæ,* » in remissione peccatorum et operatione virtutum. I ad Corinth. XII, 7 : *Unicuique datur manifestatio spiritus ad utilitatem.* Joan. I, 16 : *De plenitudine ejus nos omnes accepimus, et gratiam pro gratia.* « *Et precum,* » in devotione orationis pro se, et pro aliis. Ad Roman. VIII, 26 : *Quid oremus, sicut oportet, nescimus : sed ipse Spiritus postulat pro nobis gemitibus inenarrabilibus,* hoc est, docet postulare, et inclinat ad postulandum.

« *Et adspicient ad me.* » Hic tangitur de planctu pœnitentium : primo, in communi, et secundo, in speciali, ibi, « *Et planget terra.* »

In communi tria dicit, scilicet planctus amaritudinem, planctus magnitudinem, et his duobus præmittit causam planctus.

« *Et adspicient ad me,* » per fidei scilicet devotionem, vel nunc, vel in fine temporum. II Paral. XX, 12 : *Cum ignoremus quid agere debeamus, hoc solum habemus residui, ut oculos nostros dirigamus ad te.* Matth. XXVI, 64 : *Amodo videbitis Filium hominis sedentem a dextris virtutis Dei, et venientem in nubibus cœli.* « *Quem confixerunt,* » peccatum scilicet faciendo, vel Filium Dei crucifigendo. Malach. III, 8 : *Si affiget homo Deum, quia vos configitis me?* Joan. XIX, 37 : *Videbunt in quem transfixerunt.* Apocal. I, 7 : *Ecce venit cum nubibus, et videbit eum omnis oculus, et qui eum pupugerunt.* « *Et plangent eum,* » hoc est, peccatum quod commiserunt in eum. Jerem. IX, 1 : *Quis dabit capiti meo aquam, et oculis meis fontem lacrymarum ? et plorabo die ac nocte.* « *Planctu quasi super unigenitum.* » Quia ad litteram Dominus noster unigenitus est, et Patris et matris. Joan. I, 14 : *Vidimus gloriam ejus, gloriam quasi unigeniti a Patre.* Jerem. VI, 26 : *Luctum unigeniti fac tibi, planctum amarum.* « *Et dolebunt,* » scilicet tacti dolore cordis intrinsecus [1], « *super eum, ut doleri solet in morte primogeniti.* » In primogenito enim, quia præclarior natura est, et floret in eo vigor patris et matris, major dolor esse consuevit. Tamen Dominus, Apocal. I, 5, dicitur *primogenitus mortuorum.* Et ad Coloss. I, 18, dicitur *primogenitus omnis creaturæ.* Ad Hebr. I, 6 : *Cum iterum inducit primogenitum in orbem terræ, dicit : Et adorent eum omnes Angeli Dei.*

Christus unigenitus

Et subdit de magnitudine planctus : 11

« *In die illa,* » pœnitentiæ scilicet, vel extremi judicii, « *magnus erit planctus in Jerusalem* » hoc est, in Ecclesia, vel in mundo, « *sicut planctus Adadremmon,* » hoc est, qui fuit juxta civitatem Adadremmon, « *in campo Mageddon,* » hoc est, in campestribus sic vocatis.

[1] Cf. Genes. VI, 6.

Hieronymus : « Adadremmon... urbs est « juxta Jezraelem, quæ hoc olim vocabulo « nuncupata est, et hodie vocatur Maxi- « mianopolis in campo Mageddon, in quo « Josias, rex justus, a Pharaone cogno- « mento Nechao, vulneratus est, super quo « Lamentationes scripsit Jeremias, et scri- « psisse eum Paralipomenon testatur li- « ber [1]. Sicut igitur eo tempore post reges « peccatores, spes omnis populi erat in Jo- « sia, et occiso illo magnus planctus in ur- « be commotus est, ita crucifixo Salvatore « renovabitur planctus in Jerusalem. » Luc. XXIII, 27 : *Sequebatur autem Jesum multa turba populi, et mulierum : quæ plangebant, et lamentabantur eum.* Et infra, post pauca, ℣. 48 : *Omnis turba eorum, qui simul aderant ad spectaculum istud, et videbant quæ fiebant, percutientes pectora sua revertebantur.* Hoc tamen maxime fiet in die judicii, quando cum plagis ostendet se Dominus.

Josias rex a Pharaone interfectus.

12 « *Et planget terra,* » tunc scilicet universaliter. Amos, v, 16 : *In omnibus plateis planctus : et in cunctis, qui foris sunt, dicetur væ væ.* Et hoc quod dixit universaliter, dicit specialiter : « *Familiæ,* » hoc est, cognationes, « *et familiæ seorsum,* » ut scilicet quælibet cognatio, et communem habeat planctum et singularem. Amos, v, 17 : *In omnibus vineis erit planctus,* hoc est, per omnes distinctiones hominum. Sapient. XVIII, 10 : *Resonabat inconveniens inimicorum vox, et flebilis audiebatur planctus ploratorum infantium.*

Et tangit quatuor distinctiones, ut similia de omnibus aliis intelligantur :

« *Familiæ domus David seorsum.* » Per David, hi qui in dignitatibus et potentatibus sunt constituti, intelliguntur : quia David rex fuit. Sap. VI, 7 : *Exiguo conceditur misericordia : potentes autem potenter tormenta patientur.* Unde illi plangunt : quia per eos crucifixus est Dominus, et in se et in membris. Jerem. XIII, 18 : *Dic regi, et dominatrici : Humiliamini, sedete : quoniam descendit de capite vestro corona gloriæ vestræ.* « *Et mulieres eorum seorsum.* » Mulieres non dicuntur hic tam a sexu quam ab infirmitate, et intelliguntur qui inter principes ex infirmitate peccaverunt, qui quia minus punientur, minus habent plangere. II Reg. I, 26 : *Sicut mater unicum amat filium suum, ita ego te diligebam.* Jerem. IX, 17 et 18 : *Vocate lamentatrices, et veniant : et ad eas, quæ sapientes sunt, mittite, et properent : festinent.*

« *Familiæ domus Nathan seorsum.* » 13
Per Nathan intelligitur tribus Prophetarum sive cognatio : quia etiam Prophetæ, et maxime pseudo contra Dominum peccaverunt. Jerem. v, 31 : *Prophetæ prophetabant mandacium, et Sacerdotes applaudebant manibus suis : et populus meus dilexit talia.* Osee, VI, 5 : *Propter hoc dolavi in Prophetis, occidi eos in verbis oris mei.* « *Et mulieres eorum seorsum,* » in Prophetis scilicet ex infirmitate peccantes.

« *Familiæ domus Levi seorsum.* » Per Levi sacerdotalis cognatio sive congregatio intelligitur : quia etiam Sacerdotes ad crucifixionem Domini et Christi cooperati sunt. Joel, II, 17 : *Inter vestibulum et altare plorabunt Sacerdotes ministri Domini.* « *Et mulieres eorum seorsum,* » hoc est, inter eos ex infirmitate, vel ex ignorantia peccantes. Psal. VI, 3 : *Miserere mei, Domine, quoniam infirmus sum : sana me, Domine, quoniam conturbata sunt ossa mea.*

Semei.

« *Familiæ Semei seorsum.* » Hieronymus : « In Semei Doctores intelligun- « tur : ex hac enim tribu Magistrorum « agmina pullulaverunt. » Hoc nescio quare sit, nisi propter nominis interpretationem. Semei enim, *audi mi*, vel *audi me*, vel *auditio mea* interpretatur, et

[1] Cf. II Paralip. XXXV, 25 et seq., et IV Regum, XXIII, 29 et 30.

Scribæ qui Doctorum vicem habebant, contra Deum et Christum ejus consilio operati sunt. I Esdræ, IX, 2 : *Manus Principum et Magistratuum fuit prima in transgressione hac.* « *Et mulieres eorum seorsum,* » ex infirmitate scilicet peccantes inter Doctores. Mulier enim mutabilis est, et infirmius vasculum. Ad Roman. XV, 1 : *Debemus nos firmiores imbecillitates infirmiorum sustinere, et non nobis placere.*

14 Ex istis inductis inducit universale : « *Omnes familiæ reliquæ,* » militum scilicet, mercatorum, et singula artificia operantium, « *familiæ et familiæ,* » secundum diversitates earum, « *seorsum,* » supple, plangent, « *et mulieres eorum seorsum,* » ex infirmitate scilicet peccantes in familiis illis. Apoc. I, 7 : *Plangent se super eum omnes tribus terræ.* Sicut enim omnes peccaverunt, sic omnibus indicitur planctus. Hieronymus : « Quod *seorsum plangunt,* significat quod tempore tribulationis non « debemus servire conjugiis et operibus « nuptiarum. » Joel, II, 16 : *Egrediatur sponsus de cubili suo, et sponsa de thalamo suo.*

In tribulatione, conjugio non inserviendum.

CAPUT XIII.

Cum fuerit fons patens domui David in ablutionem peccatoris, tollentur idola : et pseudoprophetæ a sibi charissimis lapidabuntur : quæ sint plagæ in medio manuum : percutiendus pastor, et oves dispergendæ : duæ partes hominum dispergentur in omni terra, et tertia per ignem probabitur.

1. In die illa erit fons patens domui David et habitantibus Jerusalem, in ablutionem peccatoris et menstruatæ.
2. Et erit in die illa, dicit Dominus exercituum, disperdam nomina idolorum de terra, et non memorabuntur ultra : et pseudoprophetas, et spiritum immundum auferam de terra [1].
3. Et erit cum prophetaverit quispiam ultra, dicent ei pater ejus et mater ejus, qui genuerunt eum : Non vives, quia mendacium locutus es in nomine Domini : et configent eum pater ejus et mater ejus, genitores ejus, cum prophetaverit.
4. Et erit : in die illa confundentur prophetæ, unusquisque ex visione sua cum prophetaverit : nec operientur pallio saccino, ut mentiantur :
5. Sed dicet : Non sum propheta : homo agricola ego sum, quoniam Adam exemplum meum ab adolescentia mea.
6. Et dicetur ei : Quid sunt plagæ istæ in medio manuum tuarum? Et dicet : His plagatus sum in domo eorum qui diligebant me.
7. Framea, suscitare super pastorem meum, et super virum cohærentem mihi, dicit Dominus exercituum : percute pastorem, et dispergentur oves [2] : et convertam manum meam ad parvulos.

[1] Ezech. XXX, 13.

[2] Matth. XXVI, 31 ; Marc. XIV, 27.

8. Et erunt in omni terra, dicit Dominus : partes duæ in ea dispergentur, et deficient ; et tertia pars relinquetur in ea.
9. Et ducam tertiam partem per ignem, et uram eos sicut uritur argentum, et probabo eos sicut probatur aurum. Ipse vocabit nomen meum, et ego exaudiam eum. Dicam : Populus meus es : et ipse dicet : Dominus Deus meus.

IN CAPUT XIII ZACHARIÆ

ENARRATIO.

« *In die illa.* » Hic tangit de ablutione pœnitentium per fontem gratiæ sacramentalis. Dividitur autem pars ista in tres partes. In prima agit de ablutione peccatorum. In secunda de purificatione populi a malis, ibi, ℣. 2, in fine : « *Et pseudoprophetas.* » In tertia de zelo religionis, ibi, ℣. 3 : « *Et erit cum prophetaverit quispiam.* »

1 « *In die illa,* » clarente scilicet luce veritatis. Ad Roman. XIII, 12 et 13 : *Abjiciamus ergo opera tenebrarum, et induamur arma lucis. Sicut in die honeste ambulemus.* « *Erit fons patens,* » nulli scilicet vetitus, nulli negatus. Isa. LV, 1 : *Omnes sitientes, venite ad aquas.* « *Domui David,* » Ecclesiæ Christi scilicet. Isa. XII, 3 : *Haurietis aquas in gaudio de fontibus Salvatoris.* Fontes enim isti manant aquas absolutionis in gratia sacramentorum, et aquas doctrinæ in verbo Doctorum, et aquas refrigerii in consolatione tentatorum, et aquas humectantes in rigatione ardorum. Genes. II, 10 : *Fluvius egrediebatur de loco voluptatis ad irrigandum paradisum, qui inde dividitur in quatuor capita.* « *Et habitantibus Jerusalem,* » hoc est, totam Ecclesiam. Numer. XX, 6 : *Aperi eis thesaurum tuum fontem aquæ vivæ, ut satiati, cesset murmuratio eorum.* « *In ablutionem peccatoris,* » qui actualiter peccavit, « *et menstruatæ,* » per quod intelligitur originale peccatum. Psal. L, 9 : *Lavabis me, et super nivem dealbabor.* Isaiæ, IV, 4 : *Si abluerit Dominus sordes filiarum Sion, et sanguinem Jerusalem laverit de medio ejus in spiritu judicii, et spiritu ardoris.*

2 « *Et erit.* » Confirmatio sequentium est. « *In die illa,* » lucente scilicet gratia, « *dicit Dominus excercituum.* » Isaiæ, LVIII, 10 : *Orietur in tenebris lux tua.* « *Disperdam nomina idolorum de terra,* » quæ scilicet quilibet sibi finxit ad colendum, avarus nummum, luxuriosus Venerem, gulosus ventrem, superbus Jovem, iracundus Martem, immundus Saturnum, acediosus Dianam. Isa. II, 17 et 18 : *Elevabitur Dominus solus in die illa, et idola penitus conterentur.* « *Et non memorabuntur ultra,* » in ore scilicet cujusquam. Osee, II, 17 : *Auferam nomina Baalim de ore ejus.* Ezechiel. XXXVI, 25 : *Effundam super vos aquam mundam, et mundabimini ab omnibus inquinamentis vestris, et ab universis idolis vestris mundabo vos.* Et de separatione malorum hominum subdit : « *Et pseudoprophetas.* » Isa. IX, 15 : *Propheta docens mendacium, ipse est cauda :* operit enim turpitudines aliorum. Jeremiæ, XXIII, 15 : *Hæc dicit Dominus exercituum ad Prophetas : Ecce ego cibabo eos absinthio, et potabo eos felle : a Prophetis enim Jerusalem egressa est pollutio super omnem terram.* Significant autem eos, qui temporibus nostris spiritu quodam prophetico inflati, visionibus fictis decipiunt populum. « *Et spiritum immundum,* » in quo scilicet divinant, « *auferam de terra.* »

Fictis miraculis vulgo non imponendum.

II Paral. xviii, 21 : *Ero spiritus mendax in ore omnium Prophetarum ejus.*

3 Et subdit de zelo religionis :

« *Et erit* » Confirmatio est. « *Cum prophetaverit quispiam,* » pseudopropheta scilicet, « *ultra,* » hoc est, deinceps, « *dicent ei pater ejus et mater ejus,* » plus diligentes legem quam affectum carnalem. Deuter. xxi, 18 et seq.: *Si genuerit homo filium contumacem et protervum, qui non audiat patris aut matris imperium, et coercitus obedire contempserit : apprehendent eum,* pater ejus scilicet et mater ejus, *et ducent eum ad seniores civitatis.* Et, post pauca, ℣. 21 : *Lapidibus eum obruet populus civitatis.* Maxime autem contumax est, qui ab hæresi compesci contempserit. Et hoc est quod hic sequitur : « *Qui genuerunt eum : Non vives.* » Glossa, « ardore divinæ ser« vitutis non exspectantes publicum judi« cium. » Hæreticis enim parci non debet: morte enim dignus est qui Deo fidem et animam furatur. Deuter. xviii, 20, præcipitur interfici propheta qui mendacium loquitur in nomine Domini. Matth. vii, 15 : *Attendite a falsis Prophetis, qui veniunt ad vos in vestimentis ovium.* Et hoc est quod sequitur hic : « *Quia mendacium locutus es in nomine Domini,* » usurpato scilicet. Jerem. xxiii, 16 : *Nolite audire verba Prophetarum qui prophetant vobis, et decipiunt vos : visionem cordis sui loquuntur, non de ore Domini.* « *Et configent eum,* » verberibus scilicet, et puncturis tribulationum, « *pater ejus et mater ejus, genitores ejus,* » affectum scilicet religionis affectui naturæ præponentes. Genes. xxii, 12 : *Non pepercisti unigenito filio tuo propter me.* « *Cum prophetaverit,* » mendacium scilicet contra religionem. In signum hujus Elias occidit quadringentos viros prophetas Baal [1].

Hæretici morte plectendi.

Honor Dei privato affectui præferendus.

Et subdit quod ex hoc cavebunt de futuro, et dolebunt de præterito : 4

« *Et erit,* » cum scilicet falsa prophetans judicio parentum condemnabitur : « *In die illa confundentur Prophetæ,* » hoc est, erubescent de falso vaticinio, « *unusquisque ex visione sua,* » mendaci scilicet, « *cum prophetaverit,* » supple, mendacium. Jerem. xxiii, 14 : *In Prophetis Jerusalem vidi similitudinem adulterantium, et iter mendacii : et confortaverunt manus pessimorum, ut non converterentur, unusquisque a malitia sua.* « *Nec operientur pallio saccino :* » usurpabant enim habitum verorum Prophetarum, ut sub hoc pallio simplices deciperent. Et hoc est quod sequitur : « *Ut mentiantur,* » hoc est, ut mentiri facilius possent. Tria enim faciebant : usurpabant enim habitum Prophetarum, revelationem jactabant divinam, et in dolo quandoque veritatem dicebant ut mendacium protegerent. Apoc. xvi, 13 : *Vidi de ore draconis, et de ore bestiæ, et de ore pseudoprophetæ spiritus tres immundos in modum ranarum.*

Hæreticorum tria præsidia.

« *Sed dicet,* » scilicet pseudopropheta convictus et pœnitens : « *Non sum propheta,* » confitens scilicet veritatem. Amos, vii, 14 : *Non sum propheta, et non sum filius Prophetæ.* « *Homo agricola ego sum,* » hoc est, laborator, et de labore vivens. Psal. cxxvii, 2 : *Labores manuum tuarum quia manducabis.* Job, v, 7 : *Homo nascitur ad laborem.* « *Quoniam Adam,* » hoc est, labor indictus Adæ, Genes. iii, 19 : *In sudore vultus tui vesceris pane :* « *exemplum meum,* » in memoria scilicet mea, « *ab adolescentia mea,* » ut scilicet de labore et non de mendacio vivam. Eccli. vii, 16 : *Non oderis laboriosa opera, et rusticationem creatam ab Altissimo.* Ad Ephes. iv, 28 : *Qui furabatur, jam non furetur : magis autem laboret, operando manibus suis* 5

[1] Cf. III Regum, xviii, 40.

quod bonum est, ut habeat unde tribuat necessitatem patienti.

6 « *Et dicetur ei,* » qui scilicet fuerat pseudopropheta : « *Quid sunt,* » hoc est, quid significant « *plagæ istæ ?* » hoc est, signa plagarum, « *in medio manuum tuarum ?* » Hebræus habet, « in terminis tuis, » hoc est, ubique per corpus. Hieronymus : « Quid commisisti ut manus « tuæ configerentur ? » Isa. I, 6 : *Vulnus, et livor, et plaga tumens, non est circumligata.* Quasi dicat : Malefici signa in te apparent. « *Et dicet,* » pseudopropheta scilicet punitus. Hieronymus : « In « tantum fugabitur mendacium et veritas « obtinebit locum, ut etiam ipse qui suo « punitus est vitio, juste perpessum se « esse fateatur. » Luc. XXIII, 41 : *Nos quidem juste, nam digna factis recipimus.* « *His plagatus sum in domo eorum qui diligebant me.* » Hieronymus : « Hæc vulnera recepi judicio parentum « condemnatus, qui non oderant me, sed « diligebant, etiam dum punirent.» Deuter. XXXIII, 9 : *Qui dixit patri suo et matri suæ : Nescio vos : et fratribus suis : Ignoro vos : et nescierunt filios suos. Hi custodiverunt eloquium tuum, et pactum tuum servaverunt.*

7 « *Framea.* » Hic incipit agere de Christi Passione, et effectu Passionis : unde in duo dividitur. Primo enim agit de Passione. Secundo de effectu ejus, infra, XIV, 1, ibi, « *Ecce dies venient.* »

In prima tria sunt, scilicet Christi Passio, Apostolorum dispersio, dispersorum probatio.

« *Framea,* » vocativi casus. Passio quæ fremere facit, dicitur *framea.* Matth. XXVI, 38 : *Tristis est anima mea usque ad mortem.* Joan. XI, 33 : *Infremuit spiritu, et turbavit seipsum.* « *Suscitare,* » hoc est, evigila ad puniendum, « *super pastorem meum,* » Christum scilicet. Joan. X, 11 : *Bonus pastor animam suam ponit pro ovibus suis.* « *Et super virum,* » qui solus vir inter omnes est viros. Eccle. VII, 29 : *Virum de mille unum reperi.* « *Cohærentem mihi,* » per unionem divinitatis. Joan. XIV, 10 : *Ego in Patre, et Pater in me est.* Joan. X, 30 : *Ego et Pater unum sumus.* « *Dicit Dominus exercituum,* » cujus scilicet voluntate Passio Christi perfecta est. Christus voluntarie passus. Unde Dominus dixit Petro prohibenti Passionem, Matth. XXVI, 52 : *Converte gladium tuum in locum suum.* Joan. XVIII, 11 : *Calicem quem dedit mihi Pater, non bibam illum ?* Et revertitur loquens ad frameam : « *Percute pastorem.*» Ac si dicat : O framea, ita suscitare, quod percutias pastorem, et occidas. Isaiæ, LIII, 8 : *Propter scelus populi mei percussi eum.* Daniel. IX, 26 : *Occidetur Christus : et non erit ejus populus qui eum negaturus est.* « *Et dispergentur oves.*» Glossa inducit illud Matth. XXVI, 56: *Tunc discipuli omnes, relicto eo, fugerunt.* Hoc testimonio usus est Dominus, Matth. XXVI, 31 : *Omnes vos scandalum patiemini in me, in ista nocte. Scriptum est enim : Percutiam pastorem, et dispergentur oves gregis.*

Et subdit aliquid de consolatione : « *Et convertam manum meam,* » collectionis scilicet, « *ad parvulos,*» pauculos scilicet, et humiles fideles. Hieronymus : « Relictis superbis Judæis, humilis Ma- « gister colligit humiles discipulos, et « adducit illud Lucæ, XII, 32 : *Nolite « timere, pusillus grex, quia complacuit « Patri vestro dare vobis regnum.*» Matth. XIX, 14 : *Sinite parvulos, et nolite eos prohibere ad me venire : talium est enim regnum cælorum.* Sapient. III, 1 : *Justorum animæ in manu Dei sunt.* Deuter. XXXIII, 3 : *Dilexit populus, omnes sancti in manu illius sunt.*

Ex quibus autem colliguntur, subdit : 8
« *Et erunt in omni terra,* » hoc est, in toto mundo. Isa. XXIV, 16 : *A finibus terræ laudes audivimus, gloriam justi.*

« *Dicit Dominus : Partes duæ,* » Judæorum scilicet, et gentilium : tota enim terra tunc divisa fuit in hos duos populos : « *dispergentur,* » per mundum, scilicet Apostoli. Tob. XIII, 4 : *Ideo dispersit vos inter gentes, quæ ignorant eum, ut vos enarretis mirabilia ejus, et faciatis scire eos, quia non est alius Deus omnipotens præter eum.* « *Et deficient,* » supple, duæ partes, a gentilitate scilicet, et a judaismo. Psal. CIII, 35 : *Deficiant peccatores a terra, et iniqui ita ut non sint.* « *Et tertia pars relinquetur,* » Christianorum scilicet credentium, « *in ea,* » hoc est, in terra sive Ecclesia. Isaiæ, VI, 12 et 13 : *Multiplicabitur quæ derelicta fuerat in medio terræ. Et adhuc in ea decimatio, et convertetur, et erit in ostensionem sicut terebinthus, et sicut quercus, quæ expandit ramos suos : semen sanctum erit id quod steterit in ea.*

9 Et subdit de probatione illorum :

Igne tribulationis just probantur.

« *Et ducam tertiam partem,* » supple, relictam, « *per ignem,* » tribulationis scilicet, et martyrii, vel charitatis. Psal. XVI, 3 : *Igne me examinasti, et non est inventa in me iniquitas.* Glossa inducit illud Lucæ, XII, 49 : *Ignem veni mittere in terram, et quid volo nisi ut accendatur.* Et quod, Act. II, 4, Apostoli baptizati in Spiritu Dei et igne dicuntur [1]. « *Et uram eos sicut uritur argentum,* » ut scilicet idonei sint ad eloquium. Psal. XI, 7 : *Argentum igne examinatum, probatum terræ, purgatum septuplum.* « *Et probabo eos sicut probatur aurum,* » ut scilicet idonei sint ad recipiendum sapientiæ thesaurum. Sap. III, 6 : *Tamquam aurum in fornace probavit illos, et quasi holocausti hostiam accepit illos,* et invenit eos dignos se.

« *Ipse,* » populus scilicet tertiæ partis, « *vocabit,* » hoc est invocabit « *nomen meum,* » sibi in gratia notum. Sophon. III, 8 et 9 : *In igne zeli mei devorabitur omnis terra : quia tunc reddam populis meis labium electum, ut invocent omnes in nomine Domini, et serviant ei humero uno.* « *Et ego exaudiam eum.* » Jeremiæ, XXXIII, 3 : *Clama ad me, et exaudiam te : et annuntiabo tibi grandia, et firma quæ nescis.* « *Dicam : Populus meus es,* » mihi scilicet serviens. Deuter. VII, 6 : *Te elegit Dominus Deus tuus, ut sis ei populus peculiaris de cunctis populis, qui sunt super terram.* « *Et ipse dicet : Dominus Deus meus,* » supple, es. Apoc. XXI, 3 : *Et ipse Deus cum eis erit eorum Deus.* Joan. XX, 28 : *Dominus meus, et Deus meus.*

[1] Act. II, 4 : *Et repleti sunt omnes Spiritu sancto,* etc.

CAPUT XIV.

Postquam Jerusalem passa fuerit captivitatem, aliasque afflictiones a gentibus, erit dies nota Domino, cum exibunt aquæ vivæ de Jerusalem : et filii Israel revertentur, habitaturi secure in Jerusalem : percutietque Dominus plaga gentes quæ pugnaverunt adversus Jerusalem, et harum reliquiæ ascendent ut adorent Dominum in Jerusalem, sanctumque erit quod est super frænum equi.

1. Ecce venient dies Domini, et dividentur spolia tua in medio tui.
2. Et congregabo omnes gentes ad Jerusalem in prœlium : et capietur civitas, et vastabuntur domus, et mulieres violabuntur : et egredietur media pars civitatis in captivitatem, et reliquum populi non auferetur ex urbe.
3. Et egredietur Dominus, et prœliabitur contra gentes illas, sicut prœliatus est in die certaminis.
4. Et stabunt pedes ejus in die illa super montem Olivarum, qui est contra Jerusalem ad orientem : et scindetur mons Olivarum ex media parte sui ad orientem et ad occidentem, prærupto grandi valde, et separabitur medium montis ad aquilonem, et medium ejus ad meridiem.
5. Et fugietis ad vallem montium eorum, quoniam conjungetur vallis montium usque ad proximum : et fugietis sicut fugistis a facie terræmotus in diebus Oziæ, regis Juda [1] : et veniet Dominus Deus meus, omnesque sancti cum eo.
6. Et erit in die illa : Non erit lux sed frigus et gelu.
7. Et erit dies una quæ nota est Domino, non dies neque nox : et in tempore vesperi erit lux.
8. Et erit in die illa : exibunt aquæ vivæ de Jerusalem : medium earum ad mare orientale, et medium earum ad mare novissimum : in æstate et in hieme erunt.
9. Et erit Dominus rex super omnem terram : in die illa erit Dominus unus, et erit nomen ejus unum.
10. Et revertetur omnis terra usque ad desertum, de colle Remmon ad austrum Jerusalem : et exaltabitur, et habitabit in loco suo, a porta Benjamin usque ad locum portæ prioris, et usque ad portam angulorum : et a turre Hananeel usque ad torcularia regis.
11. Et habitabunt in ea, et anathema non erit amplius : sed sedebit Jerusalem secura.
12. Et hæc erit plaga qua percutiet Dominus omnes gentes quæ pugnaverunt adversus Jerusalem : tabescet caro uniuscujusque stantis super pedes suos : et oculi ejus contabescent in

[1] Amos, I, 1.

foraminibus suis, et lingua eorum contabescet in ore suo.
13. In die illa erit tumultus Domini magnus in eis : et apprehendet vir manum proximi sui, et conseretur manus ejus super manum proximi sui.
14. Sed et Judas pugnabit adversus Jerusalem, et congregabuntur divitiæ omnium gentium in circuitu, aurum, et argentum, et vestes multæ satis.
15. Et sic erit ruina equi, et muli, et cameli, et asini, et omnium jumentorum quæ fuerint in castris illis, sicut ruina hæc.
16. Et omnes qui reliqui fuerint de universis gentibus quæ venerunt contra Jerusalem, ascendent ab anno in annum ut adorent Regem, Dominum exercituum, et celebrent festivitatem tabernaculorum.
17. Et erit : qui non ascenderit de familiis terræ ad Jerusalem, ut adoret Regem, Dominum exercituum, non erit super eos imber.
18. Quod et si familia Ægypti non ascenderit et non venerit, nec super eos erit : sed erit ruina, qua percutiet Dominus omnes gentes quæ non ascenderint ad celebrandam festivitatem tabernaculorum.
19. Hoc erit peccatum Ægypti, et hoc peccatum omnium gentium quæ non ascenderint ad celebrandam festivitatem tabernaculorum.
20. In die illa, erit quod super frænum equi est, sanctum Domino : et erunt lebetes in domo Domini quasi phialæ coram altari.
21. Et erit omnis lebes in Jerusalem et in Juda sanctificatus Domino exercituum : et venient omnes immolantes, et sument ex eis, et coquent in eis : et non erit mercator ultra in domo Domini exercituum in die illo.

IN CAPUT XIV ZACHARIÆ

ENARRATIO.

« *Ecce dies venient.* » Tangit hic de effectu Passionis, primo in Judæis, secundo in gentibus, ibi, ℣. 3 : « *Et egredietur Dominus.* » Tertio, in judicio et profectu Ecclesiæ, ibi, ℣. 5, in fine : « *Et veniet Dominus Deus meus.*

« *Ecce venient dies Domini,* » captivitatis Romanæ scilicet. Luc. xix, 43 : *Venient dies in te, et circumdabunt te inimici tui vallo.* « *Et dividentur spolia tua,* » supple, o Jerusalem, « *in medio tui.* » Hieronymus : « Solet accidere ut « quæ subito impetu in civitate direpta « sunt, extra civitatem dividantur, ne « forte hostes superveniant. Hic autem « tanta depressio incumbit, ut rapina a « raptoribus in medio civitatis dividatur. » Exod. xv, 9 : *Dixit inimicus : Persequar et comprehendam, dividam spolia.* Ezech. xxxviii, 13 : *Numquid ad sumenda spolia tu venis : ecce ad diripiendam prædam congregasti multitudinem tuam.*

2 Jerusalem communi conspiratione omnium gentium vastata.

« *Et congregabo omnes gentes,* » in regno scilicet Romanorum, quod regnum omnium gentium est, « *ad Jerusalem,* » hoc est, contra Jerusalem, « *in prœlium,* » ad vindictam scilicet sanguinis Christi. Sapient. v, 21 : *Pugnabit cum illo orbis terrarum contra insensatos.* « *Et capietur civitas,* » a Tito et Vespasiano. Luc. xix, 43 et 44 : *Circumdabunt te inimici tui vallo, et circumdabunt te, et coangustabunt te un-*

dique, et ad terram prosternent te, et filios tuos qui in te sunt. « *Et vastabuntur domus.* » Isaiæ, xxv, 2 : *Posuisti civitatem in tumulum, urbem fortem in ruinam, domum alienorum, ut non sit civitas.* Matth. xxiii, 38 : *Ecce relinquetur vobis domus vestra deserta.* « *Et mulieres violabuntur,* » quod magna fuit turpitudo. Thren. v, 11 : *Mulieres in Sion humiliaverunt, et virgines in civitatibus Juda.* II Regum, xii, 11 : *Tollam uxores tuas in oculis tuis, et dabo proximo tuo, et dormiet cum uxoribus tuis in oculis solis hujus.* « *Et egredietur,* » captiva scilicet, « *media pars civitatis in captivitatem,* » inferior scilicet, quæ in Mello habitabat : illam enim solam cepit Titus : « *et reliquum populi,* » scilicet circa templum et montem Sion habitans, « *non auferetur ex urbe.* » Contra hoc autem videtur esse illud Lucæ, xix, 44 : *Non relinquent in te lapidem super lapidem.* Sed ad hoc dicendum est, quod Titus primo destruxit mediam partem, et postea Helius Adrianus evertit totam.

3 « *Et egredietur Dominus.* » Loquitur hic de destructione Gentium : quia non zelo Domini, sed aviditate præda destruxerunt Jerusalem.

« *Et egredietur Dominus,* » de loco scilicet lenitatis et misericordiæ ad vindictam inimicorum suorum. Habacuc, iii, 13 : *Egressus es in salutem populi tui, in salutem cum Christo tuo. Percussisti caput de domo impii.* « *Et prœliabitur contra gentes illas,* » scilicet quæ Jerusalem destruxerunt, « *sicut prœliatus est in die certaminis* » illius scilicet famosi, quando destruxit Pharaonem et exercitum ejus in Mari rubro. Exod. xiv, 25 : *Fugiamus Israelem : Dominus enim pugnat pro eis contra nos.*

« *Et stabunt pedes ejus,* » id est, vestigia pedum. Psal. cxxxi, 7 : *Adorabimu in loco ubi steterunt pedes ejus.* 4
« *In die illa,* » clarente scilicet gratia Ecclesiæ, « *super montem Olivarum,* » id est, super verticem Apostolicæ perfectionis. Genes. xix, 17 : *Non stes in omni circa regione, sed in monte salvum te fac.* Ezechiel. xliii, 7 : *Locus solii mei, et locus vestigiorum pedum meorum, ubi habito.* Psal. lxvii, 17 : *Mons, in quo beneplacitum est Deo habitare in eo.* « *Qui est contra Jerusalem,* » id est, ad Jerusalem supernam respiciens. Ad Galat. iv, 26 : *Illa autem, quæ sursum est Jerusalem, libera est, quæ est mater nostra.* « *Ad Orientem.* » Glossa, « unde oritur sol justitiæ. » Malach. iv, 2 : *Orietur vobis timentibus nomen meum Sol justitiæ.*

Et subdit de divisione malorum et bonorum, et præputii et circumcisionis : « *Et scindetur mons Olivarum,* » eminentia scilicet Ecclesiæ, in qua plantantur olivæ fœtæ luminis et unctionis, « *ex media parte sui,* » quantum ad fideles, « *ad Orientem,* » hoc est, ad præputium in quo ortum est lumen gratiæ. Malach. i, 11 : *Ab ortu solis usque ad occasum, magnum est nomen meum in Gentibus.* « *Et ad Occidentem,* » hoc est, ad circumcisionem, in qua occidit lux gratiæ, dum oritur in Gentilibus, ita scilicet quod scissura incipit ab Oriente et terminatur in Occidentem, « *prærupto grandi valde,* » hoc est, quod præruptum quod in medio est, sit grandis vallis, hoc est, grandis separatio : quia in Judæo revelatur cognitio Dei de fide in fidem[1] : in Gentili autem de errore idolorum venitur ad fidem. Luc. xvi, 26 : *Inter nos et vos, chaos magnum firmatum est : ut hi, qui volunt hinc transire ad vos, non possint, neque inde huc transmeare.* « *Et,* » supple, separatione ista facta, fiet alia separatio, « *separabitur*

Ecclesia ex Judæis atque gentilibus salubri syncretismo collecta.

[1] Ad Roman. i, 17 : *Justitia Dei in eo,* scilicet in Judæo, *revelatur ex fide in fidem*

medium montis ejus[1]. » Pleonasmus : *ejus* enim superfluit ex quo posuit montis, nisi *ejus* ponatur pro ejusdem. Et intendit de separatione meritorum. « *Ad Aquilonem,* » ad plagam scilicet nebulosam et frigidam, in qua sedet diabolus. Isaiæ, xiv, 13 : *Sedebo in monte testamenti, in lateribus Aquilonis.* Et hi sunt qui pertinent ad sinistram. « *Et medium ejus,* » montis scilicet, supple, separabitur « *ad Meridiem,* » ubi est regio luminis et caloris, per quam significantur qui pertinent ad dexteram, ita quod scissura incipiat ab Aquilone, et terminetur in Meridiem, ut illi scilicet qui sunt in Ecclesia differentiis meritorum distincti sint. Matth. xxv, 32 et 33 : *Separabit eos ab invicem, sicut pastor segregat oves ab hædis : et statuet oves quidem a dextris suis, hædos autem a sinistris.*

5 Ista autem duplici separatione facta in quatuor partes montis, fiet quod sequitur :

« *Et fugietis,* » qui scilicet salvari cupitis, « *ad vallem,* » hoc est, ad humilitatem « *montium eorum,* » hoc est, ad eminentiam spiritus duorum testamentorum. Et bene dico, quod fugietis ad strictam vallem, hoc est, ad arctam viam, quæ ducit ad vitam[2]. « *Quoniam conjungetur vallis montium,* » hoc est, separatio quæ est inter montes sive duo testamenta, « *usque ad proximum,* » hoc est, usque ad parvam distantiam : rota enim est in medio rotæ[3] : quia quod unum loquitur in figura, alterum exhibet in veritate : et quod unum in promissione, alterum in exhibitione : et quod unum in timore, alterum in amore : quæ differentia non est magna, et licet saltare de monte in montem non impediente valle : unus enim passus medius est nihil plus, sicut jam ostensum est. Isti sunt de quibus dicitur, I Reg. v, 2 : *Invenies duos viros juxta sepulcrum Rachel in finibus Benjamin, in Meridie,* salientes scilicet magnas foveas. Duo enim viri, intellectus sunt duorum testamentorum. Magna fovea dicitur profunda sapientia : saltus autem expositio saltans de testamento in testamentum, juxta sepulcrum Rachel, hoc est, juxta absconditum contemplationis, quia Rachel contemplationem significat. In finibus vero Benjamin, quia tales filii dexteræ sunt, et ad dexteram pertinent.

Utriusque Testamenti convenientia.

Rachel.

Et assimilat hanc fugam, subdens :

« *Et fugietis sicut fugistis* » olim « *a facie terræmotus,* » hoc est, a præsentia terræmotus, « *in die Oziæ, regis Juda.* » II Paral. xxvi, 19 et seq., legitur, quod Ozia usurpante summum sacerdotium, terræmotus factus est, et rex percussus est lepra, ut omnes assistentes regi, rege impio deserto, fugerent ad Sacerdotes. Et ita modo impiis desertis fugient ad Apostolicos et bonos. Jerem. li, 50 : *Qui fugistis gladium, venite, et nolite stare : recordamini procul Domini, et Jerusalem ascendat super cor vestrum.*

« *Et veniet Dominus Deus meus.* » Tangitur hic Ecclesiæ profectus in temporibus novissimis, primo in bonis, secundo in malis conversis, ibi, « *Et hæc erit plaga.* »

In bonis tria dicit : judicium scilicet, profectum gratiæ et doctrinæ, et cultus unitatem.

« *Et veniet Dominus Deus meus* » ad Ecclesiam, scilicet judicando eam, et discernendo ab impiis, et nunc et in futuro : « *omnesque Sancti cum eo,* » testificando scilicet veritatem prædicationis Apostolorum. Deuter. xxxiii, 2 : *Dominus de Sinai venit, et de Seir ortus est*

[1] Vulgata non habet *ejus*.

[2] Matth. vii, 14 : *Quam angusta porta, et arcta via est quæ ducit ad vitam : et pauci sunt qui invenient eam !*

[3] Cf. Ezech. i, 16.

nobis : apparuit de monte Pharan, et cum eo Sanctorum millia. Septuaginta habent, « de monte umbroso et condenso, » hoc est, de Veteri testamento. Pharan enim *feritas* interpretatur, et timorem significat, per quem vetus lex implebatur, de cujus testimonio ortus est nobis Dominus. Sic apparuerunt cum Domino Moyses et Elias, lex scilicet et Prophetæ [1]. Isaiæ, III, 14 : *Dominus ad judicium veniet cum senibus populi sui.*

Pharan.

6 « *Et erit.* » Confirmatio sequentium est. « *In die illa,* » micante luce veritatis. « *Non erit lux,* » excæcatis scilicet Judæis et malis, in quorum persona, Tob. v, 12, dicitur : *Quale gaudium mihi erit, qui in tenebris sedeo, et lumen cœli non video ?* « *Sed frigus et gelu.* » Matth. XXIV, 12 : *Quoniam abundavit iniquitas, refrigescet charitas multorum.*

7 « *Et erit dies una,* » notabilis præ omnibus. Psal. LXXXIII, 11 : *Melior est dies una in atriis tuis, super millia.* « *Quæ nota est Domino.* » Matth. XXIV, 36 : *De die illa et hora, nemo scit, neque Angeli cœlorum, nisi solus Pater.* « *Non dies,* » supple, plene, ubique lucens : quia non omnes illuminantur, « *neque nox,*» quia non omnes excæcantur. Vel dicit, *non dies neque nox* : quia post judicium non erit vicissitudo diei neque noctis. « *Et in tempore vesperi,* » hoc est, cum impiis lux obtenebrescit, « *erit lux,* » Sanctis scilicet. Sapient. XVIII, 1 : *Sanctis autem tuis maxima erat lux, et horum quidem vocem audiebant, sed figuram non videbant.*

Diei et noctis vicissitudo quando cessabit.

8 Et subdit de profectu gratiæ et doctrinæ. Et hic quædam Bibliæ habent capitulum decimum quintum.

« *Et erit.* » Confirmatio est sequentium. « *In die illa : exibunt aquæ vivæ de Jerusalem,* » doctrinæ scilicet, et gratiæ. Et dicuntur *vivæ*, quia vivificant. Joan. VIII, 38 : *Flumina de ventre ejus fluent aquæ vivæ.* Ezech. XLVII, 9 : *Et omnis anima vivens, quæ serpit, quocumque venerit torrens, vivet.* « *Medium earum,* » doctrina scilicet Veteris testamenti, « *ad mare orientale,* » Mortuum scilicet, quod significat Judæos mortuos. Quod tamen in hoc aliqui vivificantur, est quia quidam ex eis in primitiva Ecclesia conversi sunt. Ezech. XLVII, 8 : *Aquæ intrabunt in mare, et exibunt, et sanabuntur aquæ.* « *Et medium earum ad mare novissimum,* » quod est occidentale, et significat gentilitatem in qua novissime orta est lux gratiæ. Ad Hebr. I, 2 : *Novissime, diebus istis locutus est nobis in Filio* : et sic prædicatione Apostolorum, « *in æstate* » prosperitatis, « *et hieme* » adversitatis, « *erunt,* » fluentes scilicet aquæ prædicationis non desiccatæ. Eccli. XXIV, 42 et 43 : *Dixi : Rigabo hortum meum plantationum, et inebriabo prati mei fructum. Et ecce factus est mihi trames abundans.*

« *Et erit,* » supple, sic in fide credentium, « *Dominus rex super omnem terram.* » Isa. LIV, 5 : *Redemptor tuus sanctus Israel, Deus omnis terræ vocabitur.* Sapient. I, 7 : *Spiritus Domini replevit orbem terrarum, et hoc quod continet omnia,* etc. 9

Et subdit de unitate cultus :

« *In die illa,* » clarente scilicet Evangelii gratia, « *erit Dominus unus,* » Deus scilicet omnium. Ad Ephes. IV, 5 et 6 : *Unus Dominus, una fides, unum baptisma. Unus Deus et Pater omnium.* « *Et erit nomen ejus unum,* » ita scilicet quod tunc nomina aliorum deorum non nominabuntur. Exod. XX, 2 : *Non habe-*

[1] Cf. Matth. XVII, 3.

bis deos alienos coram me. Osee, II, 17 : *Auferam nomina Baalim de ore ejus.*

10 « *Et revertetur omnis terra usque ad desertum* » inclusive, ita quod etiam desertum. Et significat Gentilitatem a principio desertam. Isa. XXXV, 1 : *Lætabitur deserta et invia, et exsultabit solitudo, et florebit quasi lilium.* Et intelligit quod ab Oriente usque ad Occidentem : « *de colle Remmon,* » hoc est, de colle virtutum : Remmon quod interpretatur *testis sublimis,* et est in Aquilone : « *ad Austrum* » hoc est, ab Aquilone in Austrum. Glossa, Matth. VIII, 11 : *Dico vobis quod multi ab Oriente et Occidente venient, et recumbent cum Abraham, et Isaac, et Jacob in regno cœlorum.* Et hoc est quod sequitur : « *Et Jerusalem,* » numero scilicet fidelium.

« *Et exaltabitur.* » Isaiæ, LII, 13 : *Exaltabitur, et elevabitur, et sublimis erit valde.* « *Et habitabit,* » supple, Jerusalem, « *in loco suo,* » hoc est, fundata in fide. Ad Ephes. III, 17 : *In charitate radicati et fundati.* Glossa inducit illud Psal. XXII, 2 : *In loco pascuæ ibi me collocavit.* Et describit terminos : « *A porta Benjamin,* » hoc est, a porta virtutis. Virtus enim in dextera est, et Benjamin *filius dexteræ* interpretatur. Psal. CXVII, 16 : *Dextera Domini fecit virtutem : dextera Domini exaltavit me.* « *Usque ad locum portæ prioris,* » hoc est, primæ. Et significat innocentiam, per quam primus est ingressus gratiæ. Psal. XXIV, 21 : *Innocentes et recti adhæserunt mihi.* « *Et usque ad portam angulorum,* » hoc est, ubi plures parietes in unum conjunguntur. Et significat charitatem, quæ omnes virtutes conjungit. Job, XXXVIII, 6 : *Quis demisit lapidem angularem ejus ?* « *Et a turre Hananeel,* » qui *fortissimus Deo* interpretatur, et significat fortitudinem et constantiam martyrum, « *usque ad torcularia regis,* » hoc est, usque ad Passionem Christi et crucem. Isa. LXIII, 3 : *Torcular calcavi solus.*

Benjamin.

Charitas virtutum omnium lapis angularis.

« *Et,* » supple, sic « *habitabunt in ea* » cives diversarum virtutum. Psal. LXXXVI, 7 : *Sicut lætantium, omnium habitatio est in te.* « *Et anathema non erit amplius,* » maxime sublato Antichristo. Isa. LII, 1 : *Non adjiciet ultra ut pertranseat per te incircumcisus et immundus.* Tunc enim anathema in infernum detrudetur. « *Sed sedebit,* » hoc est, quiescet « *Jerusalem,* » hoc est, Ecclesia, « *secura,* » timore scilicet malorum sublato. Isa. XXXII, 18 : *Sedebit populus meus in pulchritudine pacis, et in tabernaculis fiduciæ, et in requie opulenta.* Hæc impii Judæi pervertentes, dicunt implenda esse post bella Og et Magog, in aurea Jerusalem, quando cum rege suo David in pace sedebunt mille annis, de quorum fabulis nihil curamus. 11

Anathematis profligatio.

Judæorum deliramentum.

« *Et erit hæc plaga.* » Tangit hic profectum Ecclesiæ in duobus, scilicet in destructione malorum, et conversione pœnitentium, ibi, « *Et omnes qui reliqui fuerint.* » 12

De destructione malorum tria dicit, scilicet percussionem eorum in membris quibus peccaverunt, admirationem bonorum, ibi, « *In die illa erit tumultus :* » et exterminationem malorum incorrigibilium, ibi, « *Sic erit ruina equi.* »

« *Et hæc,* » scilicet quæ nunc dicetur, « *erit plaga,* » hoc est, percussio, « *qua percutiet Dominus,* » hoc est, puniet, « *omnes gentes,* » hoc est, gentiliter viventes, « *qui pugnaverunt adversus Jerusalem,* » hoc est, contra Ecclesiam. Jerem. XXX, 12 : *Insanabilis fractura tua, pessima plaga tua.* Et paulo post, ℣. 14 : *Percussi te castigatione crudeli, propter multitudinem iniquitatis tuæ.* Et determinat plagas et membra quæ plagantur. « *Tabescet caro.* » Quod in vivo

est virus vel pus, in mortuo est tabes: caro autem medium tactus est, in quo est delectatio malorum. Et est sensus: Caro in qua in malo delectabantur, in tabem convertetur. « *Uniuscujusque stantis super pedes suos,* » adhuc vivi scilicet, ut sentiat pœnas suas et doleat: stare enim pertinaciam significat, pedes affectus. Job, XXXIII, 21 et 22: *Tabescet caro ejus, et ossa quæ tecta fuerant, nudabuntur. Appropinquavit corruptioni anima ejus, et vita illius mortiferis.* II Machab. IX, 9, legitur de carnibus Antiochi, quod vermes scaturiebant. Act. XII, 23, de Herode legitur, quod percussit eum Angelus Domini, et consumptus vermibus exspiravit, eo quod contra Deum et Ecclesiam pugnaverat. « *Et oculi ejus,* » quibus scilicet terribiliter Sanctos intuiti sunt, vel oculi interiores quibus mala quæ contra Sanctos fecerunt, præviderunt et ordinaverunt, « *contabescent,* » adhuc viventibus eis, « *in foraminibus suis,* » hoc est, in receptaculis oculorum ejus. Hujus exemplum est in eo qui dicebatur Elymas magus, Act. XIII, 10 et 11, cui dixit Paulus: *O plene omni dolo, et omni fallacia, fili diaboli, inimice omnis justitiæ, non desinis subvertere vias Domini rectas. Et nunc ecce manus Domini super te, et eris cæcus, non videns solem usque ad tempus. Et confestim cecidit in eum caligo, et tenebræ,* etc. Proverb. XXX, 17; *Oculum, qui subsannat patrem, et qui despicit partum matris suæ, effodiant eum corvi de torrentibus, et comedant eum filii aquilæ.* « *Et lingua eorum,* » qua amare contra Deum et sanctos locuti sunt, « *contabescet in ore suo,* » supple, adhuc viventibus eis. Psal. XXX, 19: *Muta fiant labia dolosa, quæ loquuntur adversus justum iniquitatem, in superbia, et in abusione.*

Antiochus vermibus interiit.

Herodes vermibus con putruit.

Elymas magus cæcitate percussus a Paulo.

13 Et subdit de admiratione justorum in plagis istis:

« *In die illa erit tumultus.* » Alia translatio, « stupor: » sed quia tumultus in malo accipitur, propter hoc addit: « *Domini magnus in eis,* » ut per adjunctum ad bonam significationem trahatur. Et est sensus, quod boni admirantes, tumultum excitabunt de plagis Domini. Jerem. II, 12: *Obstupescite, cœli, super hoc.* « *Et apprehendet vir,* » supple, plagatus « *manum proximi sui,* » quærens scilicet auxilium et sustentationem. Job, XIX, 21: *Miseremini mei, miseremini mei, saltem vos, amici mei, quia manus Domini tetigit me.* « *Et conseretur manus ejus,* » scilicet, plagati, « *super manum proximi sui,* » supple, non plagati. Hieronymus: « Præ formidine « et malorum pondere, quæ scilicet ad- « venient. » Ad Roman. XV, 1: *Debemus nos firmiores imbecillitates infirmiorum sustinere, et non nobis placere.* Ad Galat. VI, 2: *Alter alterius onera portate.*

Sed quia posset credi, quod non pugnarent contra Ecclesiam, nisi extra Ecclesiam existentes, ideo subdit: 14

« *Sed et Judas pugnabit adversus Jerusalem,* » falsus scilicet Christianus ore confitens, et vita negans. Ad Tit. I, 16: *Confitentur se nosse Deum, factis autem negant.* Cantic. I, 5: *Filii matris meæ pugnaverunt contra me.* « *Et congregabuntur,* » concessa scilicet victoria a divina virtute, « *divitiæ omnium gentium in circuitu,* » scilicet ad Ecclesiam. Isa. LX, 5: *Tunc videbis et afflues, mirabitur et dilatabitur cor tuum, quando conversa fuerit ad te multitudo maris, fortitudo Gentium venerit tibi.* Et enumerat in quibus sunt divitiæ: « *Aurum,* » sapientiæ scilicet, « *et argentum,* » eloquentiæ scilicet. Aggæi, II, 9 et 10: *Meum est argentum, et meum est aurum, dicit Dominus exercituum. Magna erit gloria domus istius novissimæ plus quam primæ.* « *Et vestes multæ satis,* » virtutum scilicet, in decore conversationis. Exod. III, 22: *Postulabit mulier a*

vicina sua, et ab hospita sua, vasa argentea et aurea, ac vestes : ponetisque eas super filios et filias vestras, et spoliabitis Ægyptum[1]. Ecclesia enim multa talia spolia a Philosophis Gentilium habuit, tam in sapientia quam in eloquentia et doctrina virtutum. Quod autem dicit, *satis*, notat quod hæc sumenda sunt ad sobrietatem fidei. Ad Roman. xii, 3 : *Non plus sapere quam oportet sapere, sed sapere ad sobrietatem.*

Ecclesia gentilium spoliis locupletata.

15 Et subdit de destructione malorum sub differentiis peccatorum generalibus :

« *Et sic,* » id est, posito hoc, « *ruina erit,* » hoc est, casus vel a peccato, vel a vita, ut (sicut dicit Bernardus) fortiter vel ritus, vel natio deleatur ! « *equi,* » id est, præcipitis audaciæ in concupiscentiam et in malum. Psal. xxxii, 17 : *Fallax equus ad salutem.* Isa. xxxi, 1 : *Væ qui descendunt in Ægyptum ad auxilium, in equis sperantes !* « *Et muli,* » supple, erit ruina, qui significat sterilem in omni bono. Jerem. xxii, 30 : *Scribe virum istum sterilem, virum qui in diebus suis non prosperabitur.* « *Et cameli.* » Camelus monstruosum animal, gibbosum et deforme, avarum significat, qui etiam ruet vel a vitio, vel a natura. Eccli. x, 9 : *Avaro nihil est scelestius.* Et paulo post, ℣. 10 : *Hic enim et animam suam venalem habet, quoniam in vita sua projecit intima sua.* Matth. xix, 24 : *Facilius est camelum per foramen acus transire, quam divitem intrare in regnum cœlorum*[2]. « *Et omnium jumentorum*[3], » hoc est, bestialium hominum, « *qui fuerint in castris illis,* » scilicet pugnantibus contra Ecclesiam, vel Jerusalem, « *sicut ruina hæc,* » id est, cadent sicut ea quæ nominata sunt. Isaiæ, iii, 5 : *Irruet populus, vir ad virum.* Hæc Judæi dicunt futura esse in interfectione Gog et Magog[4].

Avarus camelo similis.

« *Et omnes qui reliqui fuerint.* » Tangit hic devotionem conversorum ad Ecclesiam in duobus, scilicet in celebratione festivitatum, et in sacrificiis, ibi, « *In die illa erit quod super frænum equi est.* » 16

In primo duo dicit, scilicet præmium religionem celebrantium, et pœnam non celebrantium.

« *Et omnes qui reliqui fuerint,* » id est, relicti non ruentes, « *de universis gentibus,* » ad fidem scilicet Ecclesiæ conversis. Psal. lxxxi, 8 : *Surge, Deus, judica terram : quoniam tu hæreditabis in omnibus gentibus.* « *Quæ venerunt contra Jerusalem,* » verbo scilicet, vel exemplo impugnantes Ecclesiam. Psal. xxxiv, 1 : *Expugna impugnantes me.* « *Ascendent* » gradibus virtutum, « *ab anno in annum,* » hoc est, per singulos annos. Annus qui duodecim renovationes habet in luna ex lumine solis, doctrinam significat duodecim Apostolorum, quæ facit ut ascendant homines in Jerusalem. Isa. ii, 2 : *Fluent ad eum omnes gentes.* « *Ut adorent Regem, Dominum exercituum.* » Deuter. vi, 13 : *Dominum Deum tuum timebis, et illi soli servies.* Psal. xliv, 12 : *Ipse est Dominus Deus tuus, et adorabunt eum.* « *Et celebrent festivitatem tabernaculorum,* » in suæ scilicet peregrinationis commemorationem. Ad Hebr. xi, 13 : *Confitentes quia peregrini et hospites sunt super terram.* I Petr. ii, 11 : *Obsecro vos tamquam advenas et peregrinos, abstinere vos a carnalibus desideriis.* Psal. xxxviii, 13 : *Advena ego sum apud te, et peregrinus, sicut omnes patres mei.*

Gentes Apostolorum doctrina conversi.

Et subdit de pœna non ascendentium : 17

« *Et erit.* » Confirmatio est sequentium. « *Qui non ascenderit de familiis terræ,* » sive cognationibus, « *ad Jerusalem,* » id est, ad Ecclesiam. Psal. cxxi, 4 : *Illuc ascenderunt tribus, tribus Do-*

[1] Cf. etiam Exod. xi, 2.
[2] Cf. Marc. x, 25 ; Luc. xviii, 25
[3] Deest enarratio in verbis sequentibus, *et asini.*
[4] Cf. Ezech. xxxix, 1 et seq.

mini : testimonium Israel ad confitendum nomini Domini. Isa. LX, 12 : *Gens et regnum quod non servierit tibi, peribit : et gentes solitudine vastabuntur.* « *Ut adoret Regem, Dominum exercituum.* » Joan. IV, 23 : *Veri adoratores adorabunt Patrem in spiritu et veritate.* « *Non erit super eos imber,* » Dominicæ scilicet benedictionis. Amos, IV, 7 : *Plui super unam civitatem, et super alteram civitatem non plui.* Isa. V, 6 : *Nubibus mandabo ne pluant super eam imbrem.*

18 « *Quod et si familia Ægypti non ascenderit.* » Ægyptum specialiter nominat et non alias gentes : quia Ægyptus *mœror* vel *tenebræ* interpretatur, et ex mœrore significat peccantes ex infirmitate, ex tenebris autem peccantes ex ignorantia : ut ergo sciatur quod tales non excusantur ad minus a toto, propter hoc ponit Ægyptum. « *Et non venerit,* » supple, ad adorandum, « *nec super eos erit,* » supple, imber. Aggæi, I, 10 : *Propter hoc super vos prohibiti sunt cœli ne darent rorem.* « *Sed erit ruina,* » talium scilicet, « *qua percutiet Dominus omnes gentes.* » Isa. XIX, 4 : *Tradam Ægyptum in manu dominorum crudelium.* « *Quæ non ascenderint ad celebrandam festivitatem tabernaculorum.* » Tales enim domum patriam quærunt in terra, et de cœlesti patria non curant. Isa. XXIV, 17 : *Formido, et fovea, et laqueus super te, qui habitator es terræ.* Jerem. XVII, 13 : *Recedentes a te in terra scribentur.*

19 « *Hoc erit peccatum Ægypti,* » hoc est, reputabitur in peccatum his qui peccant ex infirmitate vel ignorantia. Deuter. XXXII, 5 : *Peccaverunt ei, et non filii ejus in sordibus.* « *Et hoc peccatum omnium gentium.* » Ad Roman. III, 23 : *Omnes peccaverunt, et egent gloria Dei.* « *Quæ non ascenderint ad celebrandam festivitatem tabernaculorum.* » Nahum, I, 15 : *Celebra, Juda, festivitates tuas.* Psal. LXXV, 11 : *Reliquiæ cogitationis diem festum agent tibi.*

Et subdit de cultu : 20

Frænum mysticum.

« *In die illa,* » clarente scilicet gratia, « *erit quod super frænum equi est.* » Equus præcipitem concupiscentiam significat, frænum autem continentiam rationis. Isa. XLVIII, 9 : *Laude mea infrænabo te, ne intereas.* Psal. XXXI, 9 : *In camo et fræno maxillas eorum constringe, qui non approximant ad te.* « *Sanctum Domino,* » id est, sanctificatum et oblatum. Hieronymus : « Decor phalerarum ad cultum Dei referendus est. » Idem in originali : « Exposuit hoc quidam de clavis Dominicæ crucis, e quibus Constantinus Augustus frænos equo suo fecerit, eosque *sanctum Domini* vocari. » Et infert, reprobando hoc : « Audivi quidem rem pio sensu dictam, sed ridiculam. » « *Et erunt lebetes,* » quæ significant corda ferventia charitate « *in domo Domini,* » supple, existentes, « *quasi phialæ,* » mutatæ scilicet de nigro adusto in lucem phialarum sive lampadarum, sicut de Maria Magdalena cantatur, quod fit ex lebete phiala. Cantic. VIII, 6 : *Lampades ejus lampades ignis atque flammarum.* « *Coram altari,* » quod Dominum Jesum Christum significat. Isaiæ, XIX, 19 : *Erit altare Domini in medio terræ Ægypti, et titulus Domini juxta terminum ejus.*

« *Et erit omnis lebes in Jerusalem,* » 21
hoc est, omnis generis : et significat corda Doctorum et Sacerdotum omnia genera cruditatum peccatorum ad gustum salutarem decoquentia. I Reg. II, 16 : *Incendatur primum juxta morem hodie adeps, et tolle tibi quantumcumque desiderat anima tua.* « *Et in Juda,* » hoc est, confitens Deo et glorificans eum, « *sanctificatus Domino exercituum,* » supple, erit. Psal. CXIII, 2 : *Facta est Judæa sanctificatio ejus.* Lucæ, I, 75 :

In sanctitate, et justitia coram ipso. « *Et venient omnes immolantes,* » id est, immolare volentes. Ad Roman. XII, 1 : *Obsecro itaque vos, fratres, per misericordiam Dei, ut exhibeatis corpora vestra hostiam viventem, sanctam, Deo placentem.* Psal. XXVI, 6 : *Circuivi, et immolavi in tabernaculo ejus hostiam vociferationis.* « *Et sument ex eis,* » lebetibus scilicet. Quilibet enim venit ad suum Confessorem. « *Et coquent in eis,* » ut scilicet cruditatem peccati amittat per calorem pœnitentiæ et charitatis. Psal. XXXVIII, 4 : *Concaluit cor meum intra me, et in meditatione mea exardescet ignis.* « *Et non erit mercator ultra.* » Expulit Dominus vendentes et ementes de templo[1]. « *In domo Domini exercituum.* » Mercator dicitur vel hypocrita qui pro laude vendit, vel simoniacus, vel ad litteram negotiator. « *In die illo,* » lucente scilicet. Chrysostomus : « Qui « mercator est, expellatur ab Ecclesia, « scriptum est enim : Quoniam non co- « gnovi negotiationem[2]. » Joan. II, 16 : *Auferte ista hinc, et nolite facere domum Patris mei domum negotiationis.* Jerem. VII, 11 : *Numquid spelunca latronum facta est domus ista, in qua invocatum est nomen meum?*

Mercator templo proscribitur.

[1] Cf. Joan. II, 15; Matth. XXI, 12.

[2] Vulg. habet, Psal. LXX, 15 : *Quoniam non cognovi litteraturam* : sed uti vidimus in commentario super hoc Psalmo, Tomo XVI hujusce editionis, codices Septuaginta, Vatic. et Alex. habent : οὐκ ἔγνων πραγματείας. Psal. Rom. « Non cognovi negotiationes ».



INDEX

IN ZACHARIAM PROPHETAM

D. ALBERTI MAGNI,

EPISCOPI RATISBONENSIS,

DOCTRINA TOTO ORBE CELEBERRIMI,

ORDINIS PRÆDICATORUM,

IN MALACHIAM PROPHETAM ENARRATIO.

Prologus divi Hieronymi in Malachiam prophetam.

Deus per Moysen populo Israel præceperat, sacerdotes tabernaculi sui omni corporali vitio liberos, hostias omni vitio vacuas sibi offerre [1]. Quibus legem suam ad regendum populum ob hoc dederat, ut per sacrificiorum oblationem, internuntii Dei et hominum facti, populum præceptis cœlestibus facerent obedire. Unde sacerdotes Angelos Dei esse hoc in loco Scriptura testatur [2]. Sed quia tanti muneris gratiam contemnentes, supradictus populus ac sacerdotes sacrificia vitio deturpata ipsi criminibus atque impietatibus maculati Deo offerre cœperunt.

Ideo per Malachiam prophetam Deus populum suum Israel increpans, ait : *Dilexi vos, dicit Dominus, et dixistis : In quo dilexisti nos? Nonne frater erat Esau Jacob, dicit Dominus : et dilexi Jacob : Esau autem odio habui* [3] *?* Esau autem fratrem Jacob non iniqua aut spontanea voluntate odio habitum a Deo, vel sine meriti gratia Jacob dilectum, manifestum est : cum secundum præscientiam suam Esau quidem effusionem fraterni sanguinis concupiscere, Jacob autem in sui cognitione observandam legem desiderare cognosceret. Cujus rei gratia, supradicto usus est exemplo, dicens : Dilexi Jacob, Esau autem odio habui. Quamvis ex operibus memoratorum (quorum liber Geneseos [4] meminit) in quo unusquisque eorum futurus erat proposito, manifeste constaret, ut scriptum est : Creverunt pueri : et erat Esau homo agrestis, sciens venari : Jacob autem homo simplex, manens in tabernaculo [5].

Nam reliqua quæ lectione comprehensa sunt, prævaricationem populi Israel in observandis sacrificiis Dei, increpationemque in eumdem, quod deos alienos coluerit, significant.

[1] Levit. xxi et xxii.

[2] Zachar. ii, 7.

[3] Malach. i, 2 et 3.

[4] Genes. xxv.

[5] Vulg. habet, Genes. xxv, 27 : *Quibus adultis, factus est Esaü vir gnarus venandi, et homo agricola : Jacob autem vir simplex habitabat in tabernaculis.*

PROLOGI DIVI HIERONYMI IN MALACHIAM PROPHETAM EXPLANATIO.

« Deus per Moysen. » Hieronymus in hoc Prologo duo facit, scilicet tangit causam suscepti operis, et materiam, ibi, « Nam reliqua quæ lectione comprehen-« sa sunt. »

In prima duo sunt, scilicet causa, et susceptum opus, ibi, « Ideo per Malachiam. »

In prima duo sunt, unum scilicet per se, et alterum ex incidenti.

« Deus per Moysen, » tamquam scilicet per ministrum, « populo Israeli præceperat, » Levit. xxi et xxii, « Sacerdotes tabernaculi sui, » id est, tabernaculo suo deservientes, « omni corporali vitio liberos, » scilicet quod nec longo nec torto naso sint, nec claudi nec cæci, vel abscissi, vel attritis testiculis, sicut dicitur, Deut. xxxiii, 1, « hostias æque omni vitio vacuas, » id est, liberas, hoc est, non macrum, non claudum, nec cæcum, nec debile, « sibi offerre. » Eccli. xxxviii, 11 : *Impingua oblationem.* Psal. lxv, 15 : *Holocausta medullata offeram tibi.* Genes. iv, 4 : *Abel obtulit de primogenitis gregis sui, et de adipibus eorum,* etc.

« Quibus, » Sacerdotibus, « legem suam, » præcipue quantum ad cultum templi, « ad regendum populum, » secundum formam legis scilicet, « ob hoc dederat, » id est, illa intentione, « ut per sacrificiorum oblationem » scilicet, quibus purificaretur populus et placaretur Deus, « internuntii Dei et hominum facti, » vota scilicet populi Deo offerentes, et propitiationem Dei populo renuntiantes. Deuter. v, 5 : *Ego sequester et medius fui inter Dominum et vos in tempore illo, ut annuntiarem vobis verba ejus.* Exod. xviii, 19 et 20 : *Esto tu populo in his quæ ad Deum pertinent, ut referas quæ dicuntur ad eum : ostendasque populo cæremonias, et ritum colendi, viamque per quam ingredi debeant, et opus quod facere debeant.* Et hoc est quod sequitur : « Populum præceptis cœlestibus facerent obedire. » I ad Corinth. xi, 1 : *Imitatores mei estote, sicut et ego Christi.* Ad Hebr. xiii, 17 : *Obedite præpositis vestris, et subjacete eis. Ipsi enim pervigilant, quasi rationem pro animabus vestris reddituri.*

Sacerdos Dei et populi internuntius.

« Unde, » hoc est, propter quam similitudinem, « Sacerdotes Angelos Dei esse hoc loco Scriptura testatur [1]. » Et accipit similitudinem, Genes. xxviii, 12 et seq., ubi inter Dominum innixum scalæ desuper, Angeli descendentes propitiationem Domini ad Jacob deferebant, et Angeli ascendentes vota Jacob ad Deum referebant : quod adhuc officium est Sacerdotum. Joan. i, 51 : *Videbitis cœlum apertum, et Angelos Dei ascendentes et descendentes super Filium hominis.*

Et subdit de ingratitudine quasi ex incidenti, ut melius intelligatur causa suscepti operis :

« Sed quia tanti muneris gratiam, » supple, gratis sibi datam, « contemnentes, » ipsi scilicet Sacerdotes ad minus habituali contemptu, qui peccato conjunctus est, « supradictus populus ac Sacerdotes : » utrique enim ingrati fuerunt. Sapient. xvi, 29 : *Ingrati spes tamquam hibernalis glacies tabescet, et disperiet tamquam aqua supervacua.* Eccli. xxix, 22 : *Ingratus sensu derelinquet liberantem se.* « Sacrificia vitio deturpata, » corporali scilicet, claudum vel macrum vel debile offerentes. Malach. i, 14 : *Maledictus dolosus, qui habet in grege suo masculum, et votum faciens, immolat debile Domino.* « Ipsi, » scilicet Sacerdotes offerentes, « criminibus atque impietatibus maculati. » *Crimina* sunt peccata majora, accusatione scilicet digna in

Crimen.

[1] Zachar. ii, 7.

judicio. *Impietates* autem dicuntur hic communia peccata contra legem Dei facta. *Macula* vero dicitur contagiosa turpitudo, ex peccato adhærens animæ. Et tales esse Sacerdotes, contra præceptum Dei est. Levit. XXII, 9 : *Custodiant Sacerdotes præcepta mea, ut non subjaceant peccato, et moriantur in Sanctuario, cum polluerint illud.* « Deo offerre cœperunt, » supple, sic maculati. Malach. I, 10 : *Non est mihi voluntas in vobis, dicit Dominus exercituum : et munus non suscipiam de manu vestra.*

Sacerdos expers sit criminis.

« Ideo. » Tangit operis susceptionem. « Per Malachiam Prophetam, » quem scilicet ad hoc suscitavit, « Deus populum Israel increpans, » ut scilicet a peccato averteret. II ad Timoth. IV, 2 : *Argue, obsecra, increpa in omni patientia, et doctrina.* « Ait : » Malach. I, 2 : « *Dilexi vos, dicit Dominus,* » gratuita scilicet dilectione. Jerem. XXXI, 3 : *In charitate perpetua dilexi te : ideo attraxi te, miserans.* « *Et dixistis,* » tamquam scilicet ingrati et immemores beneficiorum meorum : « *In quo dilexisti nos ?* » Eccli. XXIX, 6 : *Loquitur verba tædii, et murmurationum.* Et post pauca, ℣. 9 : *Pro honore et beneficio reddet illi contumeliam.*

Et subdit qualiter gratis dilexit, quasi respondens ingratis :

« *Nonne frater erat Esau Jacob, dicit Dominus ?* » et sic, supple, nec ex utero materno nec ex semine paterno habuit Jacob, quod eum Deus præ Esau diligeret : oportuit ergo quod gratuita dilectione diligeret eum. Et hoc est : « *Et dilexi Jacob.* » Osee, XIV, 5 : *Diligam eos spontanee, quia aversus est furor meus ab eis.* « *Esau autem odio habui.* » Non dicitur hic odium inimicitiæ inveteratio, vel ira positive, sed privatio gratuitæ dilectionis. Quicumque enim de massa perditionis quam Deus odio habet, non eligitur, et separatur per dilectionem, manet in odio et in ira. Ad Ephes. II, 3 : Omnes *eramus natura filii iræ.* Et hoc Hieronymus nititur explanare, subdens :

« Esau autem fratrem Jacob, » et ex hoc, supple, æqualiter diligibilem, « non iniqua, sed spontanea voluntate odio habitum a Deo, » probatur ex hoc dicto Apostoli, ad Roman. IX, 11 et seq. : *Cum enim nondum nati fuissent, aut aliquid boni egissent, aut mali, (ut secundum electionem, propositum Dei maneret.) Non ex operibus, sed ex vocante dictum est ei : quia major serviet minori*[1]. Et hoc similiter ostendit ab altera parte, subdens : « Vel sine meriti gratia, » quo scilicet hoc meruisset, « Jacob dilectum, » supple, fuisse, « manifestum est, » ex eodem scilicet Apostoli verbo. Nihil enim egerant nec boni nec mali, qui nec nati fuerant : et ideo nec propter meritum boni Jacob elegit, nec propter meritum mali Esau reprobavit, sed spontanea voluntate.

Prædestinatio Dei gratuita.

« Cum, » id est, quamvis « secundum præscientiam suam, » Dei scilicet, qua omnia prævidet antequam fiant bona et mala, licet causet bona et non mala, « Esau quidem, » supple, prævideret « effusionem sanguinis fraterni concupiscere, » hoc est, concupisciturum. Genes. XXVII, 41 : *Dixit Esau in corde suo : Veniet dies luctus patris mei, et occidam Jacob, fratrem meum.* « Jacob autem, » supple, in futurum, « in sui cognitione, » qua scilicet Deum cognosceret beneplaciti cognitione, « observandam legem, » hoc est, propter servandam legem, « desiderare, » id est, desideraturum, « cognosceret. » Et est sensus : Quamvis mala in uno prævideret, et bona in altero : non tamen propter illa bona alterum elegit, vel propter ista mala alterum reprobavit, sed æterna et gratuita dilectione elegit Jacob. I Joan. IV, 19 : *Nos ergo diligamus Deum, quoniam Deus prior dilexit nos.* Temporale enim non potest esse causa æterni, et injustum esset quod

Temporale nequit esse causa æterni.

[1] Cf. Genes. XXV, 23.

propter mala quæ non sunt nec fuerunt, sed tantum possibilia sunt in futurum, aliquis reprobaretur.

« Cujus rei gratia. » Subinfert quod ex tali necessitate suscepit opus prophetandi. « Supra dicto usus est exemplo, » quod a patribus ad filios transferretur, « dicens : Jacob dilexi, Esau autem odio habui. » Et repetit quod non propter præscientiam meritorum utriusque hoc fecerit : « Quamvis ex operibus memoratorum, » Esau scilicet, et Jacob, « quorum Liber Geneseos meminit, » cap. xxv, « in quo unusquisque, » id est, « uterque « futurus erat proposito, » bono scilicet, vel malo, « manifeste constat[1] : » Libro Geneseos referente, « ut scriptum est, » eodem scilicet capitulo, secundum Septuaginta : « Creverunt pueri, » ætate scilicet, et corpore, virtute et malitia : « et erat Esau, » qui scilicet odio habitus est a Deo, « homo agrestis, » id est, silvestris, » sciens venari, » quod in malo accipitur : « Jacob autem, » dilectus scilicet a Deo, « homo simplex, » in malo scilicet, Ad Roman. xvi, 19 : *Volo vos sapientes esse in bono, et simplices in malo*, « manens in tabernaculo[2], » hoc est, domestica et ea quæ sunt conscientiæ diligens et custodiens. Psal. lxxxiii, 11 : *Elegi abjectus esse in domo Dei mei, magis quam habitare in tabernaculis peccatorum.*

« Nam reliqua. « Tangit hic materiam prophetiæ : « quæ lectione comprehensa sunt, » istius scilicet prophetiæ, « prævaricationem populi Israel, » contra mandatum Domini scilicet, « in observandis sacrificiis Dei, » quod scilicet forte et pingue, non debile aut macrum offeratur, « increpationemque » sapientiæ Dei « in eumdem, » scilicet populum Israel, « quod Deos alienos coluerit, » ante scilicet captivitatem, « significat : » et hæc sunt materia prophetiæ.

Attendendum autem quod Hieronymus dicit, quod quia Malachias *Angelus ejus* interpretatur, Malachiam Angelum fuisse quidam dicunt et sumpto corpore populo prophetasse : quod nos omnino non recipimus. Hebræi vero dicunt hunc fuisse Esdram, qui anno septimo Artaxerxis prophetavit post Zachariam et Aggæum. Quidquid autem de hoc verum sit, non est nostrum diffinire, sed hoc scimus quia Propheta Domini fuit, et quæcumque locutus est, a Spiritu sancto dixit.

CAPUT I.

Prophetia Malachiæ ad Israel, quem Dominus arguit ingratitudinis, quod non agnoscebat se in Jacob, unde descenderat, dilectum, rejecto Esau cum populo suo : ideo conqueritur se ab Israel non honorari neque timeri, quodque sacerdotes despiciant nomen Domini, quorum rejicit sacrificia, gratam habens oblationem mundam quæ in omni loco ei offertur.

1. Onus verbi Domini ad Israel in manu Malachiæ.
2. Dilexi vos, dicit Dominus, et dixistis : In quo dilexisti nos? Nonne frater erat Esau Jacob? dicit Dominus : et dilexi Jacob[3],

[1] Bibl. Rob. Steph., *constaret.*

[2] Vulg. habet, Genes. xxv, 27 : *Quibus adultis, factus est Esau vir gnarus venandi, et homo agricola : Jacob autem vir simplex habitabat in tabernaculis.*

[3] Ad Roman. ix, 13.

3. Esau autem odio habui, et posui montes ejus in solitudinem, et hæreditatem ejus in dracones deserti.

4. Quod si dixerit Idumæa : Destructi sumus, sed revertentes ædificabimus quæ destructa sunt : hæc dicit Dominus exercituum : Isti ædificabunt, et ego destruam, et vocabuntur termini impietatis, et populus cui iratus est Dominus usque in æternum.

5. Et oculi vestri videbunt, et vos dicetis : Magnificetur Dominus super terminum Israel.

6. Filius honorat patrem, et servus dominum suum. Si ergo pater ego sum, ubi est honor meus ? et si Dominus ego sum, ubi est timor meus? dicit Dominus exercituum. Ad vos, o sacerdotes, qui despicitis nomen meum, et dixistis : In quo despeximus nomen tuum?

7. Offertis super altare meum panem pollutum, et dicitis : In quo polluimus te ? In eo quod dicitis : Mensa Domini despecta est.

8. Si offeratis cæcum ad immolandum, nonne malum est? et si offeratis claudum, et languidum, nonne malum est ? offer illud duci tuo, si placuerit ei, aut si susceperit faciem tuam, dicit Dominus exercituum.

9. Et nunc deprecamini vultum Dei ut misereatur vestri (de manu enim vestra factum est hoc), si quo modo suscipiat facies vestras, dicit Dominus exercituum.

10. Quis est in vobis qui claudat ostia, et incendat altare meum gratuito? non est mihi voluntas in vobis, dicit Dominus exercituum, et munus non suscipiam de manu vestra.

11. Ab ortu enim solis usque ad occasum, magnum est nomen meum in gentibus ; et in omni loco sacrificatur, et offertur nomini meo oblatio munda [1] : quia magnum est nomen meum in gentibus, dicit Dominus exercituum.

12. Et vos polluistis illud in eo quod dicitis : Mensa Domini contaminata est : et quod superponitur contemptile est, cum igne qui illud devorat.

13. Et dixistis : Ecce de labore, et exsufflastis illud, dicit Dominus exercituum : et intulistis de rapinis claudum et languidum, et intulistis munus : numquid suscipiam illud de manu vestra? dicit Dominus.

14. Maledictus dolosus qui habet in grege suo masculum, et votum faciens, immolat debile Domino : quia Rex magnus ego, dicit Dominus exercituum, et nomen meum horribile in gentibus.

[1] Psal. CXII, 3.

IN CAPUT I MALACHIÆ

ENARRATIO.

« *Onus verbi Domini.* » Hunc Prophetam, qui Malachias dicitur, et *Angelus ejus* interpretatur, Origenes dixit Angelum de cœlo missum, eo quod infra in titulo Septuaginta habent : « In manu Angeli ejus : » quod non recipit Ecclesia. Unde Malachias Angelus dicitur, eo quod nuntius Domini fuit ad populum, sicut dicitur, Jerem. VII, 25 : *Misi ad vos omnes servos meos Prophetas :* sicut et Isaiæ XXXIII, 7, Prophetæ Angeli dicuntur : *Ecce videntes clamabunt foris, Angeli pacis amare flebunt.* Post Aggæum ergo qui de reædificatione templi, et Zachariam qui de reædificatione civitatis et terræ prophetavit, ultimo inducitur Malachias, qui de emundatione cultus et sacerdotii, et terribili adventu Domini ad judicium prophetat.

Malachias Angelus fuit officio, non natura.

Dividitur autem in partes duas : titulum scilicet, et prophetiæ seriem, ibi, ℣. 2 : « *Dilexi vos.* »

Titulus quatuor continet, scilicet peccatorum oppressionem, eruditionis veritatem, opprimendorum qualitatem, et doctrinæ per opera confirmationem.

1 « *Onus,* » id est, pressura gravis ad portandum. Isa. XXX, 27 : *Ardens furor ejus, et gravis ad portandum.* Psal. XXXVII, 5 : *Iniquitates meæ supergressæ sunt super caput meum, et sicut onus grave gravatæ sunt super me.* Peccatum enim, quod quies peccatorum est in libidine, grave pondus efficitur in judicii et condemnationis severitate. Thren. I, 14 : *Vigilavit jugum iniquitatum mearum : in manu ejus convolutæ sunt, et impositæ collo meo.* « *Verbi Domini,* » et ideo eruditio est ad veritatem. Est enim hoc verbum increpationis. Proverb. IV, 1 : *Audite, filii, disciplinam patris, et attendite ut sciatis prudentiam.* Disciplina enim eruditio est per difficilia, ut dicit Glossa super illud Apostoli, ad Hebr. XII, 11 : *Omnis disciplina in præsenti quidem non videtur esse gaudii, sed mœroris : postea autem fructum pacatissimum exercitatis per eam, reddet justitiæ. Verbum* enim instrumentum est eruditionis : *Domini* autem nomen prementis est potestatis. « *Ad Israel.* » Qualitatem tangit peccatorum, qui scilicet ingrati beneficio accepto ad peccata perversi sunt. Isa. I, 2 : *Filios enutrivi, et exaltavi : ipsi autem spreverunt me.* « Et est notandum (ut dicit Hieronymus) « quod ante captivitatem decem tribus « *Israel* dicebantur, quia tunc distinctæ « per regnum erant a duabus tribubus : « post reditum autem de captivitate « indifferenter et duæ et decem tribus « dicuntur *Israel,* eo quod tunc ad « unum regnum vocabantur. » Jerem. II, 3 : *Sanctus Israel Domino, primitiæ frugum ejus.* Isa. XIX, 25 : *Hæreditas autem mea Israel.* « *In manu Malachiæ.* » Notat doctrinæ per opera confirmationem. Doctrina enim *in manu* est, quando verbum per opera confirmatur. Osee, XII, 10 : *In manu prophetarum assimilatus sum.* Assimilatus enim est, quando manus ori similis est. Joan. X, 38 : *Si mihi non vultis credere, operibus credite.*

Disciplina.

« *Dilexi vos.* » Hæc prophetia tria continet, scilicet sacerdotalium peccatorum exprobrationem, et Sacerdotum peccantium expurgationem, infra, III, 1, ibi, « *Ecce ego mitto angelum* : » et differentias stipendiorum malorum et bonorum extremi judicii severitatem, infra, IV, 1, ibi, « *Ecce enim dies veniet succensa.* » 2

Dilectio æterna

Prima pars in duas dividitur. In prima enim exprobrat ingratitudinem præteritorum beneficiorum. In secunda con-

taminationem factam circa matrimonium, infra, II, 1, ibi, « *Et nunc ad vos mandatum hoc.* »

Prima harum in duas adhuc dividitur. Primo enim exprobrat ingratitudinem circa beneficia patrum in genere : secundo, ingratitudinem circa ritus sacrificiorum in specie, ibi, in medio ℣. 6 : *Dicit Dominus exercituum : Ad vos, o Sacerdotes.* »

In prima duo sunt. Tangit enim primo beneficia : secundo, ingratitudinem ad beneficium, ibi, ℣. 6 : « *Filius honorat patrem.* »

In prima sic procedit, præmittit beneficium et explanat illud, et explanationis ponit probationem, et probationis ostendit demonstrationem.

« *Dilexi vos, dicit Dominus* : » et intelligitur de dilectione et prædestinationis et effectus per bonorum collationem. Dilexit enim ab æterno præordinando bona gratiæ et gloriæ, et dilexit tempore, bona præordinata apponendo et conferendo. Jerem. XXXI, 3 : *In charitate perpetua dilexi te : ideo attraxi te, miserans.* Osee, XIV, 5 : *Diligam eos spontanee, quia aversus est furor meus ab eis.*

Et subdit explanando : « *Et dixistis,* » ingrati scilicet beneficium receptum non cognoscentes. Eccli. XXIX, 9 : *Pro honore et beneficio reddet illi contumeliam.* « *In quo dilexisti nos ?* » hoc est, in quo beneficio ostendis dilectionem. Simile, Judicum, VI, 13 : *Si Dominus nobiscum est, quare invenerunt nos hæc omnia ?* Sicut enim dicit Philosophus in *Topicis :* « Ejusdem moris est amicis benefacere et inimicis male : et ideo si mala fiant amicis, non videntur esse amici. » Et ergo hoc dicentes non intellexerunt quod paterna amicitia in filium est, quando corripit eum. Apocal. III, 19 : *Ego quos amo arguo et castigo.* Proverb. III, 12, et ad Hebr. XII, 7 et 8 : *Quis filius, quem non corripit pater ? quod si extra disciplinam estis, cujus participes facti sunt omnes ergo adulteri, et non filii estis.*

Unde respondendo subdit :

« *Nonne frater erat Esau Jacob, dicit Dominus ?* » Hoc autem dicit, ut sciatur quod propter merita paterna non elegit Jacob, et Esau reprobavit. Ezech. XVIII, 20 : *Filius non portabit iniquitatem patris, et pater non portabit iniquitatem filii.* Et, ibidem : *Justitia justi super eum erit, et impietas impii erit super eum.* « *Et dilexi Jacob,* » gratiæ scilicet appositione.

« *Esau autem odio habui,* » hoc est, 3
reprobavi. Ad Roman. IX, 11 et 12 : *Cum nati nondum fuissent, aut aliquid boni egissent, aut mali, (ut secundum electionem propositum Dei maneret). Non ex operibus, sed ex vocante dictum est ei : Quia major serviet minori* [1].

Quæstio.

Quæritur tamen hic : Cum omnis actio Dei rationabilis sit et justa, et parvuli nec in parentibus nec in semine parentum differentiam habuerint, ad Roman. IX, 10, enim dicitur, quod ex uno concubitu concepti sunt [2], quare Deus Jacob dilexit, Esau odio habuit? Ad hoc solvendum inducitur gravis Glossa Augustini, quæ sic dicit : « *Cujus vult miseretur, et* « *quem vult indurat* [3]. Sed hæc voluntas « Dei injusta esse non potest : venit « enim de occultissimis meritis, quia et « ipsi peccatores cum propter generale « peccatum, originale scilicet, unam « massam perditionis fecerint, nonnulla « tamen inter illos est diversitas. Præ« cedit ergo in peccatoribus, qui quam« vis nondum sint justificati, digni « tamen efficiantur justificatione. Et « item præcedit in aliis peccatoribus

Voluntas Dei nunquam injusta.

[1] Cf. Genes. XXV, 23.

[2] Ad Roman. IX, 10 : *Sed et Rebecca ex uno concubitu habens, Isaac patris nostri.*

[3] Ad Roman. IX, 18.

« quo digni sint obtusione. Et ex hoc « videtur cum id quod præcedit in pec- « catoribus sit temporale, et illud sit « causa dilectionis vel reprobationis di- « vinæ quæ æterna sunt, quod tempora- « le sit causa æterni, quod valde incon- « veniens est. » Super hac quæstione exclamat Apostolus, ad Roman. IX, 20 et 21 : *O homo, tu quis es, qui respondeas Deo? Numquid dicit figmentum ei qui se finxit: Quid fecisti me sic? An non habet potestatem figulus luti, ex eadem massa facere aliud quidem vas in honorem, aliud in contumeliam* [1]*?* Sed ex hoc videtur quod ex sola Dei voluntate alius electus sit, alius vero reprobatus, et redit quod primo objectum est, quod hæc voluntas Dei irrationabilis sit : quia de his quæ omnino similia sunt, idem judicium esse deberet. Idem videtur ex hoc quod dicitur, ad Roman. IX, 18 : *Cujus vult miseretur, et quem vult indurat.* Item, ibidem, ℣. 16 : *Non volentis neque currentis, sed miserentis Dei est.*

Electio Dei æquissima.

Ad hæc sine præjudicio dicendum est cum Augustino, quod « voluntas Dei « eligens unum, et reprobans alterum, « justissima est : sed hæc voluntas cum « prævisione et præordinatione est re- « spectu bonorum quos elegit. Illos enim « prævidet futuros bonos, et præordi- « nat, causando bona ad quæ eligit eos. « Respectu autem malorum cum prævi- « sione est tantum : hos enim quia præ- « videt finaliter futuros malos, non « præordinat eis causando bona ad quæ « eligat, et sic non apponendo bona, « reprobat. Et quod dicitur aliquid præ- « cedere in peccatoribus, quo indigni « sint justificatione, dicitur in peccato- « ribus præcedere quod præcedit respe- « ctu peccatorum, eo modo quo respectus « dicitur esse in relato cum tamen alte- « rius sit : et hoc modo talis respectus « non est temporalis, sed æternus. Et « si dicas, quod in æternis unum non « præcedat alterum. Dicendum, quod « verum est in quantum æterna sunt, « sed effectum æterni qui temporalis est « respectus æternus præcedere potest, ex « quo ipsum æternum rationabile esse « videatur. Et sic prævisio aversionis a « gratia, causa est non appositionis gra- « tiæ : et rationabilis ostenditur effectus « non appositionis, per hoc quod si ap- « poneretur, ille averteretur : tempo- « rale autem signum potest esse quod « rationabile sit æternum. » Et hoc modo loquitur Augustinus. Et per hoc patet solutio ad totum.

Explanationis autem hujus probationem subjungit :

« *Et,* » id est, quia « *posui montes ejus,* » id est, terram montuosam Esau, « *in solitudinem,* » destructo scilicet cultore et habitatore, sicut et superbiæ peccatorum in solitudines ponuntur. Psal. CVI, 34 : *Posuit terram fructiferam in salsuginem, a malitia inhabitantium in ea.* « *Et hæreditatem ejus,* » id est, civitates et oppida quæ quondam fuerunt hæreditas ejus, et modo sunt in parietina redacta, supple, posui « *in dracones deserti,* » hoc est, in venenata animalia, quæ in deserto habitare consueverunt. Isa. XIII, 21 : *Replebuntur domus eorum draconibus : et habitabunt ibi struthiones, et pilosi saltabunt ibi.*

Sed quia posset dici, quod si Deus destruxerit, homo reædificabit, ideo respondet quod destruet omnia opera eorum, in signum reprobationis æternæ. 4

« *Quod si dixerit Idumæa : Destructi sumus* » in operibus omnibus, civitatum scilicet, et villarum. Thren. II, 2 : *Destruxit in furore suo munitiones virginis Juda.* « *Sed revertentes,* » supple, ad terram de captivitate, « *ædificabimus,* » iterum scilicet, « *quæ destructa sunt,* » scilicet per Dominum. Et in fastu et superbia dixerunt hoc, quasi contra Do-

[1] Cf. Sapient. XV, 7; Isa. XLV, 9.

minum contendentes. Simile, Isaiæ, IX, 10 : *Lateres ceciderunt, sed quadris lapidibus ædificabimus : sycomoros succiderunt, sed cedros immutabimus.* « *Hæc dicit Dominus exercituum,* » cujus verbum effectivum est : « *Isti ædificabunt.* » Cum contemptu legendum est, *isti*. Quasi dicat : Tam infirmi, et tam viles. « *Et ego destruam* : » Deus enim semper destruit opera diaboli. I Joan. III, 8 : *In hoc apparuit Filius Dei, ut dissolvat opera diaboli.* « *Et vocabuntur,* » supple, destructa, « *termini impietatis.* » Emphasis est, hoc est, termini impii vel impiorum : sed ad expressionem majorem dicitur, *impietatis*. Isaiæ, XIV, 20 : *Non vocabitur in æternum semen pessimorum.* « *Et,* » supple, vocabuntur « *populus cui iratus est Dominus,* » populus hic scilicet : quia semper rebelles fuerunt gratiæ. Act. VII, 51 : *Dura cervice, et incircumcisis cordibus et auribus, vos semper Spiritui sancto resistitis.* Job, XXIV, 13 : *Ipsi fuerunt rebelles lumini, nescierunt vias ejus, nec reversi sunt per semitas ejus.* « *Usque in æternum,* » ut scilicet numquam veniam sint consecuturi, qui obdurato corde per impœnitentiam finalem resistunt. Deuter. XXXII, 22 : *Ignis succensus est in furore meo, et ardebit usque ad inferni novissima.* Matth. XII, 32, et Lucæ, XII, 10 : *Non remittetur in hoc sæculo, neque in futuro,*

[...]eus subvertit opus diaboli.

[O]bstinatio irremissibilis.

5 Et quod dixit, probat demonstrando ad oculum :

« *Et oculi vestri videbunt.* » Postquam scilicet vos redibitis de captivitate, et in bonis meis constructi eritis, damnationes videbitis impiorum. Psal. LVII, 11 : *Lætabitur justus cum viderit vindictam.* Isaiæ, LXVI, 24 : *Erunt usque ad satietatem visionis omni carni.* Glossa, « electorum. » Mich. VII, 10 : *Oculi mei videbunt in eam : nunc erit in conculcationem ut lutum platearum.* « *Et vos dicetis,* » in gratiarum scilicet actione et laude : » *Magnificetur Dominus super terminum Israel,* » hoc est, qui magnus est a captivitate reducendo, continuo magnificetur populis suis incrementum in bonis dando, et terminos ejus omnes ad fructum boni præparando. Psal. CXXV, 3 : *Magnificavit Dominus facere nobiscum : facti sumus lætantes.* Luc. I, 46 : *Magnificat anima mea Dominum.* Luc. I, 58 : *Audierunt vicini, et cognati ejus quia magnificavit Dominus misericordiam suam cum illa, et congratulabuntur ei.*

« *Filius honorat patrem.* » Posito beneficio gratuitæ dilectionis, econtra ostendit Judæorum ingratitudinem, et ad hoc utitur humana similitudine et ratione. 6

Parentes a filiis honorandi.

« *Filius honorat patrem,* » hoc est, consuevit honorare, et (sicut dicit Philosophus in nono *Ethicorum*) « filius honores divinos debet patri. » Exod. XX, 12 : *Honora patrem tuum et matrem tuam, ut sis longævus super terram.* Ad Ephes. VI, 1 et seq. : *Filii, obedite parentibus vestris in Domino : hoc enim justum est. Honora patrem tuum et matrem tuam, quod est mandatum primum in promissione : ut bene sit tibi, et sis longævus super terram.* Proverb. XXX, 17 : *Oculum, qui subsannat patrem, et qui despicit partum matris suæ, effodiant eum corui de torrentibus, et comedant eum filii aquilæ.* « *Et servus dominum suum,* » supple, timere consuevit. Daniel. I, 10 : *Timeo ego Dominum meum regem.* Hieronymus : « Primum Deus vult ut filii simus, et bonum voluntate faciamus : si autem hoc nolumus, saltem ut servos nos habeat, et a malis per tormentorum formidinem recedamus. »

Et quia nec ut filii, nec ut servi habuerunt se ad Dominum, ideo subdit :

« *Si ergo Pater ego sum,* » supple,

sicut dicitis, Isa. LXIV, 8 : *Et nunc, Domine, pater noster es tu, nos vero lutum : et fictor noster tu, et opera manuum tuarum omnes nos.* Psal. LXXXVIII, 27 : *Ipse invocavit me : Pater meus es tu.* Matth. VI, 9 : *Pater noster, qui es in cælis.* « *Ubi est honor meus?* » tanto scilicet patri exhibendus. Joan. VIII, 49 : *Honorifico Patrem meum, et vos inhonorastis me.* « Est enim honor, ut « dicit Philosophus, præmium virtu-« tis : » non quin virtus digna sit majori præmio, sed quia majus non potest exhiberi ab homine. Unde dicitur, quod honor est exhibitio reverentiæ in testimonium virtutis. Psal. XLIX, 15 : *Eruam te, et honorificabis me.* I ad Timoth. I, 17 : *Soli Deo honor et gloria.* Apocal. IV, 9 : *Dabant animalia gloriam, et honorem, et benedictionem sedenti super thronum.* « *Et si Dominus ego sum,* » prælatus scilicet dignitate, eminens divitiis pulchrorum et bonorum, continens potestate virtutis. Esther, XIII. 11 : *Dominus omnium es.* Apocal. XIX, 16 : *Habet in vestimento et in femore suo scriptum : Rex regum, et Dominus dominantium.* « *Ubi est timor meus?* » quem scilicet ut servi exhibere debetis, ut saltem timore pœnæ a malo temperetis. Psal. XIII, 3 : *Non est timor Dei ante oculos eorum.* Isa. LIX, 12 et 13 : *Scelera nostra nobiscum, et iniquitates nostras cognovimus, peccare et mentiri contra Dominum : et aversi sumus ne iremus post tergum Dei nostri.* « *Dicit Dominus exercituum.* » Confirmatio est eorum quæ dicta sunt, tamquam potens enim dicit, et per suos exercitus exsequitur, et effectui mandat omne quod dicit. Eccle. VIII, 4 : *Sermo illius potestate plenus est.*

Honor, virtutis est præmium.

« *Ad vos, o Sacerdotes.* » Hic specialiter ingratitudinem improperat circa officium sacerdotale in ritu sacrificiorum.

Dividitur autem pars ista in tres partes. In prima ostendit ingratitudinem : in secunda, propter ingratitudinem abjectionem, ibi, « *Non est mihi voluntas in vobis :* » in tertia, abjectorum maledictionem, ibi, « *Maledictus dolosus.* »

In prima duo sunt. Primo enim improperat, quod indigna sacrificio Dei obtulerunt. Secundo, quod non gratis, sed spe mercedis servierunt, ibi, « *Quis est in vobis?* »

In prima harum tria sunt, scilicet ingratitudinis improperatio : improperatæ ingratitudinis probatio, ibi, « *Si offeratis cæcum :* » et ad pœnitentiam revocatio, ibi, « *Et nunc deprecamini.* »

In prima tria facit. Ostendit enim ad quos loquitur, et quia ex hoc aggravatur ingratitudo : secundo ingratitudinem exprimit : tertio expressam exponit.

« *Ad vos, o Sacerdotes,* » qui scilicet forma et exemplum deberetis esse aliis. Eccli. L, 1 : *Simon, Oniæ filius, Sacerdos magnus, qui in vita sua suffulsit domum.* Ad Hebr. VII, 26 : *Talis decebat ut nobis esset pontifex, sanctus, innocens, impollutus, segregatus a peccatoribus.* « *Qui despicitis nomen meum,* » id est despectui habere facitis. Ezechiel. XXXVI, 20 : *Polluerunt nomen sanctum meum.* Isaiæ, XXX, 11 : *Cesset a facie nostra sanctus Israel.* Job, XXI, 14 : *Dixerunt Deo : Recede a nobis, et scientiam viarum tuarum nolumus.* Despicit enim nomen Domini qui sacramenta per quæ nominatur Deus et notitia Dei habetur, indigne tractat et indebite. « *Et,* » supple, temerarie « *dixisti : In quo despeximus nomen tuum.* » Magnæ enim temeritatis ingratitudo est, nomen Domini in sacramentis despicere, et peccatum non recognoscere. Et de illis dicitur, ad Roman. II, 4, super illud, *An ignoras quoniam benignitas Dei ad pœnitentiam te adducit?* quod gravissime peccat qui ignorat, I ad Corinth. XIV, 38 : *Si quis autem ignorat, ignorabitur.*

Sacrame[nta] religio[se] tractan[da].

7 Et ideo ingratitudinem exponens, subdit :

« *Offertis super altare meum pollu-*

tum panem, » hoc est, tactu immundorum inquinatum. Hieronymus : « Juxta « traditionem Hebræorum debebant Sa« cerdotes panem propositionis serere, « metere, molere, coquere : quod non « faciebant, sed quoscumque de medio « acceptos offerebant, et ideo polluere « panem dicuntur. » Eccli. XXXIV, 21 : *Immolantis ex iniquo oblatio est maculata.* Item, ibidem, ℣. 23 : *Dona iniquorum non probat Altissimus, nec respicit in oblationes iniquorum : nec in multitudine sacrificiorum eorum propitiabitur peccatis.* Hieronymus : « Corripit « sermo divinus Episcopos et ministros « Ecclesiæ negligentes, vel omnes qui in « Christo baptizati Christi nomine cen« sentur, cur nomen ejus despiciant. « Quibus aperit causas offensæ, qui pol« lutum panem offerunt. Polluit enim « panem, id est, corpus Christi, qui in« dignus accedit ad altare et ad mensam « Domini, et si non voce scelerata, scele« rato tunc opere despicit nomen Domi« ni. » I ad Corinth. XI, 29 : *Qui manducat et bibit indigne, judicium sibi manducat et bibit.* « *Et dicitis,* » ausu temerario : « *In quo polluimus te ?* » Hieronymus : « Dum sacramenta violan« tur, ipse cujus sunt sacramenta, viola« tur. »

charistia olluitur indignis.

Et hoc est quod sequitur :

« *In eo quod dicitis,* » supple, polluistis me : « *Mensa Domini despecta est.* » Hieronymus : « Reversi de Babylone « nondum exstructo templo, habitantes « in ruinis Jerusalem non habentes alta« re prioris gloriæ, putabant deesse san« ctimoniam religionis, quia in auro et « argento et gemmis deerat ambitio san« ctificationis : et ideo dicebant, quod « super tale altare despectum, possent « communia offerri, quamvis in altari « aureo impolluta offerri præciperentur : « non attendentes quod dicitur, Exod. « XX, 24 : *Altare de terra facietis mihi, et « offeretis super eo holocausta et pacifica « vestra, oves vestras et boves, in omni « loco in quo memoria fuerit nominis mei.* » Tales etiam deridet poeta Persius, dicens :

Dicite pontifices : In sanctis quid facit aurum ?

Plus enim respicit Deus ad humilitatem et devotionem quam ad ornatus splendorem. Daniel. III, 39 et 40 : *In animo contrito, et spiritu humilitatis suscipiamur : sicut in holocausto arietum, et taurorum, et sicut in millibus agnorum pinguium,* etc. Psal. L, 19 : *Sacrificium Deo spiritus contribulatus : cor contritum et humiliatum, Deus, non despicies.* Propter quod, Marc. XII, 43, et Luc. XXI, 3, vidua duo æra minuta offerens, præfertur oblationibus omnium.

Et ingratitudinem expositam probat, 8
subdens :

« *Si offeratis.* » Et loquitur ad Sacerdotes, arguens a minori. Si enim propter sanctitatem et non propter ambitionem hostia maculata reprobatur, eo quod sanctificationi non congruit, nisi quod perfectum est : tunc multo magis reprobatur offerens vitiosus, eo quod plus contrariatur sanctificationi.

« *Si offeratis cæcum,* » animal scilicet, « *ad immolandum, nonne malum est ?* » Et littera sic ordinanda est : Nonne malum est ad immolandum ? Quasi dicat : Sic. Levitic. enim, XXII, 22, talia animalia prohibentur immolari. « *Et si offeratis claudum,* » animal scilicet, « *languidum,* » hoc est, quacumque debilitate confectum, « *nonne malum est,* » supple, ad immolandum ? Quasi dicat : Sic est, propter eamdem causam.

Et quamvis hoc lex dicat, tamen subdit probando per rationem legis, et arguit a majori. Magis enim videtur quod illud acceptabile sit homini quam Deo, et ab homine non acceptatur : ergo nec a Deo.

« *Offer illud duci tuo,* » hoc est, Principi, vel Prælato tuo, « *si placuerit ei,* » hoc est si per hoc placatus reddatur tibi,

« *aut si susceperit,* » benigne scilicet cum tali dono, « *faciem tuam, dicit Dominus exercituum.* » Hieronymus : « Dux hæc « sibi oblata respueret, et sibi factam « injuriam reputaret : et offers Deo quod « non audes homini offerre ? » Quasi dicat : Hoc mirum est. Spiritualiter autem cæcum offert, qui sine intelligentia veritatis offert. Unde, apoc. IV, 8, animalia Dei erant plena oculis ante et retro [1] : quod Dionysius significare dicit, « mul- « tividum in divinas contemplationes. » Claudum offert, cujus opus non habet rectum virtutis gressum. Ad Hebr. XIV, 12 et 13 : *Remissas manus, et soluta genua erigite, et gressus rectos facite pedibus vestris : ut non claudicans quis erret, magis autem sanetur.* Languidum offert, qui torpore et pigritia et avaritia confractum offert. II ad Corinth. IX, 7 : *Non ex tristitia , aut ex necessitate : hilarem enim datorem diligit Deus.* Propter hoc dicitur, Genes. IV, 4, quod Abel *obtulit de adipibus gregis sui : et respexit Dominus ad Abel, et ad munera ejus.* Ratio autem et causa omnium horum est, quod omnis oblatio veteris legis oblationem qua Christus seipsum obtulit, significat : et quia Christus perfectus sine macula et vitio fuit, ideo figurales oblationes perfectas esse oportuit et sine macula. I Petr. I, 18 et 19 : *Non coruptibilibus auro vel argento redempti estis de vana vestra conversatione paternæ traditionis, sed pretioso sanguine quasi agni immaculati Christi.*

Oblatio reprobatur.

9 Et subdit de conversatione eorum :

« *Et nunc,* » supple, ex quo peccastis, « *deprecamini vultum Dei.* » Augustinus super primam Epist. ad Timoth : « De- « precatio est oratio in amovendis malis : « in vultu vero Domini pietas, et bene- « volentia in suscipiendis peccatoribus « notatur. » Psal. XVI, 2 : *De vultu tuo judicium meum prodeat.* « *Ut misereatur vestri.* » Isaiæ, LV, 7 : *Derelinquat impius viam suam, et vir iniquus cogitationes suas, et revertatur ad Dominum, et miserebitur ejus.* « *De manu enim vestra,* » hoc est, de opere vestro, « *factum est hoc,* » scilicet peccatum, et ideo lavate manus per pœnitentiam, et tunc levare potestis eas in oblatione. Psal. XXV, 6 : *Lavabo inter innocentes manus meas.* I ad Timoth. II, 8 : *Volo viros orare in omni loco, levantes puras manus sine ira, et disceptatione.* Econtra de malis dicitur, Isaiæ, I, 15 : *Cum extenderitis manus vestras, avertam oculos meos a vobis : et cum multiplicaveritis orationem, non exaudiam : manus enim vestræ sanguine plenæ sunt.* « *Si quo modo,* » supple, per pœnitentiam Deus « *suscipiat facies vestras,* » hoc est, præsentias vestras, quibus Deo vos offertis, « *dicit Dominus exercituum :* » pœnitentem enim semper suscipit Deus. Ezech. XVIII, 21 et 22 : *Si autem impius egerit pœnitentiam ab omnibus peccatis suis, quæ operatus est, et custodierit omnia præcepta mea, et fecerit judicium, et justitiam : vita vivet, et non morietur. Omnium iniquitatum ejus, quas operatus est, non recordabor.* Unde, de Job qui dolentem de peccato significat, dicitur Job, XLII, 8 : *Job servus meus orabit pro vobis : faciem ejus suscipiam, ut non vobis imputetur stultitia.*

10

« *Quis est in vobis ?* » Hic exprobrat secundam ingratitudinem, quod scilicet non gratis Deo, sed spe terrenorum lucrorum servierunt, et ideo debilia oblata receperunt, ne nihil reciperent.

« *Quis est in vobis* » omnibus, « *qui claudat ostia,* » templi scilicet, mundos suscipiendo et immundos excludendo, quod usum clavium in Ecclesia significat. Isaiæ, XXII, 22 : *Dabo clavem domus David super humerum ejus : et aperiet,*

Clavium ecclesiasticarum usus.

[1] Apocal. IV, 8 : *Et quatuor animalia... intus plena sunt oculis.*

et non erit qui claudat : et claudet, et non erit qui aperiat. Matth. XVI, 19 : *Tibi dabo claves regni cœlorum.* « *Et incendat altare meum gratuito ?* » sine scilicet spe mercedis terrenæ. Incensio autem altaris incensionem cordium significat per verbum ignitum prædicationis et devotionem divinæ laudis. Luc. XII, 49 : *Ignem veni mittere in terram, et quid volo nisi ut accendatur ?* Isa. L, 11 : *Ecce vos omnes accendentes ignem accincti flammis, ambulate in lumine ignis vestri.* Qui autem hæc facit spe mercedis terrenæ, æstibus avaritiæ anhelat, et ignem alienum offert in conspectu Domini. Levit. X, 1 et 2, Nadab et Abiu consumpti sunt, quia ignem alienum in conspectu Domini obtulerunt. Et ideo, I ad Corinth. IX, 18, dicit Apostolus : *Ut Evangelium prædicans, sine sumptu ponam Evangelium, ut non abutar potestate mea in Evangelio.*

s alie- s non ibendus crificio.

« *Non est mihi voluntas in vobis.* » Hic tangit de abjectione Judæorum, et vocatione Gentium. Unde tria dicit, scilicet abjectionem Judæorum, et Gentium vocationem, abjectionis causam et causæ probationem.

« *Non est mihi voluntas in vobis, dicit Dominus exercituum,* » beneplaciti scilicet. Psal. CXLVI, 11 : *Beneplacitum est Domino super timentes eum, et in eis qui sperant super misericordia ejus.* « *Et,* » supple, ideo « *munus non suscipiam de manu vestra.* » Munus et donum differunt : quia donum est donantis, et munus suscipientis. Numer. XVI, 15 : *Ne respicias sacrificia eorum.* Genes IV, 5 : *Ad Cain vero, et ad munera illius non respexit.*

ris et istinc- o.

1 Et subjungit causam :

« *Ab ortu enim solis,* » id est, ab oriente, « *usque ad occasum,* » id est, occidentem, « *magnum est nomen meum,* » hoc est, fama nominis mei per prædicationes Apostolorum diffamata « *in Gentibus,* » id est, inter Gentiles, « *dicit Dominus exercituum.* » Isa. XLIX, 6 : *Dedi te in lucem Gentium, ut sis salus mea usque ad extremum terræ.* Psal. CXII, 3 : *A solis ortu usque ad occasum, laudabile nomen Domini.* « *Et in omni loco,* » supple, Gentilitatis, « *sacrificatur,* » sanctitate mihi accepta, « *et offertur nomini meo,* » « in cæremoniis Christianorum secundum ordinem Melchisedech, » ut dicit Hieronymus, « *oblatio munda,* » Christi scilicet sanguine mundata. Glossa : « Regula Scripturarum est, ubi manifestissima prophetia texitur de futuris, per incerta allegoriæ non extenuare quæ scripta sunt : et ideo iste locus Scripturæ ad alium sensum per allegoriam trahendus non est. » Unde subdit : « *Quia magnum est nomen meum,* » id est, magnæ virtutis, « *in Gentibus, dicit Dominus exercituum.* » Ad Philip. II, 9 et 10 : *Donavit illi nomen quod est super omne nomen, ut in nomine Jesu omne genu flectatur cœlestium, terrestrium, et infernorum.* Hoc significatum est, Isa. XIX, 21 : *Cognoscetur Dominus ab Ægypto, et cognoscent Ægyptii Dominum in die illa, et colent eum in hostiis et in muneribus.*

« *Et vos polluistis illud,* » scilicet nomen meum, id est, pollutum vestris peccatis credi fecistis, cum Gentes illud sanctificaverint. Ezech. XXXVI, 22 : *Non propter vos ego faciam, domus Israel, sed propter nomen sanctum meum, quod polluistis in Gentibus.* Et subdit modum pollutionis : « *In eo quod dicitis : Mensa Domini contaminata est.* » Putatis enim quod quia altare non splendet auro et gemmis, quod contaminatum sit, cum Deus non attendat ita splendorem ornatus in parietibus, sicut sanctificationem devotionis. Psal. XLIV, 14 : *Omnis gloria ejus filiæ regis ab intus.* « *Et,* » supple, iterum dicitis « *quod superponitur,* » scilicet super altare, « *contemptibile est :* » putabant enim quod in humili altari ma- 12

Oblationem commendat cultus pietatis, non fastus exterior.

culosa animalia possent offerri, quod error magnus est, quia in devotione offerentium attenditur oblatio, et non in ambitione oblatorum. Unde, I Paral. xxix, 17 et 18, dixit David : *Populum tuum qui hic repertus est, vidi cum ingenti gaudio offerre tibi donaria. Domine, Deus Abraham, et Isaac, et Israel, patrum nostrorum; custodi in æternum hanc voluntatem cordis eorum*, hoc est, hanc voluntatis devotionem. « *Cum igne qui illud devorat:* » putabant enim etiam ignem minus sacrum esse propter altaris paupertatem, cum Deus ad humilitatem cordis potius quam ad fastum exteriorem respiciat. Isaiæ, LXVI, 1 : *Cœlum sedes mea, terra autem scabellum pedum meorum.* Et, paulo post, ℣. 2 *: Ad quem autem respiciam, nisi ad pauperculum, et contritum spiritu, et trementem sermones meos ?* Sæpe enim plus placet devotio pauperum quam ambitio divitum.

13 « *Et dixistis,* » non minori scilicet impietate excusantes vos : « *Ecce de labore,* » hoc est, ipsum maculatum quod offerimus, cum labore acquisivimus, quia redeuntes de captivitate pauperes sumus, non attendentes illud Tobiæ, IV, 9 : *Si multum tibi fuerit, abundanter tribue : si exiguum tibi fuerit, etiam exiguum libenter impertiri stude.* Unde, III Regum, XVII, 13, vidua de ipsa farinula primum fecit Eliæ panem, sibi autem et filio suo fecit postea. «*Et exsufflastis illud,* » id est, sufflandum æstimastis et leve, « *dicit Dominus exercituum.* » Psal. XXXIV, 5 : *Fiant tamquam pulvis ante faciem venti.* Isa. XL, 7 : *Exsiccatum est fœnum, et cecidit flos, quia spiritus Domini sufflavit in eo.* Et hoc falsa excusatione ita dixistis. « *Et,* » id est, quia « *intulistis,* » supple, in templum ad offerendum, « *de rapinis,* » fraudium scilicet et usurarum, « *claudum, et languidum,* » reservato vobis pingui et forti. Genes. IV, 7 : *Nonne si bene egeris, recipies : sin autem male, statim in foribus peccatum aderit ?* Male autem dividit, qui sibi forte et Domino debile offert, cum scriptum sit in Psal. LXV, 15 : *Holocausta medullata offeram tibi cum incenso arietum.* « *Et* » sic, supple, in fraude, « *intulistis* » in templum meum « *munus.* » Act. V, 3, dixit Petrus ad Ananiam : *Anania, cur tentavit Satanas cor tuum mentiri te Spiritui sancto, et fraudare de pretio agri ?* « *Numquid,* » supple, ergo, « *suscipiam illud,* » scilicet munus sic fraudulenter oblatum, « *de manu vestra, dicit Dominus ?* » Eccli. XXXIV, 23 : *Dona iniquorum non probat Altissimus.*

« *Maledictus.* » Abjectos maledicit propter dolum : quia et a populo oblatis perfectis animalibus, illa ponebant in gregibus suis, et alia maculosa obtulerunt : et in populo quidam maculosa offerebant, et perfecta retinebant. 14

« *Maledictus dolosus.* » *Dolosus* est qui aliud machinatur corde pessimo, et aliud dicit ore et exhibet opere. « *Qui habet in grege suo masculum,* » id est, perfectum, et sic habet quod digne offerat, « *et votum faciens* » supple, spontaneum Deo, « *immolat debile Domino,* » occasionatum scilicet, vel defectu virtutis, vel membri defectione. Jonæ, II, 10 : *Ego in voce laudis immolabo tibi : quæcumque vovi, reddam pro salute mea Domino.* In voce laudis immolat, qui hostiam ab omnibus laudabilem offert Domino. Psal. XXVI, 6 : *Immolavi in tabernaculo ejus hostiam vociferationis,* hoc est, quæ præconiis omnium extollitur. Sed ne credatur quod a paupere qui non habet masculum, Dominus debile non accipiat, occurrit Glossa, dicens : « Si non habes masculum, non nocet tibi maledictio. »

Rationem autem subjungit :

« *Quia Rex magnus ego, dicit Dominus exercituum.* » Psal. XCIV, 3 : *Rex magnus super omnes deos.* Et ideo non

decet mihi offerri, nisi quod perfectum est. Levitic. xxii, 21 et 22 : *Homo qui obtulerit victimam pacificorum Domino, vel vota solvens, vel sponte offerens, tam de bobus quam de ovibus, immaculatum offeret, ut acceptabile sit : omnis macula non erit in eo. Si cæcum fuerit, si fractum, si cicatricem habens, si papulas, aut scabiem, aut impetiginem : non offeretis ea Domino.* « *Et nomen meum horribile,* » hoc est, tremendum est, « *in Gentibus.* » Et intelligitur de horrore reverentiæ, quando magnitudine nominis divini considerata, Gentilitas horripilationem passa per prædicationes Apostolorum ad reverentiam mota est. Isa. xxi, 3 : *Repleti sunt lumbi mei dolore, angustia possedit me sicut angustia parturientis : corrui cum audirem, conturbatus sum cum viderem.* Job, iv, 14 et 15 : *Pavor tenuit me, et tremor, et omnia ossa mea perterrita sunt. Et cum spiritus me præsente transiret, inhorruerunt pili carnis meæ.* Et sic factum est quod dicitur in Psal. lxxxi, 8 : *Surge, Deus, judica terram : quoniam tu hæreditabis in omnibus Gentibus.*

utilum aut aculatum Deo non ferendum.

CAPUT II.

Comminatur Dominus se maledicturum benedictionibus sacerdotum, nisi resipiscant : ipsius enim legem contemnunt, irritum facientes pactum Levi, qui hic laudatur : transgressus est et Juda ducens alienigenas, quapropter non respiciet deinceps Dominus ad sacrificium eorum : de uxore diligenda, seu dimittenda : laborare fecerunt Dominum in sermonibus suis.

1. Et nunc ad vos mandatum hoc, o sacerdotes.
2. Si nolueritis audire, et si nolueritis ponere super cor, ut detis gloriam nomini meo, ait Dominus exercituum, mittam in vos egestatem, et maledicam benedictionibus vestris, et maledicam illis : quoniam non posuistis super cor [1].
3. Ecce ego projiciam vobis brachium, et dispergam super vultum vestrum stercus solemnitatum vestrarum, et assumet vos secum.
4. Et scietis quia misi ad vos mandatum istud, ut esset pactum meum cum Levi, dicit Dominus exercituum.
5. Pactum meum fuit cum eo vitæ et pacis : et dedi ei timorem, et timuit me, et a facie nominis mei pavebat.
6. Lex veritatis fuit in ore ejus, et iniquitas non est inventa in labiis ejus : in pace et in æquitate ambulavit mecum, et multos avertit ab iniquitate.
7. Labia enim sacerdotis custodient scientiam, et legem requirent ex ore ejus, quia angelus Domini exercituum est.
8. Vos autem recessistis de via, et scandalizastis plurimos in lege : irritum fecistis pactum Levi, dicit Dominus exercituum.
9. Propter quod et ego dedi vos contemptibiles, et humiles omni-

[1] Levit. xxvi, 14 ; Deuter. xxviii, 15.

bus populis, sicut non servastis vias meas, et accepistis faciem in lege.

10. Numquid non pater unus omnium nostrum [1]? numquid non Deus unus creavit nos? quare ergo despicit unusquisque nostrum fratrem suum, violans pactum patrum nostrorum?

11. Transgressus est Juda, et abominatio facta est in Israel et in Jerusalem : quia contaminavit Judas sanctificationem Domini, quam dilexit, et habuit filiam dei alieni.

12. Disperdet Dominus virum qui fecerit hoc, magistrum et discipulum de tabernaculis Jacob, et offerentem munus Domino exercituum.

13. Et hoc rursum fecistis : operiebatis lacrymis altare Domini fletu, et mugitu, ita ut non respiciam ultra ad sacrificium, nec accipiam placabile quid de manu vestra.

14. Et dixistis : Quam ob causam? quia Dominus testificatus est inter te et uxorem pubertatis tuæ, quam tu despexisti : et hæc particeps tua, et uxor fœderis tui.

15. Nonne unus fecit, et residuum spiritus ejus est? Et quid unus quærit, nisi semen Dei? Custodite ergo spiritum vestrum, et uxorem adolescentiæ tuæ noli despicere.

16. Cum odio habueris, dimitte, dicit Dominus Deus Israel : operiet autem iniquitas vestimentum ejus, dicit Dominus exercituum. Custodite spiritum vestrum, et nolite despicere.

17. Laborare fecistis Dominum in sermonibus vestris, et dixistis : In quo eum fecimus laborare? In eo quod dicitis : Omnis qui facit malum bonus est in conspectu Domini, et tales ei placent : aut certe ubi est Deus judicii?

IN CAPUT II MALACHIÆ

ENARRATIO.

« *Et nunc ad vos.* » In hac secunda parte increpat ingratitudinem eorum qui sanctificationem Domini quam in paradiso instituit, violarunt. Et dividitur in duas partes. Improperat enim peccatum quod commiserunt in uxores, secundum nuptias a Domino in paradiso institutas. In secunda, improperat peccatum quod commiserunt contra judicium Domini mundum gubernantis, ante finem capitis, ibi, ℣. 17 : « *Laborare fecistis Dominum.* »

Prima harum in duas dividitur. In prima, ostendit beneficium in genere, et transgredientibus comminatur maledictionem. In secunda, ostendit recessum ingratorum a beneficio percepto, ibi, ℣. 8 : « *Vos autem recessistis de via.* »

In prima tria facit : in prima comminatur ingratis beneficium recolere non volentibus. In secunda, commemoratur beneficium factum patribus, ibi, ℣. 4 : « *Et scietis quia misi ad vos.* » Et ne videatur injusta comminatio, in tertia ostendit rationem, ibi, ℣. 7 : « *Labia enim Sacerdotis.* »

« *Et nunc ad vos, o Sacerdotes, mandatum hoc,* » supple, dirigitur, per quos (ut dicit Hieronymus) mandatum debet transire ad populum, sicut sequestres et

[1] Matth. XXIII, 9 ; ad Ephes. IV, 6.

mediatores. Glossa. « Qui majoris est « dignitatis, et cui plus committitur, « plus ab eo exigitur. » Genes. xxxi, 39 : *Ego damnum omne reddebam : quidquid furto peribat, a me exigebas.* Luc. xvi, 2 : *Redde rationem villicationis tuæ.* Chrysostomus super Joannem : « Sacerdos si omnia bene agat, et circa « subditos diligentem custodiam non « adhibeat, damnabitur. » Luc. xix, 23 : *Serve nequam, quare non dedisti pecuniam meam ad mensam ?*

Sacerdos ob dissimulationem damnandus.

2 Et subdit comminationem : « *Si nolueritis audire,* » hoc est, exaudire, quæ scilicet pertinent ad officium nostrum. Ezech. iii, 7 : *Domus autem Israel nolunt audire te, quia nolunt audire me.* « *Et si nolueritis ponere super cor,* » ad memorandum scilicet. Psal. cxviii, 47 : *Meditabar in mandatis tuis, quæ dilexi.* Aggæi, i, 5 : *Ponite corda vestra super vias vestras.* Cantic. viii, 6 : *Pone me ut signaculum super cor tuum.* « *Ut detis gloriam nomini meo,* » operando scilicet digne, et digna mihi offerendo, « *ait Dominus exercituum.* » Confirmatio est præcedentium. Psal. cxiii, 1 : *Non nobis, Domine, non nobis, sed nomini tuo da gloriam.* Jerem. xiii, 16 : *Date gloriam Domino Deo vestro antequam contenebrescat, et antequam offendant pedes vestri ad montes caliginosos.*

« *Mittam in vos egestatem,* » supple, si non audieritis. Et intelligit de egestate spiritualium et temporalium bonorum. Amos, viii, 11 : *Mittam famem in terram : non famem panis, neque sitim aquæ, sed audiendi verbum Domini.* Egestas enim ab egendo dicitur, quæ ex privatione bonorum causatur. « *Et maledicam benedictionibus vestris.* » Glossa tripliciter exponit hoc, hoc est, maledicam decimis, primitiis, et oblationibus quas pro benedictione accepistis : vel maledicam his quæ meis benedictionibus possidetis : vel quidquid a vobis spes terreni lucri possidetur, a me maledicetur. Psal. cviii, 28 : *Maledicent illi, et tu benedices : qui insurgunt in me, confundantur.* « *Et maledicam illis,* » scilicet benedictionibus, « *quoniam non posuistis super cor,* » ut scilicet faceretis mandata mea. Psal. cxviii, 11 : *In corde meo abscondi eloquia tua, ut non peccem tibi.*

Et maledictionem in pœna exponit, subdens : 3

« *Ecce ego projiciam vobis,* » hoc est, auferam a vobis, « *brachium,* » hoc est, armum dextrum, qui cedebat in partem Sacerdotis de oblato, « *Et dispergam super vultum vestrum,* » ut scilicet deturpemini in facie quæ omnibus apparet, « *stercus solemnitatum vestrarum.* » Et tangit hoc quod dicitur, Deuter. xviii, 3 : *Dabunt Sacerdoti armum et ventriculum.* Et intendit per ventriculum stomachum, et vult dicere quod *armus* ab eis auferetur (qui delectabilis est), et *ventriculus* in caput eorum projicietur, ut stercus quod in ventriculo est, in facies eorum dispergatur in signum turpitudinis. Dicit autem, *solemnitatum vestrarum*, quia talia in solennitatibus offerebantur. Tobiæ, ii, 6 : *Dies festi vestri convertentur in lamentationem et luctum.* Isa. i, 14 : *Calendas vestras, et solemnitates vestras odivit anima mea : facta sunt mihi molesta, laboravi sustinens.* « *Et assumet vos secum,* » stercus scilicet. Hieronymus, « ut scilicet non « differatis ab ipso stercore in fœtoribus. »

« *Et,* » tunc scilicet, « *scietis,* » per pœnæ experimentum, « *quia misi ad vos mandatum istud,* » sacerdotalem scilicet, eligendo vos in patre vestro Levi. Magnum enim erat tantam dignitatem per patres mittere in posteros. Isaiæ, lxi, 6 : *Vos autem Sacerdotes Domini vocabimini : Ministri Dei nostri, dicetur vobis.* Apoc. i, 6 : *Fecit nos regnum et sacerdotes Deo et Patri suo.* Misi, inquam, 4

« *ut esset pactum meum,* » sacerdotii scilicet, « *cum Levi,* » hoc est, Levitis, « *Dicit Dominus exercituum.* » Glossa Hieronymi : « Per Levi intelligimus « Aaron, et alios qui de stirpe Aaron vel « Levi descenderunt. » Psal. cii, 17 et 18 : *Misericordia Domini ab æterno, et usque in æternum super timentes eum. Et justitia illius in filios filiorum, his qui servant testamentum ejus.*

5 Et explanat pactum :

Pactum vitæ et pacis.

« *Pactum meum fuit cum eo,* » cum Levi scilicet, « *vitæ,* » per gratiam, « *et pacis,* » quam faceret inter homines, ut scilicet vitam per gratiam doceret, et pacis quam in paradiso fecit Deus, conciliator esset. De hac vita, Joan. x, 10 : *Ego veni ut vitam habeant, et abundantius habeant.* De pace, Joan. xiv, 27 : *Pacem relinquo vobis, pacem meam do vobis.* Ezech. xx, 11 : *Dedi eis præcepta mea, et judicia mea ostendi eis, quæ faciens homo, vivet in eis.* Unde de bono dicitur Sacerdote, Eccli. xlv, 2 : *In verbis suis monstra placavit.* Hieronymus : « Quia in se pacem habuit, et alios « ad pacem reduxit. » « *Et dedi ei timorem,* » qui scilicet omnia bona in eo custodiret. Eccli. xxvii, 4 : *Si non in timore Domini tenueris te instanter, cito subvertetur domus tua.* « *Et timuit me,* » a malo scilicet recedens. Eccli. i, 27 : *Timor Domini expellit peccatum.* « *Et a facie nominis mei pavebat,* » hoc est, a præsentia notitiæ meæ. Glossa : « Horrore corporis indicans se verba Dei « timere. »

6 Et subdit, per singula exponens pactum sacerdotale in quatuor, in doctrina, in vita, in utilitate, et in officio.

In doctrina dupliciter, scilicet veritate, et puritate.

De veritate dicit :

« *Lex veritatis fuit in ore ejus.* » Ad Roman. ix, 1 : *Veritatem dico in Christo Jesu, non mentior.* In ore enim Doctoris veritatis, nugæ sacrilegia sunt.

Et subdit de puritate : « *Et iniquitas non est inventa in labiis ejus,* » ut scilicet vanum, falsum, vel mendacium diceret. Glossa : « Quia imitatur eum qui « peccatum non fecit, nec est inventus « dolus in ore ejus[1]. » Job, vi, 30 : *Non invenietis in lingua mea iniquitatem, nec in faucibus meis stultitia personabit.*

Et subdit de veritate vitæ : « *In pace,* » quam scilicet fecit inter commissos. Ad Hebr. xii, 14 : *Pacem sequimini cum omnibus, et sanctimoniam, sine qua nemo videbit Deum.* « *Et in æquitate,* » hoc est, in rectitudine virtutis et justitiæ. Isaiæ, xxvi, 7 : *Semita justi recta est, rectus callis justi ad ambulandum.* « *Ambulavit mecum,* » hoc est, profecit de virtute in virtutem Glossa, « sicut Henoch. » Genes. v, 24 : *Ambulavitque Henoch cum Deo, et non apparuit : quia tulit eum Deus.* Genes. vi, 9 : *Noe cum Deo ambulavit.*

Et subdit de utilitate : « *Et multos avertit ab iniquitate,* » per prædicationem scilicet, et correptionem. Jacob. v, 20 : *Scire debet, quoniam qui converti fecerit peccatorem ab errore vitæ suæ, salvabit animam ejus a morte, et operiet multitudinem peccatorum.*

Et subdit de proprio actu officii : 7

« *Labia enim Sacerdotis custodient,* » hoc est, custodire debent « *scientiam,* » vitæ scilicet, doctrinæ, et judicii. Osee, iv, 6 : *Quia tu scientiam repulisti, repellam te, ne sacerdotio fungaris mihi.* « *Et legem requirent,* » subditi scilicet de faciendis, docendis, et judicandis, « *de ore ejus,* » Sacerdotis scilicet. Hieronymus : « Si Sacerdos de lege interro-

Sacerdos custos est regis.

[1] Cf. 1 Petr. ii, 22 ; Isa. liii, 9.

« gatur, doceat, resistentes convincat, « alioquin frustra jactat dignitatem, cu- « jus non exhibet operationem. » Idem : « Si Sacerdos delinquentes non corripit, « Sacerdotis officium præterit. » Et subdit rationem : « *Quia Angelus Domini exercituum est,* » hoc est, nuntius Dei ad populum. Hic dicit Hieronymus in originali, Esdram fuisse Malachiam. Dicit enim sic : « Exponit nomen suum « Esdras Sacerdos Dei, hoc est, Malachias, qui Angelus Domini appellatur, « voluntatem Dei annuntians homini- « bus. »

Malachias idem qui Esdras.

8 « *Vos autem recessistis.* » Tangit recessum a pacto : primo in communi, secundo in speciali, ibi, « *Numquid non pater unus ?*

In primo dicit culpam, et pœnam :

« *Vos autem,* » tali pacto contempto, o Sacerdotes, « *recessistis de via,* » veræ scilicet doctrinæ, et rectæ vitæ. Unde, Isa. XXX, 11, dicunt : *Auferte a me viam, declinate a me semitam, cesset a facie nostra sanctus Israel.* « *Et scandalizastis plurimos in lege,* » scandalo activo, malo scilicet exemplo : quia a lege recesserunt. Matth. XVIII, 6 : *Qui scandalizaverit unum de pusillis istis, qui in me credunt, expedit,* etc. Et sic, supple, « *irritum fecistis pactum Levi,* » hoc est, Levitarum, vitæ scilicet, et pacis, et cæterorum quæ dicta sunt, pertinentia ad officium Sacerdotis, « *dicit Dominus exercituum.* » Confirmatio est præteritorum, ut magis timeant.

9 Et subdit de pœna :

Sacerdotes cur vulgo despecti?

« *Propter quod,* » scilicet peccatum, « *et ego,* » æquus judex omnium, et ponderator actuum humanorum, « *dedi vos contemptibiles,* » hoc est, vilificatos et projectos, « *et humiles,* » hoc est, ad humum prostratos quasi conculcandos, « *omnibus populis.* » Daniel. III, 37 : *Imminuti sumus plus quam omnes gentes, sumusque humiles in universa terra hodie propter peccata nostra.* « *Sicut non servastis vias meas,* » hoc est, præcepta legis. Ad Roman. I, 28 : *Sicut non probaverunt Deum habere in notitia, tradidit illos Deus in reprobum sensum.*

In quo autem maxime hoc fecerunt, subdit : « *Et,* » id est, quia « *accepistis faciem,* » personarum scilicet, « *in lege,* » ut scilicet justificaretis impium pro muneribus, vel pro amicitia, vel potestate. Isa. V, 23 : *Qui justificatis impium pro muneribus,* et *justitiam justi aufertis ab eo.* Jacob. II, 1 : *Fratres mei, nolite in personarum acceptione habere fidem Domini nostri Jesu Christi gloriæ.* Et, post pauca, ℣. 9 : *Si autem personas accipitis, peccatum operamini, redarguti a lege quasi transgressores.* Deuter. XVI, 19 et 20 : *Non accipies personam, nec munera : quia munera excæcant oculos sapientium, et mutant verba justorum. Juste quod justum est, persequeris.* Deuter. I, 17 : *Ita parvum audietis ut magnum : nec accipietis cujusquam personam, quia Dei judicium est.*

Judex personarum rationem non habeat.

Et hujus peccati ostendit inconvenientiam, subdens : 10

« *Numquid non pater unus,* » supple, est « *omnium nostrum,* » Abraham scilicet ? Quasi dicat : Sic. Joan. VIII, 33 : *Semen Abrahæ sumus.* Isaiæ, LI, 2 : *Attendite ad Abraham patrem vestrum, et ad Saram quæ peperit vos.* « *Numquid non Deus unus creavit nos ?* » Quasi dicat : Sic. Isa. LXIV, 8 : *Opera manuum tuarum omnes nos.* Et ex quo estis compares quoad patrem carnalem, et quoad patrem spiritualem Deum, « *Quare ergo,* » hoc est, sine ratione, « *despicit unusquisque vestrum fratrem suum,* » Judæum scilicet, ut filiam suam uxorem ducere nolit propter paupertatem et afflictionem captivitatis, et ducat filiam Gentilis propter divitias et pulchritudinem, « *violans,* » in hoc scilicet, « *pactum*

patrum nostrorum. » Levitarum scilicet. Dispar enim cultus impedimentum matrimonii est. Quod autem hoc factum sit, expresse scribitur, I Esdræ, IX, 1 et seq., et Nehem. seu II Esdræ, XIII, 23 et seq., et qualiter hoc Esdras et Nehemias correxerunt, propter quod etiam creditur Esdras Malachias esse : quia quod Esdras correxit, Malachias similiter revocat ne fiat. Unde Hieronymus : « Sicut ex le« ctione Esdræ colligitur, reversi de Ba« bylonia tam Principes et Sacerdotes « quam reliquus populus, uxores sui ge« neris quæ paupertate et labore viæ in« firmitatem contraxerant, ejecerunt, et « filiabus alienigenarum ætate vel divitiis « florentibus se copulaverunt. Unde (si« cut dicitur Nehem. seu II Esdræ, XIII, « 24 : *Filii eorum ex media parte loque« bantur Azotice, et nesciebant loqui Ju« daice, et loquebantur juxta linguam « populi et populi.* »

Matrimonium dirimit cultus disparitas.

11 Quod peccatum exaggerans, subdit : « *Transgressus est Juda,* » id est, hoc peccato contaminatur tribus Juda quæ cum Sacerdotibus et Levitis reversa est de Babylone, « *et abominatio,* » hoc est, tam abominabile peccatum, « *facta est in Israel,* » hoc est, in decem tribubus quoad illos qui cum duabus tribubus reversi sunt, « *et in Jerusalem,* » quoad Sacerdotes qui in Jerusalem manentes hoc fecerunt, et alios facere permiserunt propter munera et acceptionem personarum. Hieronymus : « Inter omnia pecca« ta Sacerdotum hoc maximum notatur, « quod non causas, sed personas consi« derent, et despecto justo paupere in« justos divites honorent, » Et exponit qualiter, subdens : « *Quia contaminavit Judas,* » hoc est, duæ tribus, et decem, et Sacerdotes, « *sanctificationem Domini,* » hoc est, sanctitatem matrimonii, « *quam dilexit,* » scilicet Dominus, et ut dilectam custodiri fecit, præcipiens ne ducerent filias alienigenarum, maxime Allophylorum : quia illas vicinas habebant, ne subverterent eos ad deos alienigenos. III Reg. XI, 2 : *Super quibus,* scilicet alienigenis, *dixit Dominus filiis Israel : Non ingrediemini ad eas, neque de illis ingredientur ad vestras : certissime enim averterent corda vestra ut sequamini deos earum.* Et hoc est quod sequitur : « *Et habuit filiam dei alieni,* » pro uxore scilicet, et hoc in periculum fidei : quia tales non commanent nisi in contumeliam Creatoris.

Et subdit pœnam tanti peccati : 12
« *Disperdet Dominus virum qui fecerit hoc.* » Virum dicit non mulierem : quia numquam licuit mulieri habere plures viros, sed viro aliquando licuit. « *Magistrum,* » hoc est, Sacerdotem, « *et discipulum,* » hoc est, subjectum « *de tabernaculo*[1] *Jacob.* » Singulare ponit pro plurali, hoc est, de omnibus tabernaculis sive modis vivendi Ecclesiæ. I ad Corinth. V, 5 : *Judicavi tradere hujusmodi,* scilicet hominem, *Satanæ in interitum carnis, ut spiritus salvus sit in die Domini nostri Jesu Christi.* Et hoc est quod sequitur : « *Et offerentem munus Domino exercituum,* » Sacerdotem scilicet disperdat Dominus. Hieronymus : « Sive sit Sacerdos, sive laicus, una ma« ledictione ferientur, quia uno peccato « tenentur : quod licet gravius sit in « Sacerdote propter circumstantiam « peccantis, est tamen commune in sub« stantia. »

« *Et hoc rursum fecistis.* » Tangit hic peccatum consequens ex primo, et hoc exaggerat triplici ratione : primo, quia lacrymæ dimissarum faciunt non placabilem oblationem vel sacrificium. Secundo, quia dimittere uxorem contra individuitatem est matrimonii. Tertio, 13

[1]Vulg. habet, *de tabernaculis.*

quia est contra bonum prolis suscipiendæ et enutriendæ ad cultum Dei. Quarto, gratia hujus dicit in quo casu uxor a thoro potest separari.

« *Et hoc,* » supple, peccatum, « *rursum fecistis,* » peccatum peccato scilicet addentes. I ad Thess. II, 16 : *Ut impleant peccata sua semper.* Matth. XXIII, 32 : *Implete mensuram patrum vestrorum.* « *Operiebatis lacrymis altare Domini,* » hoc est, operiri fecistis. Et dicit in præterito imperfecto, ut notetur continuitas actus ex præterito in præsens. Quando enim dimissæ fuerunt uxores, ad altare Domini veniebant et ibi plorabant, et contra dimittentes et contra Sacerdotes qui hoc fieri posse judicabant, et sic altare Domini lacrymis replebant, ita quod locus in altari non esset exauditionis Sacerdotum. Et propter hoc dicit, *operiebatis.* Quasi dicat : Ut nihil aliud capere posset. Eccli. XXXV, 16-18 : *Non accipiet Dominus personam in pauperem* (hoc est contra pauperem), *et deprecationem læsi exaudiet. Non despiciet preces pupilli : nec viduam, si effuderit loquelam gemitus. Nonne lacrymæ viduæ ad maxillam descendunt, et exclamatio ejus super deducentem eas ? A maxilla enim ascendunt usque ad cœlum, et Dominus exauditor non delectabitur in illis.* Et hoc est quod sequitur : *Fletu, et mugitu.* » Thren. I, 22 : *Multi enim gemitus mei, et cor meum mœrens.* Psal. XXXVII, 9 : *Rugiebam a gemitu cordis mei.* « *Ita ut non respiciam,* » hoc est, respicere debeam, « *ultra ad sacrificium,* » supple, per vos oblatum. Isa. I, 13 : *Ne offeratis ultra sacrificium frustra : incensum abominatio est mihi.* « *Nec accipiam placabile quid de manu vestra.* » *Placabile* dicitur ab actu placationis : talibus enim plus provocatur quam placetur. Isaiæ, I, 15 : *Cum extenderitis manus vestras, avertam oculos meos a vobis : et cum multiplicaveritis orationes vestras, non exaudiam : manus enim vestræ sanguine plenæ sunt.*

Deprecationem læsi Deus exaudit.

14 « *Et dixistis.* » Ingrati enim et contumacis est, peccatum non recognoscere : « *Quam ob causam ?* » hoc est, propter quod peccatum ? et respondet : « *Quia Dominus,* » in paradiso scilicet instituens matrimonium, « *testificatus est,* » verbo suo scilicet. Genes. II, 24 : *Quamobrem relinquet homo patrem suum et matrem, et adhærebit uxori suæ : et erunt duo in carne una.* Idem, Matth. XIX, 5 et 6, et adjungitur : *Itaque jam non sunt duo, sed una caro. Quod ergo Deus conjunxit, homo non separet.* Per hoc notatur matrimonii individuitas, per quam uxor inseparabilis est a viro. « *Inter te, et uxorem pubertatis tuæ,* » id est quam primo in juventute tua duxisti. Jerem. III, 4 : *Dux virginitatis meæ tu es.* « *Quam tu despexisti,* » hoc est, ut despectam abjecisti. Ad Ephes. V. 25 : *Viri, diligite uxores vestras, sicut et Christus dilexit Ecclesiam.* Et exaggerat peccatum, subdens : « *Et hæc particeps tua,* » supple, esse deberet. Tanta enim est individuitas matrimonii, ut conjugibus omnia faciat esse communia : aliter enim individuitas esse non potest. Et hoc notatur, quando dicitur, *Erunt duo in carne una.* Hæc enim caro una, proles est, in qua ambo sexus sociantur, vir sicut formans, fœmina sicut formata. Et cum familia domus et facultates ad prolem referantur sicut ad hæredem, etiam in his debet esse individuitas. Et hoc est quod sequitur : « *Et uxor fœderis tui,* » id est, uxorio affectu, et fœdere matrimoniali conjuncta. Ad Ephes. V, 32 : *Sacramentum hoc magnum est.* Significat enim beatificati et beatificantis spiritus individuitatem.

Matrimonii nexus indissolubilis.

Et subjungit rationem: 15

« *Nonne unus fecit ?* » Quod autem facit unus et indivisus, et individuitate debet esse unum, et non tendere ad divisionem. Matth. XIX, 6 : *Non sunt duo, sed una caro.* Et hoc est quod sequitur : « *Et residuum,* » id est, fœmina de residuo cor-

poris viri facta, « *spiritus ejus est,* » genitivi casus, et est partitiva constructio, hoc est, aliquid spiritus ejus est, viri scilicet, vel Dei : non quod sit de essentia spiritus divini, sed quia imago illius est. I ad Corinth. xi, 7 et seq. : *Vir quidem non debet velare caput suum, quoniam imago et gloria Dei est : mulier autem gloria viri est. Non enim vir ex muliere est, sed mulier ex viro : etenim non est creatus vir propter mulierem, sed mulier propter virum.* Hieronymus : « Tanto affectu vir et mulier deberent copulari, ut una anima in duobus esse videretur, conjunctis spiritu et mente sociatis. »

Et ex hoc ratiocinatur ulterius :

« *Et quid unus,* » hoc est, sic uxori unitus et individuus, « *quærit,* » id est, quærere debet, « *nisi semen Dei ?* » id est, prolem in timore Dei susceptam ad cultum Dei nutriendam, quod non fit per mulierem acceptam ex cultu dispari : illa enim prolem pervertit ad alienos deos, et similiter facit quæ in libidinem assumpta est. Hoc significatur, Genes. xxi, 10, ubi dicitur : *Ejice ancillam hanc, et filium ejus.* Ancilla enim petulantiam significat, filius ejus proles ad petulantiam nutrita, et hæc ejicienda est et non legitime conjuncta quæ fœcunda est. Unde in maledictionem talium dicitur, Job, xxiv, 20 et 21 : *Conteratur quasi lignum infructuosum. Pavit enim sterilem, quæ non parit, et viduæ non benefecit.*

Sic exaggerato peccato, revocat delinquentes, subdens :

« *Cudodite ergo spiritum vestrum,* » id est, per amorem, ne scilicet ad aliegenas exardescat, sed intra metas matrimonii consistat. Proverb. vii, 4 et 5 : *Prudentiam voca amicam tuam, ut custodiat te a muliere extranea, quæ verba sua dulcia facit. Et* hoc explanat, subdens : « *Et,* » id est, « *uxorem adolescentiæ tuæ,* » id est, tibi in adolescentia tua conjunctam, « *noli despicere,* » id est, abjicere. Proverb. v, 18 et 19 : *Lætare cum muliere adolescentiæ tuæ. Cerva carissima, et gratissimus hinnulus : ubera ejus inebrient te in omni tempore, in amore ejus delectare jugiter.* Et, ibidem, ℣. 20 : *Quare seduceris, fili mi, ab aliena, et foveris in sinu alterius ?* I ad Thessal. iv, 4 et 5 : *Sciat unusquisque vestrum suum vas* (hoc est propriam uxorem) *possidere in sanctificatione, et honore : non in passione desiderii, sicut et gentes, quæ ignorant Deum.*

Uxori vir fidem non violet.

Et subdit, si dimittenda est, qualiter 16
dimittatur :

« *Cum odio habueris,* » supple, eam, ex causa scilicet fornicationis, quia scilicet maculavit thorum et fidem matrimonii, « *dimitte,* » id est, a thoro separa, non a matrimonio, « *dicit Dominus Deus Israel.* » Matth. v, 32 : *Qui dimissam duxerit, adulterat.* I ad Corinth. vii, 10 et 11 : *Præcipio non ego, sed Dominus, uxorem a viro non discedere : quod si discesserit, manere innuptam, aut viro reconciliari.* Quod si objiciatur de libello repudii, dicit Dominus, Matth. xix, 8, quod Moyses ad duritiam cordis eorum permisit eis dimittere uxores : ab initio autem non fuit sic. Permisit autem hoc Moyses (ut dicit Hieronymus) sicut legislator, qui permittit malum, ne pejus fiat : et sicut permittit meretricem, quam non laudat nec præmiat, sed detestatur, permittit tamen ne mundus sodomia impleatur : et sicut ædificator facit cloacam, ne palatium fœtore impleatur : et ita permisit Moyses dimittere uxores, ne interficerentur ab his qui durum cor habebant ad eas.

Libellus repudii cur permissus.

« *Operiet autem iniquitas,* » quam scilicet perpetravit mulier, « *vestimentum ejus, dicit Dominus exercituum.* » Glossa dicit *vestimentum* esse corpus quod operit iniquitas, quando pœna iniquitatis, quæ est confusio pro peccato, operit eam. Psal. cviii, 29 : *Operiantur sicut diploide confusione sua.* Posset tamen dici, quod *vestimentum operit,* quando non licet revelari vestimentum ut mulier alteri viro exhi-

Mulier repudiata al teri non n bat.

beatur, eo modo loquendi quo dicitur, Levit. xviii, 9 : *Turpitudinem sororis tuæ... ne* discooperies vel *revelabis,... quia turpitudo tua est.* Sic mulier dicitur operta, quando clauso undique vestimento, nulli viro se potest denudare. Et sic redit ad revocationem a peccato, subdens : « *Custodite spiritum vestrum,* » et est quasi conclusio ex præhabitis, « *et nolite despicere.* » I ad Thess. v, 23 : *Integer spiritus vester et anima et corpus sine querela in adventu Domini nostri Jesu Christi servetur.* Jacob. i, 4 : *Ut sitis perfecti et integri in nullo deficientes.*

17 « *Laborare fecistis Dominum.* « Tangit peccatum murmuris contra judicium Domini in generali gubernatione, et est modus loquendi, qui dicitur *anthropopathos,* quando humana passio per similitudinem in Deum refertur. Sic dicitur Deus *laborare,* quando ad modum laborantis sustinet aliquid cum tædio. Isa. i, 14 : *Facta sunt mihi molesta, laboravi sustinens.* « *In sermonibus vestris,* » murmurantibus scilicet contra judicium meum, quod scilicet prosperantur mali, et boni tribulationes patiuntur. Unde Glossa : « Sententia horum verborum « latius tractatur in Psal. lxxii, 1 : *Quam* « *bonus Israel Deus.* » « *Et dixistis,* » peccatum vestrum non recognoscentes, cum dicatur in Psal. l, 5 : *Quoniam iniquitatem meam ego cognosco, et peccatum meum contra me est semper.* Oratio Manasse, sub fine : *Domine, peccavi, et iniquitates meas agnosco.* « *In quo eum fecimus laborare,* » hoc est, cum tædio nos sustinere et portare. Jerem. xxiii, 33 : *Vos estis onus : projiciam quippe vos.*

Deus expers est passionis.

Et respondet, subdens :

« *In eo quod dicitis,* » murmurando scilicet : « *Omnis qui facit malum,* » studiose scilicet, « *bonus est in conspectu Domini,* » hoc est, bonus videtur, quia bene succedit ei. Jerem. xii, 1 : *Quare via impiorum prosperatur ? bene est omnibus qui prævaricantur, et inique agunt ?* Habacuc, i, 13 : *Quare respicis super iniqua agentes, et taces devorante impio justiorem se ?* « *Et tales ei placent,* » id est, per hoc quod dissimulat placere ei videntur. Idem, Job, xxi, 7, ibi enim late de eadem materia agitur : *Quare ergo impii vivunt, sublevati sunt, confortatique divitiis ?* « *Aut certe,* » supple, me laborare fecistis, quia scilicet dicitis : « *Ubi est Deus judicii ?* » Ex quo enim iniqui prosperantur et boni tribulantur, non videtur judicio regi mundus, sed casu. Simile, in Psal. lxxii, 11 et 12 : *Dixerunt : Quomodo scit Deus, et si est scientia in Excelso ? Ecce ipsi peccatores et abundantes in sæculo obtinuerunt divitias.* Job, xxxiv, 5 et 6 : *Deus subvertit judicium meum : in judicando enim me, mendacium est.*

CAPUT III.

De præcursore Christi, et hujus adventu, ac futuro judicio : qui purgatis filiis Levi gratum habebit sacrificium Juda et Jerusalem : comminatur sceleratis gravem ultionem : qous tamen ad se revocat, plurima bona conversis promittens, conqueritur de ingratitudine filiorum Israel, et quod ipsum in decimis suis configant, quodque dicant Deo non esse curæ suos cultores, cujus contrarium tandem experientur.

1. Ecce ego mitto angelum meum, et præparabit viam ante faciem meam [1] : et statim veniet ad templum suum dominator quem vos quæritis, et angelus testamenti quem vos vultis. Ecce venit, dicit Dominus exercituum.
2. Et quis poterit cogitare diem adventus ejus, et quis stabit ad videndum eum? Ipse enim quasi ignis conflans, et quasi herba fullonum :
3. Et sedebit conflans, et emundans argentum : et purgabit filios Levi, et colabit eos quasi aurum et quasi argentum, et erunt Domino offerentes sacrificia in justitia.
4. Et placebit Domino sacrificium Juda et Jerusalem, sicut dies sæculi, et sicut anni antiqui.
5. Et accedam ad vos in judicio, et ero testis velox maleficis, et adulteris, et perjuris, et qui calumniantur mercedem mercenarii, viduas et pupillos, et opprimunt peregrinum, nec timuerunt me, dicit Dominus exercituum.
6. Ego enim Dominus, et non mutor : et vos, filii Jacob, non estis consumpti.
7. A diebus enim patrum vestrorum recessistis a legitimis meis, et non custodistis : revertimini ad me, et revertar ad vos [2], dicit Dominus exercituum. Et dixistis : In quo revertemur?
8. Si affliget homo Deum, quia vos configitis me? Et dixistis : In quo configimus te? In decimis, et in primitiis.
9. Et in penuria vos maledicti estis, et me vos configitis gens tota.
10. Inferte omnem decimam in horreum, et sit cibus in domo mea : et probate me super hoc, dicit Dominus : si non aperuero vobis cataractas cœli, et effudero vobis benedictionem usque ad abundantiam :
11. Et increpabo pro vobis devorantem : et non corrumpet fructum terræ vestræ nec, erit sterilis vinea in agro, dicit Dominus exercituum.
12. Et beatos vos dicent omnes gentes : eritis enim vos terra desiderabilis, dicit Dominus exercituum.

[1] Matth. XI, 10; Marc. I, 2 : Luc. I, 17, et VII, 27.

[2] Zachar. I, 3.

13. Invaluerunt super me verba vestra, dicit Dominus.
14. Et dixistis : quid locuti sumus contra te? Dixistis : Vanus est qui servit Deo [1] : et quod emolumentum quia custudimus præcepta ejus, et quia ambulavimus tristes coram Domino exercituum?
15. Ergo nunc beatos dicimus arrogantes : siquidem ædificati sunt facientes impietatem, et tentaverunt Deum, et salvi facti sunt.
16. Tunc locuti sunt timentes Dominum, unusquisque cum proximo suo. Et attendit Dominus, et audivit, et scriptus est liber monumenti coram eo timentibus Dominum, et cogitantibus nomen ejus.
17. Et erunt mihi, ait Dominus exercituum, in die qua ego facio, in peculium : et parcam eis, sicut parcit vir filio suo servienti sibi.
18. Et convertimini, et videbitis quid sit inter justum et impium : et inter servientem Deo et non servientem ei.

IN CAPUT III MALACHIÆ

ENARRATIO.

« *Ecce ego mittam angelum meum.* » Tangit hic de purgatione peccatorum, et de condemnatione impiorum, ibi, ℣. 13 : « *Invaluerunt super me verba vestra.* »

Purgationem peccatorum tangit in Levitis, et dividitur in duo. In prima purgationem tangit Levitarum. In secunda, revocat populum ad devotionem eorum jam purgatorum, et ut solvat eis populus quod in lege præceptum est, ibi, ℣. 7 in medio : « *Revertimini ad me.* »

Adhuc prior istarum in duo dividitur. Primo enim ostendit qualiter purgantur purgandi per pœnam expiationis. Secundo, qualiter judicantur majoribus peccatis irretiti, ibi, ℣. 5 : « *Et accedam ad vos in judicio.* »

In primo, tria sunt, scilicet purgatorum inductio : adventus ejus descriptio, ibi, « *Ecce venit :* et operis in purgando perfectio, ibi, « *Ipse enim quasi ignis conflans.* »

In primo, duo dicit, officium scilicet præcursoris, et adventum regis purgantis.

1

« *Ecce ego.* » Ac si dicat : Vos quæritis, Ubi est Deus judicii? sed ego manifestum vobis eum faciam, et in primo, et in secundo adventu. « *Ecce ego,* » ante primum adventum, « *mitto angelum meum,* » hoc est, nuntium sive Joannem Baptistam ministerio Angelorum suffultum [2]. Hoc ipse Christus interpretatur de Joanne, sed Marc. I, 3, adjungit aliam auctoritatem. Isa. XL, 3 : *Vox clamantis in deserto : Parate viam Domini.* Matth. autem XI, 10, simpliciter dicit : *Hic est de quo scriptum est : Ecce ego mitto angelum meum.* « Angelus « autem iste ante secundum adventum, ut « dicit Hieronymus, ordinem significat « Prædicatorum. » « *Et præparabit viam ante faciem meam,* » id est, ante præsentiam meam. Hoc enim fecit Joannes prædicando, baptizando, difficultates veniendi ad Christum suo testimonio removendo, et hoc faciet ordo Prædicatorum ante secundum adventum. Isa. XL, 3 : *Vox clamantis in deserto : Parate viam Domini, rectas facite in solitudine semitas Dei nostri.* Isa. LXII, 10 : *Transite, transite per portas, præparate viam po-*

Joannes Baptista præcursor Domini.

[1] Job, II, 15.

[2] Cf. Marc. I, 2 et seq , et Matth. XI, 2 et seq.

pulo, planum facite iter, et eligite lapides. Portæ dicuntur hic aditus ad corda populorum secundum omnes differentias et modos vivendi, qui sunt in mundo, sicut et Joannes publicanos, milites, et omnes alias populi differentias docuit secundum sibi convenientia [1]. Planities itineris est, ut sit stratum secundum rectitudinem justitiæ generalis : erectio lapidum, ablatio est scandalorum et impedimentorum.

Et inducit de adventu purgatoris :

« *Et statim,* » hoc est, continuo. Isa. xiv, 1 : *Prope est ut veniat tempus ejus, et dies ejus non elongabuntur.* « *Veniet ad templum suum.* » Habacuc, ii, 3 : *Veniens veniet, et non tardabit.* Cantic. ii, 8 : *Ecce iste venit saliens in montibus, transiliens colles.* In montibus salit, quia in eminentia virtutis Altissimi, hoc est, Patris, et in illuminatione sui qui sapientia Patris est, et in sanctificatione Spiritus desuper venientis venit. Transilit colles, hoc est, Angelicorum ordinum vertices : quia, sicut dicitur, ad Hebr. ii, 16 : *Nusquam Angelos apprehendit, sed semen Abrahæ apprehendit.* Ad templum sanctum suum venit, hoc est, uterum Virginis, vel ad litteram ad templum quod tunc construebatur reconciliatis Levitis, vel ad Ecclesiam. Jerem. viii, 4 : *Templum Domini, templum Domini, templum Domini est.* De primo dicitur, Ezech. xliii, 2 : *Ecce gloria Dei Israel ingrediebatur per viam orientalem,* etc., *et terra resplendebat a majestate ejus.* De secundo, in Psal. xlvii, 10 : *Suscepimus, Deus, misericordiam tuam, in medio templi tui.* De tertio, I ad Corinth. iii, 17 : *Templum Dei sanctum est, quod estis vos.* Primum sanctum est Sancti sanctorum inhabitatione, Matth. i, 20 : *Quod in ea natum est, de Spiritu sancto est.* Luc. i, 35 : *Quod nascetur ex te sanctum, vocabitur Filius Dei.* Secundum sanctum est Sancti sanctorum oblatione : per hanc enim omnis oblatio templi, sicut umbra ad veritatem reducta est, et ad sanctitatem ordinata. III Reg. ix, 3 : *Sanctificavi domum hanc quam ædificasti, ut ponerem nomen meum ibi in sempiternum.* Tertium sanctum est sanctificatorum virtute. Levitic. xi, 45 : *Sancti eritis, quia ego sanctus sum,* et quia sanctifico vos. Primum sanctum est, quia de ipso carnis substantiam sumpsit. Hoc notatur, Luc, i, 35, ubi dicitur : *Quod nascetur ex te.* Præpositio enim *ex*, materiam notat. Secundum sanctum, quia figuras et umbras legis in eo ad veritatem sua oblatione reduxit. Aggæi, ii, 10 : *Magna erit gloria domus istius novissimæ plus quam primæ.* Tertium sanctum, gratiæ inhabitatione. Psal. cxxxi, 14 : *Hic habitabo, quoniam elegi eam.* Ezech. xliii, 7 : *Locus solii mei, locus vestigiorum pedum meorum, ubi habito in medio filiorum Israel.*

Dominus in templo sancto suo.

Et describit eum a potestate et ab officio.

A potestate, cum dicit :

Deus dominator a calamitosis requirendus.

« *Dominator, quem vos quæritis.* » Dominator enim est, qui possessos ab alienis dominis in suam reducit potestatem. Isa. xxvi, 13 : *Possederunt nos domini absque te, tantum in te* (hoc est, in tuo dominio) *recordemur nominis tui.* Sapient. xii, 18 : *Tu Dominator virtutis, cum tranquillitate judicas, et cum magna reverentia disponis nos.* Apocal. xix, 16 : *Habet in vestimento et in femore suo scriptum : Rex regum, et Dominus dominantium.* Hunc quærant ab aliis dominis oppressi. Aggæi, ii, 8 : *Veniet Desideratus cunctis gentibus.* Hoc significatum est, I Reg. xxii, 2, ubi dicitur, quod veniebant ad David omnes qui erant in angustia constituti, et oppressi ære alieno, et amaro animo, et factus est eorum princeps.

Et subdit de officio :

Christus Angelus testamenti

« *Et Angelus,* » hoc est, nuntius. Isa. ix, 6, secundum Septuaginta, « vocabi« tur magni consilii Angelus. » « *Testa-*

[1] Cf. Luc. iii, 3 et seq.

menti » spiritualiter docendi et implendi, et per miracula testificandi. De primo, ad Roman. VIII, 2 : *Lex spiritus vitæ in Christo Jesu liberavit me a lege peccati et mortis*, hoc est, lex spiritualiter intellecta. Joan. VI, 64 : *Verba, quæ ego locutus sum vobis, spiritus et vita sunt*. De secundo, Matth. V, 17 : *Non veni solvere legem, sed adimplere*. De tertio, Joan. V, 36 : *Ego habeo testimonium majus Joanne. Opera enim quæ dedit mihi Pater ut perficiam ea, ipsa opera quæ ego facio, testimonium perhibent de me*. Psal. XCII, 5 : *Testimonia tua credibilia facta sunt nimis*. « *Quem vos vultis*, » hoc est, ad quem sicut ad finem refertur desiderium Sanctorum. Isa. XXVI, 8 : *Nomen tuum, et memoriale tuum in desiderio animæ*. Isa. LIII, 3 : *Desideravimus eum : despectum, et novissimum virorum*, etc.

Et subdit de qualitate adventus : « *Ecce venit*. » Et notatur, quod primus adventus demonstrabilis est in humilitate, et secundus in terrore. Isa. XL, 10 : *Ecce Dominus Deus in fortitudine veniet, et brachium ejus dominabitur : ecce merces ejus cum eo, et opus illius coram illo*. I Reg. IV, 7 : *Venit Deus in castra*. « *Dicit Dominus exercituum*. » Confirmatio est prophetiæ.

2 « *Et quis poterit cogitare?* » supple, sufficienter, « *diem*, » hoc est, qualitatem temporis et illuminationis, « *adventus ejus*, » primi scilicet in humilitate et gratia, et secundi in terrore et potentia? Eccli. XLIII, 29 : *Multa dicemus, et deficiemus in verbis*. II ad Corinth. III, 5 : *Non quod sufficientes simus cogitare aliquid a nobis, quasi ex nobis : sed sufficientia nostra ex Deo est*. I ad Cor. II, 9 : *Oculus non vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis ascendit, quæ præparavit Deus iis qui diligunt illum*.

Et hoc explana subdens : « *Et quis* » tam magnus sive potens, « *stabit* » propria virtute scilicet, « *ad videndum eum ?* » Hieronymus : « Si nemo potest « cogitare præ potentia majestatis ejus, « quis eum lippientibus oculis in sua « claritate poterit respicere ? » Nahum, I, 6 : *Ante faciem indignationis ejus quis stabit? et quis resistet in ira furoris ejus ?* Job, XXVI, 14 : *Cum vix parvam stillam sermonis ejus audierimus, quis poterit tonitruum magnitudinis illius intueri ?*

Et subdit de operis perfectione in purgando :

Christus ignis est conflans.

« *Ipse enim*, » in effectu scilicet operis, erit « *quasi ignis conflans*, » majora scilicet peccata igne tribulationis et compunctionis acriori pœna purgans. Isa. IV, 4 : *Si abluerit Dominus sordes filiarum Sion, et sanguinem Jerusalem laverit de medio ejus, in spiritu judicii, et spiritu ardoris*. Deuteron. IV, 24 : *Dominus Deus tuus ignis consumens est*.

Herba fullonum.

« *Et quasi herba fullonum*, » quæ Jerem. II, 22, *Borith* dicitur, quam quidam dicunt esse saponariam, et est herba per quam ad nitorem proprium lanæ deducuntur. Et intelligitur minor pœna per quam leviora peccata purgantur. Isaiæ, I, 18 : *Si fuerint peccata vestra ut coccinum, quasi nix dealbuntur : et si fuerint rubra quasi vermiculus, velut lana alba erunt*. Fullones hac herba purificantes, Sacerdotes sunt et Doctores. Isa. VII, 3 : *Egredere in occursum Achaz, tu et qui derelictus est Jasub, filius tuus, ad extremum aquæductus piscinæ superioris in via agri Fullonis*. Jasub qui *revocans* interpretatur, cuneum Sacerdotum significat purificantium : Isaias autem Christum : piscina superioris aquæ, gratiam desuper venientem : via agri Fullonum, via Sacerdotum ad purificandum.

« *Et sedebit*, » moram faciens non transiens, « *conflans et emundans*, » 3
hoc est, conflans ad emundandum. Sapient. III, 6 : *Tamquam aurum in fornace probavit illos, et quasi holocausti*

hostiam accepit illos : *et in tempore erit respectus illorum.* « *Argentum,* » quia etiam eloquia Veteris testamenti conflavit, ut eliquesceret ex eis spiritus sive spiritualis intellectus. Psal. xi, 7 : *Eloquia Domini, eloquia casta : argentum igne examinatum, probatum terræ purgatum septuplum.* Unde, de quibusdam obstinatis dicitur, Jerem. vi, 29 : *Defecit sufflatorium, in igne consumptum est plumbum, frustra conflavit conflator : malitiæ enim eorum non sunt consumptæ.* « *Et purgabit filios Levi,* » hoc est, sacerdotes aliorum purgatores. Isa. vi, 6 et 7 : *Volavit ad me unus de Seraphim, et in manu ejus calculus, quem forcipe tulerat de altari. Et tetigit os meum, et dixit : Ecce tetigit hoc labia tua, et auferetur iniquitas tua, et peccatum tuum mundabitur.* « *Et colabit eos,* » ut scilicet purum ab impuro separetur. Jerem. xv, 19 : *Si separaveris pretiosum a vili, quasi os meum eris.* « *Quasi aurum,* » secundum intellectum sapientiæ, « *et quasi argentum,* » secundum prædicationem eloquentiæ. Eccli. ii, 5 : *In igne probatur aurum et argentum, homines vero receptibiles in camino humiliationis.* « *Et,* » supple, sic purgati, « *erunt Domino offerentes,* » in altari cordium, « *sacrificia* » spiritus contribulati, « *in justitia,* » doctrinæ scilicet, et vitæ. Psal. l, 21 : *Acceptabis sacrificium justitiæ, oblationes, et holocausta.*

Sacerdotes per Christum purgati.

4 « *Et placebit Domino,* » propter peccata offerentium non refutatum « *sacrificium Juda,* » duarum scilicet tribuum, vel fidelis populi, « *et Jerusalem,* » hoc est, Sacerdotum. Isa. lx, 7, secundum Septuaginta : « Munera tua accepta erunt « super altare meum [1]. » Psal. lxviii, 32 : *Placebit Deo super vitulum novellum.* « *Sicut dies sæculi.* » Sæculum dicitur spatium veteris legis, in quo in Moyse et in Aaron sacrificium placuit. Isa. lxiii, 11 : *Recordatus est dierum sæculi Moysi, et populi sui.* « *Et sicut anni antiqui,* » naturalis scilicet legis, quando in Abel, Noe, Melchisedech, et Abraham sacrificium placuit. Psal. lxxvi, 6 : *Annos æternos in mente habui.*

« *Et accedam ad vos.* » Tangit hic de obstinatorum condemnatione, et accessus notat per visitationem peccati manifestam. Genes. xviii, 21 : *Descendam, et videbo.* « *In judicio,* » discussionis scilicet, et condemnationis. Mich. vi, 1 : *Surge, contende judicio adversus montes, et audiant colles vocem tuam.* « *Et ero testis,* » manifestatione veritatis. Jerem. xxix, 23 : *Ego sum judex et testis.* « *Velox,* » contra quem nihil excipitur. Isa. xvi, 5 : *Velociter reddens quod justum est.* « *Maleficis,* » hoc est, contra maleficos. *Malefici* dicuntur mala hominibus in persona, vel rebus inferentes. Exod. xxii, 18 : *Maleficos non patieris vivere.* « *Et adulteris,* » hoc est, contra adulteros, qui Deuter. xxii, 21-24, præcipiuntur lapidari. « *Et perjuris,* » hoc est, contra perjuros. Exod. xx, 7 : *Non habebit insontem Dominus eum qui assumpserit nomen Domini Dei sui frustra.* « *Et qui calumniantur,* » hoc est, calumniose retinent « *mercedem mercenarii.* » Eccli. xxxiv, 27 : *Qui effundit sanguinem, et qui fraudem facit mercenario, fratres sunt.* « *Viduas,* » quæ patrono viro carent, « *et pupillos,* » patre defensore carentes, supple, calumniantur. Exod. xxii, 22 et seq. : *Viduæ et pupillo non nocebitis. Si læseritis eos, vociferabuntur ad me, et ego exaudiam clamorem eorum. Et indignabitur furor meus, percutiamque vos gladio, et erunt uxores vestræ viduæ, et filii vestri pupilli.* « *Et opprimunt peregrinum,* » qui scilicet ad patriam tendit. Ad Hebr. xi, 13 : *Confitentes quoniam peregrini, et hospites*

Calumni non inte denda o batis pat cinio.

[1] Vulg. habet. Isa. lx, 7 : *Offerentur,* scilicet munera, *super placabili altari meo.*

sunt super terram. Deuter. v, 14 : *Peregrinus qui intra portas tuas est, quiescat.* Exod. xxiii, 9: *Peregrino molestus non eris.* Zach. v, 4 : *Educam illud, dicit Dominus exercituum : et veniet ad domum furis, et ad domum jurantis in nomine meo mendaciter : et commorabitur in medio domus ejus, et consumet eam.* « *Nec,* » supple, in omnibus his, « *timuerunt me, dicit Dominus exercituum,* » ut scilicet a peccato recederent. Eccli. i, 28 : *Qui sine timore est, non poterit justificari :* supple, et hoc inconveniens est.

6 « *Ego enim Dominus,* » supple, sum omnipotens, « *et non mutor,* » in verbis meis, et ideo infero pœnam quam comminatus sum. Numer. xxiii, 19 : *Non est Deus quasi homo, ut mentiatur : nec ut filius hominis, ut mutetur.* Contra hoc tunc videtur esse quod dicitur, Jerem. xxxi, 20 : *Conturbata sunt viscera mea super eum : miserans miserebor ejus.* Jerem. xviii, 8 : *Si pœnitentiam egerit gens illa a malo suo, quod locutus sum adversus eam, agam et ego pœnitentiam super malo quod cogitavi ut facerem ei.* Osee, xi, 8 et 9 : *Conversum est in me cor meum, pariter conturbata est pœnitudo mea. Non faciam furorem iræ meæ.* Sed hoc solvitur, quia obstinatis non mutatur, sed pœnitentibus placatur.

immu-bilis.

« *Et vos, filii Jacob,* » quia tanti patris vestri imitatores non estis, « *non estis consumpti,* » per tribulationes ad pœnitentiam. Jerem. v, 3 : *Percussisti eos, et non doluerunt : attrivisti eos, et renuerunt accipere disciplinam.*

7 « *A diebus enim patrum vestrorum,* » scilicet malorum, quorum malitiæ hæredes estis, « *recessistis a legitimis meis.* » Isaiæ, xlviii, 8 : *Transgressorem ex utero vocavi te.* Ideo, Lucæ iii, 7, dicuntur *genimina viperarum,* hoc est, « venenatorum filii, » ut dicit Chrysostomus. « *Et non custodistis,* » in opere. Act. vii, 53 : *Accepistis legem in dispositione Angelorum, et non custodistis.*

Et quia non vult mortem peccatoris, sed ut convertatur et vivat, subdit revocando eos :

« *Revertimini ad me.* » Et docet a quo revertantur, et quod maledicti sunt non revertentes, et qualiter revertantur.

« *Revertemini ad me,* » per pœnitentiam et satisfactionem. Cant. vi, 12 : *Revertere, revertere, Sulamitis.* Isa. xlvi, 8 : *Redite, prævaricatores, ad cor.* « *Et revertar ad vos, dicit Dominus exercituum.* » Jerem. iii, 1 : *Revertere ad me, dicit Dominus, et ego suscipiam te.* Hieronymus : « Magna clementia eos qui a se « recesserant, ad reditum provocat, ut « ipse quoque ad eos redeat. »

Clementia Dei magna.

« *Et dixistis,* » ut obstinati, et peccatum non recognoscentes. « *In quo revertemur ?* » quasi qui non discesseritis. Isa. lviii, 2 : *Me de die in diem quærunt, et scire vias meas volunt, quasi gens quæ justitiam fecerit, et judicium Dei sui non dereliquerit.*

Et subinfert responsionem a quo re- 8
vertantur :

« *Si affigit*[1] *homo Deum, quia vos configitis me ?* » Quasi dicat : Non in se, sed in membris affigit eum. Ad Galat. iii, 1 : *Ante quorum oculos Jesus Christus præscriptus est, in vobis crucifixus.* Ad Hebr. vi, 6 : *Rursus crucifigentes sibimetipsis Filium Dei, et ostentui habentes.*

« *Et dixistis,* » ut obstinati. « *In quo configimus te ?* » non advertentes quod me in membris meis configitis. Zachar. ii, 8 : *Qui tetigerit vos, tangit pupillam*

[1] Vulg. habet, *Si affliget homo Deum, quia vos configitis me.* Litter. « Un homme peut-il tromper Dieu, et vous me trompez. »

oculi mei. Joan. xix, 37 : *Videbunt in quem transfixerunt.* Apocalyps. i, 7 : *Videbit eum omnis oculus, et qui eum pupugerunt.*

9 Et respondet, subdens : « *In decimis et in primitiis,* » supple, retentis, quæ Levitis præcipiuntur offerri [1].

« *Et in penuria,* » quæ ex subtractis votis causatur, qualis penuria inducit puncturas famis et sitis et aliarum tribulationum. Simile, Act. ix, 5 : *Ego sum Jesus, quem tu persequeris :* cum tamen non persequeretur eum, nisi in membris et in ministris.

Et subdit de maledictione : « *Vos maledicti estis,* » hoc est, maledictioni æternæ addicti. Psal. cxviii, 21 : *Maledicti qui declinant a mandatis tuis.* « *Et,* » id est, quia « *me vos configitis gens tota,* » nullo scilicet excepto. Et tangit id quod legitur, Nehem. v, 1 et seq., quod illi qui frumenta habebant tempore famis, tanto pretio frumenta exaltabant, quod alii non habentes, filios et filias cogebantur vendere : et propter hoc decimas non solvebant, propter quod ministri templi fugere de templo compulsi erant, et puncturis paupertatis affligi. Matth. xxv, 40 : *Quamdiu fecistis uni ex his fratribus meis minimis, mihi fecistis.*

10 Et quia non vult mortem peccatoris, subdit revocando ad pœnitentiam :

« *Inferte omnem decimam,* » hoc est, cujuscumque grani, vel animalis decimam. Levit. xxvii, 30 : *Omnes decimæ terræ, sive de frugibus sive de pomis arborum, Domini sunt.* Exod. xxii, 29 : *Decimas tuas, et primitias tuas non tardabis reddere.* « *In horreum meum,* » hoc est, in repositoria templi ubi ministri mei sunt. « *Et sit cibus in domo mea,* » ministrorum scilicet. Matth. x, 10 : *Dignus est operarius cibo suo.* Proverb. iii, 9 et 10 : *Honora Dominum de tua substantia, et de primitiis omnium frugum tuarum da ei : et implebuntur horrea tua saturitate, et vino torcularia tua redundabunt.*

Decimæ sacerdotibus non subtrahendæ.

Et hoc est quod sequitur : « *Et probate me,* » utrum scilicet quando vos datis mihi quod meum est, si non omni benedictione perfudero vos. « *Super hoc, dicit Dominus.* » Isa. i, 19 : *Si volueritis et audieritis me, bona terræ comedetis.* « *Si non aperuero vobis cataractas cœli.* » *Cataractæ* dicuntur fenestræ cœli, per quas roris pluviæ descendunt, et luminis fit effusio. Genes. vii, 11 : *Cataractæ cœli apertæ sunt.* « *Et effudero vobis benedictionem usque ad abundantiam.* » Deuteron. xxviii, 12 : *Aperiet Dominus thesaurum suum optimum, cœlum ut pluviam tribuat terræ tuæ in tempore suo : benedicetque cunctis operibus manuum tuarum.*

Et de aversione mali subdit : 11

« *Et increpabo pro vobis devorantem,* » tyrannum scilicet, vel locustam et bruchum et erucam, quæ diversa vitia significant, ut in Joel, i, 4 et seq., dictum est. Increpatio autem Dei aversio mali est. Joel, ii, 25 : *Reddam vobis annos quos comedit locusta, bruchus, et rubigo et eruca.* Et, paulo supra, ℣. 20 : *Et eum qui ab Aquilone est, procul faciam a vobis,* hoc est, diabolum. « *Et non corrumpet fructum terræ vestræ,* » nec litteraliter, nec etiam spiritualiter in bonis operibus. Psal. lxxxiv, 13 : *Dominus dabit benignitatem, et terra nostra dabit fructum suum.*

Et hoc explanat per partes : « *Nec erit sterilis vinea in agro,* » vel litteraliter, vel spiritualiter in vitibus gaudiorum æternorum vinum ferentibus. Osee, x, 1 : *Vitis frondosa Israel, fructus adæ-*

[1] Super decimis, cf. Levitic. xxvii, 30 et seq. ; Numer. xviii, 20 et seq. ; Deuter. xiv, 22 et seq. Super primitiis, cf. Deuter. xii, 6, et xviii, 4 ; Nehem. xiii, 5.

quatus est ei. « *Dicit Dominus exercituum.* » Confirmatio est sermonis.

Quæstio de obligatione decimarum.

Propter ea quæ hic dicta sunt, quæstio est de solutione decimarum. Arguunt enim quidam sic quod hic non præcipit decimas solvi, nisi ut sit cibus in domo Domini. Si ergo cibus est ex dote Ecclesiæ, vel aliis reditibus, non oportet decimas solvi. Ad hæc, Act. xv, 28 et 29, Jacobus, Episcopus Jerosolymorum, post disputationem Petri Apostoli et aliorum, quid imponendum esset Gentibus ad fidem conversis, sic per sententiam decrevit: *Visum est Spiritui sancto, et nobis, nihil ultra imponere vobis oneris quam hæc necessaria*: *ut abstineatis vos ab immolatis simulacrorum, et sanguine, et suffocato, et fornicatione, a quibus custodientes vos, bene agetis.* Cum ergo decimæ impositæ sint ad onus, decimas Christiani non tenentur solvere. In contrarium est quod decimæ solutæ sunt ministris Dei in omni lege. In naturali patet, quia Abraham solvit decimas Melchisedech, sacerdoti summo, Genes. xiv, 20. In lege Moysi præcipitur hoc, Numer. xviii, 15 et seq., et Exod. xxii, 29 et seq. In lege Christi mentio fit de hoc in Epistola Pauli Apostoli ad Hebræos.

Decimæ omni lege Dei ministris deputatæ.

Ad hæc dicunt quidam, quod propter istas rationes Christiani non tenentur decimas solvere, nisi ubi consuetum est decimas solvi, et ex consuetudine jus præceptum acquisitum habet, et ubi exigit hoc indigentia ministrorum. Sic autem non judicat Ecclesia. Propter quod dicendum, quod ministris Dei debentur decimæ omni modo, dummodo ministri Dei sint secundum actum et effectum. Si autem non ministrant, ad damnationem sui decimas recipiunt. I ad Corinth. ix, 7 : *Quis militat suis stipendiis umquam?* Et, post pauca, ℣. 14 : *Dominus ordinavit iis qui Evangelium nuntiant, de Evangelio vivere.* Decimæ autem et primitiæ et vota taxata sunt in stipendia ministrorum.

« *Et beatos vos dicent omnes gentes,* » 12
pro temporalium et spiritualium abundantia. Luc. i, 48 : *Ecce enim ex hoc beatam me dicent omnes generationes.* Et hujus benedictionis subdit rationem : « *Eritis enim vos terra desiderabilis,* » per metonymiam, ut per terram, habitantes in terra intelligantur : « *dicit Dominus exercituum.* » Confirmatio est sermonis. Isa. lxii, 4 : *Non vocaberis ultra Derelicta, et terra tua non vocabitur amplius Desolata* : *sed vocaberis Voluntas mea in ea, et terra tua inhabitata, quia complacuit Domino in te.*

« *Invaluerunt super me.* » Hic adhuc 13
plenius ostendit, quod in fine præcedentis capituli, ℣. 17, dixit : *Laborare fecistis Dominum in sermonibus vestris*, ostendens quod hi sermones sunt sermones blasphemiæ contra providentiam, scilicet quod non esset distantia inter justum et impium : et ideo tria facit hic. Primo enim ostendit hos sermones blasphemiæ : secundo improbat deducendo ad inconveniens, ibi, « *Ergo nunc beatos.* » Tertio, distantiam ostendit bonorum et malorum, per hoc quod parcit bonis, et damnat malos, ibi, « *Tunc locuti sunt timentes Dominum.* »

« *Invaluerunt,* » plus et plus contra me crescentes, « *super me,* » hoc est, contra me, « *verba vestra,* » blasphemiæ scilicet, « *dicit Dominus.*» II ad Timoth. iii, 13 : *Mali autem homines, et seductores projicient in pejus : errantes, et in errorem mittentes.*

« *Et dixistis,* » peccatum ex igna- 14
via non intelligentes : « *Quid locuti sumus contra te?* » Isa. lix, 13 : *Locuti sumus de corde verba mendacii.* » « *Dixistis,* » hoc est, quia dixistis : « *Vanus est, qui servit Deo.* » Vanum est quod caret fine utilitatis, et ita dixerunt quod bonis male succedit in mundo, malis autem bene. Job, xxi, 7 : *Quare ergo*

impii vivunt, sublevati sunt, confortatique divitiis? Et probationem subinferunt : « *Et,* » id est, quia « *quod emolumentum,* » utilitatis scilicet, « *quia custodivimus præcepta ejus,* » juste vivendo : omnia enim retulerunt ad remunerationem temporalem. Sapient. II, 21 et 22 : *Hæc cogitaverunt, et erraverunt : excæcavit enim illos malitia eorum. Et nescierunt sacramenta Dei, neque mercedem speraverunt justitiæ.* « *Et quia ambulavimus tristes coram Domino exercituum,* » in pœnitentia scilicet, et humiliatione, cum nos affligamur, et idololatræ et mali felicitate terrenorum proficiant. Simile, Isa. LVIII, 3 : *Quare jejunavimus, et non adspexisti : humiliavimus animas nostras, et nescisti?*

15 Et subdit improbationem deducendo ad inconveniens :

« *Ergo nunc,* » supple, si verum est quod dicitis, « *beatos dicimus arrogantes.* » « Arrogantes sunt, ut dicit Hieronymus, qui sibi superbe terrenorum « felicitatem et gloriam attribuunt, et « Deum blasphemant. » Simile, in Psal. CXLIII, 15 : *Beatum dixerunt populum cui hæc sunt,* præsentia scilicet, cum tamen illi summe sint infelices.

Et subjungit rationem beatitudinis talis : « *Siquidem,* » hoc est, quia « *ædificati sunt,* » in temporalibus divitiis scilicet. Jerem. XII, 2 : *Plantasti eos, et radicem miserunt : proficiunt et faciunt fructum.* « *Facientes impietatem* » in Deum et in homines. Job, XII, 6 : *Abundant tabernacula prædonum, et audacter provocant Deum.* « *Et tentaverunt Deum,* » in hoc scilicet, quod peccando in Deum, experiri voluerunt an Deus vindicaret. Contra quod dicitur, Deuteronom. VI, 16 : *Non tentabis Dominum Deum tuum.* Psal. LXXVI, 56 : *Tentaverunt et exacerbaverunt Deum excelsum.* « *Et,* » supple, tamen « *salvi facti sunt,* » præsenti felicitate. Simile, in Psal. LXXII, 12 : *Ecce ipsi peccatores, et abundantes in sæculo, obtinuerunt divitias.* Et dicit Gregorius, quod « hujusmodi prosperari permittuntur, ut vituli « pascuales ut mactentur. Illi enim pinguibus pascuis nutriuntur, ut avidius « dentibus lacerentur. » Job, XXI, 30 : *In diem perditionis servatur malus, et ad diem furoris ducetur.*

Prosperitas impiorum non diuturna.

Et subdit quod aliter est in his qui Deum timent, et hoc inducit sub voce Prophetæ respondentis contra blasphemos : 16

« *Tunc locuti sunt timentes Dominum :* » Et quid locuti sint, non dicit : sed intelligitur, quod in timore Dei contra blasphemos locuti sunt. « *Unusquisque cum proximo suo,* » hortando scilicet se invicem, ne propter verba blasphemorum a justitia desistant. Tob. IV, 23 : *Noli timere, fili mi : pauperem quidem vitam gerimus, sed multa bona habebimus si timuerimus Deum, et recesserimus ab omni peccato, et fecerimus bene.* « *Et attendit Dominus, et audivit* » Histeron proteron, prius enim est audire quam attendere. Sapient. I, 10 : *Auris zeli audit omnia.* Daniel. IX, 19 : *Attende, et fac.* « *Et scriptus est liber monumenti coram eo,* » hoc est, in scientia et remuneratione Dei ad remunerandum omnia quæ dicunt et faciunt et boni et mali. Apocal. XX, 12 : *Et alius liber apertus est, qui est vitæ : et judicati sunt mortui ex his quæ scripta erant in libris.* Glossa inducit illud Daniel. VII, 9 et 10 : *Throni positi sunt, et antiquus dierum sedit. Judicium sedit, et libri aperti sunt.* Job, XXXI, 35 et seq. : *Librum scribat ipse qui judicat, ut in humero meo portem illum, et circumdem illum quasi coronam mihi? Per singulos gradus meos pronuntiabo illum, et quasi principi offeram eum.* « *Timentibus Dominum,* » quantum ad recessum a malo, « *et cogitantibus nomen ejus,* » quantum ad faciendum bonum. Bona enim illorum omnia conscripta sunt ad remunerandum. Unde,

II ad Timoth. I, 12, dicitur : *Scio cui credidi, et certus sum quia potens est depositum meum servare in illum diem.*

17 Et ex hoc ostendit distantiam bonorum et malorum coram Deo, subdens :

« *Et erunt mihi, ait Dominus exercituum,* » boni scilicet, « *in die qua ego facio,* » judicium scilicet discretionis inter bonos et malos, « *in peculium,* » hoc est, in populum peculiarem, specialiter gratum. Deuter. VII, 6 : *Te elegit Dominus Deus tuus, ut sis ei populus peculiaris.* Psal. XXXII, 12 : *Populus quem elegit in hæreditatem sibi.* Isa. XIX, 25 : *Hæreditas mea Israel.* Et hoc est quod sequitur : « *Et parcam eis,* » quia dicit Augustinus, « quod etiam « boni quædam habent quæ per flagella « corrigi oportet, sed pius pater parcendo corrigit, cum minus punit quam « mereantur. » Et hoc est quod sequitur : « *Sicut parcit vir filio suo servienti sibi,* » supple, quem corripit per flagella, ne insolescat. Proverb. III, 11 et 12 : *Disciplinam Domini, fili, ne abjicias : nec deficias cum ab eo corriperis : quem enim diligit Dominus corripit, et quasi pater in filio complacet sibi :* contumacem autem abjicit, et tradit judicio. Deuteronom. XXI, 20 et 21 : *Filius noster iste protervus et contumax est, monita nostra audire contemnit, comessationibus vacat, et luxuriæ atque conviviis : lapidibus eum obruet populus civitatis, et morietur.*

Flagella Dei patienter ferenda.

Et subdit conclusionem intentam : 18

« *Et convertimini,* » tunc scilicet sera pœnitentia, « *et videbitis* » experimento, « *quid sit inter justum et impium,* » quantum ad distantiam meriti, « *et inter servientem Deo, et non servientem ei,* » quantum ad distantium præmii. Sapient. V, 3 et seq. : *Dicent intra se, pœnitentiam agentes, et præ angustia spiritus gementes : Hi sunt, quos habuimus aliquando in derisum, et in similitudinem improperii. Nos insensati, vitam illorum æstimabamus insaniam, et finem illorum sine honore : ecce quomodo computati sunt inter filios Dei, et inter Sanctos sors illorum est.*

CAPUT IV.

Dies Domini inflammabit omnes facientes impietatem, evulsa ipsorum radice : orietur sol justitiæ Deum timentibus, qui calcabunt impios : jubet reminisci legis Moysi : Elias antequam veniat dies Domini mittendus prædicitur, qui convertat cor patrum ad filios.

1. Ecce enim dies veniet succensa quasi caminus : et erunt omnes superbi, et omnes facientes impietatem stipula : et inflammabit eos dies veniens, dicit Dominus exercituum, quæ non derelinquet eis radicem et germen.

2. Et orietur vobis timentibus nomen meum Sol justitiæ [1], et sanitas in pennis ejus : et egrediemini, et salietis sicut vituli de armento.

[1] Luc. I, 78.

3. Et calcabitis impios, cum fuerint cinis sub planta pedum vestrorum, in die qua ego facio, dicit Dominus exercituum.

4. Mementote legis Moysi, servi mei, quam mandavi ei in Horeb ad omnem Israel, præcepta et judicia [1].

5. Ecce ego mittam vobis Eliam prophetam, antequam veniat dies Domini magnus et horribilis [2].

6. Et convertet cor patrum ad filios, et cor filiorum ad patres eorum : ne forte veniam, et percutiam terram anathemate.

IN CAPUT IV MALACHIÆ

ENARRATIO.

« *Ecce enim dies veniet.* » Quia autem hoc fit in extremo judicio, ideo ostendit, qualiter in judicio discernuntur boni a malis, et dividitur in duo. In primo ostendit hoc quod dictum est. In secundo, ex hoc movet ad observantiam legis, cujus observantia tantæ est remunerationis, ibi, ℣. 4 : « *Mementote legis Moysi.* »

1 In primo duo facit. Primo enim ostendit condemnationem malorum : secundo, gloriam bonorum.

« *Ecce enim dies veniet,* » hoc est, semper in accedendo est, et veniendo. Dicitur autem *dies* propter claritatem justitiæ quæ tunc apparebit. Matth. xxiv, 27 : *Sicut fulgur exit ab Oriente, et paret usque in Occidentem : ita erit et adventus Filii hominis.* I ad Corinthios, iv, 5 : *Veniet Dominus, qui et illuminabit abscondita tenebrarum, et manifestabit consilia cordium.* Si aliquando dicitur dies tenebrarum et caliginis (Sophoniæ, i, 15), hoc dicitur propter malos, qui tunc projicientur in tenebras exteriores [3]. « *Succensa quasi caminus,* » propter iram furoris in peccatores. Isaiæ, xxx, 27 : *Ardens furor ejus, et gravis ad portandum.* Deuteronom. xxxii, 22 : *Ignis succensus est in furore meo.* Caminus autem dicitur qui in se revolutum habet ignem et conculcatum, per quem infernus significatur, in quo mali sicut stipula concremantur.

Et hoc est quod sequitur :

« *Et erunt omnes superbi,* » arrogantes scilicet, et blasphemi, « *et omnes facientes impietatem,* » in peccatis mortalibus, « *stipula,* » hoc est, æstu ignis facile cremabilis. Isa. i, 31 : *Erit fortitudo vestra ut favilla stuppæ, et opus vestrum quasi scintilla : et succendetur utrumque simul, et non erit qui exstinguat.* Job, xx, 26 : *Devorabit eum ignis qui non succenditur.* « *Et inflammabit eos dies veniens,* » hoc est, judicium, « *dicit Dominus exercituum.* » Confirmatio est. Psal. xcvi, 3 : *Ignis ante ipsum præcedet, et inflammabit in circuitu inimicos ejus.* « *Quæ,* » scilicet dies, « *non derelinquet eis radicem.* » Radix dicitur cogitatio. « *Et germen.* » Germen est opus, vel prosperitas terrena, in qua germinant. Isaiæ, v, 24 : *Radix eorum quasi favilla erit.* Isa. xiv, 22 : *Perdam Babylonis nomen, et reliquias, et germen, et progeniem.*

Et subdit de bonis : 2

« *Et orietur vobis timentibus nomen meum,* » timore scilicet filiali et reverentiæ, « *Sol justitiæ,*» hoc est, claritas vincens solem propter justitiæ meritum.

[1] Exod. xx. Deuter. iv, 5 et 6.

[2] Matth. xvii, 10; Marc. ix, 10; Luc. i, 17.

[3] Matth. viii, 12

Claritas corporis gloriosi.

Et in hoc notatur claritas quæ est dos corporis gloriosi, et lumen veritatis lucens in dote mentis. Matth. XIII, 43 : *Tunc fulgebunt justi sicut sol in regno Patris eorum.* « *Et sanitas in pennis ejus.* » Pennæ solis, radii et splendores sunt, quibus advolat in ea quæ illuminat. Sanitas vero dicitur impassibilitas, et æterna immortalitas. Sapient. XV, 3 : *Scire justitiam et virtutem tuam, radix est immortalitatis.* Apocal. XXI, 4 : *Et mors ultra non erit, neque luctus, neque clamor, neque dolor erit ultra.* « *Et egrediemini,* » passibus scilicet contemplationis. Isa. LXVI, 24 : *Et egredientur, et videbunt cadavera virorum, qui prævaricati sunt in me.* « *Et salietis,* » saltibus scilicet gaudiorum, in quo (sicut dicunt quidam) notatur agilitas, « *sicut vituli de armento,* » a vinculis scilicet relaxatis, et de clausura stabuli emissi : tunc enim saltare consueverunt. Sic Sancti a vinculis et carcere carnis absoluti, saltabunt in gaudiis. Glossa inducit illud Apostoli, ad Philip. I, 23 : *Desiderium habens dissolvi, et esse cum Christo.* Et hoc propter translationem Septuaginta, quæ sic habet, « Salietis sicut vi- « tuli vinculis relaxati. » Tunc enim cantantes, dicent illud Psal. CXXIII, 7 : *Anima nostra sicut passer erepta est de laqueo venantium : laqueus contritus est, et nos liberati sumus.*

3 Et subdit de fortitudine Sanctorum :

« *Et calcabitis impios,* » scilicet condemnantes cum Deo. Glossa inducit illud Psal. LVII, 11 : *Lætabitur justus cum viderit vindictam.* Melius inducitur illud Deuter. XXXIII, 25 : *Quis similis tui, popule, qui salvaris in Domino? scutum auxilii tui, et gladius gloriæ tuæ,* supple, est Deus tuus : *negabunt te inimici tui, et tu eorum colla calcabis.* Judic. V, 21 : *Conculca, anima mea, robustos.* Isa. LXIII, 3 : *Calcavi eos in furore meo, et conculcavi eos in ira mea.* « *Cum fuerint cinis,* » id est, reliquiæ ignis. Isa. IX, 5 : *Erit in combustionem, et cibus ignis.* « *Sub planta pedum vestrorum,* » id est, subjecti et ad ima depressi. Psal. CIX, 1 : *Ponam inimicos tuos scabellum pedum tuorum.* Victos enim tunc conculcabit, et suppedaneos ponet inimicos. Psal. VIII, 8 : *Omnia subjecisti sub pedibus ejus.* « *In die,* » judicii scilicet, « *qua ego facio,* » talem scilicet inter bonos et malos discretionem. Matth. XXV, 32 : *Separabit bonos a malis, sicut pastor segregat oves ab hædis.* « *Dicit Dominus exercituum.* » Confirmatio est dictorum.

Et subdit de observatione legis, duo dicens : legis observantiam, et dans monitorem ut observetur. Unde Hieronymus sic continuat : « In futuro juxta « merita erit retributio : ergo dum tem- « pus est merendi, observate legem. » 4

« *Mementote legis,* » ad spiritualem scilicet intelligentiam. Psal. I, 2 : *In lege ejus meditabitur die ac nocte.* « *Moysi, servi mei.* » Ad Hebr. III, 5 : *Moyses fidelis erat in tota domo ejus tamquam famulus, in testimonium eorum quæ dicenda erant.* Eccli. XXIV, 3 : *Legem mandavit Moyses in præceptis justitiarum.* « *Quam,* » scilicet legem, « *mandavi ei,* » hoc est, Moysi, « *in Horeb*[1]. » Horeb mons est situs in montanis Sinai, ad quem ambulavit Elias, III Reg. XIX, 8, et *siccitas* interpretatur, quia « per legem omnium vi- « tiorum humor excoquitur et exsicca- « tur, » ut dicit Hieronymus. Joan. I, 17 : *Lex per Moysen data est, gratia et veritas per Jesum Christum facta est.* « *Ad omnem Israel,* » supple, mandavi. Exod. XX, 18 : *Cunctus autem populus videbat voces.*

Horeb.

Et determinat principales partes legis, subdens :

[1] Cf. Exod. XX.

« *Præcepta et judicia,* » scilicet moralia quæ sunt decem[1]. Isa. xxvi, 8 : *In semita judiciorum tuorum, Domine, sustinuimus te.*

5 Et subdit de monitore ad observandum :

Henoch et Elias secundum Domini adventum præcursuri.

« *Ecce ego mittam vobis Eliam Prophetam.* » Sicut enim Joannem Baptistam misit ante primum adventum, sic mittet Eliam et Henoch ante secundum. Matth. xvii, 13. *Elias jam venit, et non cognoverunt eum, sed fecerunt in eo quæcumque voluerunt.* Apocal. xi, 3 : *Dabo duobus testibus meis* (Eliæ scilicet et Henoch), *et prophetabunt diebus mille ducentis sexaginta, amicti saccis.* Elias tamen *Deus meus* interpretatur, quia ad Deum convertet : qui fuit de Thesbi oppido quod sonat *conversio,* et significat cuneum Prophetarum et Doctorum et Prædicatorum, qui tunc conversioni populi intendent. « *Antequam veniat dies Domini magnus,* » id est, in quo magna faciet Sanctis. Ad Roman. viii, 30 : *Quos justificavit, illos et glorificavit.* Sapient. xix, 20 : *In omnibus magnificasti populum tuum, Domine, et honorasti.* « *Et horribilis,* » malis scilicet. Sapient. vi, 6 : *Horrende et cito apparebit vobis.*

Elias Thesbites.

Et subdit de officio Eliæ :

« *Et convertet cor patrum ad filios,* » hoc est, ut fides et devotio patrum resplendens appareat in fide et devotione aliorum. Deuter. xxxii, 7 : *Interroga patrem tuum, et annuntiabit tibi : majores tuos, et dicent tibi.* Psal. lxxvii, 3 : *Quanta audivimus et cognovimus ea, et patres nostri narraverunt nobis.* « *Et cor filiorum,* » supple, convertet « *ad patres eorum,* » ut scilicet in præmiis filiorum promissa patrum verificentur. Luc. i, 17 : *Ipse præcedet ante illum in spiritu et virtute Eliæ, ut convertat corda patrum in filios, et incredulos ad prudentiam justorum.* « *Ne forte veniam* » super improvisos, ad judicium scilicet : propter quod dicit esse vigilandum, Marc. xiii, 33 : *Videte, vigilate, et orate : nescitis enim quando tempus sit.* « *Et percutiam terram,* » id est, terrenos impœnitentes et improvisos, « *anathemate,* » æterna scilicet separatione. I ad Corinth. xvi, 22 : *Si quis non amat Dominum nostrum Jesum Christum, sit anathema, Maran-Atha,* hoc est, in adventu Domini ab omnibus bonis separatus, in ignem æternum projiciatur.

Omnia quæ dicta sunt ab illo loco, *Ecce mittam Angelum meum,* usque huc[2], Judæi referunt ad adventum sui Messiæ in auream Jerusalem, sed nos tales fabulas non curamus.

[1] Cf. Exod. xx et xxii.

[2] Scilicet a capite III Malachiæ, ℣. 1 usque ad finem prophetiæ.

INDEX

IN MALACHIAM PROPHETAM.



INDEX

Rerum notabilium, quæ in Enarrationibus in XII prophetas minores continentur.

ABBREVIATIONES :

Osee.	**Osee.**
Joel.	**Joel.**
Amos.	**Amos.**
Abd.	**Abdiæ.**
Jonæ.	**Jonæ.**
Mich.	**Michææ.**
Nah.	**Nahum.**
Hab.	**Habacuc.**
Soph.	**Sophoniæ.**
Agg.	**Aggæi.**
Zach.	**Zachariæ.**
Mal.	**Malachiæ.**
Prol.	**Prologus.**
p.	**pagina.**
ỳ.	**versiculus.**

N. B. — Numerus romanus notat caput, arabicus autem versiculum. Nomina italice impressa indicant interpretationes nominum hebræorum : v. g. ABDIAS *centum prophetas pavit in deserto*. Abd. in prol. p. 274. Expositio hujus sententiæ invenitur in prologo Abdiæ, pagina 274 tomi hujus.

A

I

J

N

Q

R

T

U

V

X

Z

INDEX GENERALIS

Sancti Amandi (Cher). — Ex typis DESTENAY, BUSSIÈRE FRÈRES.